
3 1761 05436629 9

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES

ET

A. SABINI

EPISTOLAE.

E VETERUM LIBRORUM FIDE ET VIRORUM DOCTORUM ANNOTATIONIBUS RECENSUIT, VARIAS LECTIONES CODICUM ET NONNULLARUM EDITIONUM APPOSUIT, COMMENTARIIS, IN QUIBUS ETIAM ANNOTATIONES NICOLAI HEINSII, PETRI BURMANNI, DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP ALIORUMQUE VIRORUM DOCTORUM PARTIM INTEGRAE PARTIM EXPLETAE ATQUE EMENDATAE CONTINENTUR, INSTRUXIT, DE HIS CARMINIBUS PRAEFATUS EST ET INDICES ADDIDIT

VITUS LOERS

GLADBACENSIS.

Insunt variae lectiones XII codicum separatim excusae.

PARS I.

COLONIAE

APUD M. DUMONT-SCHAUBERG.

MDCCCXXIX.

PRAEFATIO.

In adornanda nova hac editione P. Ovidii Nasonis Heroidum propositum mihi fuit, ut paullo pleniorem, quam quae adhuc vulgatae essent, horum carminum editionem conficerem; quae praeter textum, quem vocant, e veterum librorum fide et grammaticorum annotationibus recognitum atque emendatum omnes, quae quidem in promptu essent, variantes lectiones codicum manu exaratorum, et commentarios omninoque omnem apparatum grammaticum, ad receptam a me scripturam tuendam et haec elegantissima ac difficillima carmina accuratius intelligenda necessarium, complecteretur.

Iam quod ad emendationem scripturae attinet, quae etiam post novam illam quasi aetatem, quam Ovidii carminum adduxit ingenium atque doctrina N. Heinsii, post utilissimas curas P. Burmanni patrui, C. et Fr. Heusingeri, C. G. Mitscherlichii, X. Werferi, D. I. Van Lennep aliorumque critica ope valde indigebat, insignem laudem adepta est, quae ante hunc annum in lucem prodiit omnium Ovidii operum editio I. C. Iahni,

professoris Lipsiensis, cuius opera nescio quo meo fato hanc editionem Heroidum, quae iam dudum publice indicata ac fere penitus absoluta erat, paullum praevertit neque exiguam partem gloriolae ac novitatis, quam haec mea ex illo loco fuisset habitura, praeoccupavit. Sed tamen me non poenitet, aliquam in ea re operam atque industriam collocasse, quum etiam praeclara illa recensio Iahni satis largam materiem reliquerit de Ovidii carminum scriptura emendanda bene merendi. Quod tamen non ita dico, quasi huius viri merita maligne deminuere atque detrectare velim, de quibus ego quam praeclare sentiam, iam alio loco *) et palam et pluribus sum professus; verum ego sic existimo: ad omnium Ovidii carminum emendandorum munus rite absolvendum perficiendumque unius hominis neque vires ingenii, neque doctrinae copiam, neque vero unius hominis brevitatem vitae posse sufficere.

In scriptura igitur constituenda, quam primam partem huius operis dixi, id efficere sum conatus, ut veterum librorum variis lectionibus et virorum doctorum annotationibus criticis excussis atque aestimatis

*) In censura primi voluminis illius editionis in Biblioth. Crit. Seebodii a. 1828.

carmina haec quam maxime similia sui redderem, h. e., qualia ex poetae manu prodiissent. In quo munere duo semper ob oculos habui praecepta, quorum unum est, summam ubique, nisi si forte sententiae rationi aut recto loquendi modo prorsus repugnaret, tribuendam esse auctoritatem scripturae codicum manu exaratorum et earum editionum, quae aliquam codicum fidem habere viderentur; alterum, sui quemque scriptorem optimum esse interpretem, h. e., si ad hanc rem criticam transferas, ubique studiosissime intuendam esse poetae naturam atque indolem rationemque dicendi. Ac posterius illud nescio an ad nullius studium atque tractationem poetae Latini magis pertinere dicam, quam ad Ovidium. Nam etsi nulla ullius scriptoris accurata et quae per omnes partes pertineat emendatio atque interpretatio, nisi intima cum eius ingenio ac ratione contracta familiaritate, cogitari potest; tamen si quis sine illa interiore consuetudine ad Ovidii carmina pertractanda accederet, profecto maxime omnium frustra elaboraret ac tempus operamque profunderet. Nullus enim est scriptor, qui leviter adspicienti ad intelligendum tractandumque videatur esse facilior atque habilior; eundem

autem si acrius inspexeris et eius ingenium penetraveris, vix ullum esse reperies, qui tam multa habeat propria tamque sibi in ratione et oratione similis sit, et tamen tam multas easque diversissimas quasi formas atque figuras accipiat. Atque his fere praeceptis et hoc de Ovidii ratione iudicio usus sum in tota illa textus emendandi provincia administranda. In coniecturis autem in textum recipiendis admodum caute ac moderanter agendum putavi, neque quidquam novandum, nisi si scripturam veterum librorum idoneis rationibus retineri non posse appareret. Malui enim nimius et paullo religiosior fautor atque admirator vetustatis videri et ad novandum timiditatis accusari, quam vel minimam in mutando audaciae atque temeritatis, qua nihil in hoc genere perniciosius est, culpam suscipere.

Copiae vero criticae, quibus usi sumus, quasque accuratius collectas in hac editione reponendas suscepimus, primum sunt, quas partim aliorum virorum doctorum cura enotatas, partim a se ipsis comparatas atque congestas in editionibus suis proposuerunt N. Heinsius et P. Burmannus. Sunt autem variae lectiones ab Heinsio excerptae mancae multisque in locis incertae. Nam quum hic

vir tantum numerum codicum Ovidii in manibus habuerit, ut vix quisquam ad ullum scriptorem tractandum hac quidem ex parte instructior atque paratior unquam accesserit, „tam negligenter, ut Iahnus ea de re severe quidem, sed tamen vere iudicavit, varias lectiones notavit, ut ne optimorum quidem et antiquissimorum codicum varietatem integram habeamus. Multo negligentius etiam versatus est in iis libris manu scriptis, quos minoris pretii esse existimabat. Optimos libros haud raro per plures paginas silentio praetermisit; alios in toto poemate saepenumero vix ter quaterve commemoravit. Nec solum varias lectiones, sed etiam nomina saepe codicum reticuit eosque multis in locis numero tantum laudavit. Quo factum est, ut Heinsii codices saepe numerari ac saepius etiam ponderari non possint ———. Quae autem de Heinsio dicta sunt, ea omnia in Burmannum quoque cadunt, quippe qui raro tantum varias lectiones ex Heinsii schedis supplevit, nec suas codicum, Francofurtensis et duorum triumve aliorum, collationes diligentius notavit.“ Praeter Heinsianas et Burmannianas copias adhibuimus atque in hac editione repetiimus varias lectiones, quas ab aliis grammaticis variis in locis atque libellis

propositas reperiebamus: quas e codice Dunelmiensi et Relandino excerptas R. Bentleius cum alia annotatione posuit in margine exemplarium suorum editionis Heinsianae et Burmannianae, quae primum descriptae sunt in *the Classical Iournal XXXVII.* et *XXXVIII.* et repetitae in *Lemairii edit. maiore Vol. I.* et *Seebodii Biblioth. Crit. a.* 1821. *Fasc. III. et IX.;* quas e codicibus Monacensibus et Victorino enotatas attulit F. X. Werfer in libello, qui inscribitur *Specimen Lectionum in P. Ovidii Nasonis Heroidas* in *Actt. Philolog. Monac. T. I. Fasc. IV.;* quas e codicibus Guelferbytanis diligenter enotavit I. Fr. Heusinger, Ciceronis librorum de Officiis editione celebratum nomen, quae exstant in *Epistola ad Harlesium,* inserta in *Lessing's Beiträge zur Geschichte und Literatur aus den Schätzen der Herzogl. Biblioth. zu Wolfenbüttel, Dritt. Beitr. N. XV.;* quae codicis Dresdensis, Erfurtensis et duorum Gothanorum editae sunt *a Kuinoelio* in duobus libellis: *Lectionum var. e IV codd. Spec. I. et II. Giess.;* quas e codice Helmstadiensi excerptas edidit *Wideburg* in duobus libellis, qui inscribuntur: *Lectt. var. in Ovidii Heroidas Spec. I. et II. Helmst.;* quas e codice Zwiccaviensi, Seidleriano et fra-

gmento codicis, quod exstat Lipsiae in bibliotheca Paulina, excerpsit et cum reliquo apparatu critico exhibuit in editione sua Iahnus; quae per me aut novae aut diligentius enotatae accesserunt varietates codicis Trevirensis, Giessensis et Francofurtensis; alias. Sed quum multis in locis, ut iam diximus, variarum lectionum Heinsianarum adiumento destituamur earumque lacunis in incerto relinquamur, neque Burmanni codicum et Monacc. et Victorini et Rcl. et Dun. aliorumque collationem integram habeamus; hoc magis elaborandum est visum, ut illorum subsidia codicum, quos accuratius excussos atque excerptos intelligerem in promptuque haberem, et diligentissime conservarentur et quam facillimo ad perlustrandum modo proponerentur, ad quae subsidia, ubicunque reliquus apparatus deficeret vel lacunosus videretur, recurri et unde de reliquis illis codicibus quodammodo coniectura iudicari posset. Aptiorem autem et ad facilem variarum lectionum usum atque conspectum convenientiorem modum non intelligebam, quam si eas singillatim in calce libri iuxta describendas curarem. Sunt autem codices duodecim, de quibus singulis verbo iuvat exponere.

Primus est codex bibliothecae publicae Trevirensis. Membranaceus est forma, quam vulgo vocant, quadrata minore et satis nitide atque perspicue quamvis minutissimis literis scriptus. Inscriptionem a prima manu non habet. Sed recentior in fine primae paginae subiunxit: *Ovidius epistolarum heroidum.* Hunc, licet aetate non supra saeculum decimum tertium recedere existimem, tamen in praestantissimis horum carminum codicibus numerare nullus dubito.

Alter est bibliothecae academicae Giessensis, qui olim fuit bibliothecae Senkenbergianae, membranaceus, cuius copias acceptas refero singulari humanitati Fr. Osanni, professoris Giessensis, V. Cl., et curae atque diligentiae Guilielmi Wigand, in eadem academia privatim docentis, qui mihi Osanno auctore hunc codicem contulit et varias lectiones accuratissime excerpsit. Eundem, sed, ut plerosque reliquos, non satis diligenter, contulit N. Heinsius et sub nomine alterius Menteliani nonnunquam laudavit. Est autem ille codex mediocris notae, ab indocto, ut videtur, librario aut e mendosiore exemplo descriptus.

Tertius est Helmstadiensis, membranaceus, anno demum 1450. post ipsa artis typogra-

phicae initia exaratus, quem ut non in praestantissimis numerandum censeam, sic nec infima nota notandum. Eundem etiam N. Heinsius saepe, sed tamen non ubique, ubi debebat, commemoravit.

Quartum, quintum, sextum et septimum locum tenent codices Guelferbytani, quorum varias lectiones enotasse diximus Fr. Heusingerum, qui eosdem hunc fere in modum descripsit:

Et antiquitate et bonitate inter hos eminet ille, quem Guelferbytanum primum appellare libuit. Aetatem eius ad undecimum saeculum si retulerimus, aut omnino non aut certe non multum a vero aberrabimus. Auctoritatem huius libri non esse contemnendam, ex eo iudicamus, quod saepius ille, quam plerique alii codices, cum exemplaribus optimis, maximeque cum Puteaneo Heinsii consentit. Operis inscriptio si qua fuit, vetustate penitus exolevit. Epistolarum quoque singularum inscriptiones evanuerunt ita, ut harum vix pauca vestigia conspiciantur. — Duae codicis extremae tabulae non misere solum detritae, sed aliqua sui parte etiam truncatae sunt.

Alterum codicem, qui nobis Guelferbytanus secundus est, Gudianus apparatus obtulit.

Literarum figurae saeculi decimi tertii scripturam prodere videntur. Index minio praescriptus est: *Incipit Ovidius Epistolarum. Penelope Ulixi.* In fine librarius adiecit: *Explicit Ovidius Epistolarum.* Satis emendate quidem scriptus est hic liber; sed tamen, ut aetate Guelferbytano primo, sic integritatis laude inferior est.

Ex eadem Gudiana bibliotheca depromtus est codex, quem tertii Guelferbytani nomine a reliquis discrevimus. Saeculo quinto decimo, quod ex literarum ductibus colligimus, in Italia, ut ex epigrammate, quod in eo exstat, discimus, natus est. Membranarum candore quidem, munditia scripturae literarumque, quibus principia carminum ornantur, auratarum splendore hic codex insigniter nitet; sed idem vitiose descriptus, neque aberrationum modo, sed lacunarum quoque multitudine deformis est. — — — Ex antiquioris aevi monumento sine dubio in hunc codicem translata est haec Ariadnaeae Epistolae subscriptio: *Explic. Incipit III. Canace Macareo lib. II.* Facile apparet, librarium vetusti, quod sequebatur, exemplaris duo versus confudisse ibique scriptum fuisse: *Explic. lib. II. Incipit III. Canace Macareo.* Haec ita legenda esse, argumento est etiam

illud, quod idem librarius in fine codicis adscripsit: *P. O. N. liber epistolarum IV. explicit.*

Guelferbytanus quartus est chartaceus, in quo Epistolas Phalaridis excipit Epistola Sapphus, quae nulla Ovidii mentione facta sic inscribitur: *Epist. Sapph. ad Phaonem Sic. amatum suum incipit.* Subsequuntur Heroides, quarum praescriptio est illa: *Liber Epistolarum Heroidum Ovidii Nasonis.* Hic codex, scriptus anno 1466., est ille, quem N. Heinsius et Burmannus *chartaceum Scriverii,* modo simpliciter *Scriverianum* appellant. — Illum in annotationibus ad Epistolam Sapphus *Scriveriani,* in reliquis autem Epistolis *Guelferbytani quarti* appellatione signavi.

De quatuor, qui sequuntur, codicibus, Dresdensi, Gothano I., Gothano II. et Erfurtensi Kuinoel haec retulit:

„Codex Dresdensis membranaceus est et eleganter et perspicue saeculo XIV. scriptus.

Gothanus primus, membranaceus, e bibliotheca Ducali, scriptus videtur saeculo XIII. Variantes lectiones versibus interscriptae sunt.

Codex Gothanus secundus recentioris aetatis, eleganter et perspicue scriptus est. Et ipse lectiones varias inter lineas adscriptas continet.

Codex Erfurtensis, membranaceus, qui servatur in bibliotheca collegii Amploniani. Satis accurate hic codex scriptus est, cuius aetas ad saeculum XIII. adsurgere videtur. Lectiones variantes passim adscriptae sunt. Sed mutilus est."

Horum optimi sunt Gothanus primus et Dresdensis. Duo reliqui nec primo nec postremo ordini accensendi.

De duodecimo codice in fine huius libri dicetur.

His adiecimus, quas idem Fr. Heusinger in eodem libello publici usus fecit, copias duorum codicum Gudianorum, varias lectiones Epistolae XV. continentes. Sunt autem haec exemplaria, ut pleraque huius Epistolae, neque singulari vetustate insignia, quorum prius auctore Heusingero exaratum est saeculo decimo tertio, alterum saeculo decimo quinto, et neutrum Ovidium scriptorem refert, sed alterum sine omni titulo est, et alterum sic inscribitur: *Sapphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit.* Utrumque vero aliorum carminum codicibus annexum est, vel potius aliorum codicum partem facit. *)

*) His codicum varietatibus nunc poenitet non addidisse me, quae nuper a Iahno in editione sua Opp. Ov. propositae

Quod ad variantes lectiones veterum editionum attinet, equidem observasse mihi videor, quod ab aliis quoque observatum esse reperio, priscas editiones haud ita magnae esse a vetustate auctoritatis praeter Venetam a. 1486. et Naugerianam a. 1515. et ab harum alterutra, quae has sequuntur et praestantissimae habentur, in gravioribus certe rebus plerumque pendere posteriores Venetas, Naugerianas, Basileensem, Colinaeas, Micyllianas, Ciofani, Egnatii, Bersmanni et eius marginem, al. Nec ipsa Naugeriana illa tam fide atque auctoritate antiquitatis, quam diligentiori recensione atque emendationibus ipsius Naugerii insignis esse videtur. Quas autem his duabus ratione vetustatis pares aut etiam superiores esse ferunt, editionem Romanam a. 1471., quae Ovidii carminum princeps est, et editionem Bononiensem inspicere non contigit.

Igitur non omnium illarum editionum variantes lectiones eadem ubique cum religione, sed maxime Venetae illius et Naugerianae apposui, nisi si forte alicubi defice-

sunt variae lectiones codicis Seidleriani, Zwiccaviensis et Fragmenti Paulini, quas, quae est huius viri diligentia, dubium non est pari cura ac religione esse collectas. Quanquam in commentario critico eas quam diligentissime retulimus.

ret apparatus codicum, aut earum lectio singulari se bonitate commendaret, aut si in gravioribus rebus earum consensus mire quid codicum nonnullorum scripturam et a me receptam confirmaret.

In coniecturis autem virorum doctorum repetendis, quae et ipsae partem apparatus critici efficiunt, quaeque in his carminibus fere tot sunt, quot sunt versus et sententiae, paullo severius egimus. Namque plurimis in locis, ubi scriptura recepta et codicum auctoritate firma neque ulla corruptionis suspicio erat, plerasque nulla habita neque ipsarum ad sensum bonitatis neque gravitatis atque doctrinae auctorum ratione ut inutilem atque supervacaneam supellectilem eiecimus, neque operam dedimus, argumentis easdem ut refelleremus: nisi forte, quod saepe accidit, aut ipsae aut earum confutatio lumen afferre locis illis eosque expedire viderentur, aut sicubi, quod idem saepe contingit, insigniter facerent ad difficultatem aliquam aut in dicendo insolentiam significandam. In locis autem corruptis aut ancipitibus religiosissime omnes coniecturas collegi atque apposui, ne quid futuri editores materiae atque copiae ad coeptam quasi de vera scri-

ptura disquisitionem persequendam in isthac editione desiderarent.

Quod autem consilium hoc, postquam etiam ea in parte me Iahni opera nuper praevertit et easdem copias criticas, praeter illas, quae per me novae accesserunt, exhibuit, non mutandum putavi, certum est, quo observatam a me rationem tenendam sim perductus. Nam primum cum Iahni editio in publicum prodiret, haec mea ferme penitus confecta atque absoluta erat; ut infiniti prope laboris fuisset, si totum opus quasi refingere et illi editioni accommodare voluissem. Atque illud pertinet ad rationes meas. Deinde, ut iam dixi, plenitudinem aliquam huius libri spectabam: huc accedebat, quod Iahnus, ut ipse est in praefatione professus, hoc consilium totam variarum lectionum ὕλην reddendi primis foliis iam typis expressis demum ceperat, itaque hac quidem in parte eius editio minus plena videbatur; quod idem editor levioris momenti varietates ab editione sua censuerat excludendas, de qua re ego sic sentio, ut in pleniore huiusmodi apparatu ne illa levissima quidem omittenda putem, non tam ipsorum caussa, sed quod talia saepe eximie faciunt ad conditionem atque auctoritatem codicum accuratius cognoscendam;

neque tamen nunquam accidit, ut ex corruptissima atque vitiosissima scriptura codicis alicuius vera atque genuina poetae eliciatur. Denique, quod salva diligentiae laude huius viri dixerim, pauca etiam in ea minus accurate proposita *) reperiebam; et certior mea videbatur ratio, qua XII illorum codicum varietatem ab reliquis, plerisque utcunque collatis, secernendam statueram.

Sed mirum videbitur, cur, cum pleniorem horum carminum editionem intendisse et textus recensendi munus suscepisse me dixerim, non maiores mihi codicum, qui tanto numero in diversis Europae regionibus exstant, copias atque adiumenta pararim. Verum primum accuratae codicum collationes per alios homines non facile comparantur, quia praeter magnum huius laboris molestiam multus ad bene illo negotio fungendum opus est et usus et exercitatio vetustos codices tractandi; quanquam hoc fortasse parum valet ad rationem

*) Ad Epistolae quidem XVII. versum 44. in numero codicum, qui exhibent lectionem *putas,* deest codex Helmstad. Ad v. 126. Iahn dedit *meliores* Heinsii *codices,* ubi Heinsius ipse habet *multi codices.* Versu 127. a Iahno omissum est: quidam codices: *tangor laudibus istis.* Vid. Heins. annot. ad v. 44. Ibidem Douzae codex exhibet: *non irascor,* non, ut Iahn dedit, *nihil irascor.* V. 253. Iahn dedit: *quidam codd.,* ubi *multi codd.* legendum.

meam probandam. Deinde, si totum hunc subsidiorum criticorum complexum, quem adhibui, pondero atque percenseo, satis magnus videtur ad hoc, quod propositum mihi fuit, suscipiendum: plus quam quadraginta codicum ab Heinsio et aliis viris eruditis, (non quidem satis diligenter, ut dictum est) enotata lectionis varietas; quindecim et aetate et patria diversissimorum codicum accuratissime excussae copiae; tot denique inde ab opera Domitii Calderini grammaticorum emendationes, notae criticae atque coniecturae. Ac praeterea, quantum ego ex diuturno et assiduo horum carminum studio iudicare possum, ad scripturam emendandam, si ad summum viginti locos excipias, a codicum copiis parum spei reliqua est, sed omnia ab interpretum et criticorum sagacitate atque doctrina, et acriore poetae studio exspectanda. Neque denique ita mihi placeo, nec tantum mihi tribuo, ut editionem, cui ad absolutionem nihil desit, sperem me posse perficere; quum bene intelligam et talis operis vastitatem et mearum virium ad illud absolvendum mediocritatem. Atque de copiis criticis ac varietate lectionis hactenus.

Tertio loco proposita annotatio fuit, eaque duabus continetur partibus, quarum

prior est e genere critico, altera pertinet ad verba, et orationem, et res, quas antiquitates appellant, explicationemque fabularum.

In annotatione critica illud potissimum spectavi, ut, quatenus receptam a me scripturam et auctoritate vetustorum librorum et ratione legibusque grammaticae probabile esset genuinam esse et ab ipso poeta editam, ostenderem. Verum cum iam plus tribus saeculis unaquaeque fere aetas viros habuerit, qui in his carminibus emendandis elaborarunt, ante omnia adhibendae erant copiae atque operae eorum, qui me in hoc munere critico antecesserunt. Igitur quidquid a vetustissimis Epistolarum Heroidum editoribus Naugerio, Micyllo, Ciofano, aliis, omnia, quae a doctissimo ac felicissimo Ovidii emendatore N. Heinsio et ab eius aemulo, non ubique felici illo, P. Burmanno, quidquid a recentioris aevi grammaticis, inprimis a Werfero, Kuinoelio, Van Lennepio et Iahno, vel in propriis horum carminum editionibus vel in singularibus libellis et locis aliis quibuscunque aut probabiliter de scriptura disputatum aut ad emendandum propositum reperi, tanquam partem commentarii quem intenderam plenioris ipsis scriptorum verbis in hanc editionem recepi

atque repetendum curavi: ita tamen, ut supervacanea ac redundantia resciderim, vitiosa emendarim, manca et lacunosa meis aut mediae, si id commode fieri posset, aliorum annotationi insertis, aut statim adiunctis explerim. Accessit, quae maximam partem tenet, annotatio mea, in qua de omnibus, quaecunque restituenda aut emendanda aut magis firmanda putavi, quam potui diligentissime exposui.

Unum est, de hac annotatione critica quod moneam: nimirum ubicunque in his commentariis codices *multi, plures, nonnulli, pauci, quidam, alii* aut certo numero *tres, quatuor,* cet. commemorentur, quin ad varietatem in fine huius libri remittatur, non ex mea aliqua culpa infinitam ac parum accuratam eam rationem ortam esse atque harum rerum negligentia, sed virorum doctorum, e quorum operis haec sumta sunt, qui codicum numerum et nomina in illis locis non indicarunt. Quae reprehensio cum in vetustiores editores prope omnes cadit, tum et maxime, ut supra dictum est, in copias N. Heinsii et P. Burmanni. Porro et illud monitum velim: ubicunque iuxta codicum lectionem vulgatae mentio habita est, eadem fere significatur, quam pro vulgata laudarunt, aut unde

in recensione sua quasi profecti sunt N. Heinsius et P. Burmannus. Eam enim in hac opera critica rationem servavi, ut animo me quasi iuxta illos editores collocarem, et ab eadem vulgata tanquam communi fundamento egressus coeptam ab illis de scriptura horum carminum disputationem persequerer. Ubi autem vulgata lectio, quod in priore parte saepius factum esse, sero animadverti, non memorata est, aut cum recepta a me consentit, aut ex annotatione apparet.

Annotatio grammatica duplicis est generis, quorum prius ad orationem atque elocutionem pertinet; in quo primum, quidquid in singularum usu vocum earumque compositione, item in sententiis earumque coniunctione aut obscurius aut impeditius aut insolentius aut singulari quadam poetica licentia enuntiatum, omnino quidquid in oratione memorabile visum est, brevi enarratione explicare conatus sum. Quo in loco praecipuum studium atque opera fuit, ut dicendi usum atque consuetudinem ipsius Ovidii patefacerem atque illustrarem.

In tractandis autem fabulis — nam hoc alterum est genus — unde fere omnium horum carminum argumenta desumta, et quibus, ut reliqua Ovidii car-

mina, ita et hae Epistolae Heroidum mire perspersae atque distinctae sunt, eodem fere modo sum versatus, quem in editione sua Metamorphoseon tenuit G. E. Gierig, cuius etiam opera et copia in hac parte magno mihi adiumento fuit: ut primum fabulas breviter enarrarem, tum antiquorum scriptorum fontes et testimonia, saepe etiam curas recentiorum interpretum referrem. Quam quidem rationem erunt fortasse, qui improbandam ac vituperandam putent, si tot fabulas adscriptis veteribus auctoribus in hac editione expositas invenient; quum praesertim eaedem in singularibus libris, qualis est a Dorn-Seiffeno nuper editum *Onomasticon poeticum inprimis Virgilii, Horatii ac Ovidii,* satis bene explicatae legantur. Equidem, quid ista ratio offensionis habeat, non ignoro: quod ita libri moles atque pretium sine idoneis caussis auctum esse videatur. Sed habeo tamen, quo eam aliquo modo defendere, aut certe excusare possim. Videlicet non paucis in locis Ovidium constat libertate usum poetarum a veteris fabulae auctoritate discessisse. In talibus igitur locis fabularum rationem earumque fontes, si interpretis munere bene defungi vellem, silentio praetermittere non licebat. Alii sunt

loci, ubi fabulae leviter significantur ac tantummodo perstringuntur; ut non nisi, qui veteres fabulas quasi in numerato habeat, poetae sententiam possit attingere. Atque illi quoque lumine indigebant interpretationis. Explicandae praeterea et illae fabulae erant, quae in vulgaribus libris, qui de his rebus exstant, non reperiuntur, aut non satis accurate explicatae sunt. Accedebat, quod multae fabulae a meis in Heroidibus edendis antecessoribus, quorum copias, quantum fieri posset, integras in hac editione reddere proposueram, erant expositae. Accedebat denique consilium illud et studium plenitudinis. His igitur adductus caussis et respiciens etiam, qua de statim dicetur, rationem iuniorum lectorum, fabulas, quae in his carminibus tanguntur, breviter exponere constitui. Ac fontes quoque fabularum veterumque scriptorum locos plerumque adscripsi, tum constantiae caussa, ut quae annotarem, quantum possem, auctoritate argumentisque vetustatis probarem, tum et magis, ut ne diligentiae eorum, qui eam materiem ulterius persequi vellent, reique fidem et accuratiorem notitiam expeterent, prorsus deesset, quo possent recurrere. Neque tamen illud volui neque spectavi, ut omnes ubique vete-

res auctores, qui ea de re scripsissent, laudarem diversasque fabularum narrationes accurate referrem, itaque earum fabularum, quae in his carminibus tangerentur, quasi lexicon mythologicum conscriberem; quod alienum erat ab ista scriptura. Id quod eam ob caussam monendum videtur, ne quis, si forte unum et alterum aut multa veterum scriptorum testimonia hic non commemorata esse reperiat, illud aut aliqua mea negligentia atque inscitia, quamvis multa huius generis me nescire ingenue confitear, factum esse existimet. Atque eundem modum, quem in fabulis, plerumque tenuimus in geographicis et rebus, quae vulgo antiquitates vocantur, explicandis.

Ac de annotationibus priorum editorum aliorumque, qui aut in his carminibus totis aut singulis eorum partibus illustrandis operam posuerunt, eadem usus sum via ac ratione, qua in commentario critico, ut inutilibus rescissis et abiectis, quae ex parte vitiosae et mancae essent, expletas et emendatas, quae autem probae et ex re compositae viderentur, integras, ipsis scriptorum verbis et subiunctis quoque nominibus, transcriberem. Habet ea res illud sane molestiae atque incommodi, ut in commenta-

riis, qui ex tam variis ac dissimilibus partibus compositi sunt, saepe aequalitas atque constantia desideretur non solum in oratione, sed in toto genere ac ratione commentandi, et ut paullum augeatur moles librorum commentariorumque corpus. Sed tam magnum illae aliorum virorum eruditorum, inprimis N. Heinsii, P. Burmanni, I. Lennepii, operae in his commentariis occupant locum tantaque earum praestantia est, ut, si meo modo cunctas refingerem, de illorum virorum laude ac doctrinae fama detrahere mihi viderer. Accedebat metus, ne ab hominibus, qui meos mores ignorarent, stolida vanitate gloriolam ex aliorum captare meritis et aliena pro meis inventis me venditare voluisse coarguerer, qua iactatione atque inhumanitate nihil detestabilius esse potest, praesertim in hominibus, ut ego, disciplinas et studia humanitatis profitentibus. Ac tanta praeterea plurimae earum instructae doctrina sunt, tamque egregie compositae atque enuntiatae, ut interpretatione mea neque ornatius explicari neque planius exprimi posse viderentur. In iis vero locis, ubi plures diversorum grammaticorum annotationes iuxta positae sunt, eaeque sese quasi excipiunt disputatio-

nemque continuant, ea ratio iunioribus lectoribus magnae utilitatis erit nec eruditioribus iniucunda, quum veritatem sensim ac gradatim per dubitationes, suspiciones earumque refutationes eluctari atque emergere conspicient. Nec desunt huius generis editionum et eius rationis multa et conspicua exempla, quae afferre, ut res notissimas, non est necesse. Ceterum quamvis, ut quisque sua teneret, alienis annotationibus et symbolis nomina scriptorum addidisse me supra dixerim; non tamen ita superstitiose laudi atque inventis aliorum inserviendum putavi, ut non quaedam brevitatis caussa meis inseruerim, uti nec tam sedulo atque curiose propriae gloriolae intentus fui, ut non mea saepe aliorum operae, quin eadem meo nomini vindicarim, adscripserim. Semel dico palamque profiteor, me, quidquid unquam ubicunque, quod ad meum institutum alicuius utilitatis esse videretur, repererim, diligenter collectum in usum meum convertisse, et ut quisque de his carminibus quacunque ex parte optime meruerit, ita plurimum eum mihi contribuisse ad editionem istam conficiendam.

Unum restat, quod de tota hac annotatione *grammatica* — perspicuitatis gratia vulgarem loquendi consuetudinem sequor,

qua grammaticas annotationes ab iis, quae ad criticam pertinent, secernimus, non quasi omnes commentarios criticos non vel maxime ad grammaticam pertinere et annotatione grammatica, si proprio sensu vocem accipias, complectendos esse censeam — sed unum de annotatione hac grammatica addiderim. Nam primum ac praecipuum, quod in hoc sum genere secutus, fuit, ut editionem hanc quodammodo pleniorem redderem; verum illud ita intuitus sum, ut etiam iuniores, neque in his literis iam longissime provectos magnoque librorum et doctrinae instructos apparatu respiciendos putarem. Namque aut egregie fallor praeiudicata opinione huiusque editionis amore deceptus, aut hic liber Ovidii tam propter elegantiam carminum, quam propter doctos, quos habuit editores atque interpretes, et copiam omnis generis doctrinae, qua aut ab ipso poeta aut grammaticorum studio ac diligentia adornatus est, nec minus ratione sermonis poetici et infinita multitudine variarum lectionum coniecturarumque et vero etiam summarum difficultatum, quae in eodem aut etiam nunc exstant aut interpretum doctrina feliciter expeditae sunt, admodum idoneus atque instructus est ad iuvenilem animum omni genere veteris doctrinae imbu-

endum et ad accuratiorem cognitionem cum omnino Latinae poeseos tum praecipue ipsius Nasonis perducendum. Nec denique in eo deest materia, qua suas ipse vires ad has literas cum fructu exercere atque experiri adolescens possit.

Indicem veterum editionum, quales vulgo in huius generis editionibus proponi solent, consulto non adieci, quum satis accurata ac parabilis earum notitia exstet in I. volumine editionis Bipontinae, et summa eius rei in eo loco, quem ex Ch. Iahni libello, qui est de P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis, in introductione nostra in Sabini Epistolas attulimus, tangatur. Quod enim ibi de iis a Iahno iudicatur ad Sabinum quod attinet, idem fere de iisdem valet ratione Nasonis: accedit, quod, cum nonnisi quatuor aut sex e codicibus manu exaratis descriptae sint, codices autem Ovidii carminum tanto numero et magna vetustate exstent, veteres editiones haud admodum magni sunt ad textum constituendum momenti. De dignitate autem commentariorum et meritis singulorum interpretum, quorum copiae nobis usui fuerunt, iudicare supervacaneum erat, quia omnium copias, quae quidem bonae frugis esse videbantur, ipsis verbis et additis scriptorum nominibus,

ut supra dictum est, in hac editione reddidimus; itaque uniuscuiusque ratio cuique facile apparet.

Hactenus de editionis huius ratione atque consilio; a cuius absolutione, licet ad illud consequendum atque efficiendum diu omnibusque intentis viribus elaborarim, quam longe eam abesse, ipse non ignoro. Verum eadem est horum ratio studiorum, quae et reliquarum disciplinarum, ut fere in infinitum possint progredi, et nonnisi paullatim et per gradus multorumque hominum industria atque opera collata ad aliquam perfectionem perveniant. Ego vero operam meam optime collocatam putabo, si hanc editionem aliquot partibus ad perfectam speciem plenae et iustae illius propius adduxisse meoque labore nonnihil ad elegantissima haec Peligni vatis carmina restituenda atque accuratius intelligenda contulisse existimabor.

Si quis autem miretur, quid, quum iam dudum a Iacobo Van Lennep, Belga, viro doctrinae laude praestanti et qui duabus minoribus horum carminum editionibus eximium studium Ovidii horumque carminum probavit, pleniorem constaret editionem parari, ego idem consilium eundemque laborem Epistolas Heroidum pleniore editione propo-

nendi susceperim, -- haec in promptu responsio est: Primum hic iam decimus quintus annus est, cum Van Lennep hoc propositum suum publice est professus, neque usquam inde ab eo tempore, quod sciam, ullam amplius mentionem habuit, an et quatenus illud aggressus aut executus sit; ut iure suspicari liceret, eum hoc Ovidii Heroidum edendarum abiecto consilio animum suum ad alia studia convertisse, quorum etiam laetos iam vidimus fructus: Santenii editionem maiorem Terentiani Mauri, Hieronymi de Bosch Observationum et Notarum in Anthologiam Graecam Volumen secundum, alios. Ac deinde cur non et nos in Germania, in qua omnia studia antiquitatis maxime florent vigentque, in eodem doctrinae ac laudis stadio decurramus operamque navemus, ut de his carminibus bene mereamur; quum praesertim tam amplus in iis laborum pateat campus, ut duobus ad industriam suam exercendam doctrinamque probandam satis copiosam materiem suppeditare videantur?

Quod reliquum est, nihil mihi iucundius erit, quam intelligentium existimatorum, qui huius poetae naturam atque ingenium cognitum et perspectum habent, aequa de hoc libro et singulis eius partibus audire iudicia,

tum mea caussa, ut intelligam, an et quatenus id, quod propositum fuit, videar esse consecutus, et quantum ab aliorum iudicio incitamenti sit ad haec Nasonis studia persequenda et Amores quoque, eodem fere modo a me tractari coeptos, brevi edendos; tum et magis ipsius libri caussa. Nam qua est singulari liberalitate, pollicitus est librarius, quidquid ex proprio studio atque animadversione aut ex aliorum iudiciis ac monitis posthac mihi visum fuerit in hac editione corrigendum aut adiungendum, id omne se *appendicis* loco in singularibus chartis gratis additurum.

Scribebam Augustae Trevirorum Mense Iulii a. MDCCCXXVIII.

PROOEMIUM.

CAPUT I.

Carminum genus, cui *Herois* nomen est, nostra aetate latissime patet, ac plerumque ita definitur, ut fere omnes epistolas poeticas, in quibus non ex sua poeta persona loquitur, sed alios de quocunque afflictiore vitae statu atque in vehementiore quadam animi commotione ad aliquem scribentes inducit, complectatur. Ovidius autem *Heroidas* suas angustioribus terminis circumscripsit. Nam quod ad argumentum attinet, materia eas amatoria continuit; personas vero sumsit aut ex heroico, quod dicitur, aevo et ipso genere heroum, aut ex obscurissima ac remotissima vetustate.

Pertinent autem haec carmina Ovidii — nam de *Heroide* recentiorum temporum et latiore, quae nunc illi voci tribuitur, vi atque potestate hic dicere non attinet — ad poematis genus, quod mixtum vocatur. Sunt enim e genere elegiaco, quatenus animi dolentis et patientis sensus et affectus molliores illos et qui magis describuntur, quam e vehementius commoto animo cum vi atque impetu effunduntur, in se continent, et plerumque leniore ac sedatiore orationis habitu incedunt. Cum genere autem poematis dramatici vel activi illud commune habent, quod in iis poeta non suos sensus atque animi affectiones perscribit; sed alienam personam ex ingenio eius, quale aut in historiarum libris aut in fabulis descriptum

illud est, sentientem et cum absente (hoc enim a genere dramatico distinguuntur) loquentem agentemque inducit. Sed etiam ea ex parte ad similitudinem generis activi saepe accedunt, ut non intra molliores ac teneras elegorum querelas epistolarumque simplicitatem consistant, sed saepius paullatim concitata ad summam vim atque fervorem affectuum et ad sensus, quos *immixtos* appellant, abripiantur, ac simul etiam oratione concisa atque incitatiore ferantur, itaque magis formam ac naturam, qui in fabulis sermo singularis (μονολόγος) dicitur, accipiant. Vid. *Eschenburg, Entwurf einer Theorie der schönen Künste,* Tom. IV. p. 244.; *Manso, Nachträge zu Sulzer's Theorie; C. F. Becher, Ovid's zehnte Heroide mit Einleit. und Anmerkungen.*

CAPUT II.

Auctor atque inventor *Heroidum,* quales hae Ovidianae sunt, est Ovidius, id quod ipse testatur et disertis verbis de se profitetur, Art. Amat. III, 345.

> Vel tibi composita cantetur *Epistola* voce:
> *Ignotum hoc* aliis *ille novavit opus* —

eaque fere communis virorum eruditorum est opinio. Fuerunt tamen recentioribus maxime temporibus, qui hanc inventionis laudem Propertio deberi atque Ovidium in hoc genere exemplaria Propertii imitatum esse contenderent: alii e fontibus haec carmina ducta Graecis putarunt. Ad illam sententiam, Ovidium in his Graeca exempla secutum esse, cum aliis nuper inclinavit F. Xav. Werfer in libello, qui inscribitur: Lectionum in P. Ovidii Nasonis Heroidas Specimen, in Actt. Monac. Tom. I. Fasc. IV., permotus, ut videtur, scholio, quod est in principio ab ipso collati

codicis Victorini: *Ovidius epistolas istas ab esodio poeta Graece conscriptas in Latinum novavit;* cui simile legitur in calce codicis Trevirensis: *in quo opere imitatus est ysidorum et astream poetriam ad memoriam epistolas reducendo quae iam oblivioni (ad)erant fere date unde in Ovidio de arte amatoria continetur ignotum hoc aliis ille novavit opus.* Iam quod ad scholia haec attinet, ne dicam, quam multa saepe scire se iactet natio scholiastarum, quamque tenues et nullos saepe habeant decretorum fontes, hoc tantum dicam, nec Esodium aut Ysidorum poetas, nec Astream poetriam usquam commemorari. Praeter scholion illud codicis Victorini — nam, quod e codice Trevirensi attuli, adhuc incognitum fuit — hic vir nihil argumenti attulit, quo ea sententia confirmaretur. Neque vero alia habuit, quae afferret, quum neque Graeca huius generis carmina exstent, neque quisquam veterum ulla unquam exstitisse memoriae prodiderit. At repugnat ei opinioni prorsus locus ille Ovidii, in quo ipse *ignotum hoc aliis* se dicit *opus novasse,* quod certe non tam aperte esset elocutus, si sua aetate, qua Graeca omnia Romae pervulgata erant, talia carmina, quae ipsum stolidae iactantiae ac vanitatis coarguerent, in popularium manibus esse vidisset. Nam quod Werfer locum illum novo modo interpretari conatus est, dicens: *Omnino non negaverim, significationem verborum istorum* *i g n o t u m h o c a l i i s (utrum omnibus et Graecis et Romanis, an Romanis solis?) satis esse ambiguam: quae mihi quidem videntur nihil aliud indicare, nisi i l l e (O v i d i u s) a u c t o r e s t h u i u s n o v i o p e r i s, q u o d a d h u c a l i i s (R o m a n i s p o e t i s) i g n o t u m e r a t,* illam interpretationem omnium contortissimam

quis in tanta huius poetae simplicitate, quis omnino ferendam putet? Sappho autem, quam scholion codicis Ratisbonensis: *Sappho vates Graeca lesbis ex mitylena civitate ad Phaonem amatorem suum per Ovidium, ut arbitrantur nonnulli, traducta incipit*, aliis Graecam esse persuasit, ego, si reliquae Ovidianae sunt, omnium maxime Ovidianam videri dixerim; ac desiderantur, quod usque repeto, eius rei testimonia vetustatis et aliorum codicum suffragia. Neque vero ille, qui hoc scholion scripsit, ei sententiae admodum favisse videtur, quippe qui illud: *ut arbitrantur nonnulli*, addiderit. Vid. Cap. III. Alterius sententiae, Ovidium imitatum Propertium esse, probatores atque propugnatores praecipui fuerunt Vulpius in praefatione ad Propertium, qui cum Nasonis naturam, et quae in eo summa fuit, vim inveniendi parum perceptam haberet, apud eum ubique imitationes Propertii odoratus est atque expiscavit, et Burmannus Secundus ad Propertii IV, 3., qui et ipse nimio scriptoris sui amore captus neque satis cognita ingenti Ovidii memoria et eius singulari omnium poetarum et inprimis Propertii, ut amici et qui in eadem materia et artis specie versaretur, studio, sicubi apud Ovidium aut voculam aut phrasin, quam etiam in Propertio suo repererat, deprehendisset, Ovidium cupide Propertii copias expilasse censuit. Pro omni autem argumento attulerunt, quod apud Propertium (IV, 3.) exstaret epistola Arethusae ad Lycotam, et item elegia Corneliae ad Paullum, ad iudices inferorum et liberos suos (IV, 9.). Eas igitur imitatum Ovidium, ex iis contendunt primam eum cogitationem concepisse Heroidum scribendarum. Conf. Barth. ad Prop. p. 286. et *Dusch, Briefe zur*

Bildung des Geschmacks III. p. 250. Qui si in eo elaborassent, ut historiam atque originem *Heroidum* investigarent, et prima eius generis carminum initia et quasi elementa apud Propertium reperiri contendissent, non valde equidem repugnarem. Cum autem, licet tantum inter istas elegias Propertii et haec carmina Ovidiana discrimen sit, Ovidium ista Propertii exempla imitatum confirment, et sic tacite inanis eum iactantiae insimulent, mihi facere videntur iniuste; praesertim cum poeta illo *ignotum hoc aliis opus* nihil aliud, quam quod in ipso nomine inest, epistolas a personis ex heroico aevo vel vetustissima antiquitate repetitis conscriptas intellexisse videatur. Quod enim Iahn in introductione in Ovidii Heroidas (edit. Opp. Vol. I. p. 3.) Ovidium censet verbis *ignotum opus* non tam argumentum illorum et rem carminum, quam nomen Romanis adhuc incognitum innuere videri, h. e., si eius sententiam assequor, Ovidium sibi hoc tribuisse, quod haec carmina, quae prius *Elegi* appellata essent, primus *Epistolas* vel *Epistolas Heroidum* vocasset, ego probare nullo modo possum. Primum enim ea laus inventionis tam exigua vel nulla erat, ut aegre persuadere mihi possim, poetam ea gloriatum fuisse aut omnino dignam iudicasse, quam commemoraret. Ipsum autem carmen et argumentum a poeta, non nomen significari, et e nexu sententiae apparet et vel maxime e verbis *ignotum opus*.

Hoc igitur statui posse videtur, *Heroidas* non e Graecis fontibus ad Romanos manasse, atque inventionis laudem, si nomen sensu angustiore accipias, Ovidio deberi et ipsum sibi eandem in illo Artis Amatoriae loco vere et merito tribuisse.

Quid autem Ovidium ad primam horum carminum cogitationem impulerit, difficile est iudicare. Mea quidem sententia verior est opinio Becheri, qui ex choris et fabulis Graecorum primam ab eo conceptam esse cogitationem censuit, id quod eo confirmari videtur, quod eodem tempore, quo hae Epistolae compositae sunt, vel paullo ante in tragoediis scribendis et vetere fabula eum occupatum fuisse constat, et quod argumenta earum pleraque aut vere iam in fabulis tractata exstabant, aut certe ei rei maxime erant accommodata. Vid. Epist. II., IV., V., VI., VII., VIII., IX., X., XII., XIII., XIV., XV., XIX.

CAPUT III.

An vero hae Epistolae omnes ab Ovidio scriptae sint, iam diu a viris doctis multum agitata quaestio est. Quidam sex posteriores omnes supposititias esse iudicarunt easque Sabino tribuerunt, Domitius Calderinus ad Heroid. XV, 126., Scaliger in codice suo apud Danielem Heinsium ad Heroid. init. et Vossius de Poett. Lat. c. 2. Quos secuti sunt *G. Ephr. Müller, historisch-kritische Einleitung zur nöthigen Kenntniſs der alten Lat. Schriftsteller*, Vol. IV. p. 55. sqq., Becher l. l. p. 16., *Ruperti, Grundriſs der Geschichte* etc. *der Römer*, p. 805., Thieme praefat. ad vernaculam horum carminum interpretationem p. XV., alii. Contra Antonius Volscus ad Heroid. XVII, 1., Aldus in calce T. I. editionis suae (Tom. IV. p. 129. Opp. Ovid. Burm.), Moser in Annal. Heidelberg. T. II. fasc. 2. Epistolas XVI., XVIII. et XX. Ovidio tribuerunt et XVII., XIX. et XXI. Sabino adscripserunt. H. Stephanus Diatriba ad Horat. p. 73.,

Burmannus et Eichhof duas tantum postremas Ovidio abiudicarunt. Alii denique unam Epistolam XV. Ovidio suppositam putarunt. Quo loco mira mihi videtur horum virorum in iudicando levitas et in decretis suis proponendis audacia. Nam qui sex illas postremas omnes subdititias censuerunt, sententiam suam ita satis probasse sibi visi sunt, ut, quum Ovidius Amor. II, 18, 21. sqq.

Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
   Scribimus, aut lacrimas, Phylli relicta, tuas;
Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason
   Hippolytique parens Hippolytusque legant;
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
   Dicat, et Aeoliae Lesbis amica lyrae.
Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
   Scriptaque diversis retulit ille locis.
Candida Penelope signum cognovit Ulixis;
   Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae;
   Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet;
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit;
   Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

quum igitur Ovidius in hoc loco prioris tantum partis Epistolas, in quibus puellae viris scribunt, commemorarit, iisque virorum nomine respondisse Sabinum tradiderit, credibile non esse statuunt, illas sex, in quibus heroes scribunt et puellae respondent, ab Ovidio esse conscriptas. Nec circumspectius caussam suam egerunt ii, qui Epistolas XVII., XIX. et XXI. Sabino adiudicarunt, quum pro omni argumento nihil proferant, nisi Sabinum ad prioris partis Epistolas responsa scripsisse. Nam illud si obiiciant, Ovidium de responsis a se scriptis nihil fecisse mentionis, eodem iure atque eadem ratiocinatione occur-

rere possumus, nec Paridis ad Helenam a se scriptam, nec Leandri, nec Acontii, nec omnino ullam suam iuvenum ad puellas Epistolam eum commemorasse, itaque constantius certe fecisse eos, qui omnes Ovidio abiudicassent. Quod autem in hac quaestione caput est et primum quaerendum erat, numquid ea carmina in ratione et oratione haberent, quod a consuetudine atque observatione Ovidii abhorrere, insignem vero cum tribus illis quae exstant Sabini Epistolis similitudinem declarare videretur, omnes plane neglexerunt. Nisi quod Burmannus, qui Epistolam XX. et XXI. Ovidio abiudicavit, earum orationem ieiunam et scabram esse dixit, quod tantumdem est, quum argumenta, quibus illud probaretur, nulla protulerit. Qui autem Epistolam XV. damnarunt, aut leviter levem auctorem scholiasten secuti sunt, aut rem breviter et sola auctoritate sua confecerunt, Ovidio indignam eam declararunt.

Sed contra has virorum eruditorum sententias clamat totius auctoritas vetustatis et omnium fere codicum; nisi quod unus nescio quis Palatinus hanc exhibet Epistolae XVII. inscriptionem: *Sabini poetae Epistola, qua Alexandro Helena respondet.* Quae cum per se parum valeat contra reliquorum codicum consensum, etiam eam ob caussam auctoritate et fide caret, quia Epistola XVII. nullo potest modo a ratione reliquarum seiungi, nisi forte apertissima eius a reliquis diversitas, quae ostendi minime potest, ostendatur. Clamat contra easdem sententias ipsa illarum Epistolarum ratio. Mihi quidem, si quid ex assiduo ac diuturno, quod in has Epistolas contuli, studio existimare possum, omnes e dulcissima Ovidii vena fluxisse videntur, sive delectum argumentorum

eorumque similitudinem cum XIV prioribus specto, sive inventionem ac dispositionem totumque habitum, sive quod ea in re summi momenti est, sensus et affectus et orationem, virtutes earum ac vitia intueor; ut nullus dubitem, de omnibus dicere, quod de XXI., quae quidem reliquis omnibus elegantiae laude cedit, iudicavit Fr. Heusinger: „Non aquam aquae nec lac lacti similius videri, quam haec carmina reliquis Ovidii poematis et inprimis prioribus illis Epistolis."

Verum quamvis persuasum habeam quam maxime, neminem, qui diligenti studio cum Ovidii carmina omnino, tum inprimis has Epistolas pertractaverit, et singularem operam, quam illorum virorum nemo videtur suscepisse, in ea quaestione explicanda posuerit, unquam dubitaturum, esse haec carmina, cuius dicuntur et olim semper habita sunt, Ovidii; tamen quo id posthac firmius credatur, pauca in eam rem, quae in promptu sunt, de singulis iuvat hoc loco proponere. Quam quidem operam hoc facilius atque libentius in me suscipio, quia eadem contribuere nonnihil poterunt ad haec carmina poetaeque rationem accuratius cognoscendam. Ac de Epistola XV., Sapphus, nobis iam praeivit in l. l. Werferus, quamvis is aliquanto minutius rem suam egerit et ex solis sententiis et habitu orationis, nec illud satis luculente et copiose, argumenta sua repetierit. Eum igitur primum audiamus. Verba autem eius haec sunt:

„Sed quominus credam, totam hanc Epistolam nihil aliud esse, nisi Graecam elegiam ab Ovidio in Latinum conversam, obstat verborum et sententiarum

ratio atque color, quae prorsus sunt Ovidiani moris et ingenii. Compara enim modo versus 9. et 10.:

Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris
Fertilis accensis messibus ardet ager —

cum Epist. VII, 23., Metam. VI, 455.

Non secus *exarsit* conspecta virgine Tereus,
Quam si quis canis ignem supponat aristis —

et Metam. I, 492.

Utque *leves stipulae demtis adolentur aristis;*
. . . .
. . . .
Sic deus in *flammas* abiit . . . .

Acumen Ovidii conspicuum est in versibus 11. et 12.

Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Aetnae:
Me calor *Aetneo non minor* igne coquit.

Conf. versum 21.:

Est in te facies, sunt apti lusibus anni —

cum Amor. II, 3, 13.

Est etiam facies, sunt apti lusibus anni.

Iam vero 35. 36.:

Candida si non sum; placuit *Cepheia* Perseo
Andromede, patriae fusca colore suae —

cum Art. Amat. II, 643.

Nec suus *Andromedae color est* obiectus ab illo.

Item v. 43.:

Cantabam, memini; *meminerunt omnia amantes* —

cum Epist. II, 7.

Tempora si numeres, *bene quae numeramus amantes* —

et V, 130.

Unde hoc compererim tam bene, quaeris? *amo.*

Vers. 44.:

Oscula cantanti tu mihi *rapta dabas* —

cum Amor. II, 4, 20.

Oscula cantanti rapta dedisse velim.

Versus autem 59. 60.:

An gravis inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?

sententiam ab Ovidio in his ipsis Epistolis vel ad nauseam repetitam efferunt; Epist. III, 43.

An miseros *tristis fortuna tenaciter* urguet;
Nec venit inceptis mollior aura meis?

IV, 53.

Forsitan hunc generis *fato* reddamus amorem,
Et Venus ex *tota gente* tributa petit.

VII, 111.

Durat in extremum, vitaeque novissima nostrae
Prosequitur *fati,* qui fuit ante, *tenor.*

VIII, 65.

Hoc generis fatum, quod nostros *errat* in annos:
Tantalides matres apta rapina sumus.

Conf. Epist. IX, 151., XIV, 85.

Scilicet ex illo *Iunonia permanet ira.*

Cum vss. 97. et 98.:

Scribimus et lacrimis oculi rorantur obortis:
Adspice, quam sit in hoc *multa litura* loco —

conf. Epist. III, 3.

Quascunque *adspicies,* lacrimae fecere *lituras.*

Epist. XI, 1.

Si qua tamen caecis errabunt scripta *lituris.*

Conf. etiam Epist. VII, 183. — — —

Versus 123—126.:

Tu mihi cura, Phaon; te somnia nostra reducunt,
Somnia *formoso candidiora die:*
Illic te invenio, quamvis regionibus absis;
Sed *non longa satis gaudia somnus habet* —

primum apte conferri possunt cum Epist. XVI, 318.

Candidior medio nox erit illa die —

deinde cum XIII, 107.

Aucupor in lecto mendaces coelibe somnos;
Dum careo veris, *gaudia falsa* iuvant —

et Epist. XIX, 65.

Me miseram, *brevis* est haec et non vera *voluptas;*
Nam tu *cum somno semper abire* soles.

Versus 133. et 134. autem:

Ulteriora pudet narrare; sed omnia fiunt;
Et iuvat et *sine te non licet* esse mihi —

cum Art. A. III, 769. *Ulteriora pudet docuisse,* Fast. V, 532. *Pudor est, ulteriora loqui,* et Epist. XIX, 63.

Multaque *praeterea* linguae reticenda modestae,
Quae fecisse iuvat, facta referre pudet.

V. 152.: — et nullae dulce queruntur aves, cum XVIII, 82. al. Versum denique 209.:

Qui *mea verba ferunt,* vellem *tua vela referrent* —

Ovidiani acuminis specimen, compone cum Epist. II, 25. 26.

Demophoon, *ventis et verba et vela dedisti:*
Vela queror reditu, verba carere fide —

et Epist. VII, 8.

Atque idem *venti vela fidemque ferunt.*

Et v. 213.:

Solve ratem: Venus, *orta mari, mare praestat* amanti —

cum Epist. XVI, 23.

In mare nimirum *ius habet orta mari* —

XIX, 159.

. . . . auso *Venus ipsa favebit,*
Sternet et aequoreas, aequore nata, vias.

Quo minus igitur argumentum atque rem ab Ovidio ex Sapphus, cuius lasciviam et sibimet ipsi natura propriam laudat Art. A. III, 331., cf. Trist. II, 365., et carminum vim se sensisse confitetur Remed. A. 761., add. Herodot. II, 135., coll. Epist. XV. a v. 63. sqq. — poematis petita esse negaverim, eo certius mihi est, sententiarum *singularem* rationem Ovidiani ingenii censendam esse." Hactenus Werfer. Addimus

Werferi rationem servantes: Comp. versus 1—4. cum Pont. II, 10, 1—5. It. v. 47. et 48.:

Tunc te plus solito lascivia nostra iuvabat,
Crebraque *mobilitas aptaque verba* ioco —

cum eiusdem obscoenitatis versibus Amor. III, 14, 25. 26.

Illic nec voces *nec verba iuvantia* cessent,
Spondaque *lasciva mobilitate* tremat —

et Art. A. II, 724.

Et dulces gemitus *aptaque verba ioco* —

et Fast. IV, 868. Comparentur porro narrationes illae a v. 61. et Epist. I. a v. 87., quae eodem quoque modo concluduntur; nam Epistola I. (96.) est:

Ultimus accedunt in tua damna pudor —

et hac Epistola (v. 71.):

Ultima tu nostris *accedis* caussa querelis.

Versus 83. et 84.:

Sive abeunt studia in mores, *artisque magistra*
Ingenium nobis *molle* Thalia *facit* —

et Art. A. III, 545. et 546.

Scilicet *ingenium* placida *mollimur ab arte*,
Et *studio mores convenienter eunt.*

Conf. vers. 180. cum Trist. III, 10, 42. Porro v. 121. cum Epist. IV, 154.; et 207. 208.:

Ecquid ago precibus, pectusque agreste movetur;
An riget, et Zephyri verba caduca ferunt? —

cum Metam. VIII, 130—132.

. . . . *Ecquid ad aures*
Perveniunt mea dicta tuas; an *inania venti*
Verba ferunt, idemque tuas, ingrate, carinas?

et Epist. II, 25. et 26.

Possumus multa adiungere de similitudine huius Epistolae cum reliquis in dispositione rerum, in affectibus, in studio illo doctrinae, aliis; verum ne longi simus, hanc rem non ulterius persequemur.

Ex his omnibus igitur satis apparere videtur, hanc Epistolam non esse Latinam Graeci carminis aut Sapphus aut alius cuiuscunque poetae interpretationem, ut quae in nulla parte non Ovidii rationem prae se ferre videatur. Atque iisdem, periculum non est, ne non prorsus confutata sit opinio eorum, qui hanc Epistolam Ovidio indignam esse censuerunt et *veram illam Sappho deperisse*. Quibus si ullus adhuc scrupulus resideat, unum in promptu est, quod omnem dubitationem valeat adimere. Quod, quo illis prorsus satisfiat, apponam. Nimirum in illo loco Amorum II, 18. supra laudato versu 34. legitur:

Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Iam vero luce clarius est, quamvis id nemo adhuc videatur animadvertisse, hunc locum alludere pulcherrimo illi, qui quidem poetae videbatur, loco Epistolae Sapphus v. 181.

Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam,
Et sub ea versus unus et alter erit:
GRATA LYRAM POSUI TIBI, PHOEBE, POETRIA SAPPHO:
CONVENIT ILLA MIHI, CONVENIT ILLA TIBI.

Atque inde quid efficitur?

Nam quod pro sua opinione illi viri attulerunt, Sappho in hoc carmine τριβαδικῆς ἀσελγείας ream factam, quod crimen non in poetriam Mytilenaeam, sed in meretricem Eressiam cadat, quae etiam Phaonem amaverit, vereor, ne ipsorum magis credulitatem aut levitatem, quam, quod volunt, huius Epistolae νοθείαν coarguere videatur. Qui primum in eo nimii sunt, quod in hoc carmine Sappho illius criminis ream fieri dixerunt, cui leviter tantum in eo alluditur; sed hoc parvi est momenti; deinde, quod gravius est, vetusti scriptores (non quidem ii ex vetustissimis, quum tota

illa Sapphus criminatio videatur esse commentum Comicorum; vid. doctam de ea re disput. Frid. Theoph. Welkeri in libello, qui inscribitur: *Sappho von einem herrschenden Vorurtheil befreit*, et Chr. Frid. Neue ad *Sapphonis Fragm.*) ipsam poetriam huius turpissimae cum filiabus consuetudinis accusatam esse, non obscure testantur, Maximus Tyrius XXIV., Apollonius Tyanensis apud Philostratum I, 30., Suidas in v. Σαπφώ. Huc facit Horat. Od. II, 13, 14. et crebra apud Sappho amicarum mentio et de iisdem querelae, unde sine dubitatione illa criminatio orta est (vid. Welk. l. l.). Phaonem autem ab eadem poetria amatum esse, fidem facit Palaephat. de Incredib. c. 49., Eudocia in v. φάων, Apostolius Prov. 20, 15. Neque aliud testatur Strabo X. p. 452. (Vid. Neue l. l. p. 4. et Welker l. l.) Quid? quod dubium non est, Sappho Eressiam illam meretricem et Mytilenaeam poetriam eandem esse personam, scilicet dilaceratam illam ab arbitrio atque licentia Comicorum, ut probabiliter ostendit in l. l. Welker. Conf. Neue l. l.

In Epistola autem XVI. una omnia, quae his carminibus et Nasonis consuetudini propria ac singularia sunt, dixerim esse coniuncta. Idem argumentum, eaedem narrationes et descriptiones, iidem sensus et affectus, idem fabulae usus, eadem in rebus, quae ad Venerem spectant, describendis cupiditas atque subtilitas, eadem humani animi cognitio et in animi amantis commotionibus pingendis calliditas. Iam ipsum initium quam prorsus Ovidianum. Narrationem autem primae originis amoris eiusque processus haec Epistola cum reliquis plerisque communem habet. Conf. III., VI., VII., X., XI., XII.

Nasoniana est illa formae descriptio a v. 133., Paridis cupiditas a v. 153., generis praedicatio sui v. 196. et contemptio atque despicientia generis Menelai v. 242. sqq., qui locus comparetur cum Epist. XII, 204., singularis illa amantis animi descriptio v. 216. et subtilitas in navium fabricandarum descriptione a v. 105. Quam callide praeterea Paris Ovidianus re exprimit artem amatoriam, in qua praeceptis complectenda poeta, cum has Epistolas scriberet, erat occupatus. Adde laudem inventionis, qua omnia momenta belli Troiani et totam fere historiam Troiae, iudicium Paridis, Cassandram, domum Priami, opes Troianorum, al. mira cum arte huic Epistolae intexuit.

Neque minus in similitudine sententiarum, in oratione ac stilo, et pulcritudine numerisque versuum huius poetae ingenium atque observatio ubique perlucet atque agnoscitur. Comparentur enim versus 7. et 8.:

Sed male dissimulo: *quis enim celaverit ignem,*
Lumine qui semper proditur ipse suo —

cum Epist. XII, 37. 38.

Perfide, sensisti: *quis enim bene celat amorem?*
Eminet indicio prodita flamma suo.

Vide Ovidii acumen in versibus 49. et 50. Comp. 59—64. cum Epist. XIV, 43. sqq.; 119—123.:

Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Cum vellent nostrae iam dare vela rates,
„Quo ruis?“ exclamat; „referes incendia tecum;
Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas.“
Vera fuit vates; dictos invenimus ignes —

cum Epist. V, 113—124.

Hoc mihi, nam recolo, quondam *germana* (Cassandra) *canebat,*
Sic mihi diffusis vaticinata comis:

„Quid facis, Oenone? Quid arenae semina mandas?
Non profecturis litora bobus aras.
Graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque
Perdat! Io prohibe! Graia iuvenca venit!"

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Ah nimium *vates* miserae mihi *vera fuisti;*
Possidet en saltus illa iuvenca meòs.

Versus 97. 98. cum Epist. XV, 15—20.; vss. 99. 100.:

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam,
Lumina cum placido victa sopore iacent —

cum Epist. VII, 25. 26.

Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret;
Aenean animo noxque diesque refert.

Comp. v. 115.:

Qua tamen ipsa vehor, *comitata Cupidine parvo* —

cum Fast. II, 463.

Venit ad Euphratem *comitata Cupidine parvo.*

V. 108.:

In qua tu nata es, *terra beata mihi est* —

cum Epist. IV, 108.

Iam nunc est *patria carior illa* (sc. Troezen) *mea.*

Conf. porro v. 217. cum Art. A. III, 247. Versus autem 305—315.:

Hunccine tu speras hominem sine pectore dotes
Posse satis formae, Tyndari, nosse tuae?
Falleris: ignorat; nec, si bona magna putaret,
Quae tenet, externo crederet ille viro.
Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor,
Cogimur ipsius commoditate frui;
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum,
Si tam securum tempus abibit iners.
Paene suis ad te manibus deducit amantem:
Utere mandantis simplicitate viri.
Sola iaces viduo tam longa nocte cubili —

vide, an ex eodem calamo fluxerint, ex quo hi versus Art. Am. II, 367—372.

Cogis adulterium dando tempusque locumque.
Quo nisi consilio usa puella tuo?
Quid faciat? Vir abest, et adest non rusticus hospes,
Et timet in vacuo sola cubare toro.
Viderit Atrides: Helenen ego crimine solvo;
Usa est humani commoditate viri.

Versum 102.:

Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat —

conf. cum Amor. II, 16, 11. 12.

At meus ignis abest . . . .
Quae movet ardores, est procul; ardor adest.

Sed omnia afferenda essent, si singula, quae aperte colorem ac similitudinem Ovidianam prae se ferunt, persequi vellemus.

Atque ut ad Epistolam XVII. perveniat oratio, de scholio cod. Palatini, quo ea Sabino adscribitur, quid sentiendum sit, iam supra dictum est. Nasonis autem esse, iam ante nos confirmarunt et sua quisque, quibus id efficeretur, argumenta attulerunt Lennep, Amar et Werfer: Lennep in adnotatione ad hanc Epistolam, „Sed ipsa numerorum facilitas, inquit, et in exprimendo muliebri ingenio servandoque personae decore admirabile prorsus artificium non Sabini illam, sed, ut ceteras, Nasonis esse, extra omnem, me quidem iudice, dubitationem ponit.“ Atque in eandem sententiam cedit adnotatio editoris Galli, qui, „In hac Epistola, inquit, quidquid artis in animo muliebri inest, ut amantis impetum modo supprimat, incitet modo, spem metumque vicibus alternis ita temperet, ut propositum finem miser nunquam tangat propior, quam quum longius repulsum se existimat, mirabiliter adeo depingitur, ut Ovidium

Heroidum omnino nullam, quam non hanc scripsisse potius existimem." Werfer, „Ceterorum, inquit, auctoritas et Epistolae ipsius natura atque indoles, quae germanam Ovidii dictionem atque ingenii levitatem ostendit, Nasonis eam esse ostendunt. Conf. enim modo vss. 59. 60.:

. . . . . . sed qui tibi gloria magna est,
Quintus, is a nostro nomine primus erit —

cum Epist. VIII, 48.

Si melius numeres, *a Iove quintus eris.*

V. 94.:

. . . . potestque
Velle *sub amplexus ire* puella *tuos* —

cum Metam. VII, 616., Fast. VI, 554. et Metam. X, 622. — Vss. 139. 140.:

Quid bibulum *curvo proscindere litus aratro,*
Spemque sequi conor, quam locus ipse neget —

cum Epist. V, 115. 116.

Quid facis, Oenone? Quid *arenae semina mandas?*
Non profecturis litora bubus aras.

Conf. v. 220.:

Terra, precor, *vultus obruat ante meos* —

cum Epist. III, 63.

Devorer ante, precor, *subito telluris hiatu* —

et VI, 144. — Denique versus 253. 254.:

Apta magis Veneri, quam *sunt* tua corpora Marti.
Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama —

cum Epist. XIII, 83. 84.

Fortius ille potest multo, *quam pugnat, amare:*
Bella gerant alii, Protesilaus amet. — —"

Comp. vss. 27. 114.:

Oscula *luctanti* tantummodo pauca protervus
Abstulit —
Nec *spolium nostri turpe pudoris habe* —

cum Epist. V, 140.

Ille *meae spolium virginitatis habet*,
Id quoque *luctando*. —

Vers. 10. cum Epist. XIV, 44. et Fast. II, 787.; vers. 183. cum Art. A. II, 369. sqq. Vide etiam, an Ovidium agnoscas in vss. 200—240., 129. 130., 97. 98., 233. 234.

Quodsi autem has tres Epistolas adiudicare Nasoni certis ac perspicuis argumentis fere cogimur; quid faciamus reliquis, in quibus eadem ubique Ovidiani ingenii indicia et lumina conspiciuntur? Nam illam difficultatem, in qua olim valde me haesisse confiteor, nimirum quod in his quatuor rarior cernitur usus fabulae, nunc certum est, quo expediam, quoque ille scrupulus facile omnis adimatur; quod est in sterilitate argumenti ac materiae. Nam quum nec tanta patriam claritate Hero et Leander, Acontius et Cydippe haberent, quantam aut Phaedra aut Helena aut Paris aut Theseus, nec tot fata ac res generis atque maiorum proferre possent, neque ad deorum genus referrent stirpes suas, quum denique reliqua vitae momenta eorum neque copiosa et ad poeticam tractationem fructuosa, neque omnino cognita essent: ipsae personae ad lumina atque splendorem ex historia repetitum et ad fabularum cognitionem ostentandam et antiquitatis scientia orationem quasi condiendam neque materiam, neque opportunitatem occasionemque praebebant. In reliquis autem harum Epistolarum partibus fabulae usum rerumque antiquarum doctrinam, quae in huius poetae carminibus ubique elucet, non puto desiderari.

Atque in Epistola XVIII., quam etiam Lutatius ad Stat. Theb. VI, 545. Nasoni adscribit his disertis

verbis: *Leandri fabula Ovidio referente notissima*, poetae nostri ingenium ubique agnosces. Lege totum initium a v. 1—36. et vide, cuius similitudo ex eo eluceat. Nasonis speciem habet illa increpatio fabulisque distincta oratio ad Borean a v. 37., ac narratio priorum amorum, eiusque voluptatum a v. 55., in qua inprimis conspicua est allocutio illa Lunae v. 61. et in amantis natura depingenda subtilitas 85—96. Accedit cupiditas in rebus Venereis describendis a v. 105. et sententiarum extenuatio 119—124., affectus et in affectibus doctrina et acumen 173—190. Nec minus prorsus Nasoniana videbitur, si singulas sententias et imagines cum reliquis eius carminibus comparaveris. Conf. enim vss. 29. 30. cum Epist. II, a v. 121.; v. 32.:

Aut videt, aut acies nostra *videre putat* —

cum Epist. X, 31.

Aut vidi, aut etiam, cum *me vidisse putarem*.

Vss. 39—42.:

In me, si nescis, Borea, non aequora, saevis.
Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus cum sis, *non te tamen, improbe, quondam*
Ignibus Actaeis incaluisse negas —

comp. cum Amor. III, 6, 21—26.

Non eris invidiae, torrens, — mihi crede — ferendae,
Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent iuvenes in amore iuvare;
Flumina senserunt ipsa, quid esset amor.
Inachus in Melie Bithynide pallidus isse
Dicitur et *gelidis incaluisse* vadis.

Conf. Epist. XIX, 129. Comp. v. 82.:

Nescio quid *visae sunt mihi dulce queri* —

cum Amor. III, 1, 4.

Et latere ex omni *dulce queruntur aves*.

Vers. 102.:

Oscula, di magni, trans mare digna peti —

cum Amor. II, 19, 18.

Oscula, di magni, qualia quotque dabat!

Lasciviam Nasonis continent vss. 105. 106.:

Cetera *nox, et nos, et turris conscia* novit,
Quodque mihi lumen per vada monstrat iter —

cum quo loco conferri potest Epist. XV, 138.

Conscia deliciis illa (antra) *fuere meis.*

Porro v. 149.:

Nec *sequar aut Helicen,* aut, *qua Tyros utitur, Arcton* —

eadem doctrina exornatus est, qua idem poeta Fast. III, 107. 108. dixit:

Esse duas Arctos; quarum *Cynosura petatur*
Sidoniis, Helicen Graia carina notat.

Acumen Ovidianum habent vss. 129. 130.:

Cur ego *confundor,* quoties *confunditur* aequor?
Cur mihi *caussa levis, ventus,* obesse potest —

qui conferendi sunt cum Epist. X, 50. et 107. et XXI, 76.; item versus 125. et 126.; et 148.:

Idem navigium, navita, vector ero —

cui similis est locus Amor. II, 12, 14.

Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui —

et Epist. XIV, 106.

Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.

Vss. 197. 198.:

Optabo tamen, *ut partes expellar in illas,*
Et *teneant portus naufraga membra tuos* —

conferri possunt cum Metam. XI, 564. 565.

Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus
Optat, et exanimis manibus tumuletur amicis —

et Epist. II, 135.

Ad tua me fluctus proiectam litora portent.

V. 166. cum Trist. V, 12, 26. et Amor. III, 2, 66.

Epistola autem XIX. talis est, ut vel unum in ea locum, qui ab Nasonis similitudine abhorrere videatur, invenire, difficilius sit, quam omnia prorsus Ovidiana esse, certis atque idoneis argumentis ostendere.

Quae primum et verissimis animi muliebris et amantis affectibus, quales ab hoc poeta describuntur, spe, timore, suspicionibus, sollicitudinibus, aliis conspicua est, copiaque et ubertate et sane etiam luxurie omnis generis insignitur.

Quanta ars inventionis, quam prorsus Ovidiana in singulis rebus describendis subtilitas sententiarumque extenuatio! Vide, an ingenio Nasonis dignissimum ac simillimum quid spiret locus, in quo Heronis amatorem exspectantis animi sensus describuntur a v. 17., et collocutio illa cum nutrice a v. 39., convicia maris v. 139. et ad preces conversio 149., doctrinae ac fabulae lumina v. 123. Adde conclusionem, qua Heronem ea, quae fabula postea facta esse prodidit, suspicantem atque timentem inducit, prorsus ut Medeam in fine Epist. XII. et Laodamiam Epist. XIII.

Atque eadem similitudo conspicitur in sententiis atque elocutione.

Vss. 33. 34.:

. . . . *noctis amicior hora*
Exhibuit pulso sidera clara die —

conferri possunt cum Epist. XIII, 105.

. . . . nox *grata puellis*,
Quarum suppositus colla lacertus habet.

V. 129. confer cum XVIII, 41. sqq.; v. 157.:

In *tua castra* redi, socii desertor *amoris* —

cum Epist. VII, 32.

. . . . . durumque amplectere fratrem,
Frater Amor; *castris militet ille tuis.*

V. 161.:

Ire libet medias ipsi mihi saepe *per undas* —

cum Epist. IV, 38.

Est mihi per saevas impetus ire feras.

V. 173.:

Nunc male res iunctae, *calor et reverentia*, pugnant —

cum Epist. XV, 121.

Non veniunt *in idem pudor atque amor* . . . . . —

et Epist. IV, 9. 10.

Qua licet et sequitur, *pudor* est *miscendus amori*;
Dicere quae puduit, scribere iussit amor.

Denique lascivum Ovidiani ingenii lusum invenies in vss. 57. 58.

Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, *dormis*,
Et quamquam *non vis ipse venire, venis.*

Conf. v. 13.:

. . . . nunc *piscem ducitis hamo* —

cum Metam. III, 386. 387.

. . . . linoque solebat et *hamo*
Decipere et calamo salientes *ducere pisces.*

V. 14.:

Diluitur posito serior hora *mero* —

comp. cum Art. A. I, 238.

Cura fugit multo *diluiturque mero.*

Vss. 29. 30.:

Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
Venerit, aut quaero, si quis Abydon eat —

conf. cum Epist. I, 59—62.

Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit;
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.

Versus 57—66. conf. cum XV, 123—136. V. 129. orationem illam ad Neptunum compara cum illa ad Borean Epistola XVIII, 39—42. et Amor. III, 6, 21—26. Conf. vss. 149. 150.:

Da veniam servaque duos; natat ille; sed isdem
Corpus Leandri et spes mea pendet aquis —

cum Epist. XI, 59. 60. Versum 158.:

Ponuntur medio cur mea *membra toro* —

conf. cum Amor. II, 10, 18. 19.

Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
Et *medio* laxe *ponere membra toro.*

Vss. 159. 160.:

Quod timeas, non est: *auso Venus ipsa favebit;*
Sternet et aequoreas, aequore nata, vias —

cum Epist. XV, 213.

Solve ratem: *Venus, orta mari, mare praestat amanti* —

et Epist. XVI, 23.

In mare nimirum *ius habet orta mari.*

Lascivientem poetam etiam agnosces in vss. 45. et 46. Comparentur versus 175. et 176.:

Ut semel intravit *Colchos Pagasaeus Iason,*
Impositam celeri Phasida puppe tulit —

cum Epist. XVI, 345. et 346.

Phasida puppe nova vexit Pagasaeus Iason:
Laesa nec est Colcha Thessala terra manu.

Conf. etiam v. 193. sqq. cum Epist. XIII, 109. et sqq.; comp. v. 161. cum Epist. II, 127., et v. 205.:

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae —

cum Epist. VII, 75.

Nec mihi tu parcas, puero parcatur Iulo —

et Art. A. II, 30.

Si non vis puero parcere, parce seni.

Vicesimam autem et vicesimam primam ab Ovidio scriptas esse, quaedam bene ac vere disseruit Van Lennep, his verbis: „Hae duae Epistolae Burmannis, patruo et Secundo (vide illum ad Ep. XX, 1., hunc ad Lotich. Tom. I. p. 313.), ab Ovidiana vena fluxisse non videbantur; et iam olim H. Stephanus in Diatriba ad Horat. p. 73. eas potius Sabino, quam Ovidio, sed neque illi, tribuendas iudicaverat. Equi-

dem et nonnulla in iis fateor inesse, quae vel saeculo isto indignissima merito pronunties, et universarum tamen eum esse colorem dico, qui nisi plane Ovidianus, certe Ovidiano sit simillimus: idque magis etiam de quibusdam partibus dicendum puto. Quam Ovidiana statim exordia! Quis, praeter Ovidium, ea scribere potuit, quae leguntur Epistolae XX. versibus 37. et seqq., in quibus eminet venustissima illa formae Cydippes descriptio v. 55. et seqq.? Quem alium auctorem censeas loci supra quam dici potest elegantis et elaborati in eadem Epist. verss. 125—142.? At vero iis parum aut nihil cedunt in Epistola XXI. locus de Cydippe scribente verss. 15. et seqq., locus de Acontii rivali vss. 189. et seqq. Quibus tamen etiam praestare censeam illum, quo Cydippe suam in Delum navigationem, suosque peregrinantis ibi casus haud minore, si pauca excipias, dictionum et sermonis proprietate, quam sententiarum et affectuum veritate descripsit. Ipse igitur in hanc maxime pronus sum opinionem, ut pleraque, quae in his Epistolis, nec iniuria, displiceant, ex eadem prodiisse credam interpolatorum officina, cui Micyllus iam, ut adulterina ista, quae in priscis edd. leguntur, utriusque Epistolae exordia, ita versus etiam, inter Epistolae XX. undecimum et duodecimum insertos, recte non est veritus adscribere. Sed tamen et hoc teneri velim, ipsam hanc Cydippes et Acontii historiam eiusmodi esse, ut iam satis proclivem sponte sua ad verborum lusus sensuumque argutias poetam magis etiam ad ea quasi invitare ac pellicere debuerit, nihilque caussae esse, cur propter istorum quoque frequentiorem in his Epistolis usum, aut si mavis, abusum, ipsas abiudicandas esse Nasoni putes. Quin,

aut vehementer fallor, aut, omnibus rite perpensis, longe probabilius videri debet, scriptorem harum Epistolarum esse Ovidium, quam neglectum ab eo argumentum, quod ei tam uberem offerret ingeniose ludendi argutandique materiem: siquidem non est, ut omnem eam exhausisse Callimachus putetur, arte quam ingenio melior poeta, cuius etiam poematium, Cydippe, quale fuerit, satis vel hodieque existimare possumus ex Aristaeneti de iisdem illis amoribus Epistola I, 10., qua sophistam illum Callimachi Elegos in pedestrem orationem dissolvisse pridem docuerunt Mercerus ad Aristaeneti d. l., Hemsterhusius ad Propert. I, 18, 52., Piersonius Verisimil. I, 8., Ruhnken. ad Callim. Fragmentum inter Bentleiana 169., Valckenaerius Adnotationum in Elegiaca Callimachi a Luzacio editarum p. 215. Nasonem igitur, quem et alia aemulatum novimus Callimachi, id ipsum, ni fallor, incitare debuit, ut, quae ille in huius argumenti tractatione levius attigisset, ea ipse in his Epistolis diligentius elaboranda susciperet, aliis, quae optime iam Callimachus tractasset, de industria relictis. Nam ut auctorem harum Epistolarum Callimachea legisse comparatio earum cum Aristaeneteis facile evincat, ita manifestum eadem et hoc faciat, aliud Callimachi consilium, aliud scriptoris harum Epistolarum fuisse." Hactenus Van Lennep.

Addo, comparetur Epistolae XX. versus 48.:

Inque tui *cupido rapta ferere sinu* —

cum Art. A. I, 128.

Sublatam cupido vir *tulit* ipse *sinu.*

Versus 80.:

Iam dudum *dominae more venire iube* —

cum Epist. III, 154.

Sive manes, *domini more venire iube.*

V. 81. cum eiusdem Epist. III, 79., et 81. 82.:

Ipsa meos *scindas* licet imperiosa *capillos,*
Oraque sint digitis livida facta tuis —

cum Epist. V, 141. 142.

. . . . . rupi tamen ungue capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.

Comp. vss. 57—59. cum Fast. II, 763. 764.; v. 53. cum Amor III, 11, 41.; vss. 155—158. cum Epist. VIII, 31—34.; v. 20. cum Fast. II, 846.; v. 41. cum Rem. A. 394.; v. 183.:

Ut valeant aliae, ferrum patiuntur et ignes —

cum Remed. A. 229.

Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes.

Quam similes porro vss. 237—241. sunt versibus 181—184. Epistolae XV. Conf. v. 39. cum Epist. IV, 135., porro v. 41. cum Remed. A. 394., v. 50. cum Epist. IX, 106., v. 58. cum Epist. XIX, 103. Vide etiam, an Ovidianum quid prae se ferant versus 222. et 223.

Vicesimam autem primam non minus Ovidio poetae tribuendam, praeter quod eius ratio, ut decimae sextae cum decima septima et decimae octavae cum decima nona, cum vicesima arctissime coniuncta sit, satis declarat tam omnino eius natura atque contextus sententiarum, quae prorsus Ovidiana sunt, quam singularia illa, quae tam in reliquis huius poetae carminibus, quam in his Epistolis conspiciuntur, acumina, lusus verborum, lumina sententiarum, affectus, alia. Huc pertinet praeter ea, quae attulit Van Lennep, narratio illa Cydippes, quomodo in fraudem sit adducta, a v. 77—115.; accurata illa amantis descriptio v. 191—202.; subtilis illa descriptio aegrotantis a v. 215—220.; illa exprobratio a v. 115—150.; acumina illa v. 76., qui conf.

cum Epist. XVIII, 130., porro v. 121., 143., 144., 181.; imagines poeticae, qualis est v. 157. seqq., quae comparari potest cum Epist. XIV, 27. Comparentur etiam vss. 71—74. cum Epist. V, 50., vss. 81. 82. cum Metam. VIII, 220. seqq., v. 115. cum Metam. III, 654. collatis Epist. II, 63. et Amor. I, 7, 38., et inprimis v. 176. cum Epist. VII, 76.

Quod autem Van Lennep has duas Epistolas magis quam reliquas interpolatorum audacia esse laceratas censet; ego vero certa huius rei ac manifesta argumenta reperire nulla potui, nec felicior mea industria fuit in iis, quae idem vir doctissimus in his Epistolis vel saeculo isto indignissima esse iudicavit, inveniendis atque agnoscendis. Quanquam illud habeo persuasissimum, esse in his duabus et in reliquis Epistolis et ceteris huius poetae carminibus omnibus nonnulla, quibus etiam inferioris ordinis poeta facile meliora vel aeque bona possit substituere. Verum talibus efficere nec possumus nec profecto volumus, ea carmina, in quibus reperiantur, aut corrupta esse aut ab interpolatorum manu depravata. In nova difficultate haerebat Hand in diligenti censura sua editionis Lennepianae, quae exstat in Diarr. litt. Ienens. a. 1815. ch. 15., orationis contextum putans in his Epistolis minus aptum esse et saepe interruptum aut difficilem ad inveniendum, qui mihi quidem aptissimus videtur neque perspicuitate reliquis ulla ex parte concedere. Quod ut probabile faciam, tenorem Epistolae vicesimae atque nexum paucis delineabo.

„Perlege haec sine metu, non enim novo hic iureiurando decipio; perlege et ex morbo convalesces. Coniugium peto (v. 1—8.), quod mihi pol-

licita es teste dea (9—20.). Fraus sane aliqua mea fuit, verum ea fraus amoris est, quam non possum, quin admittam (21—36.): et plures doli restant, quorum nullum intentatum relinquam, ut te potiar; et si non proficiant doli, vim, ut Paris, cum ipso vitae periculo tentabo (38—52.). Nam tuae pulcritudini resistere non possum, quae animum meum totum occupavit, ut nil mirum sit, me insidiis adversus te uti (53—66.). Invidiam patiar, dummodo, ut alii, voti compos fiam; iram tuam patiar, et dominae ius in me exerce (67—84.) acerbissimum, dummodo te potiar; certe enim scio me te placaturum amore meo (85—93.). — Atque ut ipse iniuste fecerim, tamen praestare fidem debes propter deam illam, per quam iurasti, cuius ira nihil saevius (93—109.), quae in caussa est, cur nunc aegrotes. Parce quaeso tibi, et parce quoque mihi, qui et doloribus tuis crucior et altero amore tuo (110—135.). — [Iam recordatione alterius amoris in affectum abripitur: abi hinc; ista puella mihi debetur (136—170.).] Haec est caussa morbi tui. Serva fidem, et sana eris. Sin minus, ira deae etiam posthac te persequetur (189—198.). Sin autem parentes obstent, narra illis, quomodo tu mihi sis obstricta, et praestandam fidem censebunt (201—214.). Nec denique genus meum et opes spernendae (220—228.). Quare exorare, et utrumque nostrum serva, Dianamque, cuius numen nostrum foedus composuit, communi pietate gratoque animo honoremus. Vale.“

Simplicior etiam et lucidior est contextus Epistolae vicesimae primae.

Illud denique, quod in plerisque codicibus nonnisi duodecim primi versus Epistolae XXI. reperiun-

tur, nihil aliud ostendit, quam adversissimam haec carmina a temporis iniuria habuisse fortunam. Id quod etiam eo confirmatur, quod in codicibus Sarraviensi et Guelferbytano tertio et editione Veneta a. 1474. longe maiorem huius Epistolae partem servatam esse reperimus. Docet idem, quam Ovidianam esse supra ostendimus, Epistola XV., quae tam infesto fato usa est, ut, a reliquo horum carminum corpore prorsus abscissa ac separata, non raro aliorum poetarum, velut Tibulli aut Virgilii, carminibus adiuncta sit; et vero etiam pars illa Epistolae XVI. (a v. 39—142.), quam, licet paucissimi codices exhibeant, tamen nullo modo abesse posse et omnino pro Ovidiana habendam esse, idoneis argumentis viri docti probarunt. Vid. adnot. ad Epist. XVI, 39. Plura in hanc rem afferemus in ipsa ad has Epistolas annotatione. Vid. adnot. ad Epist. XV, 1.

Iahn, ut diversam harum Epistolarum rationem atque naturam explicaret, Fr. Heusingerum aliosque viros doctos secutus diversis eas statuit editas esse temporibus, haud dubie partim etiam, ut illi, adductus quorundam varietate codicum, in quibus haec carmina in duos libros dividuntur et XIV priora (nam XV. a plerisque vetustis codicibus, ut modo dixi, abest; vid. adnot. ad Epist. XV. init.) *liber primus* et VI posteriora *liber secundus* inscribuntur. Verum neque ulla eius rei exstant vestigia in veteribus libris, neque vero ratione atque cogitando facile possunt indagari. Quanto autem in hac quaestione momento inscriptiones illae unius et alterius codicis sint, vel inde existimari potest, quod aliis in codicibus, qui quidem illis auctoritate in ceteris rebus minime inferiores sunt, haec eadem carmina in IV, V aut VI

libros divisa reperiuntur, et quod longe plurimi et praestantissimi omnino nullam eorum in libros divisionem agnoscunt. Quod autem illo loco Amorum (II, 18.) priorem tantum eorum partem, quae quidem res illos viros in ea opinione valde confirmasse videtur, poeta memoravit; primum tenendum est, neque prioris partis Epistolas omnes ibi significari, sed eam esse loci naturam, ut poetico tantum modo et magis in genere poeta videatur earum mentionem fecisse et non ita, ut singulas cum veris ipsarum nominibus ac titulis accurate referret. Unde in promptu, nec sine magna specie verisimilitudinis, coniectura est, Ovidium fortasse, quemadmodum nec prioris partis XV Epistolas omnes, sed IX tantum ad arbitrium commemorarit, VI reliquas autem silentio praetermiserit, sic etiam VI illarum, de quibus quaeritur, data opera et consulto mentionem facere noluisse; scilicet quia IX illis nominatis genus totum satis lucide significatum esse putaret. Ad quam sententiam confirmandam afferri etiam ipse ordo potest, quo IX illas commeminerit. Non enim deinceps ac serie, qua nunc vulgantur et sine dubitatione a poeta edita erant, laudantur, sed liberius et poetica cum elegantia, et ut versus ratioque ferebat numerorum. Accedit, ut Sappho, quae nunc ordine XV. est, verisimile sit, ut in veteribus libris ante Heinsium editis est, omnium postremam fuisse agmenque clausisse, itaque poetam, quemadmodum ab Epist. VII. ad X., sic ab XI. ad XXI. transiliisse.

Maximum tamen argumentum, poetam magis genus significare voluisse, ideoque incertissimum esse, si quae hic omissae sint, ad duplicem editionem et

ad coniecturam, omissas illas tum nondum vulgatas fuisse, confugere, illud est, quod, cum ex ipsa loci illius ratione et virorum doctorum sententiis manifestum sit, Sabinum ad omnes illas ab Ovidio nominatas virorum nomine rescripsisse easque iam tum, cum illud carmen Amorum scriberetur, vulgatas fuisse, tamen Ovidius, licet novem ex suis retulerit, nonnisi sex Sabini commemoravit.

Altera est illum locum explicandi ratio, neque eadem prorsus contemnenda, nimirum ut Nasonem illo loco Amorum statuamus nonnisi eas ex suis Epistolis nominare voluisse, ad quas Sabinus responsiones scripsisset, eo animo, ut hac data occasione amici sui amorem atque laudem blando atque honorifico aliquo modo commode profiteretur.

Quod autem idem editor Lipsiensis ex ipsa natura sex illarum Epistolarum apparere censuit, pluribus eas annis post quindecim priores et virili poetae aetate compositas esse, ut quae prioribus illis *longe deteriores sint, atque nimia loquacitate et omnino omnibus vitiis laborent, quibus Ovidius virili aetate se contaminari passus sit;* supra iam dictum est, nonnullas earum reliquis elegantia et laudibus poeticis minime concedere, et si una et altera inferior esse videatur, caussas repetendas ex defectu rerum argumentique sterilitate, quibus nunc addo, idque gravissimi in hac quaestione videtur esse momenti, quod earum ratio longe difficilior fuit, cum poeta copiam rerum et fabulae lumina in duas quasi dividere partes, ne prior Epistola omnia occuparet, cogeretur; et vide etiam, an reliqua eius carmina et ipsae quindecim illae priores Epistolae pari ubique diligentia atque arte sint elaboratae atque politae.

Illud denique, quod Ovidium *virili aetate* magis rhetorum pigmentis atque artificiis indulsisse iudicat, ego minime probo, vereorque, ne vir eruditus tota re errare videatur. Immo falsam eam esse sententiam, et ratione fere concludi potest, et vero ipsis, quae virili aetate noster confecit, carminibus satis ostenditur. Nam si Nasonem iam virum rhetorum praestigiis magis, quam antea, delectatum esse statuamus, accipiendum erit, hunc poetam non ad modum aliorum poetarum et naturae tenorem procedente aetate maturioreque iudicio et post multum usum vitia iuventutis magis magisque posuisse et ad perfectae atque absolutae artis speciem propius accessisse, aut, quod permultis accidisse videmus, per totam vitam in laudibus ac vitiis sibi similem mansisse; sed in deterius magis prolapsum et a vera elegantia degenerasse. Accipiendum porro erit, eum, quo longius ab scholis rhetorum iisque temporibus, quibus his rebus operam navaret, abesset, hoc magis illius scholae pigmentis, quae artis simplicitati atque perfectioni adeo contraria sunt, atque fuco captum carmina sua imbuisse; quo nihil esse potest, quod magis naturae tenori experientiaeque repugnet. Quodsi vero quis illis sententiam hanc infirmari neget, nihil obstare putans, quominus Ovidii ingenium, ut in reliquis tam proprium ac singulare sit, ita in eo quoque ab naturae atque experientiae quasi regula declinarit, plane eam coarguunt atque refellunt, quae hic poeta in vigore aetatis virilis scripsit carmina, Remedia Amoris, maximum opus Metamorphoseon, itemque, quos in exsilio quidem edidit, in eadem tamen aetate composuit (Trist. II, 551.), libri Fastorum: quae quidem carmina omnia neque elegantia neque omnino

ulla artis poeticae laude prioribus eius libris, Amorum, Artis Amatoriae, quindecim prioribus Epistolis Heroidum concedunt; Fasti autem et inprimis Metamorphoses reliqua omnia et magnitudine et inventionis laude etiam superant. Neque tamen illud ita disputo, ut non admodum multa in his redundantis et parum sibi temperantis ingenii peccata et scholae rhetoricae naevos reperiri existimem; hoc tantum affirmo atque contendo, nullum ex hac quidem parte inter priora huius poetae carmina et ea, quae virili aetate scripta sunt, facile inveniri posse discrimen, nec magis eam vituperationem in haec cadere, quam in ea, quae in ipso flore iuventutis poeta conscripsit, Amores, Artem Amatoriam et Epistolas vel pulcherrimas VI., X., XV. In Metamorphosesi vero si quis me acutior talia maiori numero et frequentiora animadvertisse se putet, illud quoque reputandum erit, tantam varietatem rerum maiorem poetae ad omne genus huiusmodi vitiorum et materiem et opportunitatem obtulisse, et raptum *a funere domini illud opus*, nec ultimam ei manum impositam esse. Vid. Trist. I, 7, 13. seqq., II, 55. et I, 1, 118. Quod autem in Tristibus et Epistolis ex Ponto ad garrulitatem et inanes rhetorum flosculos magis inclinare videtur, nec illud e singulari quodam, cui se dederit iam senior, studio earum rerum explicandum; sed huius rei caussa omnis, si ipsi poetae fides habenda (Trist. V, 12, 22. et aliis locis), ex barbarie, in qua versabatur, et exsilii calamitate, qua *ingenium omne* excidisse conqueritur, repetenda; si mihi, et illa in caussa fuere, sed magis tamen, quod ingenii vena exarescere et senectutis laboribus iam languere coeperat, et quod haec magis versus fundendi con-

suetudine atque, ut ipse de se testatur, temporis consumendi caussa (Trist. V, 7, 39. 59. et sqq.), et non *deo illo agitante* inflammatus conscripsit. Aliqua huius rei caussa etiam quaerenda videtur in similitudine argumenti et materiae sterilitate. Neque vero in utroque libro nulla reperiuntur, quae ad laudem atque elegantiam meliorum eius carminum feliciter enitantur.

Eandem, quam Iahn, scilicet diverso editas Epistolas tempore esse, opinionem amplexus est in libello laudato Werfer, qui in hoc tamen a Iahno dissentit, ut, quo tempore poeta sex posteriores ediderit, etiam quindecim illas priores statuat retractatas atque recognitas secunda editione vulgasse. Sed haec sententia de secunda editione prorsus caret testimonio vetustatis et probabilitate. Quae autem ex ipsis carminibus repetita in eam rem attulit, tantae pleraque sunt levitatis, tam parvi aut nullius sunt momenti, ut ea hoc loco referre ac refellere operae pretium non putem.

Iam summam huius capitis hanc esse volumus: has Epistolas Heroidum omnes a Nasone scriptas et eodem omnes simul tempore vulgatas esse, certe contrariae sententiae nulla idonea exstare argumenta.

CAPUT IV.

Epistolae Heroidum in praestantissimis numerandae sunt Ovidii carminibus. I. C. Scaliger (Poet. VI. c. 7. p. 789.), „Epistolae, inquit, omnium illius librorum politissimae;“ Rapin Comparat. Homeri ét Virgilii apud Palmer. p. 193., „Ego, inquit, Heroidum Epistolas appellare soleo florem elegantiae Romanae;“ Morhof. Polyhist. T. I. L. II. c. 16. „Quod si quis

Heroidum Epistolas in suas sententias atque ornamenta resolvat, statim artificium deprehendet, quod in illis summum est.“ Nec minus praeclare de iis iudicarunt E. G. Müller l. l. T. IV. p. 53., Borichius Conspect. auctor. ling. Lat. p. 38., Ant. Volscus, Dan. Heinsius in Epistola dedicat., Ciofanus in Praefat. editionis suae, Rosteau apud Baillet Iugements des savants T. III. p. 240., Becher l. l. p. 10., Iahn in Introductione p. 6., Manso in *Nachträge zu Sulz. Theor.*, alii. Verum ne ad auctores confugere videamur, pauca de horum carminum virtutibus et vitiis disseremus.

Ac primum singulari commendantur laude inventionis; non eam dico, qua ut in reliquis carminibus suis hic poeta plerisque, in Remediis Amoris, in Metamorphosesi, in Fastis aliisque, novam sibi Romanisque adhuc incognitam viam aperuit et genus hoc carminum excogitavit, id quod fortasse casui cuidam aut nescio cui unius puncti temporis felicitati debebat; — sed primum dico sagacitatem illam, quae conspicitur in ipso personarum has Epistolas scribentium ingeniorumque et animi affectionum tanta varietate delectu; deinde miram artem, qua singularum argumenta Epistolarum tractavit. Nam quum fere omnes in querelis ac doloribus aut spreti et neglecti, aut desiderati atque absentis amoris versentur, dici vix potest, quanta ingenii felicitate atque ubertate materiam illam, quam tribus primis Epistolis penitus exhaustam putares, per tot carmina deduxerit, et unumquodque novis momentis, tum ex scribentis cuiusque ingenio inventis atque descriptis, tum ex historia et fabula repetitis, et narrationibus, descriptionibus, similibusque variarit, et

per diversissimos affectus perductum fine, et caussae scribendi et personae scribentis indoli convenientissimo, concluserit. Altera eorum laus est in uberrima illa vi imaginandi *(Phantasie)*, unde tantus tamque illustris translationum omnis generis imaginumque poeticarum splendor, haec in descriptionibus et narrationibus vita, clara illa similium et exemplorum lumina, tam ardens denique totius orationis color, ut pleraque coram adspicere et ipsis oculis intueri putes. Tertiam harum Epistolarum laudem dixerim singularem illam, qua omnes tinctae atque distinctae sunt, doctrinam atque cognitionem fabulae totiusque antiquitatis; cui adiungenda gravitas copiaque sententiarum, quibus vel levissimas res et locos, ubi minime exspectes, illustravit, tanta arte, ut non studio et data opera arcessitae, sed in ipsa re innatae esse videantur. Elucet praeterea in iisdem, ut in reliquis eius poematis, singularis quaedam animi humani eiusque motuum atque affectionum notitia; inprimis autem animi amantis, cuius varios affectus, spes, sollicitudines, aegritudines, iras, desperationes, suspiciones, furores mirari licet, qua calliditate indagarit, quantaque arte atque subtilitate descripserit, ac prope dicam, depinxerit.

Eximiam autem eaedem habent commendationem orationis, quae praeter colorem illum vividum et vere poeticum et, quibus tota perspersa est, condimenta facetiarum *(Witz)*, fere omnibus plerumque dicendi virtutibus atque elegantiis polita est atque exornata, candidaque Latinitate, eximia facilitate atque perspicuitate, aptissimisque ac simplicissimis transitionibus excellit, omnique et affectuum et rerum personarumque varietati sese accommodat

atque respondet. In qua etiam singularis quaedam apparet Ovidii facultas ad copiam sermonis Latini augendam inventis novis iisque aptissimis vocibus et locutionibus; quo unice Latinitatem iuvisse Nasonem recte monuit inter nostros homines acutissimus Latinitatis iudex Fr. A. Wolfius. Accedit denique dulcedo et insignis, in qua Ovidius unicus fuit, facilitas versuum mobilitasque metrorum. Nihil horridi et coacti, nusquam ars aut studium conspicitur; omnia sua quasi sponte ad hunc rhythmum atque concentum versuum se composuisse et aptasse videntur; et tamen nemo facile poetarum Latinorum invenitur, qui severioribus versus, certe pentametrum, legibus atque numeris adstrinxerit. Sicubi autem in quantitate syllabarum a communi usu deflectit, petulantiae magis nescio cui atque licentiae, quae huic poetae in omnibus prope rebus propria est, quam defectui atque inopiae tribuendum videtur.

Verum habent eaedem conspicua quoque vitia. Vituperandus poeta primum in eo est, quod *Heroidas* nonnullas paullo cupidiores descripsit voluptatis Venereae. Non uno in loco vacuos et viduos lectos et frigidas amplexibusque carentes noctes queruntur. Est etiam, quae obscoeniora, et licet non ex nostri more pudoris, sed e veterum in eo genere licentia iudicentur, Heroide indigna eloquatur. Quanquam in eo tamen laudandus (si in vitiis laus est), quod neque cupide talia captat et cum voluptate quadam persequitur, sed quasi sponte oblata leviter et cum garrulitate quadam attingit raroque locutiones et voces usurpat, quae ab elegantiae ac decoris sensu penitus abhorreant. Neque vero in reliquis, etsi plurima eum ex ingenio atque conditione scribentium

ingeniose invenisse fabulaeque tenorem et habitum vetustatis plerumque servasse supra dixerim, eadem ubique usus est felicitate in *Heroidum* et *Heroum* illiusque aevi ingenio accurate describendo, nec semel ei accidit, ut non solum in rebus, quas antiquitates appellant, sed, quod gravius est, in moribus *Heroidum* et luxuriosiorem ac delicatiorem sui temporis vitam Romanorum expresserit et ab vitae morumque gravitate simplicitateque aetatis heroicae, qualem ab Homero aliisque Graecis scriptoribus informatam videmus, declinarit. Atque in eo quoque reprehendendus, quod unam et alteram Epistolam paullo longius extraxerit. Id quod non ita disputo, quasi his carminibus certum quendam numerum versuum, ultra quem ne excedant, praefiniendum putem; verum, si supra modum extenduntur, saepe fit, ut deficiente graviorum copia rerum res minoris ponderis arripiantur, oratioque ab affectuum gravitate in declamationum inanitatem decrescat. Quin ipsa quoque longitudo animi attentionem legentium vel audientium fatigat, atque ita vim affectumque debilitat. Et hac ex parte inprimis mihi aliquid traxisse vitii videtur Epistola XVII. et XXI. Reperiuntur praeterea in his Epistolis, quamvis eae in elaboratissimis Ovidii carminibus habendae sint, nonnunquam ea pleraque, quae vulgo in hoc poeta vituperantur, nimia quaedam verbositas atque luxuria, quaeque id genus alia sunt ingenii (quale Nasonis fuisse constat) lascivientis et quod in componendo magis cum ardore atque impetu fertur, quam iudicii quasi habenis leniter temperatur, vitia, nimia cogitationum et sententiarum extenuatio et per omnes partes diducta rerum delineatio, earundem notio-

num aliis verbis iterationes, inanes et nulla rei gravitate adductae verborum repetitiones. Accedunt quaesitae allusiones, lusus verborum, aucupium contrapositorum et quadrandae orationis industria. Nec denique facetiarum atque acuminum usum ita laudem, ut non saepius in nimium argutiarum studium, quod vituperandum est, eum delapsum esse existimem. De quibus omnibus in annotationibus suo loco monebitur. Verum illi naevi, si universe et ex maiore parte iudicandum est, tot tamque variis omnis generis laudibus atque praestantiis facile obscurantur atque obruuntur; et, ut intelligens quidam elegantiarum Latinarum existimator recte iudicavit, *Ovidius est in ipsis quoque vitiis ingeniosus.* Vid. Quint. I. O. X., M. A. Senec. Excerpt. Controv. II, 2. et Controv. IV, 28., Manso l. l., La Harpe Cours de Littérature, Gierig in Prooemio Metam., Becher l. l., Ernesti de Elocutionis poetarum veterum luxurie, E. G. Müller l. l. T. IV. p. 53. sqq., Eschenburg *Entwurf einer Theorie* etc. p. 244. sqq.

Sed quoniam id agimus, ut de virtutibus ac vitiis horum carminum dicamus, non alienum mihi videtur esse, si de imitationibus aliorum poetarum, quae in iis admodum frequentes sunt, verbo exponamus. Nam si has Epistolas diligentius pervolvimus, multos versus, affectus, locutiones et voces reperimus ex aliis poetis expressas aut certe adumbratas, velut in Epistola I. et III. ex Homero, in Epist. IV. ex Euripidis Phaedra, in Epistola XII. ex eiusdem Medea, in Epistola VII. e Virgilio, in Epistola XX. ex Callimacho; atque inde coniectura est, quam multa Epistola XV. ex ipsis, quae et ipsa magna ex parte in eodem argumento versarentur et dulce quereren-

tur, Sapphus carminibus, Epistola VIII. e deperdita Sophoclis Tragoedia *Hermione*, XI. ex Euripidis Fabula *Aeolo*, XIII. ex eiusdem Euripidis *Protesilao*, et aliae ex aliis aliorum poetarum scriptis ducta contineant. Iam Nasonem non e ieiuna ac frigida natione eorum imitatorum esse, qui, quum propriorum defectu laborent, servili quasi modo verba ac sententias aliorum ac flosculos aucupentur, et alienis copiis suam sterilitatem occultare conentur, non est, quod multis dicatur, in tanta huius poetae ubertate et in hac imitandi arte ac facilitate. Occurrit autem primum singularis poetae doctrina et eximia illa vis memoriae, quam tantam in eo fuisse constat, ut ea totam ferme antiquitatem omnesque poetas et Graecos et Latinos comprehenderet. Quum autem cum levitate quadam scriberet, et parvam in recognoscendis et corrigendis scriptis suis operam collocaret, certe animus saepe ad emendandum deesset (M. A. Senec. Excerpt. Controv. II, 2.); in promptu est conclusio, permulta ex aliis poematis inter scribendum ei succurrisse et, quin id ipse in componendi ardore animadverterit, in carmina manasse; cum praesertim admodum probabile sit, eum, antequam carmen aliquod institueret, aut inter elaborandum, omnes illos, qui idem aut simile argumentum tractassent, studiose legisse. Verum ego si quid video et poetae rationem intelligo, permulta quoque sunt, quae poeta ex aliis magnae alicuius celebritatis poetis de industria atque consulto expresserit, non quidem fraudis caussa et propter propriorum defectum, sed ut ingenii iudicium doctrinamque probaret, si orationem suam locis ac luminibus aut e poetis Graecis, qui tum tanto apud Ro-

manos in honore erant, cupideque legebantur, aut e clariore aliquo poeta Latino, velut Virgilio, repetitis quasi distinguere atque colorare videretur. Atque eam opinionem meam insigniter confirmare videtur hic locus M. A. Senecae (Suasor. III.): *Hoc autem* (sc. apertas aliorum imitationes, et allusiones) *dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse, itaque fecisse, quod in multis aliis versibus Virgilius fecerat, non surripiendi caussa, sed palam imitandi, hoc animo, ut vellet agnosci.*

CAPUT V.

De vera et germana horum carminum inscriptione dubitatur. Ovidius ea commemorans simpliciter *Epistolas* appellat, Art. Am. III, 346.

Vel tibi composita cantetur *Epistola* voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.

A Prisciano (X. c. 9. §. 54.) *Heroides* vocantur. Eodem nomine saepius laudantur a scholiasta Metamorphoseon. Sarisberiensis Polycrat. I, 12., „*Naso*, inquit, *in libro Heroidum*." Codex Helmstadiensis habet *Heroidum liber Ovidii.* In nonnullis codicibus et vetustis editionibus duplici titulo *Heroides sive Epistolae* inscribuntur, in aliis *Epistolae Heroidum* vel, ut vulgo editur, *Heroides.* Sunt, qui e loco l. Artis Amatoriae titulum censeant a Nasone his carminibus inditum esse *Epistolae.* Qui locus, ego admodum dubito, an multum valeat ad auctoritatem tot librorum et veterum scriptorum labefactandam atque evertendam. Nam quum poeta ibi non tam id ageret, ut titulos scriptorum suorum accurate referret, quam ut satis perspicue ea significaret, quumque praeterea et versus et metrorum

lege teneretur elegantiamque spectaret, facile fieri potuit, ut poetico poeta modo pro speciali ac proprio nomine generalius, *Epistola*, usurparit; quum praesertim illius versus sententiam latius exponens adiungeret:

Ignotum hoc aliis ille novavit opus —,

nec omnino ulla, quae potissimum *Epistolae* significarentur, obscuritas aut ambiguitas adesset, *Epistolis ex Ponto*, quum *Artem* componeret, nondum scribi coeptis. Mihi quidem ex illo loco Ovidii de titulo horum carminum non magis pro certo statui posse videtur, quam si quis ex aliis poetae locis, in quibus *Ars Amatoria* aut simpliciter *Ars* aut *Ars Amoris* appellatur, illos libros concludat aut *Artem* aut *Artem Amoris* esse inscribendos. Inscriptiones multorum librorum: *Heroides sive Epistolae*, vel *Epistolae sive Heroides*, certe serioris sunt aetatis, ut huiusmodi duplices inscriptiones apud Platonem (vid. F. A. Wolf ad Platonis Conviv. in Prooem. et meam adnotat. ad Platonis Menex. p. 56.) non ab ipso scriptore esse constat. Vera igitur inscriptio videtur esse vel *Heroides* vel *Epistolae Heroidum*. Meo arbitrio inscriberentur *Epistolae Heroidum* et propter inscriptionem, quae nunc vulgo singulis Epistolis praefigitur, *Epistola I., II., III.*, etc., quae recentioris temporis est, nec in ullis codicibus neque in veteribus editionibus reperitur, atque illud *Hanc tua Penelope* Epist. I, 1., et vero etiam propter illum locum Artis Amatoriae. Neque ei titulo repugnare videtur, quod magni in hac quaestione est momenti, testimonium Prisciani illud: *Ovidius in Heroidibus*. Nam quum, *in Epistolis*, simpliciter, anceps esset, propter alias poetae Epistolas, e Ponto

illas, et brevitatis caussa toto titulo *in Epistolis Heroidum* scribere nollet, brevius et distincte dixit *in Heroidibus*. Et favent denique ei inscriptioni etiam et simplicitas et Latinitas. Nec denique illud obstat, quod tres insunt Epistolae (XVI., XVIII., XX.) a viris scriptae, quum eae cum totidem a puellis scriptis arctissime coniunctae sint atque cohaereant. Quae difficultas etiam sic facillime expeditur, ut ex maiore scribentium parte haec carmina titulum habere sumamus; quam rationem cum alii secuti sunt veteres scriptores, tum ipse Ovidius in Tristibus et Amoribus, in quibus et ipsis nonnulla carmina reperiuntur, quae nihil habeant cum Venere et re amatoria aut afflicta exsilii conditione commune.

CAPUT VI.

Quo vero tempore et anno hic liber a poeta editus sit, nulla in ipsis quidem carminibus esse indicia possunt, ut quae omnia ac tota in heroici aevi temporibus ac vetustate versentur; neque alibi poeta ea de re disertis quidem verbis quidquam prodidit. Sed tamen ex Amoribus et Arte Amatoria, in quibus haec carmina commemorari supra vidimus, aliquo modo investigari atque inveniri potest. Si enim, illi libri quo editi tempore sint, cognitum habeamus, ex eo de hoc, de quo quaerimus, tempore, sin minus certum quid atque exploratum, tamen aliquid verisimile poterimus attingere.

Artem autem Amatoriam iam ante a. U. C. 753. publicatam esse, ex ipso carmine docuerunt I. Masson in Vita Ovidii p. 78. ed. Fischer, et I. Chr. Iahn in libello De P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis Disputatio P. I. Nam primum eam in Re-

med. Am. v. 12. *praeteritum opus* poeta ipse appellat, quae vulgata esse a. U. C. 753. probabiliter ostenderunt Masson Vit. Ov. p. 78. et Iani templ. reser. p. 347., Norisius de Cenotaph. Pisan. p. 248. et Iahn l. l. p. 4.; deinde poeta in ea mentionem facit naumachiae ut *modo celebratae*, quam anno 752. ab Augusto datam esse docuit Masson Vit. Ov. p. 67. sqq., Iani templ. 323. sqq. et Iahn l. l. p. 5.; denique in eadem Arte mentionem facit Caii Caesaris expeditionem Parthicam *iam parantis* (I, 177. sqq.), quod factum constat a. U. C. 752. Vid. Masson Vit. Ov. p. 72. sqq. et Iani templ. c. V. et VI. Quum autem non commemoraverit ea, quae a. 753. a Caio in ea expeditione ad Istrum et in Arabia gesta sunt, recte Iahnus inde eam sub finem a. 752. publicatam esse collegit. Ex Arte igitur discimus, *Epistolas* iam ante annum U. C. 752. et poetae annum 41. fuisse vulgatas. Quo vero anno libri Amorum editi sint, dubitatur. Certum est, eos iam ante Artem Amatoriam lucem vidisse; id quod poeta ipse testatur Art. A. III, 343. 344.

Deve tribus libris, titulus quos signat *Amorum*,
Elige, quod docili molliter ore legas.

(Iahn l. l. p. 13.) At non ante a. 739. prodiise, declarat libri I. elegia 14., in qua Sygambros victos commemorat. Cum illis autem anno 738. bellum gestum et sub fine anni pace finitum est. Vid. Masson Vit. Ov. p. 62., interpp. ad Hor. Od. IV, 1. et 2. et Iahn p. 7. Tertium indicium ex coniectura attulit Iahn. Videlicet quum poeta duobus in locis Artis Amatoriae (I, 69. sqq. et III, 391. sqq.) Liviae et Octaviae porticus et Marcelli theatrum commemoret, neque haec monumenta tanquam recentia,

sed nota et diu (?) exstructa describat, e quibus Marcelli theatrum a. 743. dedicatum esse Plinius H. N. VIII, 17. tradiderit (vid. Masson Vit. Ov. p. 65. sqq.), verisimile esse censet vir eruditus, Artem Amatoriam ante annum 744. non esse coeptam conscribi, itaque sequi, Amorum libros, ubi Artem commemorari vidimus, non ante eum annum fuisse publicatos. In quo etsi singularis quaedam huius viri diligentia appareat, tamen ita occurri potest, ut illos locos censeas, quemadmodum in aliis carminibus multa alia, serius a poeta esse insertos. Quanquam non prorsus contemnenda videtur ista opinio, quia etiam illud accedit, quod parum probabile videatur, opus, quod a. U. C. 753. demum in publicum prodierit, tam mature esse a poeta institutum. Ultra hoc igitur tempus, scilicet ultra a. 744., quod editionem Amorum remittat, nihil omnino reperitur. Iam si perpendo, opus illud argumento ac materia plerumque iuvenile esse, et tot tantaque opera, Artem Amatoriam, Remedia Amoris, Metamorphoseon libros, Fastos virilem poetae aetatem occupasse et praeter Fastos iam ante poetae relegationem, quam non post aetatis suae annum LII. factam esse constat (vid. Masson l. l. p. 85. et sqq., conf. Trist. IV, 10, 96.), editos esse; si et illud respicio, hunc poetam, qui iam puer versus funderet, circa vicesimum autem aetatis annum carminibus suis, quibus Corinnam celebraverat, magna iam ingenii et poeticae facultatis fama floreret, adeoque cupidus laudis esset, ante Amores praeter Medeam fabulam nihil aliud maioris operis edidisse, haec omnia si perpendo, mihi quidem admodum probabile videtur, mature eum Amorum libros absolvisse, nec temere me facere existimo,

si eos iam ante XXXV. poetae annum statuo esse vulgatos. Ante horum autem editionem Epistolas Heroidum certe aliquod iam tempus editas fuisse, non obscure docet locus ille, quem iam saepe laudavimus, Amorum, in quo Sabinum iam tum ad suas Epistolas virorum nomine rescripsisse, diserte testatur:

Quam cito *de toto rediit* meus *orbe Sabinus,*
Scriptaque diversis retulit ille *locis.*
Candida Penelope signum cognovit Ulixis; etc.

Nam quod Jahn poetam, cum elegiam illam ad Macrum componeret, in Epistolis scribendis cum maxime versatum esse, idque et verborum nexum et vocem illam *scribimus* satis docere censet, ego probare nullo modo possum. Enimvero quod primo loco attulit, verbum *scribimus* in tempore praesenti, vide ne inde parum certa fiat, praesertim apud poetam et poetam tanta in hoc genere, quanta hic noster est, libertate, de hac quaestione conclusio; certe refragatur, quod iam tum, ut modo diximus, Sabini carmina, quibus ille ad Ovidii Epistolas responderat, et quidem omnia, absoluta et edita exstabant; id quod tam ex ipsa ratione, qua ea commemorata sunt (vid. infra Disp. de Sabino et eius Epist.), quam, ut modo innuimus, ex illis poetae verbis *de toto orbe rediit* et *scripta diversis locis retulit* liquido apparet. Neque porro in nexu illius loci quidquam reperio, quo illa opinio confirmetur; nisi forte quis parum accurate a poeta dictum censeat, si ex his duabus sententiae partibus *aut artes — profitemur Amoris* et *aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi, scribimus* tam arcte coniun-

ctis prior illa *aut profitemur* de poematis, quibus scribendis poeta tum occupatus esset, et posterior *aut — scribimus* de editis iam atque vulgatis intelligenda esset. In qua oratione atque interpretatione ego nihil reperio, in quo haerere iure possimus.

SIGLA NOMINUM

CODICUM MANU EXARATORUM IN HOC LIBRO OBVIA.

Ald. Codex Aldi.
Ambr. Codex Ambrosianus.
Apros. vel *Intimel.* Codex Angeli Aprosii Intimelii.
Arg. vel *Argent.* Argentinensis.
Arond. Arondelianus.
Ball. Balliolensis.
Barb. Codex Barberini.
Bas. Basiliensis.
Bern. Bernensis.
Douzae. Codex Iani Douzae.
Dresd. Dresdensis.
Dun. Dunelmiensis.
Erf. Erfurtensis.
Eton. Etonensis.
Farn. Farnesianus.
Fragm. Paul. Fragmentum codicis bibliothecae Paulinae.
Francof. Francofurtensis.
Giess. Giessensis, qui est Mentel. alter Heinsii.
Goth. 1., 2. Gothanus primus, secundus.
Gott. vel *Gottorp.* Gottorpiensis.
Gronov. Gronovianus.
Gud. 1., 2. Gudianus primus, secundus.
Guelf. 1., 2., 3., 4. Guelferbytanus primus, secundus, tertius, quartus.
Hafn. Hafniensis.
Harl. Harleianus.
Helmst. Helmstadiensis.
Iun. Iunianus.
Iur. Codex Iureti.
Lang. Langermanni.

Leid. Leidensis.
Leodd. Leodienses.
Linc. vel *Lincoln.* Lincolniensis.
Lov. Lovaniensis.
Maff. Codex Maffei.
Maz. vel *Mazar.* Mazarinianus.
Medic. Mediceus.
Ment. Mentelianus.
Mer. Codex Merani.
Monac. Monacensis.
Mor. Codex Moreti.
Naug. Codex Andreae Naugerii.
Oxon. Oxoniensis.
Pal. vel *Palat.* Codex bibliothecae Palatinae.
Patav. Patavinus.
Patric. Codex Patricii.
Petav. Codex Petavii.
Put. Codex Puteani, qui apud Gallos *Du Puy* vocatur.
Reg. Regius Parisiensis.
Rel. Codex Relandi.
Sarr. Codex Sarravii.
Scal. Codex Scaligeri.
Scriv. Scriverianus. Idem sub nomine Guelferbytani quarti laudatur.
Seidl. Seidlerianus.
Stroz. Codex Caroli Strozzae.
Trev. Codex bibliothecae publicae Trevirensis.
Vat. vel *Vatic.* Vaticanus.
Vict. vel *Victor.* Victorinus.
Voss. Vossianus.
Witt. Wittianus.
Zwicc. Zwiccaviensis.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES.

INDEX EPISTOLARUM.

P. OVIDII NASONIS
HEROIDES.

Ignotum hoc aliis ille novavit opus.
(*Art. Am. III*, 346.)

EPISTOLA I.
PENELOPE ULIXI.

Orto ob raptam a Paride Helenam bello Troiano Ulixes persuadentibus maxime Menelao et Agamemnone ad bellum profectus est, ibique et virtute et consilio excelluit. Sed Troia decimo tandem belli anno eversa per decem annos variis erroribus atque periculis iactatus et a reditu in patriam et ad suos retentus est. Penelope igitur, quum omni data opera, ubi aut cur moraretur, explorare non potuisset, fere sub ipsum reditus tempus hanc ei scribit Epistolam.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe:
Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.

1. *Hanc.* Semel modo Ovidium hoc pronomine, subaudita *epistola*, usum, Ciceronem quoque semel usurpasse, observat Vavassor, De vi et usu quorundam verb. p. 86. *Burmannus.*

Lento. Hoc est non solum, qui tardas redire ad me, sed, qui non commoveris desiderio mei, uxoris tuae, ut ad me redeas; quomodo saepe convicium amatorium est. Infra v. 66.

Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?

Vid. ad Epist. XV, 169. et XIX, 81.

Ulixe. Omnes libri scripti, quibus usus sum habent *Ulixe*, quemadmodum e Romana consuetudine scribi debere ait Plutarch. (in Marcell.). *Ciofanus.* Etiam Heinsii codices fere omnes eam scripturam tuentur. Atque omnino usitatior forma fuisse videtur *Ulixes*, non *Ulysses*. Vid. Burm. Sec. ad Anthol. Latinam I. p. 108., Heyn. ad Virg. Aen. II, 436., Gernhard ad Cic. Off. I, 31, 113, et qui hos laudat Iahn ad Metam. XIII, 6., et Heyn. et Heins. ad Virg. Ecl. VIII, 70.

2. *Attamen ipse veni.* Cod. Lang.: *sed tamen*, Guelferb. 1.: *at tamen*, reliqui codd. et veteres editiones omnes cum Mario Victor. Art. Gramm. III. p. 2559. ubi hic versus bis laudatur: *attamen.* Atque ante Heinsium vulgo sic distinguebatur:

Nil mihi rescribas: attamen ipse veni.

Heinsius, quum significationem

Troia iacet certe, Danais invisa puellis.
  Vix Priamus tanti totaque Troia fuit.
O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,
  Obrutus insanis esset adulter aquis:
Non ego deserto iacuissem frigida lecto,
  Nec quererer tardos ire relicta dies;

particulae *attamen* ita constituta sententia non satis perspiceret, post *attamen*, ut est in uno codice Florent., interpunxit, ut *attamen* coniungeretur cum praecedentibus. Gronovio Obss. I. c. 22. mutandum videbatur:

Nil mihi rescribas ut tamen; ipse veni.

eamque scripturam recentiores editores fere omnes sequuti sunt, Burm., A Lennep, Amar, Mitscherl.,al.: cuius sententiam, quae tamen apud poetam non urgenda erat, improbans Heusinger coniecit: *ah tamen.* Audacior et peior coniectura est auctoris Elector. Eton.: *sic tamen.* Ian. Brink. cum Bentleio scribendum censebat: *tu tamen.* In quo mirum videtur, hos viros non considerasse, eas coniecturas omnes aeque insolenter in fine sententiae locum tenere, ac particulam *attamen,* atque eam ob caussam vulgatam vel potius Heinsianam scripturam non maluisse retinere; neque reputasse eos, fieri vix potuisse, ut Ovidius in ipso secundo versu novi et, quod quidem tanto volumine esset, primi carminis tam vehementer vulgari modo loquendi repugnarit. Omnino restituendum est *attamen,* idque coniungendum cum *ipse veni;* atque illud, si modo ita accipias, ut, quemadmodum apud nos particula concedentis *doch* saepe usurpatur, dictum sit fere pro *sed potius,* aptissimum praebet sensum: *Schreibe mir nichts zurück; doch selber komme.* Idem particulae *tamen* usus, atque eadem prope sententiae ratio est infra Epist. VII, 193.

Nec, consumta rogis, *inscribar* Elissa Sichaei;
Hoc *tamen* in tumuli marmore carmen *erit.*

Attamen significatione ab simplici *tamen* haud multum, at multum ab *at tamen* et simplici *at* differre, dicere non attinet. De sententiae forma et illa a coniunct. ad imperat. transitione conf. Epist. VIII, 24. Douz. cod.: *non.* Conf. Ep. Sab. I, 11.

3. *Troia iacet certe.* Hubertinus (et sic est in cod. Francof.) distinguendum putabat:

Troia iacet, certe Danais invisa puellis.

ut sit, non *certe iacet,* sed *certe invisa: Non enim,* inquit, *necesse est affirmare Ulyssi, quod Troia iacet, qui hoc ipse optime sciebat. — Fuerat enim ex magna parte auctor illius ruinae.* Quod postremum arripiens Burmann. pro *certe* legendum coniecit *per te.* Ego vulgarem ut lectionem ita distinctionem servandam puto. Sensus est: Hoc certe mihi non obiicies, Troiam adhuc stare, Troiam etiam nunc in caussa esse, cur reverti ad me non possis: *Troia certe* (saltem) *iacet.* (Vid. Epist. XIX,

Nec mihi, quaerenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros;
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

116. ibique annot.) Nec aliter Sabinus cepit v. 13.

Non me Troia tenet Graiis odiosa puellis.

ubi *Graiis odiosa puellis,* ut hic *Danais invisa puellis* dicitur ob diuturnam maritorum absentiam; a quibus subauditis pendet huius Ep. v. 4. *Vix Priamus tanti etc.*: ut videlicet tu ceterique Graeci tam diu ab uxoribus abessetis (et tot puellae ob absentes aut ademptos maritos flerent). *A Lennep.* Antitheton v. *iacere* ad h. l. Ciofanus monet esse *manere*, ut Metam. VIII, 114.

In patriam? superata iacet. Sed finge manere.

Sed vere ac proprie ei opponitur *stare.* Vid. Ep. IX, 130., Virg. A. II, 56.

Troiaque nunc *stares*, Priamique arx alta *maneret.*

Vid. ad Epist. X, 40.

6. *Insanis.* Vid. ad Epist. XVIII, 28.

7. *Frigida.* Amor. III, 5, 42.

Frigidus in viduo destituere toro.

Art. A. III, 70.

Frigida deserta nocte iacebis anus.

Sic Hor. Od. III, 7. *Frigidas noctes*, h. e. Venere carentes. Ceterum *frigidas noctes* et *frigidos toros* heroides Ovidianae passim in ore gerunt, utpote voluptatis Venereae, ut ipse poeta, plerumque paullo cupidiores.

9. *Spatiosam fallere noctem.* Codd. Oxoniensis et Lincolnensis *spatiosas noctes*, quod Burmanno praeferendum videtur, quia praecesserint *tardi dies*, et de longa absentia Penelope queratur. Sed prior caussa eodem jure inverti potest, ut, quia *tardi dies* praecesserint, poetam varietatis caussa h. l. usum singulari confirmes. (Epist. XII, 169.

Non mihi grata dies; noctes vigilantur amarae.)

Adde, quod obiicit A Lennep, minus gratum esse auribus *spatiosas, viduas;* quanquam hoc parvi videtur momenti, et in descriptione (sc. occupationis), qualis hoc l. est, definite poetas loqui solere; et si totam rem accuratius considero, nescio an, propter librorum nimirum consensum, unice quaeri debeat, an sing. *spatiosam noctem* hic locum habere possit; quod profecto nemo infitiabitur. Ut hic *fallere* sic Epist. XIX, 55. *decipere noctem* et sic saepe, i. e. *effugere, absumere, transigere* quin sentiamus. Vid. Cort. ad Plin. Epist. V, 6., Val. Flacc. II, 139., Bentlei. ad Hor. Od. II, 13, 38.

Et longo mulcens insomnia penso.

10. *Pendula.* Veteres in texendo stamina ad perpendiculum extendere solebant; hinc *pendula* tela; alibi *stans*, ut Metam.

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus nostri causa timoris erat;
Sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam,
Tlepolemi leto cura novata mea est.
Denique quisquis erat castris iugulatus Achivis,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto deus aequus amori:
Versa est in cineres sospite Troia viro.

IV, 275. Ceterum hic, ut plerumque in tota hac Epist., poeta vestigia premit Homeri, apud quem Penelope lanificio et texendo occupatur. Od. I, 357., II, 85. sqq., XXI, 350. et sic passim.

15. *Antilochum.* Vid. infra ad v. 63.

16. *Timoris.* Voss. et Lang.: *doloris.*

17. *Menoetiaden.* Patroclum, Menoetii filium, qui ab Hectore occisus est (Hom. Iliad. XVI, 787. sqq., Hyg. F. 106.). *Sub armis,* non *suis,* sed *falsis,* alienis, sc. Achillis, a quo arma impetrarat, ut personae eius similitudine ac specie hostes terreret et a castris ac navibus Graecorum propelleret. Iliad. XVI, 40. sqq.; inde versu sequenti *dolos.*

18. *Posse carere dolos.* Alludit Penelope ad Ulixis dolos et astutiam. *Kuinoel.* Recte. Sed *carere posse,* quamvis eam circumlocutionem Ovidius adamet, de quo infra dicetur, hoc loco non est *caruisse,* ut idem Kuin. censebat; sed proprie dictum, et sententia generalis est: flebam, quod doli successu carere possent.

19. *Tlepolemus.* De Tlepolemo, Herculis et Astyoches filio, duce Rhodiorum ab Sarpedone, Lyciae rege, interfecto vid. Hom. Iliad. II, 653. sqq. et V, 628.; conf. Meziriac in lib.: Comment. sur les Epîtres d'Ovide. A la Haye 1716. T. I. p. 43. sqq. Mutatam autem hic constructionem et *tepefecerat* dictum esse pro: *siquis Tlepolemum narrabat etc.,* nemo non videt. Conf. Epist. VI, 37. Atque illud quoque notandum, liberiore poetam in enarrandis his Graecorum cladibus usum esse ordine; nam Sarpedo, qui Tlepolemum interfecit, iam longe ante Patroclum et ab ipso Patroclo interfectus erat. H. Iliad. XVI, 480. sqq.

20. Sarrav.: *poena nov.*

22. *Pectus.* Vid. infra ad Epist. XII, 142.

24. *In cineres. In cinerem* et ego praetuli cum VII codicum auctoritate motus, tum et hoc loco magis poeticum numerum sing. arbitratus, quam pluralem. Neque tamen ubique distinctionem valere Burmanni putem, monentis ad h. l. *in cinerem* versa urbs si dicatur, ita universam deletam intelligi, ut omnia sint unus *cinis,* cum, *in*

Argolici rediere duces; altaria fumant;
Ponitur ad patrios barbara praeda deos;
Grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis:
Illi victa suis Troica fata canunt.

cineres si dicatur, hic et illic praecipua membra urbis exusta et in cineres versa intelligenda sint. Quid enim facias loco Virg. Aen. X, 59.

Non satius cineres patriae insedisse supremos
Atque solum, quo Troia fuit —.

ubi nihil variant codices (?). (Adde Hor. IV, 13, 28.

Dilapsam in cineres pharetram.)

Conf. Burm. Secund. ad Lotich. T. I. p. 29. 30. *Lennep.* Ego neque cum Heinsio statuerim, numerum sing. universe magis poeticum esse, quam pluralem, quum de natura ac vi vocis poetica non sic generatim statui posse existimem, qua in re plurimum valere et maxime spectandum videtur, uter numerus in soluta oratione vulgo usurpetur: neque Burmanno assentior, qui in *in cinerem* plus inesse putat, quam in *in cineres;* neque satis perspicio, cur, quod Lennep affirmat, hoc potissimum loco *in cinerem* magis poeticum videatur, nec vero satis tutum est in re critica a talibus caussis duci; neque denique, in quo olim haerebam, amplius haereo in *cacophato* ES SOS, quod levissimum in hac lectione inesse puto, nec poetam nostrum, eius ratione loquendi melius perspecta, id genus ubique religiose vitasse scio. Quare cum omnibus prope scriptis et veteribus editionibus restituendum putavi *in cineres.* Quod autem Hand in Ephem. liter. Ien. l. l. de illo loco monet, posse quidem dici *in cineres,* neque tamen verti *in cineres,* satis refellit Iahn. ad Met. V, 334. afferens ex Amor. III, 5, 12. in *aquas vertere.* Pro singulari afferri tamen potest praeter VII illorum codicum auctoritatem, quae tamen qualis et quanta sit, non satis constat, quod sic saepe verba sequentium verborum literas mutuare soleant, et quod Sabinus in Epist. I, 14. ad hunc locum respondeat:

Iam cinis, et tantum flebile Troia solum.

et Metam. II, 216.

Cumque suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt.

25. *Argolici.* Ab Argolide, Peloponnesi regione, hoc autem loco *Argolici* dicti sunt pro *Graecis,* ut patet sequentibus.

Altaria fumant. Ture et victimis.

26. *Praeda.* Arma et similia; vid. omnino Metam. VII, 189. et VIII, 265. et ibi Gierig.; vid. etiam Thomasin. de Donar. c. 21. 22. Triplicem igitur honorem habitum diis dicit; nam *dona* versus sequentis videntur esse et eadem ἀναθήματα (*munera vota* Amor. II, 13.), quae titulo aliquo insignita in templis suspendebantur; vid. Thomasin. l. l.

27. *Nymphae.* Aliquoties apud nostrum dicuntur heroici temporis puellae, eaeque nobi-

Mirantur justique senes trepidaeque puellae;
Narrantis coniux pendet ab ore viri.

liores, cum nuptae, tum innuptae. Sic Ep. IX, 50., ibid. 103., Epist. XVI, 126. Igitur et hoc loco intelligantur virorum Graeciae principum ac nobiliorum uxores, cum quarum felici sorte suam viduitatem apte comparat Penelope. Vid. infr. v. 47. *Nympham* pro nupta, sponsa, Graecorum more dixit Tibull. III, 1, 21., ubi vid. Heyn. *A* LENN. Et positum igitur est ex imitatione Homeri (vid. ex. c. Iliad. III, 130.), ut colorem Homericum et antiquitatem carmen habere videretur.

28. *Troica.* Argent., Francof. et unus Medic. habent: *Troïa;* reliqui omnes cum veteribus editt.: *Troica.* Heinsius magis poeticum τὸ ἐθνικὸν, quam τὸ κτητικόν putans, cum tribus illis primus scripsit: *Troïa*; eodem modo Epist. VII, 184. ubi omnes codices: *Troicus ensis,* Epist. XVI, 329. ubi pauci tantum codices: *Troïa classis,* Epist. XVII, 109. ubi IV codd. habent *Troïa coniux,* reliqui omnes *Troica,* ibid. v. 160. ubi sine omni varietate: *Troicus hospes,* ex Pont. II, 10. ubi codd.: *Troica bella:* in his igitur locis omnibus et aliis Heinsius primus induxit formam *Troïus,* quem secuti sunt Burmannus aliique recentiores Ovidii editores. Ego vero existimo, quod etiam, cum eam formam Vell. Paterc. vindicaret, existimabat Ruhnken., in ea re unice sequendum esse codices, et hoc l. et in omnibus illis allatis restituendam formam *Troicus;* praesertim cum ea, sin minus apud Virgilium, tamen apud optimos scriptores reperiatur, apud Cic. de claris orat. c. 10. *Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus;* Vell. Pat. I, c. 5. ubi vid. Ruhnk.; apud ipsos adeo tersissimos poetas, Catull. Epithal. Pel. et Thes. v. 346.

Troicaque obsidens longinquo moenia bello.

aliosque; quumque multis in aliis apud Ovidium locis ea adiectivorum forma, et ipsum adi. *Troicus* etiam nunc obtineat, neque hic poeta severe unam solum formam, ubi plures adsunt, sequatur. Conf. Epist. VI, 81. Vid. Bentlei. ad Hor. Od. III, 3, 32. Eodem modo Metam. III, 518. cum plurimis codd. restituendum est *Bacchica sacra,* ubi nunc post Heinsium vulgo legitur *Bacchia.* Vid. Gierig. ad hunc Met. locum et ad XII, 74.

Victa suis T. f. c. Sensus est, quem docte exposuit Burmannus: *Illi fata Troiana victa canunt* (exquisitum hoc pro referunt, narrant) *a Graecorum fatis.* LENN. I. C. Scaliger in *Hypercritico* p. 785. ad censuram haec verba exegit, et non *victa Troica fata,* sed vicisse fatum Troianorum contendit: *vicit enim,* ait, *Troianorum vota, quia in fatis erat, Troiam capi.* Sed non ita urgenda sunt verba poetae. Habent, ut singuli homines, ita nationes ex religione veterum sua quaeque fata. Utrius igitur duorum populorum inter sese bellantium fata in perniciem ipsius implentur,

Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero:
„Hac ibat Simois; hac est Sigeia tellus;
„Hic steterat Priami regia celsa senis.

eius fata poetae, cui omnia vitam et personae formam accipiunt, ab alterius fatis superantur, alterius fatis inferiores fuerunt, fatis positis pro ipsis populis. Neque illud est contra veterum de fatis sententiam. Sunt enim *fata, maiora* et *minora*; sunt *fata altera alteris contraria*; Virg. Aen. VII, 293.

— fatis contraria nostris
Fata Phrygum — —;

vinci possumus *fatis* alicuius; Val. Flacc. VII, 446.

Fatis sum victa tuis;

et ipsi *fata vincere*; Virg. Aen. XI, 16.

— vivendo vici mea fata.

Nonnulli interpretes, Ciofan., Burmann., Kuinoel. per *fata* Troiae hoc loco innui censent vitam Troïli, conservationem Palladii, equos Rhesi, etc. (vid. Serv. ad Virg. A. II, 13.) quibus Troiae salus pendebat; per *fata* autem Graeca hic significari sagittas Herculis et reliqua (quae vid. apud Serv. ad Virg. A. I, 14., III. 402., Ovid. Metam. XIII, 336.); de qua re ego quidem existimo hoc loco non esse cogitandum. Nonnulli codd. Heins.: *facta*.

29. *Iustique senes.* Fere idem est, quod Virg. Georg. II, 473. *sancti patres* venerandi; nam frigida mihi videtur Amari interpretatio: iusti rerum aestimatores. Eleganter autem dictum: *trepidaeque puellae.*

30. *Pendet ab ore.* Idem Virg. Aen. IV, 79. de Did.

Iliacos iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

Vid. Lucret. I, 36.

31. *Atque aliquis etc.* Tibull. I, 10, 31.

Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles et in mensa pingere castra mero.

Vid. ad Ep. XVII, 87. Quidam Heinsii codd., etiam nonnullae editiones: *iamque.* Conf. Epist. II, 83.

33. *Hac ibat Simois; hac est.* Hic locus redit Art. A. II, 133. Plurimi (?) veteres, teste Heinsio: *hoc est;* vulgata: *hic est;* Eton. et VIII Heinsii: *haec est;* Lang., Monac., Mentel. et Victor., et VII ex nostris (sic enim XI illos, quorum variae lectiones in fine huius voluminis seorsum excusae sunt, brevitatis caussa appellabimus): *hac est.* Werfer (Act. Monac. T. I. Fasc. IV. p. 523.) legendum censet *haec est,* ut Art. Am. l. l., quod probabat etiam Heinsius. Sed adverbia hic, hac, ut inter media adverbia, multum praestare, non est dubium. Quum vero longe plurimi codices exhibeant *hac* (sic enim recte mihi videor coniicere, cum ex X nostris, nam in uno verba haec desunt, VII; item quos Werfer accuratius excussit, Monac. et Victorinus eandem tueantur), et exquisitius

„Illic Aeacides; illic tendebat Ulixes;
„Hic lacer admissos terruit Hector equos.“
Omnia namque tuo senior, te quaerere misso,
Retulerat nato Nestor, at ille mihi:
Retulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos,
Utque sit hic somno proditus, ille dolo.

atque insolentius dictum videatur, atque insignis inde sententiae oriatur, quam Ovidius ubique affectat, concinnitas: *hac, hac, hic — illic, illic, hic* — praeeunte Heusingero et Iahno, nec improbante Kuinoelio et Wideburgio, illud in textum, quem vocant, recipere non dubitavi. De partic. *hac* vid. Forcell. in v. Nec spernendum, quod animadvertit ad h. l. Heusinger (Heroid. Ovid. Emendat. Guelferb. ad Harles. p. 14.), *intelligendum hominem esse, qui lineam digito ducens situm ac tractum Sigei litoris designet;* unde efficitur, ut *hac est* fere sit pro *hac decurrit.*

Sigeia tellus. Sigeum promontorium et oppidum fuit Troadis cum portu (vid. Metam. XI, 197. ibique interpp.) Achillis, Patrocli et Antilochi sepulcris illustratum. Strabo XIII. p. 889. Conf. Pausan. IV, 2., Q. Smyrn. I, 814.

34. *Priami — senis.* Et hoc epitheton sumtum est ex Homero, et passim apud veteres scriptores Priamo tribuitur; v. c. Metam. XII, 607., Cic. p. Rosc. Am. c. 32. Vid. Merula ad Ennii Fragm. p. 116.

35. *Illic — illic. Illuc — illuc* codd. nonnulli; ignorabat scilicet librarius *tendere* hic pro *tentoria ponere* sumi; ille vero pro *ire, proficisci* cepit. BURM. Virg. A. II, 29. *Hic saevus tendebat Achilles.*

36. *Lacer admissos. Lacer,* quippe primum ab Achille gravissimo vulnere perfossus, ac deinde, postquam iam exspiraverat, etiam a vulgo Achivorum multis vulneribus misere foedatus atque dilaceratus. Iliad. XXII, 369—371.

— *ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες Ἀχαιῶν,*
— — — — —
— *οὐδ᾽ ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.*

Eleg. in mort. Drus. v. 319.

Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axem,
Terruit admissos sanguinolentus equos.

Admissi equi sunt concitati: Ep. II, 114., Art. A. II, 434., Amor. I, 8, 50., 9, 26., 15, 50. et sic passim. Vid. Casaub. ad Capit. Maximin. III. Scripturam autem *lacer admissos* pauci tantum libri servarunt, Hubert., Gu. duo, et duo tresve Heinsii, et a m. sec. Trev., atque ita Egnatius primus correxit; nam vulgo: *alacer missos;* pauci libri etiam *lacer amissos.*

37. *Te quaerere misso.* Graeca constructio, quam exemplis illustrarunt Heins. et Burm. ad Claud. Rutil., Burm. ad Metam. V, 660., Vechner Hellenol. p. 353. ed. Heus. De re vid. infra ad v. 63.

39. *Rhesumque Dolonaque.* Olim vulgatum fuit *Rhesum Do-*

Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
 Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros, adiutus ab uno.
 At bene cautus eras et memor ante mei.

lonaque, pro quo Egnat., memor ex Metam. XIII, 244.

Ausum eadem, quae nos, Phrygia de gente Dolonem.

et Hom. Iliad. X, 314. *Dolon* primam corripere, primus scripsit *Rhesumque;* atque eam scripturam, per se satis certam, in uno Vatic. reperit Ciofanus.

Rhesus, rex Thraciae, Troianis opem ferens, prima nocte ex longo itinere fatigatus, in ipsis tentoriis ab Ulixe et Diomede una cum toto exercitu est interfectus. Hom. Iliad. X, 433. sqq., Virg. A. I, 469., Metam. XIII, 98. 249. sqq. Conf. Carm. in Ibin. *Ciof. Dolona* Diomedes interfecit, cum explorator in castra Graecorum venisset. *Dolum* illum et totam rem narrat Hom. Iliad. X, a v. 314., Virg. A. XII, 347. Vid. Meziriac. l. l. p. 78. sqq. *Hic* versus sequentis igitur ad remotius vocab. referendum, de quo loquendi usu vid. Gronov. Obss. III. c. 16. p. 576. et Forc. in h. v.

40. *Ille dolo.* Auctori Elector. Eton. et Burmanno in Addendis ad Epist. Her. displicebat, propter eandem proximi pentametri clausulam. Non immerito tamen Burmannus propositam a Britanno emendationem: *ille vigil*, ut duriorem, improbavit. Sane sicut lenior, ita probabilior coniectura est Medenbach. Wakkeri (Amoenitat. Litter. c. XIII. p. 112.) pro *dolo* ex Iliad. X, 350. 364. sqq. reponentis *loco*. Sed forte (?) nihil mutandum. Solent enim talia imprudentibus excidere. Vid. Metam. VII, 218. 220., Epist. V, 82 et 84. (Epist. XVII, 108. 110., XIX, 8. 10.) Accedit, quod apta h. l. *doli* mentio, cum Ulixis maxime *dolo* captus Dolon narretur, Iliad. X, 344. sqq. *Lennep.* Recte sane Lennep. Sed in talibus eiusdem verbi repetitionibus, quas improbantes multi viri docti olim saepe mutarunt, et unde poetae nostro, quo tamen nemo in eo genere liberior fuit, ab interpretibus Belgicis tot illata sunt vulnera, minime esse haerendum, hodie prope una virorum doctorum est sententia. Vide, si dubites, quos permultos laudavit Iahn ad Metam. XV, 104., ad Virg. A. I, 315. et ad Hor. Od. I, 3, 28. Eleganter autem vox *prodere* somno tributa, ut somnus ipse hic egisse videatur. Epist. X, 5. Conf. Virg. A. I, 470.

42. *Tangere castra. Tangere* est pervenire in castra, adire; ut Met. IV, 778. *Gorgoneas tetigisse domos;* ita *tangere portus* Virg. A. IV, 612. et *attingere*, de quo vid. nos ad Petron. c. 88. *Burm.* Senec. Herc. Fur. 423.

Inferna tetigit, posset ut supera assequi.

Vid. Trist. III, 2, 18. et Hor. Od. I, 3, 24. Male Heinsiani quatuor: *frangere;* vid. v. 40.

Thracia. Vid. ad v. 39.

44. *At bene — mei.* Iahn in

Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios et, murus quod fuit ante, solum;

fine huius versus pro puncto vulgatae interrogandi signum posuit. Sed sensus, si affirmativum accipias, multo simplicior est locique rationi accommodatior: *tu nimis audax ac temerarius meique immemor fuisti* (v. 41. 42. 43.); *at prius, ante, cautus eras et memor mei;* apteque veterem illum Ulixem, et qualis nunc sit, diversum esse, pro certo affirmat. Immo interrogationem illam h. l. vix ferendam putem. Certe iusta mutandi caussa nulla apparet. Conf. omnino Amor. I, 6, 43.

45. *Micuere sinus.* Male libri plurimi: *tremuere,* aut *timuere,* aut *tumuere,* aut *metuere,* aut *riguere.* Epist. V, 37., Art. A. III, 722.

> Pulsantur trepidi corde micante sinus.

Fast. III, 36., VI, 338., Tibull. I, 10, 12. (ubi vid. Broukhus.); Plaut. Aul. IV, 3.

> Continuo meum cor coepit artem facere ludicram
> Atque in pectus emicare.

ubi digitorum micationem, ludum notissimum, respexit. *Heins.*

Dum victor amicum. Vid. Iliad. X, 525. sqq.

46. *Ismariis.* Rhesi sc. (vid. supra ad v. 28.); Ismarus enim mons et urbs Thraciae, ac mons quidem iam apud Hom. vino suo celebratus, Od. IX, 198. Codd. Gottorph. et Francof.: *Diceris.*

47. *Disiecta.* Virg. A. VIII, 290.

> Ut bello egregias idem disiecerit urbes
> Troiamque Oechaliamque.

Ibid. v. 335. Aptissima autem ea vox est ad sequentia: *et, murus quod fuit ante, solum.*

48. *Iliós. Ilion* legendum censet I. Scaliger (ad Catull. p. 69.) fem. genere, ut *regia Pleuron* apud Sil. It. (XV, 310), *Dorica Ancon* Iuven. (IV, 40). *Bersm.* Sic apud Hom. *Ἴλιος ἱρή* non uno loco, et *Ἴλιος ἀπεινή* et *ὀφρυόεσσα*; in Antholog. *Troia superba,* et *Ilium superbum* Virgilio: Horat. non semel (Od. III, 3, 23. ubi vid. Bentlei.) *Ilios* fem. gen. Noster Art. A. I, 363.

> Tunc cum tristis erat defensa est Ilios armis.

Idem Metam. XIV, 467. Plurimi (?) tamen codicum (ex XI tamen nostris sex: *Ilios*) *disiecta Ilion* agnoscunt, ut Epist. XIII, 53. *Ilion* et *Tenedos,* quod et Vossio placebat Annal. I, 12. Certe in antiquis libris apud Ovid. modo *Ilios,* modo Ilion promiscue scribitur; ut Fast. III, 71., IV, 505., V, 93., VI, 401. et in Metam. non semel. Vid. Steph. in *Ἴλιον. Heins.* Vid. de eadem re Burm. Sec. ad Anthol. L. I. p. 86., Iahn. ad Metam. VI, 95. et quae notavimus ad Ep. XVII, 240.

Et, murus quod fuit ante, solum. In nonnullis membranis: *murus, quo fuit ante s.,* ut ap. Virg. (A. X, 60.): *Atque solum,*

Si maneo, qualis Troia durante manebam,
  Virque mihi demto ſine carendus abest?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
  Incola captivo quae bove victor arat.
Iam seges est, ubi Troia fuit; resecandaque ſalce
  Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curvis ſeriuntur aratris
  Ossa; ruinosas occulit herba domos:

quo Troia fuit; in nonnullis (etiam in *Lang.*): *qui fuit.* Fortasse *qua fuit;* nam in uno Lovaniensi erat: *quae fuit,* ut Fast. III, 71. *Heins. Qua* probat etiam Burm. Sec. ad Lotich. I. p. 103. Mihi vulgatum magis poeticum videtur. *Lenn.* Ac certe multo aptius est ad praecedentia *disiecta Ilios;* nam *solum* (h. e. pulvis), *quod fuit ante murus,* nihil aliud est, quam expositio verborum disiecta *Ilios;* et sic plurimi codd. et veteres editt. Heusing. ex Gu. 1. l.: *esse solum,* corrigebat: *murus qui fuit, esse solum,* et Kuinoel: *murus quo fuit, esse solum.*

50. *Virque mihi abest. Abes* unus Palat. et alii, ut v. 57. et 66. *Heins.* Sed in hac re audiendi sunt codices, quorum longe plurimi cum vulgata habent: *abest.* Bruining. propter insolentem usum verborum *demto fine carendus* utrumque versum non Ovidianum esse censuit. De v. *carere* cum quarto casu tenendum est, multum sibi poetas in eo genere (vid. Epist. XIII, 137.), praecipue in gerundiis indulsisse. Vid. Wachsmuth de gerundio etc. in Athenaeo T. I. Fasc. I. 59.; de v. *carere* autem vid. Gunther Lat. rest. P. II. p. 1224., Rudim. Gram. L. Vol. II. p. 219. ed. Stallb., Turp. ap. Non. IX, 5., Gell. N. A. XIII, 23. et Vechner Hellenol. p. 95. De *demto fine* Trist. III, 11, 2.

> Siquis es, insultes qui casibus, improbe, nostris,
> Meque reum, demto fine, cruentus agas.

Conf. Amor. I, 9, 10. Cod. Mon.: *Si mihi vir.*

51. *Diruta.* Ut v. 47. *disiecta.* Conf. Ep. III, 45. et Prop. II, 28, 53. In uno Heinsii: *eruta.* Loco *uni mihi* multi Heinsii codd. et quidam ex nostris: *soli mihi,* ut Metam. XIII, 507. Sed „*soli* glossam redolet, atque *unus* non raro eleganter ponitur pro *solus,* ut Liv. I, 18., II, 12. et 33., Virg. A. II, 426., Prop. II, 22, 45. Vid. Burm. ad Quint. I. O. XI, 1. *Kuin.*"

52. *Incola.* Intelligendi sunt Graeci, qui agrum Troiae occupatum nunc colunt, propter *captivo,* h. e. Troiano. Est igitur *incola* h. l. Graecum πάροικος, atque Ovidium in hoc loco non tam Homerum, quam suae aetatis morem respexisse apparet.

55. *Feriuntur.* Malebat *finduntur* Francius, non ego. *Finditur* enim terra aratro; sed ossa

Victor abes; nec scire mihi, quae causa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit;
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
Misimus; incerta est fama remissa Pylo:

semisepulta *feriuntur* et percutiuntur. Lucan. VII, 859.

Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Burm.

Virg. Georg. I, 496.

Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Sed vid. totum locum Virg. v. 493—497., ex quo sine dubio hic noster manavit.

58. *Orbe.* Orbis, terrae parte, ut Fast. III, 466. *Eoo dives ab orbe redit.* Conf. Iuven. II, 108.

59. *Puppim.* Puppis, an prora ad litus appellatur, cum Parrhasio noli curiose quaerere. Est pars posita pro toto. Vid. Epist. XII, 23. Virg. Georg. IV, 117. tamen accuratius: *Terris festinem advertere proram.* De sententia conf. Epist. XIX, 29.

63. *Nos Pylon.* In hac epistola nonnulla reperiuntur, in quibus poeta ab auctoritate Homeri, quam in plurimis satis diligenter est secutus, plane discedit. Primum enim v. 15. Antilochum canit ab Hectore victum, quem a Memnone, Aurorae filio, interfectum esse, testes sunt Homerus (Odyss. IV, 187.), Pindarus Pythic. Od. VI, 28. sqq. aliique scriptores, laudati a Meziriac. in Comment. Ov. T. I. p. 35., Quint. Smyrn. II, 243., Dio Chrys. or. II., Eustath. ad Odyss. II., Dict. Cret. IV, 6.; etiam *Mythographus,* auctor fabulae, in collectione, quae sub Hygini nomine circumfertur F. 112., quamvis idem, vel potius alius a priore diversus *Mythographus* in F. 113. plane cum Ovidio faciat nescio an solus ex veteribus, quorum quidem scripta aetatem tulerunt; unde etiam pro vulgata l. *Antilochum* apud Hyg. l. l. Münker *Anchialum* ponere tentabat ex Hom. Iliad. V, 609. Deinde v. 37. et 63. sqq. ab ipsa Penelope Pylum missum Telemachum ad patrem quaerendum narrat Ovidius, cum Hom. Od. II., inscia matre, Minerva suadente eum Pylum profectum dixerit. Tertius est locus v. 91., ubi Medon, quem virum optimum eundemque Telemachi et Penelopae studiosissimum ex Hom. Odyss. IV. et XXII. novimus, prae ceteris *dirus* appellatur. Quartus est locus v. 80., ubi a patre, Icario, se urgeri atque cogi novum inire connubium scribit Penelope, cuius rei ne ulla quidem apud Homerum facta est mentio. Versu denique 100. dicit, ingredi cum filius iter Pylum voluerit, stru-

Misimus et Sparten; Sparte quoque nescia veri.
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?

etas ei à procis insidias, quod Hom. Od. IV, 625—847. auctor est, cum Pylo et Sparta rediret, factum esse. Ac fuerunt, qui haec, tria certe priora, nam posteriora duo hucusque non animadversa videntur, suspecta putarent, et mutare vellent. V. 15. Politian. in Miscellan. ex Iliad. XIII,185. *Amphimachum*, vel a *Memnone* pro *ab Hectore* scribendum censebat. Schoppa e Darete Phrygio c. 20. *Archilochum*. V. 91. autem Waddel. corrigebat *Medontaque dicam*, et Mariang. Accurs. *Polybumque Amphimedontaque*, item Burmannus Sec. (ad Prop. IV,5,7.), qui idem inducere volebat Ep. Sabini I, 47. atque ita tollere scrupulum, qui obstabat Heinsio. Sed tam audacter mutare prohibet omnium codicum et veterum editionum sine discrepantia consensus; et quid faciamus tribus reliquis? Ac de scriptura *Anchialus* et *Archilocho* v. 15. recte iudicat Lennep, in locum clari hominis parum probabiliter substitui minus clarum. *A Memnone* vero pro *ab Hectore* non patitur loci ratio et versus 14. Iani autem Parrhasii sententiam de eodem loco (quae iam sequuntur, usque ad verba: *secutus sit Ovidius*, sunt verba Lennepii) „esse hoc muliebri decoro datum, ut Penelope fingatur a vera historia aliquantum aberrare, probatam illam Ciofano, Micyllo, Nicolao Loënsi, aliis, recte refutasse mihi videtur G. I. Vofs. Institt. Poet. I. c. 2. §. 5., qui in libro suo de Arte Gramm. II. c. 24. ipse ita potius poetam excusare conatur, ut ab Hectore etsi non occisum, tamen victum esse Antilochum narrari perhibeat Iliad. V, 590. Sed contra ibi, ante adventum Hectoris, cum Mydonis equis victor e pugna discessisse traditur Antilochus. Et vero ipse Voss. Inst. Poet. I. c. maxime in illam pronus videtur opinionem, ut errorem esse putet memoriae non Penelopes, sed Ovidii; quae opinio etiam Burmanno prae ceteris visa est probabilis, licet addat fieri quoque potuisse, ut alios auctores praeter Homerum secutus sit Ovidius.“ Sed de posteriore opinione Burmanni, nullum usquam ab Homero in hac parte discrepantis fabulae est vestigium, nisi loco illo Hyg. F. 113, cuius scriptor fortasse, ut recte monuit Lennepius, nullum auctorem suae traditionis habuit praeter unum Ovidium hoc loco. Lennep cum Vossio et Burm. errorem memoriae esse poetae censet, Ovidiumque putat hanc quidem primam Epistololam conscripsisse ab Homeri lectione non adeo recentem, cum ipsi nullum eius exemplar ad manum esset. Ego vero et de hoc loco v. 15., de quo haec potissimum ab illis viris doctis disputata sunt, et omnino de tota illa in hac Epistola ab Homeri auctoritate discrepantia sic sentio, poetam ibi ut saepe (v. c. Epist. II, 3. et 5.) in fabula tractanda singulari quadam et quam poetis concessam

Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi: —
Irascor votis heu levis ipsa meis! —

putaret usum esse libertate, et consulto ac scientem a fabula Homeri discessisse, eamque consilio suo atque instituto accommodasse. Minime enim verisimile est, Ovidium, qui omnes prope res ab Homero narratas et ipsa quoque verba et locutiones, ut in eius carminibus satis apparet, memoria complexus est, et *ab eo fonte perenni*, ut ipsius verbis utar, ipse *sua ora Pieriis aquis rigavit*, ac praecipue in plurimis huius Epistolae et Epistola III. tam diligens Homeri studium probavit, hunc ipsum ne ea quidem, quae neminem, qui leviter tantum Homeri carmina attigit, fugere solent, in memoria habuisse, aut Telemachum a Minerva Pylum missum, aut Icarium, patrem Penelopes, procul ab Ithaca abfuisse; neque cum totus in argumento Homerico versaretur, diligentius ante, sicubi eum sequendum putaret, eius carmina inspexisse. Nam quod Lennepius Ovidio, poetae, poetarum principis, qui iam tum habebatur, exemplar ad manum non fuisse putat, ne sibi quidem ipsi persuasisse censeam. Sin autem haec de industria ac liberius novasse poetam statuas, quidni et reliqua? De Medonte vid. tamen etiam Odyss. XVI, 252.

Neleia arva, in quibus Neleus regnavit, qui XII filios suscepit, ex quibus tantum Nestor superstes mansit. Iliad. XI. *Ciof.* V. Auson. Perioch. Odyss. II. et III. Hyg. 10. *Burm.*

Antiqui. Quia poetis tria saecula, γενέας, aetates hominis, vixit, unde ab Attio *trisaeclisenex* dictus est. Iliad. I, 250. Odyss. III, 245. Hyg. 10., Metam. XII, 188. ubi vid. Gierig.

64. *Incerta.* Od. III, 162. sqq.

65. *Sparten etc* Odyss. I, 285., IV, 1. sqq. et 555. sqq. Werfer l. l. p. 524. importuniorem putans interrogationem versus proxime sequentis, post *veri*, ut olim vulgatum est, et ut Amar nuper in edit. maiore vere scripsit, comma ponendum putabat: *nescia veri, quas habitas — abes;* indicat. autem pro coni. ortum ex necessitate metri. Sed ne de audaciore constructione dicam, et quod sic illud *veri* omnem vim suam amittat, mihi in hac interrogatione insignis quaedam inesse veritas videtur affectus, ut, postquam sedatius exposuit, quam vanam, ut ipsum inveniret, operam dederit, quasi indignabunda in interrogationem erumpat: *Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?* Adde concinnitatem sententiarum: longius est *colum: Nos Pylon — misimus;* longius quoque sequitur: *incerta — Pylo.* Brevius: *misimus et Sparten*, sequitur brevius: *Sparte — veri:* et incerta *est fama r. P., Sparte q. n.* veri. Et sic iam distinctum est in Venet. a. 1486. Eodem ducere videtur illud *lentus.* Unus Med. *habites.*

67. *Moenia Phoebi.* Moenia Troiae, quae Phoebus cum Neptuno Laomedonti pacta atque constituta mercede aedificavit. Iliad. VII, 452., XXI, 440. sqq. Conf. Epist. V, 139.

Scirem, ubi pugnares, et tantum bella timerem;
Et mea cum multis iuncta querela foret.
Quid timeam ignoro; timeo tamen omnia demens,
Et patet in curas area lata meas.
Quaecumque aequor habet, quaecumque pericula tellus,
Tam longae causas suspicor esse morae.
Haec ego dum stulte meditor,—quae vestra libido est—
Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniux,
Quae tantum lanas non sinat esse rudes.
Fallar et hoc crimen tenues vanescat in auras;
Neve revertendi liber abesse velis.

68. *Irascor votis.* Sensus est: Cum prius optarim, ut quam primum Troiam everteretis, iam, mutata sententia, meis ipsa votis irascor; vota, temere a me facta, reprehendo; nam *Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi.* Et sic iam olim exposuerunt Hubertinus, Ascensius, alii. Sunt tamen, qui ita malint accipere, ut hic non vota sua pristina pro excidio urbis Troiae, sed illud, quod proxime antecedenti versu non satis prudenter enuntiaverat, *Utilius etc.* statim ipsa corrigens, reprehendat. At vero, illud quomodo votum dici possit, equidem non video. *Lenn.*

72. *Et patet.* Trist. IV, 3, 84. En! patet in laudes area lata meas.

75. *Vestra.* H. e. omnium virorum, quos hic Penelope tangit. Vid. Passerat. (et Burm.) ad Prop. III, 19, 3. Elegantem vero usum pron. *qui* in hac locutione iam notavit Hubertin. Vid. Epist. XVII, 29., Met. V, 373., Pont. I, 7, 59. Vid. etiam ad Quint. Decl. IX, 21. *Burm.* Praeclare autem a poeta observatum est muliebre ἦθος. Conf. Ep. II, 103.

77. *Forsitan et narres.* Ita ex optimis editt. et codicibus. *Narras* habent minus emendatae. Vid. ad Petron. 130. *Burm.* Et infra ad Epist. IV, 53. Ad *narres* subintellige *huic peregrino amori,* peregrinae amicae; ac de sententia conf. Ep. XII, 175. sqq. Multi Heins.: *narras.*

78. *Tantum.* Cuius una virtus sit etc.

80. *Revertendi liber. Liber* saepe cum genit. construitur. Vid. (Forcell.) Heins. ad Claud. Laud. Stil. I, 150., Vorst. ad Val. Max. VI, 2, 3. et ad Sulp. Sev. I. c. 4. Atque inprimis ita saepe Lucan. Vid. Heins. et Drakenb. ad Sil. It. II, 441. *Burm.* Sed, quod notandum est, libere hic est poeta atque insolenter voce *liber* usus; non enim est h. loco vacuus, immunis, non coactus, non obnoxius, sed, in cuius potestate est, cui licet. Sensus huius versus est: *Et fingam, te data redeundi potestate, ad me redire velle.*

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet;
Penelope coniux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.
Dulichii Samiique et, quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa proci;

81. *Icarius.* De Icarii, patris Penelopes, qui etiam *Icarus* appellatur, genere, patria et regno fabulae auctores inter se dissentiunt. Hom. Od. IV, 797. 810. Vid. de eo dissertat. Meziriac. l. l. T. I. p. 21—25. et Hyg. F. 130. ibi Munk., Apollod. III. ibi Heyn. De re vid. supra ad v. 63.

83. *Tua sum.* Vulgo: *tua sim;* VI codd.: *tua sum,* quod efficacius, quam *tua sim;* non enim vovet, sed asseverat, se Ulixis esse, et ideo etiam Ulixis dici vult, neque alteri in coniugium concedere. Vid. Epist. VIII, 157. *Burm.* Trist. IV, 3, 56.

Et dici memini, iuvit (te) et esse meam. —

Nescio, an praeferenda sit distinctio Schroderi Misc. Obss. Vol. VI. T. I. p. 195. et Burm. Sec. Anth. Lat. T. I. p. 135.

Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet;
Penelope coniux semper Ulixis erit.

Certe, ut huic, ita vulgatae:

tua sum, tua dicar oportet
Penelope; coni. s. U. e.

postponenda est Heinsii ad Virg. Aen. XI, 352. interpunctio:

tua sum tua dicar oportet
Penelope coniux: s. U. e.
Lenn.

Certe et multo elegantior est, et affectu mollior; et prorsus de more Ovidii; Epist. VI, 8.

Hypsipyle missa digna salute fui.

Vid. Ep. II, 60., V. 22. et 108., XII, 5.

85. *Pudicis.* Pudicae uxoris, quae Ulixi pudorem servat.

86. *Frangitur.* Vincitur, cedit. Vid. nos et Heins. ad Petron. c. 75. et Heins. quoque ad Claud. I, Epist. 50. *Burm.*

Heinsius hic legendum coniiciebat *et vires temperat ira suas;* Francius *et voces temperat ipse suas;* Burmannus *et vires temperat inde suas;* id est propter pietatem meam et preces pudicas. Equidem libenter in vulgata acquiescam: nam et sic locutus est Sen. Cons. ad Helv. c. 1. *Exspectabam itaque, dum ipse vires suas frangeret* (dolor) *et ad sustinenda remedia mora mitigatus tangi se ac tractari pateretur;* et bona, immo praeclara est haec sententia: Ille tamen non modo mea pietate, meis precibus, movetur et frangitur, sed et ipse vires suas (potestatis atque auctoritatis patriae) temperat, modum iis ipse imponit, iis abuti non vult: procis contra nullus effrenatae licentiae modus. Vid. v. 88. et ibi efficax verbum *ruunt.* Conf. et Burm. Sec. ad Prop. III, 21, 22. *Lenn.*

Inque tua regnant nullis prohibentibus aula:
 Viscera nostra, tuae dilacerantur opes.
Quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum,
 Eurymachique avidas Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
 Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
 Ultimus accedunt in tua damna pudor.

87. *Alta Zacynthos.* Egregie Hom. Od. XVI, v. 123. transtulit:

Δουλιχίῳ τε, Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

ubi mirum est, quod ὑλήεντι masc. gen. dixerit, quod iam grammaticis ad illum locum notatum est; Ovid. autem, cum Virgilius (Aen. III, 270.) aliique illud v. *nemorosa* transferunt, *alta* maluit. *Heins.* Perperam. Ovidius pro Homerico illo adiectivo aliud usurpavit, quod et idem ab Homero aliisque poetis insulis saepe tribuitur. Virg. A. V, 588. *Creta alta,* ubi vid. Heyn. De insulis ipsis Virg. A. III, 270., Plin. H. N. IV, 12., P. Mel. II, 7., Strabo X, 101.

88. *Turba luxuriosa.* Iure *turbam* dicit; nam Od. XVI, 247. sqq. e Dulichio duo et quinquaginta; e Samo viginti quatuor; e Zacyntho viginti; ex Ithaca vero duodecim, (qui tamen hic non commemorantur), venisse dicit Telemachus. *Amar.*

Luxuriosi cur dicantur, tota docet Odyssea.

90. *Viscera nostra, tuae — opes. Viscera* est cor, animus; et sensus est: Cor *nostrum,* animus noster dilaniatur, aerumnis cruciatur, consumitur, et *tuae* opes, possessiones disperduntur atque dissipantur; ac prius referendum ad v. 87. 88., posterius ad v. 89. Pro *dilacerantur* nonnulli codd. Ciofani et meliores (?) Heinsii: *dilaniantur,* quod iam ante Heinsium ediderat Nauger.; sed in hac re sequenda est auctoritas codicum, qui longe plurimi cum vulgata habent: *dilacerantur.* Vid. Epist. III, 86., VI, 129. Est autem Homericum *κτήματα δαρδάπτουσιν* Od. XVI, 315.

91. *Polybumque.* Et hic addenda fuit copula, cum *Medon* primam corripiat. *Egnat.* In duobus Heinsii: *Polybonque.* De *Medonte diro* supra ad v. 63. De reliquis Od. XVI. XXII. aliisque locis compluribus.

93. *Atque. Quidque* Iunian. cod.

95. *Irus — Melanthius actor.* De *Iro,* famoso illo mendico Ithacensi, cuius paupertas in proverbium abiit, vid. Hom. Od. XVIII, 1. sqq. *Melanthius,* Homero *Μελάνθιος* et *Μελανθεύς,* Ulixis *αἰπόλος αἰγῶν,* Od. XVII, 212. alibi. Unde Heinsius ex IX aut X codicibus suis coll. Fast. I, 323. bene emendavit et scripsit: *actor edendi,* pro vulgata ac plurimorum codicum scriptura *auctor edendi.*

96. *Ultimus — pudor. Ultimum dedecus. Ultimum* postremum; conf. Epist. XII, 50., XV, 71.

Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer; —
Ille per insidias paene est mihi nuper ademtus,
Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Dì precor hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos!
Hoc faciunt custosque boum longaevaque nutrix,
Tertius immundae cura fidelis harae. —

98. *Senex.* *Γήραϊ τειρόμενος* Hom. Od. XXIV, 232.

100. *Invitis omnibus.* Quum supra v. 37. et 38., collato v. 63. *Nos misimus,* ipsam filium Pylon misisse dixerit Penelope; qui vero missus est, non recte dicatur *omnibus invitis iter parasse:* accipiendum nobis erit, poetam sibi hoc loco non satis constare (vid. Crede animad. in loca quaedam vett. poett. p. 26. 59. Marburg. 1792.) aut certe parum finite atque accurate locutum esse. Nam vocem *omnibus* ita accipi, ut Penelope se ipsam excipiat et reliquam domum dicat atque intelligat, non patitur loci ratio; *invitis* autem pro *dolentibus,* de quo olim cogitabam, abhorret ab usu loquendi.

101. *Euntibus ordine fatis.* Quae ordine procedunt, si maiores natu prius e vivis tolluntur, quam natu minores. Plena sunt huius formulae monumenta sepulcralia in antiquis inscriptt. Tacit. Annal. XVI, 11. *Servavitque ordinem Fortuna, ac senior prius, tum, cui prima aetas, exstinguuntur.* Stat. Silv. V, 1, 181. *Heins.* Ita poetae passim Fatis ordinem adscribunt. Vid. Val. Fl. I, 531., V, 81., Barth. ad Stat. Theb. I, 302. et Achill. I, 82. *Burm.* Conf. Burm. Sec. ad Anth. Lat. II. p. 166. et Kirchm. R. F. III, 9.

102. *Oculos comprimat.* De more, ut per cognatos morientibus oculi clauderentur, qui iam Homeri temporibus invaluerat (Od. XXIV, 295., XI, 426.), vid. Guther de Iure Man. I, 13. p. 82. Kirchm. de Fun. I, 6., Potter Archaeol. IV, 3.

103. *Hoc faciunt.* Haec verba ante Dan. Heinsium et ab Heinsio et Burmanno etiam post illum accepta sunt pro *precantur,* quum verbum *facere* notum sit saepe sic verbi praecedentis sensum repetere. Sed alii interpretes et recentiores prope omnes cum Daniele Heins. *faciunt* h. l. ad *precor* referri et eius commodare posse sensum negant, quum, ut optimus eius sententiae interpres Lennep ait, nihil caussae appareat, cur eo potius quam ad proxime antecedentia verba *iubeant* et *comprimat* illud verbum referatur, praesertim cum *precor* adeo nullam praecipuam ibi vim habeat, ut etiam sine illo sententia constet. Atque inde loco pro corrupto habito latissimus apertus est coniecturae campus. Gottorph. cod.: *Hoc cupiunt,* non improbante Burmanno et Francio; sed illud ex glossa verbi *faciunt* ortum

Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis armis,
Hostibus in mediis regna tenere valet;

esse nemo non videt; et cod. Trev. vere habet glossam: *cupiunt, precantur.* Dan. Heins. distichon hoc collocandum putabat post v. 108., audaci nimis, et ad sensum parum felici coniectura; ut Penelope strenuas, quae ad tuendam filii aetatem opus essent, patris vices bubulcum, *longaevam* Eurycleiam et subulcum gerere dicat. Wideburg. (Lectt. var. in Heroid. Ov. e cod. Helmstad. spec. I.) v. 107. scribendum existimabat *veniat* (*vivat modo*) et totum transponendum hoc ordine: 97. 98. 107. 108. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 109. 110. maiore audacia, peiore sententia; nisi quod *faciunt* referebat ad *precor.* Matthiae in litteris ad Kuinoelium scriptis hoc distichon posuit post v. 106. hoc sensu: Sed Laërtes regnum *tutare non valet;* faciunt hoc potius *bubulcus, longaeva nutrix* et subulcus. Ineptam prope dixerim iuxta votum, quod continetur disticho praecedenti, coniecturam V. D. in Ephem. Literar. Heidelb.: *ut faciant.* Lennep coniecit *huc faciunt,* (et sic nuper edidit Iahn) cuius sensum statuit esse hunc: Has partes sequuntur, mihi, Laërtae, Telemacho contra procos favent. Sed verba *huc faciunt* eum sensum non habent, quae valent, ut recte l. l. docet Hand, *eo conferunt;* adde, quod importuna sit interpositio, qua nexus sententiarum mire turbetur, cum praesertim altera parenthesis v. 99—102. praecesserit; et quod sic durius versu 105. oratio ad v. 98. regrediatur. Hand l. l. coniecit: *Quid faciant,* paullo audacius et parum concinne. Mihi vetus scriptura et interpretatio vera ac plana videtur: *Hoc faciunt,* h. e. precantur; cum praesertim ea sit verborum *comprimat* et *iubeant* vis atque significatio, ut verbum *faciunt* ad illa referri nullo modo possit, igiturque poetae, quin obscurus fieret, verbum hoc paullo liberius ad remotiorem illam vocem *precor* referre licuerit. Accedit, quod *precor,* si modo recte pronuntietur, non prorsus omni vi destitutum videatur, et quod sic totus locus quam aptissime cohaereat, in qua parte ex illis scripturis omnibus satisfacere nulla videtur: *Tres sumus imbelles, ego, Laërtes, Telemachus, filius* (97. 98.), *filius, qui mihi nuper paene est ademtus* (99. 100.), *quem ut diu nobis Dii servare velint precor* (101. 102.); *quod idem mecum faciunt* (precantur) *fidelissimi famuli* (103. 104.); (iam ad vv. 97. 98., unde tenerrimo indulgens affectui erat digressa, redit) *sed neque Laërtes, senex, regnum tenere valet* (105. 106.); *nec Telemachus, iuvenis* (107. 108.); *nec mihi sunt vires* (109.). (Quare) *citius rogo venias* (110.). *Respice gnatum tuum, qui....* (111. 112.); *respice senem patrem, qui....* (113. 114.); *respice denique me, uxorem tuam, quae....* (115. 116.). Adde, quod ea est lectio omnium veterum editt. et longe plu-

Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas;
  Nunc erat auxiliis illa tuenda patris;
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
  Tu citius venias, portus et ara tuis.

rimorum codicum. Iudicent peritiores.

105. *Inutilis armis.* Sic XI codices (etiam margo Erfurt. et a man. sec. Trev.) et placet. Amor. II, 7.

> Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.

Fast. II, 239.

> Nam puer impubes et adhuc non utilis armis.

Fast. III, 173. et V, 81. *Annis* tamen est Trist. IV, 8, 21. *Heins.* Lectionem *armis* firmat sequens mentio *hostium*, et *fortior aetas*, sc. armis tractandis. In loco autem Trist. addita vox *emeritis* vocem annis requirit. *Burm.* Sed defendi tamen etiam vulgata potest, ut accurate respondeat voci *senex* v. 98., quemadmodum *nec mihi sunt vires* (109.) verbis *sine viribus uxor* v. 97.

106. *Valet. Valet* meliores scripti XIV. *Heins.* Veteres editiones et nostri codices omnes: *potest.*

108. *Erat. Erit* Leidens. cod. Nihil muta; est enim positum pro *esset;* ut Amor. I, 7, 41. et mox v. 112. Vid. ad Petron. c. 18. et Broukh. ad Prop. II, 8, 16. *Burm. Erat* mihi quidem hoc loco positum videtur pro *est*, quod tum saepe fit, si iam dudum facto opus esse significatur. Vid. omnino Mitscherl. ad Hor. Od. I, 37, 4. *Nunc — tempus erat* etc., qui ibi laudavit Senec. Med. 111. *Multifidam iam tempus erat succendere pinum.* Prop. II, 8, 16. *Magni nunc erat oris opus.* Ambros.: *fovenda.*

110. *Portus et ara.* Nonnulli codices Ciofani, etiam Guelf. 1. a man. sec.: *ara.* Heinsii codices omnes, praeter Argentin., qui habet *avara*, etiam a pr. m. nostri cum veteribus editionibus: *aura.* Atque eam scripturam Burmann. ita defendi posse existimabat, ut maneat poeta in eadem translatione, a navigantibus sumta, qui auras prius faventes, deinde portum desiderent; ac vere revocavit eam nuperus editor, Iahn. Pro recepta tamen a nobis Heinsii scriptura, praeter quod locum graviorem reddat atque copiosiorem, afferri etiam illud potest, quod insignem habeat colorem antiquitatis, quum, ut portus naufragis, sic arae supplicibus et iniuria pressis loca perfugii atque securitatis essent; et quod haec verba sic saepe coniungantur, non item *portus et aura.* Pont. II, 8, 68., si locus sanus est:

> Vos eritis nostrae portus et ara fugae.

Trist. IV, 5, 1. 2. 5.

> O mihi dilectos inter sors prima sodales,
> Unica fortunis ara reperta meis.
> — — — — — — — —
> Qui veritus non es portus aperire fideles.

Cic. Verr. V, 48. *Hic portus, haec arx, haec ara est sociorum.* De N. D. III, 10. De *ara* hoc sensu vid. Lindenbrog. et Ruhn-

Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laërten: ut iam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

ken. ad Terent. Heaut. V, 2, 22. Conf. Trist. V, 6, 14., et Virg. A. II, 523. Facile autem fieri potuisse, ut litera *u* invito Ovidio in omnes fere libros irrepserit, argumento potest esse versus 95. Codd. XX Heinsii: *redeas. Citius* statim.

111. *Est tibi sitque, precor. Sit* pro *sit diu*; Trist. I, 10, 1.

Est mihi sitque, precor, flavae tutela Minervae.

El. ad Drus.

Est tibi sitque, precor, multorum filius instar.

Sen. Oed. 855. *vivat* pro *diu vivat.* Vid. Fast. VI, 219. et Mart. IX, 19. ubi additur. In quibusdam codd.: *est mihi.* Burm.

112. *In patrias artes.* Rarior locutio est *erudire in artes* (et fortasse ab Ovidio novata), quam et Stat. ex Mss. reddit Barth. Theb. X, 501.

Et quae te in leges praeceptaque fortia belli
Erudiit genitrix.

Burm.

113. *Condas.* Magna pars codicum Heinsii *claudas.* Sed praeter maiorem auctoritatem librorum, nostri enim omnes cum veteribus editionibus *condas*, hoc verbum ab Ovidio saepius usurpatur, quam *claudere*, hac quidem significatione, et certe exquisitius est. Epist. X, 120., Trist. III, 3, 44., Art. A. III, 742. Ceterum Iahn hunc locum sic distinxit:

Respice Laërten, ut iam sua lumina condas:
Extremum fati sustinet ille diem.

Sed dura est atque insolentissima constructio: *Respice Laërten, ut iam sua lumina condas.* Contra aptissima ac simplicissima est: *Respice Laërten: ille extremum fati diem sustinet, differt, ut iam sua lumina condas*; ac flagitant eam pron. *ille* et *sua: ille* sustinet, ut *sua*; adde vim atque habitum loci oratorium (vid. ad v. 103.), qui interpunctione illa Iahni omnis perit. *Iam* illico.

114. *Fati sustinet.* Septem Heinsii codd.: *Fatis*; doctius sane atque exquisitius; sed audienda est auctoritas maximae partis librorum; ac praeterea verisimillimum est, *fatis* suum sigma accepisse a voce sequente *sustinet.* Vid. ad v. 24.

Sustinet autem h. l. valet: *differt, retinet* (et quasi luctatur contra mortem te exspectans). Metam. X, 188.

Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.

Senec. Contr. I, 12. *Deficientis adolescentis spiritus in adventum meum sustinebatur.* Quint. Decl. XII, 2. *Non ut invisam animam sustineremus.* Mart. IX, 4. Burm. Conf. Liv. II, 45., Cic. ad Att. II, 51. Phaedr. II, 2, 6. Kuinoel.

Certe ego, quae fueram te discedente puella,
  Protinus ut redeas, facta videbor anus.

115. *Discedente.* In bellum Troianum. *Ciof.*

116. *Redeas.* Viginti Mss. Heinsii, etiam nonnulli ex nostris: *venias;* ac nota res est, *venire* saepissime dici, ubi accuratius diceretur *redire.* Epist. XIII, 101., II, 20., Phaedr. IV, 21, 7., Hyg. Fab. 257. ubi vid. Munker. Sed vulgata et ipsa auctoritate codicum nititur; et praecessit *te discedente.* — *Ut* est pro *quamvis.* Vid. Liv. II, 38., XXI, 52., Heins. ad Ovid. Pont. I, 7, 51., Prop. II, 7, 45. *Kuin.*

Facta videbor anus. Verus muliebris ingenii affectus. *Ciof.* De sententia conf. Pont. I, 4, 47.



EPISTOLA II.

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

Phyllis, regis Thraciae filia, regina Thracum fuit, quae Demophoontem, Thesei filium, Atheniensem, ex Troiano bello redeuntem hospitio lectoque excepit, accepta ab eo fide, ut domi compositis rebus rediret ipsamque uxorem duceret. Profectus itaque Demophoon quum tardaret, et amoris impatientia et ob dolorem, quod se spretam esse crederet, voluntaria morte vitam finire decrevit. Quo capto consilio hanc ei scripsit Epistolam. (*Serv. ad Virg. Eclog. V*, 10., *Hygin. Fab.* 59. *et* 243.)

Hospita, Demophoon, tua te, Rhodopeia Phyllis,
Ultra promissum tempus abesse queror.
Cornua cum lunae pleno semel orbe coissent,
Litoribus nostris ancora pacta tua est.

1. *Hospita — Rhodopeia. Hospita,* quae te hospitio excepit. Crof. *Rhodopeia* a Rhodope, Thraciae monte.

3. *Pleno semel.* Burm. e cod. Gronoviano et Mediceo primus recepit *quater* pro reliquorum codd. et veterum editionum lectione *semel;* non sibi videri tempus satis longum dicens, ut Athenas ire Demophoon, ibique res suas componere et rursus in Thraciam redire potuerit: deinde convenire melius puellae amanti, ut ad ipsum tempus pactum promissa exigat, quam ut tres menses ultra constitutum cesset, antequam scribat. Quod ad prius, intra mensis spatium facile confici illud iter poterat, et festinant amantes raptimque proficiscuntur, et poeta est, qui haec dicit, cui, dumne prorsus citra verisimilitudinem dicat, in ea re minus accuratum esse facile concedas; ac praeterea nonne proficiscentes iis, quibus discessum nostrum gravem atque molestum esse scimus, brevissimam semper spondemus fore absentiam? Quod vero tres demum menses supra constitutum tempus scribit, nec illud est contra morem vere atque ardenter amantis; est enim tacite durantis et patientis, et amatoris promissis omnino confidentis. Sed quod multo gravius est, si Ovidius statim post pactum tempus praeteritum Phyllida scripsisse statuisset, quorsum tum omnia haec: *Spes quoque lenta fuit....* (v. 9.); *Saepe fui mendax pro te mihi* (v. 11.); *Saepe putavi.... notos* (v. 11. 12.); *Interdum timui, ne....* (v. 15. 16.); *Saepe deos supplex.... focis* (v. 17. 18.); *SAEPE videns ventos....* (v. 19. 20.); *At tu lentus abes.... redis* (v. 23. 24.). Adde eodem, multo vehementius stringere *Cornua cum lunae semel orbe coissent, litoribus nostris ancora pacta tua est. Luna quater latuit*

Luna quater latuit; toto quater orbe recrevit;
Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes,
Non venit ante suam nostra querela diem.
Spes quoque lenta fuit: tarde, quae credita laedunt,
Credimus: invita nunc et amante nocent.

pleno quater orbe recrevit: Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates, praesertim quum illud *quater* duplicetur; atque ita multo acerbius ac gravius esse, quod sequitur: *Non venit ante suum nostra querela diem;* adde etiam, quod ea est scriptura, si illos duos excipias, omnium codd. et veterum edd. Quod denique ad Hygini locum (Fab. LIX.): *Qui (Demophoon) die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad litus cucurrisse, quod ex eo Enneados graece appellatur. Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit,* cum quo et ipse Ovidius Remed. Am. 602. consentit, intelligendum est, poetam consulto fabulam immutasse, consilioque suo accommodasse. Vid. ad Epist. I, 63.

4. *Ancora pacta,* i. e. pacto promissa. Non monerem, nisi lapsum in hoc ipso vidissem Forcellinum, cui *pacta* hoc loco participium est a *pango* significatione impingendi, infigendi. Lenn. Conf. Epist. VI, 5. Dicitur *pangere foedus et similia* et absolute *pangere* significatione *pacto promittere* Epist. XVI, 35. Atque ipsum verbum *paciscor* auctore Voss. Etymol. Lat. derivatur a primitivo *pango;* quod et idem monendum erat propter Forcellinum.

5. *Toto.* Hafniens.: *pleno,* quod Burm. aliique receperunt, sine iusta caussa et repugnantibus omnibus reliquis vetustis libris.

6. *Sithonis unda.* Mare, quod Thraciam alluit. *Sithonis* autem patronymicorum more dictum. Charis. L. I. *Ciof.* Vid. Zumpt Gramm. Lat. p. 102. et Rupert. ad Iuven. Sat. XIV, 286.; conf. Fast. III, 719. Atque eum usum loquendi, ut gentile ponatur pro possessivo, Ovidius in deliciis habet. Thracia autem Sithonia vocabatur a Sithone, qui antiquissimus huius regionis rex fuisse dicitur. Vid. Tzetz. ad Lycophr. 583. et 1161., Parthen. Erot. 6., Nonn. Dion. XLVIII, 100. *Actaeas.* Attica olim *Acte* dicta. Vid. Steph. in *Ἀκτή.* Plin. N. H. IV, 7.

8. *Suam.* Sic cum plurimis codd. et veteribus editt. nuper scripsit Iahn. Vulgo: *suum.* Burmannus ad Trist. IV, 6, 38. contra Manut. ad Cic. ad Fam. II, 2. pluribus docuit, pro arbitrio licere *diem,* sive certum diem, sive tempus notet, utroque genere dicere; et apud Ovidium libros fere semper variare. De posteriore observasse mihi videor, Ovidium non obstantibus metris plerumque uti genere masculino.

9. 10. *Spes quoque — nocent.* Sensus est: Spes quoque reditus tui diu apud me perstetit; nonnisi tarde inducta sum ad credendum te esse perfidum. Tarde enim credere solemus

Saepe fui mendax pro te mihi; saepe putavi
  Alba procellosos vela referre notos.
Thesea devovi, quia te dimittere nollet;
  Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
  Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Saepe deos supplex, ut tu, scelerate, valeres,
  Sum prece turicremis devenerata focis.

ea, quae credita dolore nos afficiunt. Nunc quoque, etsi iam omnino cogor ita credere, malim posse non credere. *Spes lenta* h. l. est, *quae longa mora extrahitur,* ut bene Bentlei. ad Horat. A. P. v. 172., quem sequi potius Burmannus ad hunc l. debebat, quam cum Caelio et Hubertino de metu et suspicione *spem* accipere. *Lenn.* Recte Lennep interpretatus est verba *spes lenta fuit,* atque ita omnis sublata dubitatio est, cum nonnullis codd. legendum sit *lenta venit,* ut infr. v. 62., an cum vulgata *lenta fuit.* Eodem modo Epist. III, 2. *iraque lenta tua* est, q. e. diu apud te perstat, tarde abit. Verba autem *invita nunc et amante nocent,* ego malim sic accipi: Nunc etiam (sc. quum ita credere cogar) *laedunt* (nocent) me (amante) invita, quae mihi vix ita persuadere possim vel a credendo abhorream. Ceterum Bentleius correxit: *invitae nunc, et ut ante* (?), *nocent;* Heusing.: *invita nunc et amante noces;* Kuinoel: *fuit:* (*tarde..... credimus:*) *invita nunc et amante nocet,* vel *manet.*

11. *Saepe fui mendax pro te mihi,* h. e. me ipsam decepi caussas morae tuae animo fingens pro te, ad te excusandum.

12. *Alba.* Recte, quia boni ominis fuissent, ut notum ex historia Aegei et Thesei. *Burm.* Potest tamen etiam accipi pro epitheto, quod dicitur ornanti, ut saepe *candida, alba vela* dicuntur. (Fast. V, 161.) Certe locus ille ex historia Aegei et Thesei paullo aliter se habet; nam antequam Theseus Athenis proficiscebatur, pacto inter ipsum et Aegeum patrem convenerat, ut si victor reverteretur, navem pro atris, quae habebat, albis velis instrueret. Vid. Hyg. F. 41. et 43., Catull. Epithalam. v. 225. sqq.

13. *Dimittere.* Ita omnes fere editiones, sed errore operarum. Legendum *demittere. Heins.* Male. Cic. saepius, v. c. ad Att. XII, 18. *discedentem te non sine magno dolore dimittam.* Vid. Epist. V, 51., Amor. I, 6, 35. *Burm.*

15. *Dum — Hebri.* H. e. in ipso reditu ad me; nam Hebrus fluvius est Thraciae, qui ex Haemo monte ortus in mare Aegaeum defluit. Plin. N. H. IV, 11. Orpheo a Maenadibus dilacerato clarus. Vid. Metam. XI, 50., Virg. Georg. IV, 523. ibi H. Voss.

16. *Cana.* Turbida. Sic Epist. III, 65. *canescere;* Epist. V, 54. *canet.*

17. 18. *Ut — valeres.* Omnes

Saepe, videns ventos coelo pelagoque faventes,
Ipsa mihi dixi: „Si valet, ille venit."

ante Burmannum editt.:

Saepe deos supplex, ut tu scelerate valeres,
Sum prece turicremis devenerata focis.

de quo hic vir: „dubito, an haec satis latina sint, et an *prece venerari focis* recte dicatur. Codices vero variant: in priori versu quidam: *ut tu scelerate redires* vel *venires; pro te scelerate rogavi* unus Regius et Leidensis, quod minime reiiciendum puto, quia et rotundiorem versum facit et sensum optimum exhibet. *Cum prece* recepimus ex Palat. et Vaticano; scribo:

Saepe deos supplex pro te, scelerate, rogavi,
Cum prece turicremis devenerata focis."

cui recentiores editores fere omnes assentiuntur. Ac sane sic rotundior sententia est, et amat Ovidius ita notionem hexametri per pentametrum copiosius exponere; ex. c. Epist. V, 113. 114.

Hoc tua, nam recolo, quondam germana *canebat,*
Sic mihi diffusis *vaticinata* comis.

qui locus huic admodum similis est; vid. Tibull. III, 3, 12. Loquendi autem formam *rogare aliquem pro aliquo* vindicavit Burmannus ad Phaedr. III, 2, 16. Vid. vel nostrum Epist. XXI, 61. et Met. VI, 308. Sed cum reliqui codices et veteres editiones in supra laudata scriptura fere consentiant eaque satis aptam praebeat sententiam, non licet veteri tantaeque auctoritatis lectioni novam eamque e trium inter se discrepantium codicum varietate conglutinatam praeferre. *Prece* vero *turicremis focis*, pro *ad turicremos focos devenerari,* licet paullo insolentius dictum est, minus a Latinorum dicendi ratione alienum videbitur, si veteres saepe per ipsos casus, quod nos praepositionibus, enuntiare hincque non raro eorundem casuum concursum fieri memineris. Conf. Epist. IX, 85. 86., et vid. de eo usu A. Matthiae ad Cic. pro Muren. §. 87., et Bremi ad Sueton. Oct. c. 16. *Prece devenerari,* ut Met. VI, 203.

Quodque licet tacito venerantur murmure numen.

Devenerari, ut Trist. I, 3, 41. Eandem scripturam probavit Iahn, et ante eum Heusinger. Sin autem novare liceret, v. 18. scriberem ex Palat., Vatic., et Mentel. *cum prece* et ex Mentel. *sum venerata,* ita:

Cum prece turicremis sum venerata focis.

quanquam nec illud satis tutum videatur, quum, praeter quod libri repugnant, Ovidius, quod commune ei est cum Sueton. aliisque serioris aetatis scriptoribus, eiusmodi composita in deliciis habeat, et difficile explicatu sit, quomodo tam rara vox in omnes fere libros irrepserit. V. 17. nonnulli codd. Heinsii: *venires;* alii: *redires.* V. 18. pauci codd.: *turiferis.* In decem codd. ex undecim nostris et editt. Venetis vv. 18. et 19. desunt. Quare Hubertinus coni.: *Saepe deis s., ut t. sc. valeres, Ipsa mihi etc.*

20. *Si valet, ille venit.* Nos cum Lovaniensi distinximus: *si valet*

Denique fidus amor, quicquid properantibus obstat,
Finxit, et ad causas ingeniosa fui.
At tu lentus abes, nec te iurata reducunt
Numina, nec nostro motus amore redis.
Demophoon, ventis et verba et vela dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.
Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amavi?
Crimine te potui demeruisse meo.
Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi:
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.

ille, venit. Burm. *Ille* permulti codd.; plures Ciofani et alii *ipse*, quod et idem hic locum habere posset; saepe enim *ipse* sic absolute usurpatur, ut cum vi personam notam significet, quo modo Graeci suum αὐτὸς in αὐτὸς ἔφα et similibus, de qua re vid. Ruhnken. Dict. in Terent. Andr. II, 2, 23. Sed eodem modo usurpatur *ille.* Terent. And. I, 5, 30., II, 6, 7. et sic passim. Conf. Epist. IV, 14. De distinctione nihil caussae video, cur cum Burmanno et Iahno potius interpungendum putem: *si valet ille, venit,* quam cum vulgata: *si valet, ille venit.* Conf. Epist. XVIII, 21., Virg. Ecl. V, 88., Cic. Acad. I, 8, §. 30., Herodot. V, 79. ὡς ἐπυνθάνοντο ---, εἶπαν οἱ Θηβαῖοι.

24. *Motus. Captus* tres libri; sed nihil muto. Captus amore fuit Demophoon, cum primum viderat Phyllida; nunc ut rediret, *moveri* debebat. Unus etiam Heinsii: *venis;* solemni permutatione. Burm.

25. *Ventis — dedisti.* Eodem modo atque eadem elegantia Metam. VIII, 134.

An inania venti
Verba ferunt; idemque tuas ingrate carinas?

Conf. Ep. VII, 7—9., et Trist. I, 2, 18. Inde ab Homero solemnis apud poetas imago, de qua vid. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 26, 2.

27. *Nisi non sapienter.* Calpur. Flac. Decl. II. *miraris, si aliquis non sapienter amat; cum incipere amare non sit sapientis.* Heins. Ad sententiam conf. Epist. VII, 164.

28. *Crimine te potui.* Sensus est: crimen, quod commisi, tale est, quo te, amorem tuum, demerere maxime debuerim.

30. *Instar.* Similitudinem atque momentum. Epist. XVI, 366.

Unus is (*Hector*) innumeri militis instar habet.

Vid. Amor. II, 11, 48. Conf. Virg. A. VI, 865. Versus autem 27. 28. et 29. 30. in eadem prope re versantur atque sententia. Quare Lenzius alterum distichon subditilium existimabat. Ego vero ob id ipsum ab Ovidio illud esse putem, qui id inprimis proprium habet, ut sic saepius sententias paullo latius exponat, et prope eadem aliis verbis iterum dicere videatur. Conf. infr. vv. 76—79.

31. *Fides ubi nunc.* Heinsius malebat *iura, fidesque ubi sunt?*

Iura, fides ubi nunc commissaque dextera dextrae;
Quique erat in falso plurimus ore deus?
Promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos,
Qui mihi coniugii sponsor et obses erat?
Per mare, quod totum ventis agitatur et undis,
Per quod saepe ieras, per quod iturus eras;
Perque tuum mihi iurasti, nisi falsus et ille est,
Concita qui ventis aequora mulcet, avum;
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces;

Sed *ubi nunc* elegantius. *Burm.* Et librorum auctoritate et oratorio Ovidianae orationis ingenio satis firmatur. *Commissa,* coniuncta. Virg. Aen. III, 428., Flor. I, 4. ubi vid. Ducker. Conf. Burm. ad Val. Flacc. VI, 491. *Dextera* autem iam apud Hom. pro pignore datae fidei datur. Iliad. XXIV, 671.

32. *Deus.* Non intelligendum de diis omnibus, quos testes invocabat Demophoon; sed *deus* est *Amor* sive *Cupido. Ubi nunc deus,* quem semper in ore habebas? *Ubi nunc Hymenaeus,* quem.... Ac saepe eos deos poeta coniungit: Met. I, 480.

Nec quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia, curat.

Ibidem IV, 758.

Taedas Hymenaeus Amorque Praecutiunt.

35. *Et undis.* Decem libri Heins. exhibent *iniquis,* ut Amor. II, 11, 25., Ep. VII, 141., Ep. VI, 141. Quindecim habent *auris,* quae verba (*ventus* et *aura*) et eadem poeta coniungere amat, ut: Met. XIII, 807., XV, 411., VII, 197., I, 526., Amor. I, 8, 106., Ibide 106. Cum Burmanno, dum librorum manuscriptorum copiae diligentius colligantur, vulgata videtur retinenda. *Venti* autem et *undae* apud Ovidium coniunctim posita sunt Trist. III, 2, 15., Amor. II, 16, 46., Epist. VII, 44. Sed tamen non sine varietate lectionis.

37. *Falsus.* Pro *fictus* restituimus *falsus,* quae est lectio veterum editionum omnium et plurimarum Heinsii membranarum, quibus accedunt cod. Trev. et Goth. 1. 2.; nihil enim frequentius est, quam verbis rarioribus, vel rariori cum significatione frequentius obvia usitatioraque substitui. *Falsus* autem h. l. eam significationem habet, qua dicitur Metam. IX, 24.

Iupiter aut falsus pater est (*Herculis*), aut crimine verus.

Metam. I, 754., Prop. II, 5, 7.

Quin etiam falsos fingis tibi saepe proquinquos.

Virg. A. I, 716.

Et magnum implevit falsi genitoris amorem.

ut *falsus* idem significet, quod *fictus;* non, quod existimabat ad h. l. Burmannus, ut *falsus* Neptunus dicatur, quem periurio fefellerat Demophoon.

39. *Tela.* Scripti nonnulli *tella; bella* Patavinus. *Facientia*

Iunonemque, toris quae praesidet alma maritis;
  Et per taediferae mystica sacra deae.
Si de tot laesis sua numina quisque deorum
  Vindicet; in poenas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci,
  Ut, qua desererer, firma carina foret;
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
  Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis;
  Credidimus generi nominibusque tuis;

est fere idem, quod *negotium facientia, efficacia,* vel ex sententiae ratione, qua praepropere legendum suadebat Douza, *officientia.* De duplici genere armorum Cupidinis vid. ad Epist. IV, 16.

41. *Iunonemque.* Vid. ad Epist. XII, 87.

42. *Taediferae — deae.* Cereris Eleusiniae, quod praesentissimum numen Atheniensibus. Sic et Ἑκάτα δᾳδοφόρος Bacchylidi in fragmentis dicta. HEINS. *Taedifera* dicta Ceres est, quia dicitur taedas ad ignem Aetnae incendisse, cum investigaret filiam Proserpinam, a Plutone raptam. Metam. V, 442., Fast. IV, 493.

> Illic accendit geminas pro lampade pinus:
> Hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur.

Hom. Hymn. in Cer. 48., Diod. Sic. V, p. 288., Claudian. Rapt. III, 376., Cic. Verr. IV, 48. al.

Mystica, arcana. Ceterum per mare, Neptunum, Venerem, Iunonem, Amorem, cur potissimum iuraverit, in aperto est; per Cererem autem iurasse recte animadvertit Heinsius, quia ea dea, et mysteria Eleusinia apud Athenienses praecipue honore habebantur.

44. *Unus eris.* Non *erit,* sed *eris* cum melioribus scriptis, et editis nonnullis; et ita Schlichtenhorst in suis ad me litteris. Senec. Med. in fine: *Unus est poenae satis.* HEINS.

45. *At* pro *ah* probe Puteaneus et alii multi, quod indignationem efficacius exprimit. Vide notas ad Epist. XII, 1. (Conf. Burm. Sec. ad Anthol. L. II, 555.) HEINS. Veneta a. 1486. quoque *at.* *Furiosa,* furioso amore obcaecata. Met. IX, 737. *Meus est furiosior illo, Si verum profitemur, amor.*

50. *Nominibusque tuis.* Ita legendum vel invitis libris, non vero *numinibus;* ne bis idem dicat; sequitur enim mox *Dis quoque credidimus. Genus* et *nomen* saepe coniungunt auctores optimi. Noster Ep. XVII, 51. *Quod genus et proavos et regia nomina iactas.* Martial. lib. V. Epigr. XVII. *Dum proavos atavosque refers et nomina magna. Nominibus* etiam Gronovio nostro placuisse video, qui adeatur Observ. lib. IV. cap. XV. Neque aliter Ianus Douza in margine sui codicis legendum

Credidimus lacrimis: an et hae simulare docentur?
Hae quoque habent artes, quaque iubentur eunt?
Dis quoque credidimus: quid iam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.

monuerat. *Heins.* Hubertinus hic non fraudandus sua laude, qui et *nominibus* legendum esse monuit, ne superflua esset iteratio. *Burm.* Werferus tamen *numinibus* defendi posse putabat, si v. 53. pro *dis* scriberetur *his*. Sed praeter ea, quae pro Heinsii scriptura iam allata sunt (quibus adde Epist. VI, 113.), verbo *credidimus* nova ubique addita res est, quae fidem fecerit; et certe nihil cogitari potest languidius, quam poetam tam diu in *lacrimis* immorari, contra *dii* aptissime supremo loco ponuntur, utpote ad datam fidem firmandam gravissimi. Eodem ducere videtur illud *quoque*. Epist. X, 111. 113.

Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
Vos *quoque* crudeles, venti, nimiumque parati.

Quod autem Iahn *numinibus* existimabat significari deos, a quibus Demophoon genus et originem duxisset, et *diis* (v. 53.) eos deos, per quos iurasset, refellitur v. 37., ubi etiam per deos suae gentis iurasse Demophoontem Phyllis dicit, et maxime v. 53., ubi voce *deorum* omnes deos, et generis eius et per quos alios Demophoon iuraverat, complectitur. Sex codd. Heinsii: *muneribusque*.

52. *Hae quoque — — eunt?* Art. Am. III, 291.

Quo non ars penetrat? Discunt lacrimare decenter;
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

De artificiosis et falsis lacrimis vid. omnino Iuv. Sat. VI, 274. et quos ibi laudat Ruperti.

53. *Quid iam tot.* Putean. cod. *quod iam.* Lege omnino *quo iam;* elegans locutio, sed plerumque ab imperitis librariis interpolata. Stat. Theb. IX, 55., Metam. XIII, 103., Hor. Epist. I, 5, 12. Plura congessit ad Sen. Nat. Quaest. I, 16., et Controv. Gronov. *Heins.* Vid. Barth. ad Claud. in Rufin. I, 48. et Zinzerl. Promuls. 24. *Burm.* Et Cort. ad Cic. Fam. VI, 4., Heindorf. ad Hor. Sat. I, 6, 24. et Forcell. Sed omnes codd., Putean. illo excepto, et excepta una Naugerii, veteres editiones hoc l. exhibent *quid*, quam scripturam, cum ei neque usus repugnet loquendi, neque obstet ipsius vocis vis atque significatio, et hoc loco et in omnibus his carminibus, ubi maior pars librorum non sequente accusativo aut infinitivo eandem tueretur, revocandam existimavi, Heinsii novatione, quae Iahniana excepta recentiores editiones fere omnes occupavit, expulsa. Vid. Epist. IV, 157., XIV, 65.

54. *Inde.* Ex iis, sc. pignoribus. Vid. Amor. III, 4, 41., Valer. Max. IX, 13., Terent. Adelph. I, 1, 21. Conf. Cort. ad Cic. Epist. ad div. VI, 4, 3., interpp. ad Phaedr. III, 18, 9., ad Iuven. Sat. XIV, 135., et Ruhnk. Dictat. ad Terent. Andr. IV, 4, 9. Eodem modo dicitur *unde* Hor. Sat. II, 7, 116. Conf. Schmidt ad Hor. Ep. I, 5, 12.

Nec moveor, quod te iuvi portuque locoque;
Debuit hoc meriti summa fuisse mei:
Turpiter hospitium lecto cumulasse iugali
Poenitet, et lateri conseruisse latus.
Quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori.
Speravi melius, quia me meruisse putavi:
Quaecumque ex merito spes venit, aequa venit.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria: simplicitas digna favore fuit.

55. *Iuvi portuque locoque.* Excerpta Vossii *portuque locoque recepi,* ut supra v. 29. Conf. Epist. VI, 55. Ut hic *iuvi portu et loco,* Iuv. Sat. III, 211.

Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.

Vid. I. Caes. B. G. VII, 78., Ovid. Fast. II, 42., Val. Flacc. I, 375. Versus autem in amphibrach. exeuntes, quos inprimis Voss. ad Virg. G. III, 519. damnat, frequentes sunt apud Ovidium. Epist. I, 115., III, 25. 41. 47. 73. 137. 141. 143. quae praeter multa alia exempla adscripsit Iahn ad Metam. VI, 75. Vid. ad Epist. IV, 33.

56. *Hoc.* Rectius *hoc* multi ex scriptis, quam *haec.* HEINS. Sed v. 66. *summa ista,* et Pont. IV, 1, 4.

Accedet meritis haec quoque summa tuis.

Epist. III, 8. *hoc culpa tua est;* apud Quint. Decl. V, 6. *hoc caritas est,* ubi vid. BURM. Utrumque Latinum est. Vid. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 159., Cort. ad Sallust. B. Iug. 51. et ad Plin. Epist. III, 5. Placet h. l. plurimorum codicum *hoc. Nec moveor, quod....; debuit hoc.* Vid. ad Epist. III, 8.

57. *Cumulasse,* cumulum addidisse. Vid. Epist. X, 20.

58. *Lateri conseruisse latus.* Tibull. I, 8, 26. *Femori conseruisse femur;* conf. Art. A. I, 496.

61. *Quia me.* Pro *quia te* libri quatuor *quia me;* atque ita legendum esse, deque suis meritis hic loqui Phyllidem sequens v. liquido arguit. HEINS. Et hoc iam monuit ex cod. suo Hubertinus. Ita Trist. V, 2, 59.

Omniaque haec timui, quia me meruisse videbam.

Franc. ad oram codicis sui adscripserat, Casaubonum velle *quia demeruisse;* sed elegantiam in repetitione *me meruisse* deprehendit Broukh. ad Tibull. I, 1, 3. Vid. etiam ad Fast. VI, 237., Trist. IV, 10, 75. BURM. Et nil nisi coniectura, et *meruisse* confirmatur versu sequenti, in quo *spes* respondet voci *sperare* huius versus et *merito* voci *meruisse;* nam non audiendus Burmannus est, qui ex quibusdam Mss. legi malebat *emerito,* aut *cuicunque ex merito.* Epist. V, 8.

Quae venit indigne, poena dolenda venit.

Prop. II, 19, 68.

Si qua venit sero, magna ruina venit.

Sum decepta tuis et amans et femina verbis:
Dî faciant, laudis summa sit ista tuae;
Inter et Aegidas media statuaris in urbe,
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Sciron lectus torvusque Procrustes,
Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri,
Et domitae bello Thebae, fusique Bimembres,
Et pulsata nigri regia caeca dei;

65. *Amans et femina.* Vid. Epist. VII, 121.

66. *Laudis — tuae.* In eo contineatur omnis laus tua, quae quidem nulla, immo dedecus est.

69. *Sciron lectus.* Codices *Sciron lectus* (nonnulli *lectus Sciron*). Vid. Claudian. in Ruf. I, 253. et ibi Delr. Sequenti versu *Scinis* editi quidam et scripti; sed *Sinis* rectum; vid. Stat. Theb. XII, 576., Claud. ibid. 252. et Delr., Senec. Hip. 1168., de Clement. II, 14., ubi Lips., Metam. VII, 441. et Ibid. 407. Cod. Voss. *formaque mixta. Heins.* *Sciron* fuit latro insignis, Megaridis rupes incolens, qui vel latrociniis viam infestabat, vel praetereuntibus pedes porrigere solebat lavandos; quod cum fecissent, calcibus eos in mare deiiciebat. Eum et ipsum deiecit Theseus. Hyg. F. 38., Plutarch. Thes. c. 10., Diod. Sic. IV., Ztetz. Chil. V, 10., Salvagn. ad Ibin 409., Gesner ad Claudian. III, 253., Pomp. Mel. II, 3., Solin. c. 7., Ovid. Met. VII. a v. 443. et Meziriac. l. l. *Procrustes* (non *Procustes*, ut a προκρούειν veniat. *Egnat.*), Neptuni filius, mensuram hospitum ad lectum propositum aptabat; si longiores essent lecto, amputabat prominentes partes; sin breviores, incude supposita extundebat pedes. Hunc interfecit Theseus. Vid. iidem auctores. *Sinis,* in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus (unde *Πιτυοκάμπτης* dictus) homines alligare solebat, quibus subito dimissis illi foede lacerabantur. Alii eam rem narrant aliter. Eodem mortis genere affectus est a Theseo. Vid. iidem auctores.

70. *Mixtaque forma viri.* Virg. Aen. VI, 25.

> Mixtumque genus prolesque biformis
> Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae.

De hoc monstro ex turpi Pasiphaes cum tauro concubitu orto et posthac a Theseo in labyrintho ope Ariadnes occiso vid. iidem et Epist. X.

71. *Domitae bello Thebae.* Bellum dicit illud, quod motum erat, quod Creon, Thebarum rex, Argivis sepulturam negasset. De hac re exstat fabula Euripidis, quae inscribitur *Ἱκετίδες,* (ubi vid. interpp.); et meminerunt Plutarch. in Thes. et Isocrat. in Encomio Helenes. *Micyll.*

Bimembres, Centauri, qui superiore parte corporis homines, inferiore equi erant, in Pirithoi nuptiis Thesei maxime virtute

Hoc tua post illos titulo signetur imago:
Hic est, cuius amans hospita capta dolo est.

domiti sunt. Metam. XII, 227. sqq., Meziriac. l. l., Plut. et Diod. l. l. Conf. Hyg. F. 33., Hom. Iliad. I, 265.

72. *Pulsata — regia caeca dei.* Obscura regia Plutonis, in quam Theseus, vel ut cum Pirithoo Proserpinam raperet, quam ille amabat, vel ut eum liberaret, descenderat. Vid. Plut. in Thes., Heyn. ad Virg. Aen. VI, 618., Apollod. II, 5., Hyg. F. 79., Hor. Od. IV, 7, 17., Meziriac. l. l. p. 145. Vid. etiam de hoc loco et de omnibus aliis, quae in his carminibus commemorantur, fabulis recentiores antiquae fabulae interpretes Hermannus, Gruber, H. Voss, Creuzer.

Nigri autem hoc loco prima corripitur, ut Horat. Od. I, 32, 11., IV, 12, 11., Prop. IV, 6, 13. Burm. Metam. IV, 438. *nigri fera regia Ditis*. Mentel. alter a man. prima *pulsata imi*.

73. *Post illos*. Omnes Heinsii, item nostri, exceptis duobus, hoc loco corruptis, et veteres editiones *post illos;* sola excerpta Puteani *post illum,* quae sequutus est Heinsius, et hunc recentiores editores praeter Heusingerum et Iahnum fere omnes. Sed lectio *post illos* proba est, et ad sententiam locique rationem aptissima. Dicit poeta: *Stet pater ante magnificus titulis suis;* iam titulos illos inde a v. 69—73. enumerat, quos cum modo tam copiose exposuisset, ad eos quasi solos respiciens dicit *post illos* pro *post illum cum his titulis;* id quod eo magis probandum videtur, quia lector verba *stet pater ante* interposita illa rerum a patre gestarum enumeratione quasi e conspectu amisit, quum contra *tituli illi* maxime ob oculos versentur; accedit, idque gravissimum est, quod ita sententia constituta sit, ut v. 73. faciat apodosin illius paternorum titulorum enumerationis, unde talem accipit formam: *Cum fuerit...... dei;* i. e., *Cum hi tituli lecti fuerint:* tum, *post illos* (quae verba illud *cum fuerit...... dei* cum vi repetunt) *hoc titulo tua signetur imago, hic titulus in tua legatur imagine*. Adde quod omnis loci vis inest in oppositis *hoc post illos,* et ipsam positionem illius *hoc* in versiculi initio. In quibusdam libris *titulos*. Male. Conf. Metam. II, 417.

74. *Hospita capta dolo*. Quinque libri *hospite dolo*. *Hospes dolus,* ut *cymba hospes,* apud Stat. Sil. V. v. 254., *hospes gemma* Palladio de Agricultura. Ita Claudian. Cons. Hon. VI, 651. *hospitem honorem* dixit, et Ov. Ep. VI, 52. *hospita castra*. Pari modo Epist. IX, 86. *infans manus,* ubi plura, et ad Epist. III, 100. Heins. Ego vero vulgatam retinui, quia durior videbatur constructio; sed facilior, si ita capiamus: hic est Demophoon, cuius amans hospita (quod pondus habet, ne ideo mereretur capi et falli) est capta dolo. Burm. Vid ad Epist. III, 100. Construe: *cuius dolo a. h. c. e.,* qui amantem hospitam decepit; non cum Burmanno: cuius amans etc.

75. *De tanta etc.* Ex innumeris illis patris tui praeclaris

De tanta rerum turba factisque parentis
Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum miraris in illo:
Heredem patriae, perfide, fraudis agis.
Illa, nec invideo, fruitur meliore marito,
Inque capistratis tigribus alta sedet:

factis hoc solum ob oculos tibi versatur, quod imiteris, Cressa (Ariadne in Naxo) relicta. Pro *relicta* quaedam editt. habent *puella*, ut Epist. IV, 2., eamque scripturam quidam interpretes probarunt; sed vera lectio certe est *relicta;* quae praeter maiorem auctoritatem codicum, maiorem quoque habet vim. Nimirum agitur de uxore vel sponsa relinquenda; hinc dubium non est, quin notionem relinquendi poeta expresserit; *relicta* etiam aptius respondet verbis: *de tanta rerum turba factisque parentis.* Conf. Epist. Sab. II, 103., Amor. II, 18.

Scribimus; aut lacrimas, Phylli relicta, tuas.

Cressa absolute de eadem Ariadne Amor. I, 7., Metam. IX, 703. De re ipsa vid. Epist. X.

77. *Solum miraris.* Haec vera lectio, etsi libri tam typis, quam calamo descripti nonnunquam turbant. Locus hic mire illustratur Epist. VI, 139.

Lemniadum facinus culpo, non miror, Iason.

ubi τὸ *culpo* opponitur illi *excuso;* hoc rei, illud actoris est. Sensus est: Tu, Demophoon, ea tantum laudas et imitaris in patre tuo, quae ille, utpote peccata, excusat. *Mirari* pro *imitari*, ut apud Lucan. IX, 807.

Magnanimo iuveni miratorique Catonis.

Vid. Stat. Sil. V. Propemptico Crispini. *Heins.* Virg. Aen. VIII, 517.

Tua cernere facta
Adsuescat primis et te miretur ab annis.

ubi interpretatio in plurimis codd. adscripta *imitetur*. *Burm.* Vid. Casaub. ad Theophrast. p. 153., Arntzen ad Aur. Vict. 596. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi *mirari* vere *imitari* significet; sed admiratio solet imitationem atque aemulationem antecedere. Conf. Epist. VI, 139. Palatin. *imitaris*. *Excusat*, deprecatur, veniam petit. Stat. Silv. IV, 6, 70.

Magnoque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.

78. *Agis.* A scena sumtum vocabulum.

79. *Meliore marito.* Baccho nimirum, qui eam a Theseo in insula Dia vel Naxo relictam amavit. Vid. Epist. X.

80. *Tigribus. Tigres* Bacchi currui tribuit Ovid. Amor. I, 2, 48., etiam Hor. Od. III, 3, 14.; alii *lyncibus* in coelum vectam Ariadnen canunt; Prop. III, 15, 8.

Lyncibus in coelum vecta Ariadna tuis.

ipse Ovid. Metam. IV, 25. Vid. Meziriac. l. l. p. 160.

81. *At mea despecti. Despectae* legendum statuit Valckenaer ad Eurip. Phoen. p. 515., ut se *despectam* Phyllis cum Ariadna comparet a Theseo *spreta*. Male,

At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod feror externum praeposuisse meis.
Atque aliquis „Doctas iam nunc eat" inquit „Athenas:
„Armiferam Thracen qui regat, alter erit."
Exitus acta probat. — Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

ut puto; id enim si poeta voluisset, certe versibus 79. et 80. notionem inseruisset, quae voci *despectae* huius versus responderet; nec ulla praeterea est hoc l. lectionis varietas, et sententia denique planissima est: At mea despecti Thraces c..., quod praeposui vel praeposuerim. Vid. Sab. Epist. II, 85.

82. *Quod feror*. Nonnulli codices et Burmannus *ferar;* plurimi tamen cum vett. editt. *feror*; quod Werfer ex rationibus grammaticis verum putabat, dicens: illud *feror* si abesset, recte diceret: quod externos *praeposuerim* meis (sic Thraces criminantur, culpant). In quo vir doctus non satis perspexisse videtur, verba *feror, dicor* apud Ovidium saepissime nil nisi meras circumlocutiones esse (vid. Met. VII, 61., Epist. XIII, 42., VI, 114.); *feror* enim hic non est *rumor est;* sed *populi ore celebror,* ut Epist. VI, 114. Utrumque ad sententiam probum, *ferar* coni., ut dictum sit ex sententia Thracum (conf. Epist. IV, 129.), *feror* indic., ut ipsius sit loquentis, Phyllidis. Vid. Met. XV, 113. ibique Iahn, et Bremi Indic. Sueton. Sed tamen et nos cum Iahno praetulimus *feror,* propter maiorem auctoritatem veterum librorum.

83. *Doctas* hoc loco certe per prolepsin dictum est. *Doctas Athenas* etiam Prop. I, 6, 13.

84. *Armiferam.* Thracia bellicosa passim vocatur a poetis, in qua et sedem habuisse Martem (vid. Heyn. ad Virg. III, 13., Hom. Iliad. VIII, 361., Callim. Del. 63.) et natum poetae canunt. Ovid. Fast. V, 257., Veget. I, 28.

85. *Exitus acta probat.* I. e. bonus exitus facta probanda esse efficit, sed opto, ut successu careat, quisquis facta culpanda esse credit post malum exitum. *Heins.* Burmanno verba *exitus acta probat* Thracum esse videntur, illudentium credulae nimis Phyllidi, et exprobrantium ipsi facilitatem, qua se hospiti tradidisset, cum ex eventu nunc perfidiam Demophoontis videret; sequentia autem verba ipsius Phyllidis. Lennepio Thracum, sive Thracis cuiusdam sermo multo concinnius versu 84. absolvi videbatur, quam ad medium v. 85. continuari, ac similiter opponenda ei Phyllidis responsio planius et Ovidiano mori convenientius ab incipiente, quam a medio versu initium ducere; eamque ob rem v. 85. tam priora, quam posteriora esse Phyllidis; totius autem loci sensum et nexum hunc esse: Nimirum, ut ex hoc sermone patet, Thracum vulgus facta tantum ex eventu probat. Nunc quidem male me fecisse, factum meum notandum, reprehen-

At si nostra tuo spumescant aequora remo,
Iam mihi, iam dicar consuluisse meis.
Sed neque consului, nec te mea regia tangit,
Fessaque Bistonia membra lavabis aqua.

dendum iudicant; (careat, opto, successibus ipse, quisquis notanda facta ex eventu putat); at si tu in Thraciam redires, protinus ab iisdem Thracibus dicerer mihi meisque consuluisse. Facile assentior Heinsio et Lennepio verba haec esse Phyllidis; nam si verba *exitus acta probat*, et magis etiam, si verba *ab eventu facta notanda*, quibus priorum sensus illustratur, diligentius consideres, sententiam, utpote tam iniustam, Thracum ipsorum esse vix posse apparebit. Contra recte ac magna cum sentiendi veritate Phyllis ex dura illa et irrisionis plena Thracum oratione *Doctas — erit* ita inique eos loqui quasi concludit, et tam temeraria dicentibus iniustum illud praeceptum apponit. Et maiorem ea verba vim habere videntur, si cum acerbitate ab ipsa Phyllide dicta intelligantur.

86. *Ab eventu. Ab eventu* non simpliciter est, ut Heinsius, adstipulante Burmanno, volebat, post eventum, sed etiam ex eventu vel propter eventum, ut in loco, quem laudavit Heinsius A. A. I, 377. *a concubitu* non tantum est *post concubitum*, sed etiam *propter antecedentem concubitum*; et in Epist. X, 16. *a somno turbida* non tantum *post somnum*, sed etiam *ex somno*, propter crebras in somno iactationes capitis. *Lenn.* Vid. Ep. X, 138., Metam. I, 417. *Ab eventu*, h. e., *a malo eventu* propter illud *notanda*.

87. *Spumescant*. Edit. princ. *canescant*.

89. *Nec te mea regia tangit*, i. e., ut vulgo etiam exponitur, nec regia mea tibi cordi est, quemadmodum Epist. V, 81. et VII, 11. Nam quominus cum Schrodero in Miscell. Obss. Vol. VI. Tom. I. p. 196., quamvis sequentia, *Fessaque Bistonia membra lavabis aqua*, eo ducere videantur, per enallagen accipiam pro: nec tu meam tanges regiam, primum obstat illius enallages audacia, quum praesertim *me tangit* in hac quidem coniunctione apud Ovid. ubique pro *cordi mihi est, commoveor* usurpari soleat; praeterea si, ut vulgo, intelligitur, nova caussa, ut aiunt, et effectu coniunctis, accedit notio mollissimi ac verissimi affectus et ad amantis animum flectendum efficacissima, ut qua nobilitatis suae Demophoontem Phyllis admoneat. *Und es rührt dich nicht mein Königssitz, und nicht mehr wirst du deine matten Glieder in Bistons Fluthen baden.* Atque ita si vocem *tangere* h. l. intelligas, vide an futuro *tanget* multo aptius ac mollius videatur praesens et olim vulgata, ut de praesenti Demophoontis in ipsam animo dictum *tangit*, quod nos restituimus, quodque praeter tres Heinsii codd. omnes libri et editi et scripti tuentur. *Lavabis* de balneo dictum est, atque ex more Romanorum post quamlibet defatigationem in balneum descendendi ex-

Illa meis oculis species abeuntis inhaeret,
Cum premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, colloque infusus amantis
Oscula per longas iungere pressa moras;
Cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras; 95
Quodque foret velis aura secunda, queri:
Et mihi discedens suprema dicere voce:
„Phylli, fac exspectes Demophoonta tuum."

pressum. Veget. de re milit. I, 10. *Bistonia* dicta est regio Thraciae a Bistone urbe, quam olim condiderat Bisto, Martis et Callirhoes filius. Est quoque Bistonis lacus, ad quem h. l. poetam alludere putant alii, non ego.

90. *Fessaque.* Omnes legunt *fessaque* et addunt commentatores, negationem esse intelligendam, ut sit sensus: Nec lavabis membra aqua Bistonia. Ego vero legendum censeo: *fessave*, per disiunct. part., quo pacto nihil supplendum in expositione erit. Nam disiunctivae negationibus subiectae, etiam ipsae negandi vim habent. *Micyll. Fessave* praestat, ut post negativam *nec* semper scribendum esse puto. V. Bentl. ad Hor. Epod. 16, 6. et Sat. I, 6, 68. *Burm.* Revocavit recte hanc sententiam suam Burm. ad Metam. III, 492. in Addend. T. IV. p. 292. et ad Phaedr. IV, 4, 16. Aberrat etiam Gier. ad Plin. Paneg. 49, 6., qui in eiusmodi locis *que* pro *neque* positum esse dicit. Immo voce *que* duae sententiae arctissime connectuntur, et ita in unam coalescunt, ut negandi particula ad utramque pertineat. Quae huic loco convenienter monuit Iahn ad Hor. Od. IV, 9, 18.

91. *Abeuntis inhaeret.* Conf. Ep. VII, 26., Trist. IV, 3, 19., Vell. Paterc. II, 37.

92. *Meos.* Plurimi manu scripti Heinsii *tuos.*

93. *Amantis.* Chartaceus Voss. *amanti;* quod Heins. coniecerat; sed vid. ad v. 74.

94. *Oscula.* Moreti: *Iungere per longas basia pressa moras;* sed a voce *basia* studiose abstinuit Ovidius, neque in omnibus eius operibus vel semel occurrit, nisi nequitia librariorum, qui eam *osculis* saepe eiectis substituerunt, ut Amor. II, 5, 23. et alibi.

98. *Fac.* Editio pr. (etiam Veneta pr. et sec. et aliae) et multi scripti *fac.* Male. Fast. I, 287.

Iane, face aeternos, Pacem, Pacisque ministros.

V, 690.

Et face ut emptori verba dedisse iuvet.

Vid. Remed. Am. 337., Pont. II, 2, 64. *Heins.* Ego non puto *fac* posse corripi. Vid. quae de hac voce disputant Gifan. Indice Lucret., Lamb. ad l. II, 484. et III, 422., Pincier. Parerg. IV, 39. et qui Menagiana illustravit III. p. 340. *Burm.* Sed vid. Ramshorn. Gram. Lat. p.

Exspectem, qui me nunquam visurus abisti?
Exspectem pelago vela negata meo?
Et tamen exspecto: redeas modo serus amanti,
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.
Quid precor infelix? Iam te tenet altera coniux
Forsitan et, nobis qui male favit, amor;
Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
Hei mihi! si, quae sim Phyllis et unde, rogas:
Quae tibi, Demophoon, longis erroribus acto
Threicios portus hospitiumque dedi:
Cuius opes auxere meae; cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui:
Quae tibi subieci latissima regna Lycurgi,
Nomine femineo vix satis apta regi:

729., et Grotefend. Prosod. Lat. p. 21. et 22.

100. *Negata* i. e. quibus constituisti nunquam redire in mare meum.

102. *Ut.* Cod. Trev. *et;* vid. ad Epist. XIX, 67. 68. *Solo tempore* lapsa fides est, si redit quidem, sed serius, quam iuravit.

103. Vid. Ep. I, 75.

105. *Utque tibi excidimus.* Sic Senec. Med. 561. *Excidimus tibi,* et Hom. Iliad. XXIII, 595. ἐκ θυμοῦ πεσέειν. *Ut* est interprete Heusingero *prout,* ut Plaut. Pseudol. I, 3, 44., Cic. ad Div. III, 69, 4. Ego malim accipi pro *ex quo,* ut Trist. V, 1.

106. *Rogas.* Vatic. et alii *roges;* Moreti *roget.* BURM.

107. *Erroribus.* Cod. Patricii Iunii *errantibus,* quod est corruptum *erratibus.*

108. *Portus.* Putean. *pastus.* Vid. v. 55.

111. *Latissima.* Burmannus lect. *latissima* contra Puteanei *laetissima* ita defendit, ut scriptores negare Thraciam fertilem ac *laetam coelo aut solo* fuisse dicat; contra quam defensionem facile obiici potest, *laetissima* non intelligendum esse de laeto Thraciae solo aut coelo, sed potius de prospero ac florenti regni statu, qua significatione *laetus* saepe legitur. Sed l. *latissima* defensione non indiget, quum et in librorum auctoritate, et in versu sequenti *Nomine femineo vix satis apta regi,* (scilicet non quia laetissima, sed quia *latissima* regna Lycurgi sunt, vix apta Phyllis ea censet, quae a femina regantur) et vv. 113. 114. quibus quasi epexegesis vocis *latissima* continetur, satis firmitatis habere videatur. De *nomine femineo* pro femina vid. ad Ep. XVII, 60. *Regna Lycurgi* nihil nisi periphrasis est Thraciae. Virg. Aen. III, 14.

Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Lycurgi autem maxime mentionem facit ut notissimi et po-

Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Haemum,
  Et sacer admissas exigit Hebrus aquas;
Cui mea virginitas avibus libata sinistris,
  Castaque fallaci zona recincta manu.

tentissimi Thraciae regis, non, ut Burm. putat, ut beneficium suum eo magis commendet, quae exceperat portubus suis Demophoonta, unde saevus et inhospitalis Lycurgus solitus erat non modo arcere hospites, sed occidere. De Lycurgo Apollod. III, 5., Hyg. F. 132., Diod. Sic. III, 64., Hom. Iliad. VI, 130. sqq. Vid. Meziriac. l. l. p. 163. et Gierig. ad Metam. IV, 12.

113. *Haemus. Haemus* et idem mons, et altissimus et maximus, est Thraciae, de quo vid. Mel. II, 2., Strab. VI., Plin. IV, 11.

114. *Sacer — Hebrus.* Vid. ad v. 15. *Sacer* autem dicitur propter orgia Bacchi ibi celebrata. Vid. Colum. ad Enn. Sic etiam Stat. Silv. I, 6, 80. *Nilus sacer* ob sacra Aegyptia, ubi vid. Gevart.; Avien. Descrip. Orb. *sacer Alpheus* propter ludos Olympicos; *sacer Eurotas* Virg. ob palaestricam. Heins.

Admissas est lect. codicum et veterum editionum. De significatione vocis vid. Ep. I, 36. In cod. Sarraviano *exserit;* sed nihil mutandum; *exigit* enim eleganter valet *evolvit, expellit.* (Schol. cod. Trev. *extra se emittit intrando in mare.*) Ita Prop. III, 19, 3.

Tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
  Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.

Sil. III, 295., Liv. III, 61. *Pulsum vos immissis equis exigite e campo.* Avienus Ora Marit. v. 635. de Rhodano:

Effusus ille et ore semet exigens.

Eadem ratio τοῦ *exigere ensem* Metam. V, 171.

115. 116. *Cui mea etc.* Non est cur hoc distichon cum interrogationis nota legatur, et verbum *cui* cum stomacho pronuntietur, ut malebat Burmannus. Pergit Phyllis in suis erga Demophoontem beneficiis commemorandis, quorum longe maximum fuerat facta ei concubitus copia. Cf. supra v. 55. sqq. Sed videtur Burm. de nexu laborasse, qui, ut est in v. 107. sqq.: Quae hospitium tibi dedi, cuius opes meae opes auxerunt, cet.; ita in vers. 111. et sqq. hic est: Quae subieci regna Lycurgi tibi, cui mea virginitas, cet. Ger. Tjaard Suringar in Prolusione Lingae edita 1806. p. XI. versus 109—116. transponendi videbantur hoc modo: *Quae tibi subieci l. r. L. Nomine f. v. s. a. r. Qua patet u. R. g. a. H. Et sacer a. e. H. a. Cuius opes a. m. c. d. e. Munera m. d. m. d. f. Cui mea v. a. l. s. Castaque f. z. r. manu.* Lenn. Omnia huius loci sana sunt, ac gradatio quaedam inest, quae minime debet turbari: Cuius *opes auxere meae,* cuique multa dedi; quae tibi *vastum regnum Lycurgi subieci;* quae tibi *virginitatem meam libavi.*

115. *Avibus—sinistris.* Augurio infausto. *Aves* consulere in nuptiis iubet iam ipse Hesiod. Ἔργ. 36. Catull. 61, 20. *bona cum bona nubit alite virgo.* Vid.

Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
  Et cecinit moestum devia carmen avis.
Adfuit Alecto brevibus torquata colubris,
  Suntque sepulcrali lumina mota face.
Moesta tamen scopulos fruticosaque litora calco,
  Quaque patent oculis aequora lata meis;

Mitscherl. ad Hor. Od. I, 15, 5., et Meziriac. l. l. p. 168. sqq.

116. *Zona recincta.* Soluta est, quod de virgine dicitur, quae primum soluto cingulo notitiam viri habet. Vid. Scaliger et Is. Voss. ad Catull. Ep. II., Festus in *cingulo*, et interpp. ad Callim. Hymn. in Iovem v. 21., et Spanheim ad Hymn. in Dian., Brisson. de ritu nuptiarum p. 49., Brodaeus ad Anthol. III, 12. et interprett. ad Musae. Hero. et Leand. v. 272. Hom. Odyss. XI, 244.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην.

Hinc λυσίζωνος virgo vitiata vel viro data Hesych. in v.

117. *Pronuba Tisiphone* sc. fuit pro Iunone, quae, ut cui nuptiae inprimis curae erant, a poetis saepe *pronuba* dicitur; v. Epist. VI, 43., Metam. VI, 428., IX, 762., Virg. Aen. IV, 166. *Pronubae* autem munus erat, sponsam ad mariti domum deducere et in nuptiali lecto collocare. Fest. in v. *pronuba*, et Donat. ad Terent. Eun. III, 5, 45. Meziriac. l. l. p. 182. Ceterum solemne poetis, infaustis nuptiis pronubas et auspices fingere Furias; Epist. XI, 103., Metam. VI, 430., Stat. Theb. IV, 133. et XI, 491., Senec. Oed. 644., Lucan. VIII, 90., Aesch. Agamemn. 471., Val. Flacc. II, 173. Vid. Heins. ad Claud. de Rapt. Pros. I, 40. Tisiphone et Alecto nomina sunt Furiarum.

118. *Devia — avis.* Bubonem dicit, de qua ave sinistra vid. Gierig. ad Metam. VI, 432. *Deviam* vocat, quia segregata ab reliquis avibus, latebris gaudet.

119. *Brevibus—colubris.* Tibull. I, 3, 69.

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.

Conf. Hor. Epod. V, 15. de Canidia.

120. *Mota.* I. e. rotata, iactata vel *ventilata* (ut Prop. III, 4, 50.); iactantur enim faces, quo clarius luceant. Amor. I, 2, 11.

Vidi ego iactatas mota face crescere flammas.

Comp. Met. IV, 508., X, 7. et Epist. XXI, 160. De facibus autem in nuptiis ubique mentio est, quia noctu nubebant, ut testis est Festus. Vid. Meziriac. l. l. p. 188. *Sepulcrali.* Omnia funebria sunt infaustissimi ominis, igitur etiam faces. Ceterum comp. hic locus cum Metam. VI, 430—33. cum annot. Gierig., et Epist. VI, 45., et Musae. 274. Nonnulli codd. *limina.*

122. *Aequora lata.* Pro *aequora lata* omnes Heinsii codd. *litora lata,* nisi quod in tribus *litora nota,* quod ipse non improbabat. Sed quid, quaeso, est, *calco litora,* et *qua litora patent oculis?* Nec in *litora* prospectum Phyllis captabat, sed in aequora, ut

Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera, prospicio, quis freta ventus agat;

cum ex re ipsa, tum ex sequentibus apparet versibus: *Prospicio, quis freta ventus agat; Et quaecumque procul* cet. Igitur *aequora* in versu 122. vel invitis codd. servandum. At vero Burmannus *aequora calcari* posse vix credebat: et merito quidem. Sed nec *aequora a se calcari* dixit Phyllis, cuius elliptica phrasis hoc modo plenius efferri potest: Calco scopulos et litora, et omnino eam Thracicae regionis partem, qua patent oculis meis aequora. Noster in eodem argumento versans, Rem. Am. 595. *Et modo, qua poterat, longum spectabat in aequor.* Et sic est *qua* pro *ubi* etiam mox in versu 128. Possis etiam cum Boissonnadio distinguere: *Moesta tamen scopulos, fruticosaque litora calco: Quaque patent oculis aequora lata meis, Sive die laxatur humus, seu frigida lucent Sidera, prospicio, quis freta ventus agat.* Qua ratione omnis tollitur difficultas. Nam quod *fruticosa litora* in hexametro sibi non placere testatur Burm. ad h. l., quia litora sint sterilia, arenosa, et fere sine fruticibus, Hollandiae nostrae litora cogitabat vir eximius. At non omnium regionum aut litorum eadem facies. Certe frutices sunt myrti, quos tamen amantes litora dixit Virgil. Georg. IV, 124. Erat haud dubie mons ille, cuius mentionem facit Ariadne in Ep. X, 25., pars litoris; habebat tamen etiam is in vertice frutices. Ne longus sim; saepius in hac ipsa historia memoratur litori propinqua silva, ex cuius adeo ramis se suspendit Phyllis. Ovid. in Rem. Am. 599. *Limes erat tenuis, longa subnubilus umbra, Quo tulit illa suos ad mare saepe pedes. cet.* Ubi vero silvae, ibi fuisse etiam frutices credibile est, quorum h. l. potissimum mentionem factam putem ob sentes (Auctor Culicis, v. 55. *Haec teneras fruticum sentes rimatur.*), quae Phyllidi inter ambulandum molestiam creabant, ut Tarpeiae rubi, qui et ipsi frutices, apud Propertium IV, 4, 28. ubi vid. Broukhus. et confer, quem de huius loci explicatione consentire mecum video, Gerard. Bruining. in Act. Societ. Traiectin. T. II. p. 137.
Lenn.

Et nos lectionem *aequora lata* Ovidianam existimamus, quam, ut docuit Lennep, loci ratio postulat, quaeque, sin minus auctoritate codicum, tamen veterum editionum, Aldinae et Naugerianae, et omnium recentiorum interpretum et, Iahno, qui edidit *litora,* excepto, omnium quoque recentiorum editorum auctoritate firmatur, cui accedit, quod non parvi videtur momenti, illud *lata,* constans fere apud Ovidium *ponti, aequoris et maris* epitheton, ex. c. Epist. XIX, 141. Iahnus auctore Heusingero et Boissonnadio hunc locum sic distinxit:

Moesta tamen scopulos fruticosaque litora calco;
Quaque patent oculis litora lata meis,
Sive die laxatur humus seu frigida lucent
Sidera, prospicio, etc.

Et quaecumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse deos.
In freta procurro vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit aequor aquas.
Quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto;
Linquor, et ancillis excipienda cado.

ut v. 121. per se sententiam efficiat, et v. 122. coniungatur cum *sive.... sive....*, vel potius cum *prospicio*. Qua interpunctione, ut de declamatorio illo habitu, quem locus ita accipit, nihil dicam, loci sententia turbatur. Namque unde die nocteque in mare prospiceret, ante omnia tamen scopuli et litora erant (conf. Ep. X, 25.), quae moesta calcaret. Nec patitur eam ipsius ratio versus, ut pentameter *protasin* faciat, quo nihil apud Ovidium rarius est. Difficultas autem, quae inest in voce *litora* v. 122., ne sic quidem tollitur. Nos sequuti sumus vulgatam, quam ita existimamus intelligendam: *Moesta tamen scopulos et litora et quacunque alia parte, quocunque alio loco, aequora oculis meis patent* (fortasse dicit turrim vel simile quid, vid. Epist. VI, 69.) *calco:* (id quod, si modo illud *moesta* cum vi pronuntietur, per se totam ac vere poeticam continet imaginem; iam nova quasi imagine etiam continuum [sit venia voci], spectatum commemorat) *Sive die laxatur humus, sive—sidera, prospicio* etc. *Qui, aliquis* pro *qui alius, aliquis alius* saepe reperitur. Epist. XII, 80., Terent. Heaut. I, 1, 17. ibi Ruhnk. Dict.; vid. etiam Ruhnk. ad Vellei. Pat. I. c. 17. et Cic. de Fat. c. 14., Sueton. Tib. ibique Bremi, et Voss. ad Virg. Georg. II, 256. Duo Heinsii codd. v. 122. *quaeque.*

123. *Laxatur.* Multi *lassatur.* Stat. Theb. III.

Ortus ubi algentes laxavit sole pruinas.

Vid. Calpurn. Eclog. V., Avien. Descr. Orb. 705., Senec. Herc. Fur. 8. *Heins.* Vid. Stat. Silv. IV, 4, 13. Nihil frequentius poetis, quam *solem, ver, aestatem* et omnem calorem *solvere, aperire, laxare* terras (nocturno frigore contractas), ut Gronov. ad Senec. l. l. notat. Vid. etiam, quae nos ad Petron. 122. et comp. Ov. Fast. IV, 88. (ibique Gierig). *Burm.*

126. *Illa — deos.* Illa esse, quae me servent, mihi Demophoonta meum advehant; pro quo audacius *illa m. e. d.* Simplicius Amor. II, 11, 44.

Et dicam: Nostros advehit illa (*pinus*) deos.

128. *Qua.* Ciofanus legendum existimabat, quod cod. Trev. a man. pr. exhibet, *quo.* Vulgata proba est; construe ut supra v. 122.: in freta procurro, in eam partem, qua, ubi, aequor primas aquas porrigit. Metam. I, 13.

Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Sic Auson. Mosell. 142.

Diffunditur alveo
Aestus et extremi procurrunt margine fluctus.

Est sinus, adductos modice ſalcatus in arcus,
  Ultima praerupta cornua mole rigent;
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
  Mens ſuit, et, quoniam ſallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus proiectam litora portent,
  Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritia ſerrum ut superes adamantaque teque;
  „Non tibi sic," dices „Phylli, sequendus eram."
Saepe venenorum sitis est mihi; saepe cruenta
  Traiectam gladio morte perire iuvat.
Colla quoque, inſidis quia se nectenda lacertis
  Praebuerunt, laqueis implicuisse iuvat.

129. *Minus — utilis.* H. e. minus et minus compos sensus et mentis, ut Epist. IV, 7.; vid. Plin. H. N. VII, 28.

132. *Mole.* Cod. Apros. et Ambros.: *fronte,* quae lectio ab indocto librario proficisci nequit. Quamvis enim omnia contra vim aquarum excitata opera moles dicantur, eleganter tamen eminentia in illis loca *frontes* dicuntur, ut ita hic in cornibus *frons* est. Virg. Cul.

Seu qua Parnasia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte.

Vid. (Virg. A. I, 166.), Ovid. Metam. IV, 526. ubi montibus frontes dantur, et Plin. N. H. XII, 7. *frontem Caucasi* dixit; et ita Graeci *μέτωπα* vocant in mare procurrentia loca. BURM. Sed *moles* in hac coniunctione verbum proprium est, et codd. praeter illos duos, et editt. omnes hic in ea scriptura consentiunt; et meo quidem sensu illa *praerupta* frons nescio quid invenusti habet.

133. *Immittere. Submittere* quidam; Douza *dimittere* teste Francio, qui ipse malebat *demittere.* BURM.

134. Vid. Epist. XVII, 160—163., VII, 51.

137. *Duritia.* Si qua fides habenda vetustis libris est, Ovidius utramque formam usurpavit et *durities* et *duritia.* Sic Epist. IV, 85. et Metam. I, 401. et IV, 751. codices *durities,* contra Metam. III, 4. et 65. *duritia.* Heinsius hoc loco codices suos omnes exhibere dicit *duritie,* de cuius veritate iure dubitari potest, cum ex nostris plurimi, in his, quem Heinsius ipse contulit, Ment. 2., habeant *duritia,* quam scripturam quum etiam veteres editt. tueantur, cum Iahno revocavimus. Conf. Epist. VIII, 51. et IX, 19. et IV, 85.

137. *Adamantaque teque. Teque,* qui vel ferro et ipso adamante durior es. *Adamas* iam ipsi Homero et Hesiodo pro summa duritia est. Vid. Graev. ad Hesiod. Scut. v. 136.

141. *Nectenda.* Minus quidem haec vox displicebit, si e natura hominis esse, iis partibus corporis, quibus peccata pa-

Stat nece matura tenerum pensare pudorem;
In necis electu parva futura mora est.
Inscribere meo causa invidiosa sepulcro;
Aut hoc, aut simili carmine notus eris:

trata sunt, quaeque se ita ad peccandum quasi prona praestiterunt, irasci, et vocem *nectere* non raro de luctantium et amantium amplexibus dici memineris (vid. ad Epist. V, 48.); sed tamen ab affectationis et lusus vituperatione absolvere eam nolim.

141. *Quia.* Editt. veteres: *quae.*

142. *Praebuerunt.* Quidam codices cum vett. editt. *praebuerant;* nonnulli codd. *praebuerint.* Sed cod. Putean. et IV alii *praebuerunt.* Vere. Vid. Epist. VII, 165. Probe etiam veteres nonnulli *implicuisse libet* pro *iuvat,* quod iam praecesserat, nisi quis illic *libet* cum uno Ambros. reponi malit. *Heins.* Omnes fere codices et veteres editiones, quod nos recepimus *iuvat.* In repetitione eiusdem vocis apud Ovidium non est haerendum. Vid. ad Epist. I, 40. Recentiores editiones omnes cum Heinsio: *libet.*

143. *Matura,* i. e. festina, ut Senec. Oed. 73. *matura poscens fata.* Pro *tenerum* libri duo *miserum,* ut Metam. X, 411. *Heins.* *Tenerum* probum est et aptissimum ad illud *matura.* *Pensare* i. q. *compensare;* vid. ad Epist. III, 51.

144. *In necis electu.* Argent., Francof., Scriv., XI Heinsii, et III ex nostris et editt. Venet. 1481. et 1486. et Ald. 1502.: *in necis electum,* quod Burmannus scripsit et recentiores editores prope omnes, etiam nuper Iahnus. Sed, quamvis Heusingero non assentiar, qui *in necis electum morae rit* Latinum esse negat; tamen praeferendum censeo *in necis electu;* simplicior enim atque elegantior et ad *stat nece matura etc.* aptior sensus videtur *in necis electu non diu morabor, neque* (cum respectu ad illud *stat nece*) *in eligendo mortis genere diu morabor,* quam *ad mortis genus eligendum,* ut eligam, *parva mihi mora erit, parvam mihi moram concedam;* et maiorem habet ea scriptura auctoritatem codicum.

145. *Invidiosa.* Quae invidiam, odium in te concitet.

148. *Necis causam.* Heinsius primus invitis libris recepit *neci,* quam Burmannus probavit dicens, *necis* cum *manum* construi vix posse; atque hos sequuti sunt multi recentiorum editorum. Libri vetusti ad unum omnes *necis; causa* autem promiscue construitur cum gen. et dat. (Fast. I, 674., Art. Am. III, 40. et I, 712.), et *manum* hic secundo loco positum est, ut *necis* proxime coniunctum sit cum voce *causam;* nec desunt eius constructionis exempla; Epist. VII, 195. et Fast. III, 549.

Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem.

ubi *mortis ensem* dictum est ut hoc loco *necis manum.* Quare cum Heusingero, Werf. et Iahno scripsi: *necis.*

Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem;
Ille necis causam praebuit, illa manum.

Illa. Nonnulli codd. Heinsii *ipsa manum;* sed plurimi codices cum vett. editt. *illa;* et solet Ovidius de duobus agens hoc pron. geminare: Epist. III, 28., Amor. I, 8, 84., I, 9, 9., Fast. V, 188., Trist. I, 10, 50. *Burm.* Vid. Epist. XV, 26. Ceterum non semel eiusmodi titulis et inscriptionibus amantes movere student Heroides, ac mira est nostri poetae in eo genere sollertia. Supr. v. 74., Epist. VII, 195., Epist. XIV. fin., in quo ei praeiverant Tibull. Eleg. I, 3, 55., III, 2, 29., et Prop. II, 13, 35., alibi.

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

Quum Graeci Troiam obsiderent, crebris inde duce potissimum Achille in finitimas Troadi civitates factis eruptionibus plures urbes, Thebas, Tenedon, Chrysen, Lyrnesum, alias devastarunt, et cum alia praeda multas feminas, et genere et forma praestantes, captivas abduxerunt, ex quibus Briseis, Brisae filia, quae etiam Hippodamia vocabatur, uxor Mynetis, Lyrnesia, sorte cessit Achilli; filia autem Chrysae, sacerdotis Apollinis ex Chrysa, data est Agamemnoni. Postquam autem Agamemnon deorum iussu Chryseida reddere coactus esset, Achilli Briseida, quam is fere uxoris loco habebat, eripuit. Ob quam iniuriam Achilles implacabile in eum odium suscepit et cum Myrmidonibus ab armis atque obsidione in castra sua secessit. Sed quum Graecorum exercitus a Troianis undique premeretur, tandem Agamemnon Nestore maxime persuadente motus legatos misit, qui Achillem precibus placarent eique praeter Briseida ingentia dona offerrent, quae Achilles omnia obstinacissimo in iracundia animo repudiavit. Quo facto Briseis hanc ei scribit Epistolam. Hom. Iliad. I. II. IX. XVI., Dictys Cret. II.

Quam legis, a rapta Briseide litera venit,
 Vix bene barbarica Graeca notata manu.
Quascumque adspicies, lacrimae fecere lituras;
 Sed tamen hae lacrimae pondera vocis habent.

1. *Rapta.* Per vim et me invita ab Agamemnone abducta.

2. *Barbarica.* Sc. Cilice, Phrygia. Parum autem opportune Briseis, se, ut barbaram, Graeca non satis callere commemorat, atque intempestivum hoc loco, ut saepe, est poetae studium acuminis.

4. *Hae lacrimae.* Putean. et Iuret. *et lacrimae.* Veteres editiones et reliqui codices omnes *hae,* quod tamen in Guelf. 2. 3. corruptum est in *haec,* et in Helmst. in *hac.* Ac potest poeta dixisse universe, etiam lacrimas vim vocum habere. Sed recte etiam et ad hunc locum apte dicitur: sed hae lacrimae, sc. tua causa et ob spretum amorem inter scribendum fusae illae, pondera vocum habent. Atque hoc, ego si quid sentio, gravius etiam dictum est. Quare nihil caussae video, cur ex duobus illis libris, cum Heinsio, Iahno, aliis, potius scribendum putem *et lacrimae,* quam ex omnibus reliquis *hae lacrimae.* (Vid. Epist. V, 74.) Quae autem Heinsius attulit exempla locutionis *sed tamen et* (Art. A. I, 19. et 236., Met. X, 445.), nullius sunt in hac

Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
Fas est, de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita regi,
Culpa tua est; quamvis hoc quoque culpa tua est.
Nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum Talthybioque comes.
Alter in alterius iactantes lumina vultus,
Quaerebant taciti, noster ubi esset amor.
Differri potui: poenae mora grata fuisset.
Hei mihi, discedens oscula nulla dedi:
At lacrimas sine fine dedi, rupique capillos:
Infelix iterum sum mihi visa capi.

re momenti. De sententia comp. Trist. I, 1, 14., III, 1, 15.

6. *Fas est.* Fortasse *fas sit;* nisi totus locus melius ita sit constituendus:

Sit mihi pauca queri de te dominoque viroque,
Fas si de domino pauca viroque queri.

nam Reg. et Put. *queri* habebant. *Heins.* Non recte; solet enim noster simili repetitione verborum aliquando argutari. Vid. Epist. XV, 39. *Burm.* Modum autem partic. *si* apud poetas sine libris mutare et in universum haud satis tutum videtur, et Ov. Fast. I, 25.

Si licet et fas est, vates rege vatis habenas.

7. *Sum cito.* Forte *tam cito;* et mox ex scriptis *hoc quoque culpa tua est,* pro vulgata *haec.* *Heins.*

Non (id), *quod cito sum p. tradita regi, culpa tua est, quamvis hoc quoque c. t. e.* Vid. Epist. II, 56. Cod. Victorin. *sim.*

9. *Eurybates Talth.* Praecones, ab Agamemnone missi, ad Briseida abducendam. Iliad. I, 320. sqq.

10. *Eurybati.* Mallem *Eurybatae. Heins.* Sed vid. Schneider in plen. Gramm. Lat. Tom. III. p. 40.

11. *Vultus.* Libri XIV *vultus.* Bene. *Heins.* Idem et nostri fere omnes. Vulgata *vultum.*

Scite autem Ovidius τραγικώτατον Homeri locum, quo Achilles, qui acerbissimo in Agamemnonem odio flagrabat et modo manus vix ab eo abstinuerat, religiose et comiter pavidos praecones excipit et Patroclum placide iubet Briseida ipsis tradere, arripuit atque in usum suum convertit.

12. *Noster.* Pro *noster* Heinsius ad h. l. *vester* scribendum censebat vel invitis libris: sed vulgatam bene tuitus est Schroder in Obss. Misc. Vol. VI. T. I. p. 197. Ipse etiam Heinsius, *nisi interpretaris,* inquit, *amorem, qui inter nos fuit.* Atqui haec unice vera est interpretatio. *Vester* tamen etiam Marklando placuit ad Stat. Silv. V, 2, 159. *Lenn.*

16. *Capi.* Vulgo *rapi;* sed *capi* plurimi Heinsii codices, etiam nostri fere omnes; idque

Saepe ego decepto volui custode reverti;
  Sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne nocte timebam,
  Quamlibet ad Priami munus itura nurum.
Sed data sum, quia danda fui. — Tot noctibus absum,
  Nec repetor; cessas, iraque lenta tua est.
Ipse Menoetiades tunc, cum tradebar, in aurem
  „Quid fles? hic parvo tempore“ dixit „eris.“

unice verum est. *Iterum capi* est iterum captiva fieri, in captivitatem abduci, ut Lyrnesso patria ab Achille expugnata. Infra 54.

Utile dicebas ipse fuisse capi.

et 123.

An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?

Heinsius coniecit *infelixque.* Male.

19. *Nocte.* (Veteres editiones et longe plurimi codices *nocte*), sed praestat, quod est in nonnullis Naugerianis et Francof., *forte.* HEINS. Idque Burmannus, aliique Heinsii sectatores sequuti sunt, atque idem coniecerat Aron Battaleus, qui offensus voce *nocte* IV hic versus, 7—10., ut supposititios, eiicere volebat. Mihi cum Iahno verum videtur *nocte*; et sententia satis bona, in qua verba *prehenderet,* et *caperer nocte* sibi respondent vel opponuntur: Sed erat hostis, qui me in ipso fugae initio, quia transcurrere ad ipsum cogerer, ut Agamemnonem fugerem, illico prehenderet; sin autem contigisset longe, ulterius aufugere, timebam, ne nocte, incommodo noctis, in captivitatem inciderem. V. 20. Putean. *nurus.*

21. *Data sum.* Summo cum plausu recepit Heinsius, et post eum Burm. et, excepto Iahno, reliqui editores, licet omnibus reliquis codd. obstantibus, lectionem unius Puteanei *data sim*, quod est, recte interpretante Heinsio, *demus, me* datam esse. Mihi vero l. *data sum* videtur retineri posse, ideoque propter librorum consensum retineri debere. *Data sum, quia danda fui*, sibi ipsa, ex Achillis quasi sententia, dicit atque ironice et cum acerbitate obiicit, ad quae cum vi respondet: *Tot noctibus absum* etc. Epist. XVII, 115. 119. 120.

At Venus hoc pacta est, et......
Credere vix equidem coelestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.

Epist. IX, 27. 29. 30.

At bene nupta feror.......
Quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Epist. VII, 139.

Sed iubet ire deus. Vellem vetuisset adire.

Conf. Epist. V, 105., VIII, 32. 33., XIX, 77. 78.

21. *Noctibus.* Non diebus dicit, rem Veneream innuens, qualia captat Ovidius.

22. *Lenta.* Vid. ad Ep. II, 9.

23. *Menoetiades.* Patroclus, Menoetii filius. Vid. Hom. Iliad. I, 337. et 346. collatis Iliad. XIX, 287. sqq.

Non repetisse parum est; pugnas, ne reddar, Achille.
I nunc et cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati,
Ille gradu propior sanguinis, ille comes;
Laërteque satus, per quos comitata redirem.
Auxerunt blandae grandia dona preces:

In aurem. Rectum est (olim legebatur *in aure*). Martial. V, Epigr. 62.

Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem.

Idem I, Epigr. 90., VII, 39., Petron., Amm. Marc. (Lib. XIV. c. 1.), Macrob. (Sat. III. ex Cic. de fato), Cato (Diris, p. 65.) Iuven. III, 123. *Heins.* Plaut. Trinum. I, 2, 170., Cic. Verr. V, 41. *Burm.* Metam. III, 643. tamen:

Pars, quid velit, aure susurrat.

25. *Non repetisse parum est. Non* editiones fere omnes et scripti (etiam plurimi ex nostris), quod probo. *Burm.* Formula *parum est,* quae eleganter inservit querelae et exprobrationi, frequentissima est. Ep. IX, 47. Plura exempla suppeditat Burm. Secund. ad Anth. Lat. II. p. 532. et Cortius ad Sallust. Iug. c. 31. *Pugnas, ne....* respicit ad Iliad. IX, 307. sqq. ubi Achilles dona ab Agamemnone oblata et reconciliationem repudiat.

26. *I nunc et cupidi.* Lege *I nunc, i cupidi. Heins.* Recta vulgata. Vid. ad Ep. IV, 127. *Habe nomen* est *gere,* i. e., te cupidum amantis praedica; atque cum ironia dictum est.

27. *Telamone et Amyntore nati.* Aiax et Phoenix. Hom. Iliad. IX, 168. Aiax Achilli *sanguine propior* erat; Telamon enim frater erat Pelei, patris Achillis. (Vid. Apollod. III, 12, 6.) Hinc Aiax Achillem cum delectu *fratrem* appellat Metam. XIII, 31. Phoenix, Amyntoris filius, Achilli a Peleo comes datus erat, in bellum Troianum proficiscenti. Iliad. IX, 438. sqq.

Pro *ille gradu* Heins. vel sine libris scribendum putabat *iste.* Male. Vid. ad Epist. II, 148.

29. *Laërteque. Laërtaque* pro *Laërteque* Puteani codex et unus Vatic. Sic apud Auson. Epitaphiis Heroum: *Laërta natus Ulysses.*; Metam. XII, 625. ex vestigiis veterum librorum: *solis Telamone creatis Laërtaque;* sic infra v. 39. *Atrida;* Senec. Troad. *Oedipoda;* Virg. saepe *Anchisa generate. Heins.* Ego vero nihil interesse arbitror, cum utrumque dicatur natus *patri* et *patre;* ita apud Senec. Agam. 293. *gnatus Thyestae* ex optimo cod. Mediceo. *Burm.* Quum codices fere omnes exhibeant *Laërteque,* dativus autem (posset enim scriptura codicum *Laërte* etiam pro dat. accipi, nam in vetustis manu scriptis saepe diphthongus *ae* scripta reperitur per literam *e*) propter participium *satus* et versum 27. hic ferri vix possit, ablativum verum censeo, non *Laërta,* sed *Laërte.* Idem Iahn. Quaedam veteres editiones *Laërtae.*

30. *Blandae preces. Blandas preces* Putean. cum reliquis plerisque; alii quatuor cum

Viginti fulvos operoso ex aere lebetas,
  Et tripodas septem, pondere et arte pares.
Addita sunt illis auri bis quinque talenta,
  Bis sex assueti vincere semper equi;
Quodque supervacuum est, forma praestante puellae
  Lesbides, eversa corpora capta domo;
Cumque tot his — sed non opus est tibi coniuge — coniux
  Ex Agamemnoniis una puella tribus.

Ment. *blandae preces,* quod genuinum Nasonis arbitror, cum τὸ *grandia dona* quarti casus ad sequentia sit referendum, id quod Douzae arridebat; nisi *lebetes et tripodes* mox legas, ut in multis manu exaratis offendi, et tum *blandas preces* admittam; sed et hoc vitiosum est. Sic apud Virg. Aen. III, 466. optimi mss. *Dodonaeosque lebetas.* Stat. Theb. X, 101. ex mss. *Tapetas. Heins.* Ego *blandae preces* retineo; licet enim grandia essent dona, auxerunt ea et pretium maius addiderunt *blandae preces.* Sensus idem in illis Terent. Eun. II, 1. *Munus nostrum ornato verbis:* ex quibus etiam l. Nauger., Sarrav. et Francof. posset firmari, qui habent *blanda prece,* quod firmari etiam illis Ciceronis (Off. II, 20.) posset: *Neque vero verbis auget suum munus. Burm.*

31. *Viginti etc.* Totus hic locus ex Homeri sumtus est Iliad. IX, 264—273.

ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους
πηγοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.

— — — — — —
— — — — — —
— — — — — —

δώσει δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ' εἰδυίας,
Λεσβίδας, ἃς, ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλες αὐτὸς,
ἐξέλεθ', αἳ τότε κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

286—288.

τρεῖς δέ οἵ εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ ἐϋπήκτῳ,
Χρυσόθεμις, καὶ Λαοδίκη, καὶ Ἰφιάνασσα·
τάων, ἥν κ' ἐθέλῃσθα, φίλην ἀνάεδνον ἄγεσθαι.

Conf. Iliad. XIX, 243. sqq.

34. *Bis sex.* Maior pars codicum et veterum editt. *bis septem;* nonnulli Heinsii, unus Vatic. ap. Ciof., Guelf. 1., Goth. 1. 2., Trev. *bis sex,* quod verum est; est enim Homericum *δώδεκα δ' ἵππους.*

Vincere, currendo vincere. Male quidam Heinsii codices *currere.*

35. *Quodque supervacuum est. Est* recte addidit Iahn, sic enim nostri codd. omnes.

Muliebriter, nec sine invidia: terrent enim Lesbides puellae, quae *forma praestant,* terret magis *Ex Agamemnoniis una puella tribus,* quae *coniux* Achilli ab Atrida offertur; quia non opus est illi *coniuge,* qui habeat Briseida. Omnia haec ingeniose et vere atque e natura loquentis. *Amar.*

36. *Corpora capta.* Proprie

Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem,
Quae dare debueras, accipere illa negas?
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
Quo levis a nobis tam cito fugit amor?
An miseros tristis fortuna tenaciter urguet,
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnesia moenia vidi;
Et fueram patriae pars ego magna meae;

locutus; in servitutem enim redacti vix hominum nomine digni, *corpora* tantum vocabantur: vid. leg. XLIII. §. 4. ff. *de ritu nuptiar.*; et ita passim Graeci *σώματα*. *BURM.*

39. 40. *Si tibi ab Atrida — negas?* Sensus est: *Tu accipere negas, quae dare debueras, si pretio tibi ab Atrida redimenda fuissem?* Pro *negas* Heinsius ex uno Scriveriano recepit *neges*; in qua eum re secuti sunt multi recentiorum editorum. Sed loci naturae aptius est *negas*; ut Briseis, cum Achillem reprehendat, quasi plane persuasum habeat eum *negasse*, obiurgans interroget: accedit omnium reliquorum codd. auctoritas, et quod tenendum etiam est, vere quoque negaverat ea dona accipere, id quod probat, quem in toto hoc loco fingendo Ovidius secutus est, Homerus Iliad. IX, 378. sqq.; aptius etiam versui statim sequenti, sc.: *Tu negas? Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?* Omnino nimius fuit Heinsius in coniunctivo poetae nostro obtrudendo. Recte autem Heinsius hoc l. interrogationem primus induxit; quanquam defendi etiam potest ratio sententiae affirmativa.

44. *Mollior aura. Mollior hora* optim. Putean. cod. cum aliis nonnullis. Prop. II, 27.

Extremo veniet mollior hora die.

ubi tamen nonnulli codd. *aura*. Pont. III, 3, 84.

Et veniet votis mollior hora tuis.

ubi scripti nonnulli *aura*. Noster tamen Trist. IV, 5, 19.

Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura deo.

Fast. II, 148. Quare nihil temere mutandum. Hinc et *inceptis adspirare*, aliaque a navigantibus sumta. *HEINS.* Et mihi placet *aura* tam propter codices, quam propter *tenaciter urguet*, quod sumtum videtur a re nautica. Virg. Aen. I, 110.

Tres (*naves*) Eurus ab alto
In brevia et syrtes urguet.

Conf. Ov. Art. A. III, 728.

45. *Lyrnesia moenia.* De re Hom. l. l., Metam. XII, 108., XIII, 176.

47. *Vidi consortes.* Mollius est, quod in duobus libris hic et sequenti disticho est, *vidi ego*. Sic etiam Amor. III, 4, 13.

Vidi ego nuper equum et contra sua vincla tenacem.

III, 11, 13.

Vidi ego, cum foribus lassus prodiret amator.

Stat. Silv. II, 1, 101., Horat. Od. III, 5, 22., Prop. II, 20.

Vidi consortes pariter generisque necisque
Tres cecidisse, tribus, quae mihi, mater erat;
Vidi, quantus erat, fusum tellure cruenta,
Pectora iactantem sanguinolenta virum.
Tot tamen amissis te compensavimus unum:
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, iuratus per numina matris aquosae,
Utile dicebas ipse fuisse capi:

Pondus est in pron. *ego*: ut toties alii *his oculis vidi, ego ipse vidi.* Sic post *ergo* saepe *ego* repetitur. Vid. Epist. X, 119. *Burm.*

Heusinger secundo tantum loco *ego* addidit, quod est de more nostri poetae, ut Epist. VIII, 90—93. Sed quid exhibent codices? Et singularis quaedam vis inest in *vidi* ter simpliciter repetito. Ceterum locus sumtus est ex Iliad. XIX, 293.

τρεῖς τε κασιγνήτους, τούς μοι μία γείνατο μήτηρ.

48. *Tribus.* Distingue *tribus* (eadem), *quae mihi, mater erat.* Tres fratres suos innuit. *Heins.* De constructione *mater mihi est* vid. v. 74. et Epist. VIII, 28. et Ruhnk. Terent. Dict. And. III, 3, 17.

50. *Iactantem.* Plurimi mss. *versantem:* fortasse praestat. Sic enim loqui amat Stat. Theb. IX, 162.

Heu, qualem versari in sanguine vidi.

Vulgata tamen non temere reiicienda. Metam. V, 59.

Hunc ubi laudatos iactantem in sanguine vultus.

et X, 721.

Exanimem, inque suo iactantem sanguine corpus. *Heins.*

Eadem diversitas est Trist. IV, 3, 26. ubi quidam pro *iactati* habent *versati*, ut Amor. I, 2, 4. *Burm.* *Iactantem* graviter vulnerati ac morientis naturae certe multo accommodatius est. *Quantus erat;* sc. Mynes, Ciliciae rex, eius coniux fuisse dicitur. Iliad. II, 691., XIX, 291. sqq.

51. *Tot tamen amissis.* Quidam codd. *Nos de tot amissis,* fortasse pro *Nosque, tot amissis, te comp. u.;* malo tamen *Tot tamen amissos te comp. uno. Heins.* Gronov. Obss. IV, 13. legit:

Tot tamen amissis tecum pensavimus uno.

Ego Heinsii coniecturam praeferrem; compensamus enim damna lucris. Cic. pro Fonteio: *Socii, qui Gallicorum bellorum pericula populo Rom. coriis remisque compensarunt.*, et ita passim. Quamvis illae locutiones, in quibus mutationes sunt utrinque, reciprocae fere sint; ut de verbo *mutare* notavit Bentl. ad Hor. Od. II, 16. et Sat. II, 7, 109., de *repensare* nos ad Vell. Pat. II, 12.; atque ideo vulgatum reliqui. *Burm.*

52. De sententia comp. Hom. Iliad. VI, 429., Prop. II, 11, 24., Val. Flacc. III, 323.

53. *Matris aquosae.* Thetidis. Vid. ad v. 74. et 133.

55. *Repellar.* Simplicius est, quam *repellar*, quod Scaligero

Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellar,
  Et mecum fugias, quae tibi dantur, opes.
Quin etiam fama est, cum crastina fulserit hora,
  Te dare nubiferis lintea vela Notis.

placebat, *repellas;* sequitur *Et mecum fugias*. *Dan. Heins.* Idque N. Heins. cum Burmanno receperunt, qui iidem ex uno Lovan. scripserunt *dentur*. Ego neque *dantur,* quamvis vulgaris usus loquendi coniunctivum postulare videatur, invitis libris mutare audeo (vid. G. F. A. Krüger Untersuch. aus dem Gebiete der lat. Sprache, Fasc. I. p. 65. et Bremi ad Sueton. Caes. c. 46.) neque repugnantibus iisdem libris *repellar,* quod etiam aptius est ad *veniam dotata*.

57. *Fulserit hora*. Putean. (etiam Dresd.) *Eos;* ceteri omnes (etiam nostri, excepto Dresd., et veteres editt.) *hora*. Perperam. *Eos* pro *Aurora* saepe in Fastis; IV, 389.

Proxima victricem cum Romam
  inspexerit Eos.

Quod ex Hom. Iliad. I, 678.

αὐτὸς δ' ἠπείλησεν ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι.

Neque tamen alteram scripturam damnato; saepe enim *hora* sic pro temporis omnis momentis et partibus sumitur. *Heins.* Ego ut *Eos* Latinis poetis nonnunquam dici (vid. Burmann. ad Val. Flacc. VII, 22.), et hoc loco dici posse non negaverim, ita vulgatam non mutandam censeo, quum praesertim cod. Puteaneus tam saepe repugnantibus aliis libris graecetur: et dicitur *crastina hora* pro *crastina dies,* (Virg. Georg. I, 425. *nunquam te crastina fallet hora*) et *dies fulget* (Ovid. Amor. I, 8, 10. *puro fulget in orbe dies*); nec aliter (non enim sumtum est ex Iliadis lib. I., quod putabat Heinsius, sed ut totus hic locus ex Iliad. IX, 357.) dixit Homerus: *αὔριον ἱρὰ Διὶ ῥέξας* etc. Conf. ibidem v. 688.

58. *Te dare nubiferis — Notis*. *Nubiferis Notis* est ventis adversis; eo usque irae deveneris! Adversi enim *Noti* ex Troade in Graeciam navigantibus. Is plane Ovidii sensus. *Amar.* Haud ita plane; nam primum certe est, qui dubitet, an poeta, cum haec scriberet, tam docte atque curiose egerit, ut qui ventus a Sigeo Phthiam tenentibus adversus esset, sedulo quaesierit, et cum Micyllo ad hunc locum *Notos* malit, ut saepe, pro ventis in genere dictos intelligi. Sin autem *Notos* cum Amare proprie accipiamus, tenendum est, iis qui non per ipsum mare navigarent, sed litus legerent, *Notos* minime contrarios fuisse. *Nubifer* autem non est *adversus;* sed nil aliud nisi nubes, pluvias agens, afferens, cuius generis epitheta his ventis ex eorum natura saepe tribuuntur. Epist. II, 11. 12. Atque ea Amaris interpretatio pugnat etiam cum Homero, quem tamen in reliquis huius Epistolae tam accurate Ovidius expressit. Vid. Iliad. IX, 357—363. Hafniens. *nimbiferis*.

Te dare pro *te daturum* ut saepe; Met. VII, 739.

Dum census dare me pro nocte
  paciscor.

Quod scelus ut pavidas miserae mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis; et o, miseram cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertae mite levamen erit?
Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer;
Quam sine me Phthiis canescant aequora remis
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi iam reditusque placent patriique penates;
Non ego sum classi sarcina magna tuae:

Sed non sine varietate sententiae; praesens enim sic pro futuro positum vulgo id, quod enuntiamus futurum esse, aut certius reddit, aut singularem quandam alacritatem dicendi declarat. Vid. Munker ad Hygin. F. 41., Cort. ad Sallust. Iug. 14., Ducker. ad Flor. I, 12.

Lintea vela. Heinsii scripti plurimi *lintea vela* aut *vella;* Vatic. et plures ex nostris, Gu. 1. 2. 3., Goth. 1. 2., Giess. *linea vela;* IV Heinsii, etiam Trev. et nonnullae vetustae editt. *lintea plena. Lintea velle* ex l. *vella* arridebat Micyllo, Dan. Heinsio et Ulitio ad Gratium; Nic. Heinsio *lintea plena,* ut Remed. A. 266.

Ille dedit certae lintea plena fugae.

quae quidem scriptura eo etiam firmari videtur, quod *lintea* simpliciter dictum magis poeticum sit, et *lintea* vel *linea vela* apud poetas rarissime et apud Ovidium fortasse ne semel quidem legatur, et quod illud *plena* singularem quandam vim habeat, quod videtur esse festinantis, ut loco l. Rem. A. 266. Sed maiorem codicum auctoritatem habet l. *lintea vela.* Lennep et Burmannus *linea vela.*

60. *Animi pectus inane fuit.* Malim *animae pectus inane fui;* ut apud Statium: *Tirynthius, almae pectus amicitiae. Animae,* ut infr. 142.

Sustinet hoc animae spes tamen una tui.
Heins.

Sic Met. XIII, 487. *Corpus inane animae,* et VI, 253.

— cumque anima cruor est effusus in auras.

atque *animae* habet cod. Goth. 2. Sed vulgata sana est atque incorrupta; sunt enim Ovidio in pectore *sensus, animus, mens* (die Besinnung). Fast. II, 797.

— neque enim vocem viresque loquendi
Aut aliquid toto pectore mentis habet.

In quo sequitur Homericum θυμὸν ἐνὶ σθήθεσσιν. Vid. ad Epist. IX, 120. Hinc *pectus* pro *animo* Fast. VI, 509. ubi vid. Gierig.

63. *Devorer etc.* Sic Dido ap. Virg. A. IV, 24. paullo grandiori spiritu:

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam.

65. *Phthiis.* A Phthia, quae fuit urbs Phthiotidis in Thes-

Victorem captiva sequar, non nupta maritum;
Est mihi, quae lanas molliat, apta manus.
Inter Achaeiadas longe pulcherrima matres
In thalamos coniux ibit, eatque tuos;
Digna nurus socero, Iovis Aeginaeque nepote,
Cuique senex Nereus prosocer esse velit.
Nos humiles, famulaeque tuae, data pensa trahemus;
Et minuent plenas stamina nostra colos.

salia, et patria Achillis. Plin. IV, c. 8., Pomp. Mela II, 3., Hom. Iliad. l. l. et passim, Polyb. Exc. XVII, 3.

67. *Si tibi iam.* Ut Douza et Gruter, ita duo Heinsii malebant: *Si tibi tam reditusque placent,* coll. Epist. XV, 99. Ego vulgatam cum Burmanno retinendam censeo. *Iam* h. l. vim habet. Quovis enim alio tempore praematurus hic in patriam reditus, et ignava, durante ad Troiam bello, domi quies Achilli, gloriae cupidissimo, non placuissent. *Lenn.* Mihi placet interpretatio Handii, *wenn nun,* Graecum *εἴ γε δοκεῖ σοι.*

Patriique penates. Vid. ad Epist. V, 126. Quidam scripti hic: *sociique. Burm.*

70. *Quae lanas molliat.* Sc. trahendo in stamina, ut diserte Ovid. Fast. III, 817.; conf. infr. v. 76.; et sic etiam accipiendum esse videtur Met. II, 411. *lanam mollire trahendo,* quod Gierig de carminatione intelligendum censet.

71. *Achaeiadas.* Hucusque vitiose legerunt *Achaeïdas.* Nos *Achaeiadas,* non refragante Graecorum forma et usu, quadrante etiam syllaba, emendamus. Nec nescio, ab *Achaea Ἀχαιὶς* deduci, quod vel ipse Hom. probet: *Ἀχαιίδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.* Quare syllaba non repugnante *Achaeiadas* leges, ut ap. Theocrit. Hel. Epithal.

οἷα Ἀχαιϊάδων γαῖαν πατεῖ οὐδεμί' ἄλλα.

Callim. in Delon:

ἀλλ' ὅτ' Ἀχαιϊάδες μιν ἀπηρνήσαντο πόληες.

Egnat.

Idem censet Micyllus.

Inter Achaïadas cum melioribus libris scribendum, non *Achaeiadas, ἀχαϊάδας* Graeco more; ut Callim. Lav. Pallad. 13. et Hymno in Delon 100., Theocr. Idyll. 25. al. Sic *Pelasgiadas* Epist. IX, 3. *Heins. Achaeiadas* tamen est, unde hic locus fluxit, Hom. Iliad. IX, 395., ubi Achilles non oblatam unam ex Agamemnoniis filiabus, sed aliam ex nobilioribus Achaeis se ducturum dicit.

73. *Socero — nepote.* Peleo, cuius patrem Aeacum Aegina, Asopi filia, ex Iove peperit. Pindar. Nem. VIII, 10., Apollod. I, 9., et quos laudat Gier. ad Metam. VI, 113.; vid. etiam Met. VII, 616.

Nepotis Mediceus et edit. princ., ut saepe noster. Sed tum *soceri* legendum esset. Putean.: *nepoli. Burm.*

74. *Senex Nereus prosocer. Prosocer,* nempe quia Nereus, deus marinus, est pater The-

Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
  Quae mihi nescio quo non erit aequa modo;
Neve meos coram scindi patiare capillos;
  Et leviter dicas „Haec quoque nostra fuit."
Vel patiare licet, dum ne contemta relinquar:
  Hic mihi vae miserae concutit ossa metus.
Quid tamen exspectas? Agamemnona poenitet irae,
  Et iacet ante tuos Graecia moesta pedes.
Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.
  Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?

tidis, quae ex Peleo genuit Achillem. (Vid. ad Epist. V, 57.) *Senex* autem et idem fluxit ex Homero, ubi passim Nereus *γέρων, ἅλιος γέρων* vocatur, Iliad. XVIII, 141. de quo vid. Hesiod. Theog. 233. sqq., Serv. ad Virg. Georg. IV, 392., Eustath. ad Iliad. I., Pausan. Lacon., Meziriac. l. l. p. 271.

78. *Nescio quo — modo.* Innuit Achillis erga ipsam amorem.

80. *Et leviter.* Gronovian.: *Leniter et dicas.* Editio vetus contra metrum *Et leniter.* Sed recte se habet vulgata. *Leviter* vero *dicere* est non vehementer, non magna voce, ut increpantes solent, sed quasi suppressa. Nolim, dicit Briseis, te uxorem, me exagitantem, increpare iracunde; sed voce dicas submissa: *Haec quoque nostra fuit.* Ita Amor. I, 3, 30.

Tu leviter puerum posce, quid ipse velis.

I, 1, 6.

Et leviter, fies tu quoque fortis, ait.
BURM.

81. *Vel patiare.* Alii libri pro *et patiare* habent *vel patiare.* Placet. CROF. Et sic nostri omnes.

82. *Concutit.* Multi Heinsii codd. *concitat;* alii etiam *tremor* vel *timor.* Vid. ad Epist. XIV, 18.

83. *Quid tamen exspectas.* Qui Put.; Iunian. *quod tamen;* lege *quo tamen,* nisi quod Iuven. S. II, 115. *Quid tamen exspectant?* Vid. ad Epist. XIV, 61. HEINS. Quod Heinsius iubet, *quo tamen,* non placet, uti nec ratio Schroderi Miscell. Obss. Vol. VI. T. I. p. 179. *tamen* exponentis *tandem.* Egit in superioribus Briseis de consilio, quod Achillem suscepisse audiverat, revertendi in patriam, eumque, ut saltem ipsam abducere secum vellet, omni ratione permovere studuit. His apte subiicitur: *Quid tamen* etc., h. e., quid tamen in patriam reverti vis, aut cur diutius in ira perstas? Agamemnon satisfacere tibi cupit: universa Graecia tuam unius opem implorat. Quid igitur amplius exspectas? LENN.

86. *Impiger.* Elegans coniectura est I. H. Hoeffttii, in Pericul. Critt. p. 275. pr. edit. pro *impiger* legentis *integer.* Potest tamen etiam vulgata ferri. Est enim apposita h. l. et ad movendum Achillem vel inprimis apta mentio indefessae Hectoris in premendo vexan-

Arma cape, Aeacide, sed me tamen ante recepta;
Et preme turbatos Marte favente viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira;
Simque ego tristitiae causa modusque tuae.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Coniugis Oenides versus in arma prece est.
Res audita mihi, nota est tibi. Fratribus orba
Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat; ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriae rigida mente negavit opem:

doque Graecorum exercitu pertinaciae. *Lenn.*

87. *Aeacide.* Cod. alter Reg., (etiam Giess. et Dresd.) *Aeacida;* ut Sil. de Homero ad Achill.

Felix Aeacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi.

Notum illud oraculi: (Cic. de Divin. II, 56.)

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Ov. Metam. VII, 798.

Iuvat o meminisse beati
Temporis, Aeacida.

Ita etiam Fast. II, 120. *Maeonida. Heins.*

Vid. Rupert. ad Sil. It. III, 650. et Drakenb. ad Sil. It. XIII, 796. Sed in ea re omnino audiendi sunt vetusti libri. Hinc Iahn et hic et Epist. VI, 109. formam, quae exit in *e*, recte revocavit. Vid. Schneid. Gramm. Lat. P. II. Vol. I. p. 33.

89. *Desinat.* Voss., Leid. et Bas. *finiet.*

92. *Oenides.* Meleager, Oenei filius, qui bello inter Curetes et Calydonios ob pellem apri Calydonii ab ipso occisi conflato, cum propter conceptam matris, cuius fratrem in eo bello occidisset, iram depositis armis obstinatissimo animo laboranti patriae auxilium negaret, tandem ab uxore ad arma iterum capienda commotus est. Vid. Hom. Iliad. IX, 525. unde totus hic locus sumtus est; Ovid. Metam. VIII, 279. sqq. ibique Iahn et Gierig, Apollod. I., Hyg. F. 171. sqq., Anton. Liberal. Metamorph. F. II., Mezir. l. l. p. 275.

94. *Spemque.* Eleganter. *Spes* enim proprie de liberis, in quibus egregia indoles conspicitur. Virg. A. VI, 364. et X, 524. *Per spem surgentis Iuli.* Vid. ad Petron. c. 4. *Burm.*

95. *Bellum erat; ille ferox.* Sic, loco lectionis reliquorum librorum omnium, Putean. Eodem modo Fast. I, 285.

Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat etc.

Lucan. IV, 196.

Pax erat; et castris miles permixtus utrisque.

Auct. Eleg. in Obit. Maecen.:

Pax erat; haec illos laxarunt otia cultus.

Pari modo *nox erat, lux erat* et similia apud poetas obvia. Cod. Gottorph.: *Marte erat ille ferox. Heins.*

Sola virum coniux flexit. Felicior illa:
  At mea pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor, nec me pro coniuge gessi,
  Saepius in domini serva vocata torum.
Me quaedam, memini, dominam captiva vocabat;
  „Servitio“ dixi „nominis addis onus.“
Per tamen ossa viri, subito male tecta sepulcro,
  Semper iudiciis ossa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
  Qui bene pro patria cum patriaque iacent;

97. *Coniux. Alcyone* Hygino F. 174., quae *Cleopatra* Ant. Liberali, et Homero, cuius Scholiastae hanc Idae Apharei et Marpissae, Eveni filiae, natam faciunt, ut et Apollod. I, 8., quo teste post Meleagri mortem sese ipsa interemit. *Heins.*
Iahn edidit:

> Sola virum coniux flexit, felicior illa;

sed sententiae ratio omnino postulat, ut ante *felicior* gravius interpungatur; nam voce *flexit* narratio illa clauditur.

98. *Pro nullo pondere.* Gruter. et Gebhard. Crepund.: *proh nullo pondere;* sed frustra, ut recte vid. Gronov. ad Liv. I, 21. *Pro nullo pondere* est *tanquam sine pondere.* Trist. I, 7, 16., Prop. El. I, 10.

> Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Conf. idem II, 22. *Heins. Cadunt* pro *vanescunt* saepe reperitur. Tibull. II, 2, 16., Propert. I, 16, 34. al.

100. *In domini serva.* Heinsius et post eum multi alii ex uno cod. Episcopi Lincolniensis scripserunt:

> Saepius in dominum serva vocata torum.

Male, ut mihi videtur. Primum enim valde friget *dominum torum,* quia a toro omnis motus et facultas abest ad imperium aut dominationem exercendam, quod secus est in exemplis ab Heinsio allatis, saltem in iis, quae ex Ovidio protulit, ex Ep. IV, 12. *dominos deos*, et ex Amor. II, 5, 30. *dominas manus;* ac summa vis inest in positione *domini serva,* de qua quam multum perit, si *dominum* adiectivi loco accipias; et amat poeta sic contraria iuxta ponere, v. c. versu 150., 97., 101.: accedit omnium reliquorum et codd. et veterum editionum auctoritas. Vid. ad Ep. XIV, 19.

102. *Servitio—onus.* Sensus est: Servitii oneri novum addis onus ex ipso nomine, dominam me vocando, molesta verbi et rei oppositione.

104. *Iudiciis.* Ianum Ulitium maluisse *suppliciis,* notavit Francius. Sed nihil movendum docent loci de Pont. III, 5, 52.

> Candida iudiciis illa sit hora meis.

et IV, 3, 16.

> Ille ego iudiciis unica musa tuis.
> *Burm.*

105. *Mea numina.* Quia eorum manes ut deos colebant, vel

Perque tuum nostrumque caput, quae iunximus una;
  Perque tuos enses, cognita tela meis,
Nulla Mycenaeum sociasse cubilia mecum
  Iuro; fallentem deseruisse velis.
Si tibi nunc dicam „Fortissime, tu quoque iura,
  Nulla tibi sine me gaudia facta;“ neges.
At Danai moerere putant. Tibi plectra moventur;
  Te tenet in tepido mollis amica sinu;
Et si quis quaerat, quare pugnare recuses:
  „Pugna nocet: citharae, noxque Venusque iuvant.

quos instar numinum colo. Ep. XIII, 159.

Per reditum, corpusque tuum, mea numina, iuro.

Vid. Quintil. VI. Praef. *Burm.* Vid. Obs. Miscell. T. VI. p. 197. De iureiurando per manes, cineres, ossa mortuorum vid. Schottus Obss. III, 39., Lambin. et Torrentius ad Horat. Od. II, 8, 9.

107. *Quae iunximus.* Olim edebatur *quod iunximus.* Male. *Quae iunximus* bene Put. et Francof. (et octo ex undecim nostris). *Iungere capita* pro rem Veneream exercere; Petron.: *coniunctis marcebant capitibus.* Sic et *iungere membra,* de quo Not. ad Fast. II, 592., et *iungere Venerem,* de quo ad Rem. Am. 407., et *iungere corpus,* et *iungere oscula,* et similia. *Heins.*

109. *Mycenaeum.* Agamemnonem, regem Mycenarum. Feliciter autem atque ingeniose poeta in suum usum convertit Hom. Iliad. IX, 274., et XIX, 258., ubi Agamemnon Briseida nunquam attigisse dicit.

112. *Facta.* Recte mutavit Heinsius coniecturam *pacta;* nam latine dici *facere gaudia* ostendit Plin. VII, 42. *Cetera exempla fortunae variantis innumera sunt. Etenim quae fecit magna gaudia, nisi ex malis? Burm.* Atque ea locutio, ut multae aliae, fortasse ab Ovidio novata est. Sententia autem: *Si tibi— neges,* parum venusta est et caret decore.

113. *Plectra moventur.* Et hoc ex Homero sumtum (Iliad. IX, 186. coll. I, 189.) ubi lyra canendo Achillem occupatum poeta pangit, cum legati illi Agamemnonis ad eum venirent. Uti etiam versus sequens ab eodem Homero pendet, Iliad. IX, 669. ubi amicam illam, quam innuit Briseis, Diomeden, Lesbiam, filiam Phorbantis esse legimus. Cod. Scriv. *te flere* pro *moerere.* De *te tenet in tepido* vid. ad Epist. X, 40. Conf. Epist. II, 61. et 103.

115. *Et si quis quaerat.* Put.: *Si quis nunc quaerat. Heins.* Valde variant hic codices. Vid. varias lectiones in fine huius libri. Heusinger ex Guelf. 1., probante etiam Kuinoelio, edidit: *Et quisquam quaerit?* Sed vulgata et librorum auctoritate et probitate sententiae satis firmatur.

116. *Noxque Venusque.* Lectionem cod. Iunian. et editionum Venett. *voxque Venusque*

„Tutius est iacuisse toro, tenuisse puellam,
„Threiciam digitis increpuisse lyram;
„Quam manibus clypeos, et acutae cuspidis hastam,
„Et galeam pressa sustinuisse coma."
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant,
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa iacet?

cum Burmanno recipere non dubitavi, quoniam Achillem ad naves sedentem non modo citharam pulsasse, verum et fortia virorum facta voce sive cantu celebrasse apud Hom. legimus, Iliad. I, 189., et Homerum in hac quidem Epist. religiose exprimere noster studuit. Quibus autem alteram plerorumque scriptorum et editorum librorum lectionem, *noxque Venusque,* retinere visum fuerit, eam nescio, an speciosissime exponant per figuram ἓν διὰ δυοῖν, ut sit *noxque Venusque* pro Venere nocturna. Sed et hoc mihi paullo frigidius videtur. LENN. Vulgatam tuentur et veterum librorum consensus et vero versus 117. et 118., in quibus *iacuisse toro* respicit ad vocem *nox, tenuisse puellam* ad vocem *Venus,* vel certe duo illa κῶλα ad has duas voces huius versus; et totus v. 118. respicit ad vocem *citharae.* Adde, quod verisimilius est, poetam rem primariam, quae quidem Briseidi videretur, sc. Venerem, duabus vocibus enuntiasse, quum praesertim eam rem Ovidius ipse ubique cupidius affectet. Quod autem nuper edidit Iahn:

Pugna nocet citharae, noxque Venusque iuvant.

nemo facile probabit, tum propter ea, quae iam dicta sunt, quod κῶλα illa tria tribus his vocibus respondeant, tum quod oppositio illa, quae inest in *nocet* absolute dicto et *iuvant,* omnis tollatur; ac denique sententia illa: *pugna nocet citharae!* Quidni etiam, et magis, *p. nocet Veneri?* Pessime Cuperus coniungebat *citharae vox.* Nocere sine dat. est Amor. III, 12, 13. et passim. De plurali autem *citharae* Virg. A. IX, 775.

Cui carmina semper,
Et citharae cordi.

118. *Threiciam—lyram.* Eandem Achillis lyram Trist. IV, 1, 16. *Haemoniam lyram* vocat, nempe quia Orpheus Thrax eam invenisse vel ab Apolline dono accepisse ferebatur. *Increpuisse,* pulsasse, percussisse. Conf. Art. A. II, 493. et vid. Mitscherl. ad Hor. Od. IV, 15, 2. Similiter Amor. II, 11, 31.

Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threiciam digitis increpuisse lyram.

121. *Pro tutis.* Sic libri. Heinsius malebat *prae tutis.* Mihi alterum verius videtur. *Tuta* enim Achilli omnino non placebant. Non igitur locus est comparationi, cui *prae* inserviat. LENN.

123. *Probabas.* IV codd. *pa-*

Dî melius: validoque, precor, vibrata lacerto
  Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.
Mittite me, Danai: dominum legata rogabo,
  Multaque mandatis oscula mixta feram.
Plus ego quam Phoenix, plus quam facundus Ulixes,
  Plus ego quam Teucri, credite, frater agam.
Est aliquid, collum solitis tetigisse lacertis,
  Praesentique oculos admonuisse sinu.

rabas; ut Epist. V, 89. Perperam: *Dum,* donec me captam teneres.

124. *Laus tua victa. Tibi victa* alter Scriver. et Helmst.; paullo venustius. Vid. ad Epist. VIII, 100. *Heins.* *Tua* probum est: Cum *mea patria laus tua* victa iacet.

125. *Vibrata.* Cod. Lincoln. *librata,* quod Heinsius, ut rectius, huic loco vindicare studet multis allatis exemplis tam ex Ovidio, quam ex aliis poetis; sed etiam *vibrata* et recte, et ab Ovidio saepissime dicitur, ut nihil adsit caussae, cur unius illius codicis auctoritatem reliquis omnibus et codd. et veteribus editt. praeferamus.

126. *Pelias hasta. Pelias* et *Peliaca* vocatur, quia ex Pelii montis vertice eam resecuerat Chiron, educator Achillis. Hom. Iliad. XVI, 140., Q. Calab. V, 118. Vid. interpp. ad Metam. XII, 74. et XIII, 109., ubi eodem modo *Pelias hasta.* Tanta erat magnitudine ac pondere, ut praeter Achillem nemo Graecorum vibrare eam posset. Hom. l. l.

129. *Facundus Ulixes.* Idem Metam. XIII, 92., quod fluxit ex Hom. Iliad. III, 216. sqq.

130. *Teucri frater.* Aiax V. 27—29.

131. *Collum solitis.* Plerique codd. *solitis collum.* *Heins.*

132. *Praesentique—sinu.* Plurimi codd. cum vulgata *praesentesque oculos—sinu.* *Praesentisque* Put., Ment. 2., Scriv. 1., Guelf. 1. 4., etiam a m. sec. Trev.; unus Vatic. et tres alii *praesentique;* Scriv. 1. *oculis;* Put. *sinum* et pro var. *suis,* idem a man. sec. Trev.; Scriv. 1. et Vatic. ille *sinus;* Mentel. 2. *meis.* Lego minima mutatione:

Praesentisque oculis admonuisse sui,

vel *mei;* sed prius praestat; nam *meis* sequitur. *Oculi* autem sunt in amore duces, ut inquit ille, quibus amantes capiantur. Si quis Puteanei cod. tamen atque aliorum plurium vestigiis insistens:

Praesentisque oculos admonuisse sui.

praeferendum contendat, nil repugnem, dum vulgatam l., ut inurbanam, mecum adversetur. *Admonuisse sui,* ut in Fragm. Halieut. *Admonuitque sui,* et Epist. X, 41. Plura ad Stat. Silv. Gronov. Diatrib. 49. *Heins.* Vera mihi videtur scriptura, quam ex tanta varietate recepit Iahn: *praesenti—sinu,* quae et sensu bono est, et apte re-

Sis licet immitis matrisque ferocior undis;
Ut taceam, lacrimis comminuere meis.
Nunc quoque — sic omnes Peleus pater impleat annos,
Sic eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuis —
Respice sollicitam Briseida, fortis Achille,
Nec miseram lenta ferreus ure mora;
Aut, si versus amor tuus est in taedia nostri,
Quam sine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges: abiit corpusque colorque;
Sustinet hoc animae spes tamen una tui;
Qua si destituar, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum femina iussa mori.

spondet versui praecedenti: *solitis lacertis collum tetigisse* et *praesenti sinu oculos* admonuisse.

133. *Matris — undis.* Nam Thetis una ex Nereidibus est et dea marina.

134. *Ut taceam.* Quamvis taceam, solis lacrimis commoveberis.

135. *Sic.* *Sic* ita adhibetur in obtestationibus, ubi alteri, quo libentius praestet id, quod nos petimus, quae ipsi grata sunt vicissim, exoptamus, et Ovidio inprimis solemne est; de quo vid. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 3, 1. et Iahn ad Metam. VIII, 858.

136. *Ad arma.* Codd. plerique *in arma*; et sane id elegantius. Sic ire *in hostem, in pugnam, concitare in arma, ruere, ferri, mittere, venire, trahi in arma.* Stat. Theb. VIII.

Imus in arma palam.

Ov. Amor. I, 9, 35.

Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma.

Heins.

Mei codd. uno excepto cum veteribus editionibus *ad arma,* quod non tentandum. Tibull. I, 10, 13.

Nunc ad bella trahor.

Met. XIII, 39.

— vitataque traxit ad arma.

ut mihi ibi cum longe plurimis codd. legendum videtur; *ad arma vocare* Remed. 282.

Pyrrhus, Achillis ex Deidamia filius. Metam. XIII, 155., Apollod. III, 13., Serv. ad Virg. Aen. II, 468.

139. *Aut.* Vulgata *at; aut* Put., nec pauci alii ex melioribus. Placet. *Heins.* Etiam VIII ex nostris *aut.*

142. *Hoc animae.* In Aldinis est: *Sustinet hoc animae spes tamen una tui,* ut sit dictum *hoc animae* pro *hanc animam,* hoc est vitam meam, ceteris, ut corpore et colore delabentibus. *Micyll.* Sensus est: hoc exiguum, quod adhuc in me restat, animae. IV codd. Heins., Erf., Dresd., Gu. 2. 4., Helmst., Trev. cum editt. Venett. *animi;* IV Heinsii, unus Vatic., Goth. 1.: *tui,* Trev.: *tibi.*

143. *Qua si destituar.* Heinsius ex Put. nonnullisque aliis pri-

Cur autem iubeas? Stricto pete corpora ferro:
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si dea passa fuisset,
Ensis in Atridae pectus iturus erat.
At potius serves nostram, tua munera, vitam:
Quod dederas hosti victor, amica rogo.
Perdere quos melius possis, Neptunia praebent
Pergama: materiam caedis ab hoste pete.
Me modo, sive paras impellere remige classem,
Sive manes, domini more venire iube.

mus induxit *destituor.* Nos cum longe plurimis mss. et veteribus editt., praeeunte Iahno, revocavimus *destituar;* ac rarissima sunt exempla part. *si* cum indic. sequente futuro, ubi eventus rei adhuc exspectatur, et prope omnia suspecta. Ex undecim nostris unus tantum Gu. 1. *destituor.*

147. *Si dea passa f.* Iuno, vel potius Minerva, quae a Iunone missa Achillem, stricto iam ense in Agamemnonem irruentem, comis comprehensum cohibuit. Iliad. I, 195.

149. *At potius.* Heinsius ex Putean. et duobus aliis codd. (sic etiam Trev., Goth. 2., Dresd.) *Ah! potius,* quem sequutus est Burmannus. Mihi prisca lectio praestabilior visa. Post illam concessionem, *stricto pete corpora ferro* cet., (quam male ironicam vocat Hubertinus; neque enim haec ironia est, sed potius doloris, iam quodammodo in desperationem versi, longe vividissima significatio) paullatim ad se rediens Briseis, mitiori hic cogitationi indulget, et quasi dicit: Cur vero id facias? quin potius serves iterum, quam olim mihi concessisti, vitam. *At* part. est cogitantis, deliberantis, consilium mutantis: *ah!* est exclamantis, dolentis. LENN.

151. *Neptunia.* Vid. ad Epist. I, 67., Virg. Aen. II, 625. et ad Epist. V, 139.

154. *Domini more.* Sic Epist. XX, 80.

Iam dudum dominae more venire iube.
CIOF.

Non damno hanc lectionem; Puteaneus et tres alii: *domini iure.* Nihil temere tamen mutandum hoc loco. HEINS. Burmannus tamen edidit *domini iure.* Sed recte Iahnus restituit *more;* sensus est: Me, cum coniugis more non placet, iube venire *domini more,* quem nimirum intermiserat, cum eam coniugis loco habere coepisset. Mei codd. omnes: *more.* Conf. supra v. 69.

EPISTOLA IV.

PHAEDRA HIPPOLYTO.

Interfecto Minotauro Theseus Ariadnen, Minois et Pasiphaes filiam, quam ob latam sibi ab ea opem ducturum se promiserat, navi impositam abduxit. Sed in Naxo insula eam reliquit et mox Phaedram duxit, illius sororem. Igitur Hippolytum filium, quem ex priore uxore, Hippolyta vel Antiopa, regina Amazonum, habebat, ne is, si ex nova uxore filios gigneret, in regnum sibi succederet, Troezena, apud cognatos suos habitatum, misit, qui ibi insigni castitate unice venationis studio deditus vixit. Accidit autem, ut Phaedra, quum privignum suum iam adultum saepe vidisset, pulcritudine eius capta scelerato in eum amore atque libidine incenderetur. Quare quum Theseus cum Pirithoo, amico suo, ad nova pericula obeunda exiisset, atque aliquamdiu Athenis abfuturus esse videretur, hac opportunitate usa ei amorem suum confitetur et hanc ei scribit Epistolam. Vid. Plutarch. in Thes., Diod. Sic. IV, 5., *Pausan. pluribus locis, Hyg. F.* 47. 243., *et inprimis Eurip. et Senec. Hippol., Meziriac. l. l. p.* 303.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.

1. *Qua, nisi tu d.* Regius et duo alii codd. (etiam pro varia lectione Erfurt.):

Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem.

quod mihi mollius fluere videtur. *Burm.* Sed certe fluxit ex Met. IX, 529.

Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem,
Hanc tibi mittit amans —

nam est contra auctoritatem omnium fere codd. et vett. edd. Quod autem Heusinger scripsit:

Quam nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit etc.

in eo prorsus desidero Ovidianam illam simplicitatem.

2. *Cressa puella.* Phaedra. Similiter Phaedra simpliciter *Cressa* vocatur Iuv. X, 327. ubi mirum mihi videtur Rupertium censere aliquid aut v. 326. aut v. 327. a librariis esse corruptum, quod non dictum sit *Phaedra* pro *Cressa,* cum illud nomen non iam praecesserit. Nam ex verbis *Nec minus* —— *excanduit* apparet, *haec* referri ad eam, quae Hippolytum amavit, et nominis *Hippolyti* mentione satis manifestum est, quae a poeta innuatur. Caussa vero, cur Iuvenalis non potius *Phaedra* dixerit quam *Cressa,* est, quod docte loqui poeta, et novam sententiae addere notionem volebat. Sic Ovid. Epist. II, 74. *Cressa* dixit pro *Ariadne,* quin ipsum nomen praecesserit, aut sequatur. *Puel-*

Perlege quodcumque est: quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod iuvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur:
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori;
Dicere quae puduit, scribere iussit Amor.

lae autem Heroides prope omnes sunt, tam nuptae, quam innuptae, solemni poetarum usu, de quo vid. Rupert. ad Iuven. II, 59. et quos laudat Heyn. ad Tibull. III, 1, 21., Koepp. ad Hom. Iliad. III, 130.

3. Dunelm. et post rasuram Harl.: *quicquid id est.*

4. *Te quoque.* Insolens videtur hoc loco positio partic. *quoque* post *te,* quae ex sententiae ratione pertinet ad *aliquid, quod te iuvet;* sed *videtur* esse, non *est.* Nam *quoque,* si notio, ad quam ea particula pertinet, pluribus vocabulis enuntiatur, post primum statim vocabulum, ut hoc loco, poni potest.

5. *Notis.* Sequenti v. *notas;* sine ulla specie elegantiae. Fortasse scripsit *modis: His arcana modis.* BURM. Exempla, ubi eaedem voces intra paucos versus repetuntur, apud Ovidium innumera sunt. Vid. ad Epist. I, 40. Conf. Amor. II, 2, 89.

7. *Inutilis.* Vid. Epist. II, 129. ibique not.

8. *Destitit.* Sunt, qui *restitit* legendum contendant, inter quos Douza et Schlichtenhorst., et in uno Lovan. exstat. Tres alii *constitit.* Sed nil mutandum; etsi succurrunt Epist. XIII, 121.

Semper in his apte narrantia
verba resistunt.

Virg. Aen. IV, 76.; cum vulgata enim stat Fast. II, 823.

Ter conata loqui, ter destitit —
HEINS.

Capoferreus IV priores versus huius Epistolae aut certe 3. et 4. subdititios putavit. Parum intelligenter. Omnia librorum auctoritate sunt firmata ac belle quoque cohaerent, ita: *Phaedra Hippolyto salutem* v. 1. 2. *Quae hic scripta vides, perlege; literae enim nocere nihil possunt, ac saepe laeta afferunt* v. 3. 4. (Iam posteriora haec respiciens) *Nam his notis* (per literas) *arcana......;* (et priora *nihil potest nocere*) *has notas hostis adeo ab hoste acceptas legit.* (Iam post aptam in invidiosum Epistolae argumentum quasi introductionem ad ipsam rem transit) *Ter sum conata loqui, cet.* Ruhnken. Epist. Crit. II. p. 217. notavit, Ovidium hic ob oculos habuisse Apollonii Rhod. III. v. 654. et 683—686.

9. *Sequitur.* Exponunt *conveniens, utile est;* sed melius *facile est* redditur, ut Gronov. Diatrib. Stat. 145. Quint. Inst. VIII, 6. *Refert autem, in quantum dictus tropus oratorem sequatur;* et ita ille saepius. Vid. ad L. II, 4. BURM. Alii inter-

Quicquid Amor iussit, non est contemnere tutum:
Regnat et in dominos ius habet ille deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit
„Scribe: dabit victas ferreus ille manus."
Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos.

pretantur: quatenus licet et obsequitur sc. pudor. Prius simplicius est; sed an Latinum sit, dubitari potest. Certe in illo Quint. loco *sequitur* non absolute, quod hoc loco quaeritur, dictum est.

12. *Regnat.* De dominatione ac regno Amoris pleni sunt poetae inde ab Hesiodo (Theog. 120.). Anacreon Od. 58, 4.

"Οδε καὶ θεῶν δυναστής,
"Οδε καὶ βροτοὺς δαμάζει.

Senec. Hippol. 184., Virg. Aen. I, 665., Sophocl. Trachin. v. 444.

Dominos deos scripti, non, quod nonnullae editt.: *superos deos.* Amor. III, 10, 48.

Haec decet ad dominos munera ferre deos.

Sic *domina Venus* Petron. et Apul. Metam. VIII.; Prop. III, 3.

Et Veneris dominae volucres, mea cura, columbae —

Domina Iuno Prop. II, 5., *domina Diana* Mart. Epigr. 12, 18. Vid. Ov. Amor. III, 13., Art. A. I, 148. HEINS.

16. *Figat.* Pauci Heinsii codd. *fingat,* reliqui et veteres editt. *figat sic a. i. m. v. t.* Sed mire hic locus exercuit interpretes. Francio verbum *figat* haud satis respondere videbatur praecedenti *fovet,* et pro *fovet* scribendum arbitrabatur *vorat,* et *urat* pro *figat.* Oudendorp. et Ruhnk. suspectum habebant *fovet,* ut in hac re iusto lenius, et Oudend. electionem proposuit verborum *vorat* et *coquit,* quorum posterius Ruhnken. amplexus est. Haud proposuit *stringat,* coll. Virg. A. X, 331. *tela stringentia corpus.* Burmanno legendum videbatur *frangat;* Lennepius cum paucis illis codd. dedit *fingat.* Ac Francii et Oudendorpii et Ruhnkenii difficultati facile occurritur iis, quae monita sunt a Schrodero in Obss. Miscell. Vol. VI. T. I. p. 179. nihil obstare, quominus, ut saepe, allusio facta censeatur ad Amoris *altera tela arcus, altera tela faces,* ut quemadmodum horum in hexametro, sic illorum in pentametro poeta meminerit. Epist. II, 40., Art. A. I, 21.

Et mihi cedet Amor, quamvis mea vulneret arcu
Pectora, iactatas excutiatque faces:
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
Hoc melius facti vulneris ultor ero.

Amor. I, 15, 27.

Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Metam. I, 455—461., Tibull. II, 1, 81. 82.; et quod Iahn, qui vulgatam retinuit, notat, non sola verba *fovet* et *figat* sibi opponi, sed universas sententias *avido fovet igne,* et *figat animos tuos;* et *ferreus* est ani-

Non ego nequitia socialia foedera rumpam:
Fama, velim quaeras, crimine nostra vacat.

mus Hippolyti (v. 14.), ut fortioribus armis opus esse videatur ad animum eius ad amorem commovendum. *Frangat*, quod Burmanno placebat, nescio an insolentius dictum sit, quam *figat*, quum praesertim in ea re Amor armis suis uti soleat; et coniectura est. *Fingere in vota*, quod Lennepius probabat, exemplis locutionis *fingere aliquem in* vel *ad aliquid* allatis Sil. Ital. I, 441., Cic. Orat. c. 8., Horat. A. Poet. 366. sqq., Ov. Met. XIV, 685., XV, 380., certe falsum est. Non enim videtur de more esse potentis ac violenti illius dei, animos diu mulcere et paullatim *fingere* ad amandum, qui ubique statim arma stringere solet, et maxime tum, si animi, qualis, ut iam dixi, Hippolyti fuit, ferrei sunt. Exempla autem illa nostro loco parum sunt similia. Lectio *figat in vota* et librorum auctoritate firmatur et certe etiam iis omnibus, quae contra Francii difficultatem attulimus. Nec profecto, etiamsi exempla desint, quidquam habet ea phrasis insoliti aut inconcinni. Nam si apud Ovidium, re corporea ad animum translata, *animus* habet vulnus, Metam. X, 375.

Sic *animus* vario labefactus vulnere (Amoris) nutat —

IX, 539.

Ipsa tamen, quamvis *animo* grave vulnus habebam,
— — — — — —
— — — — — —
Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere —

recte etiam dicitur *figat animos;* v. *figere* enim de Amoris arcu passim legitur (Amor. II, 9, 35., Art. A. I, 23.). *Figere animos alicuius in vota mea* est *figendo*, vulnere, *cogere*, ut votis meis cedat, ut sit paratus ad id, quod velim. Sic Epist. XXI, 240.

Doque libens victas in tua vota manus —

Amor. I. 13, 46. de Iove:

Commisit noctes in sua vota duas —

pro, ut, quod volebat, diutius Alcmena frueretur. Conf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 41.; quae attulit Lennep. Adde Prop. III, 2, 34. et Epist. XVI, 280. Eodem fere modo *frangere in Venerem* dixit Petron. Arbit. de Mut. R. R. v. 22. *Figere* pro *figendo adigere*, *cogere*, dictum est eadem cum vi atque elegantia, qua *laniare a pectore* Metam. XI, 681. *Animos* autem de singula persona habes infra v. 130. De eadem scriptura Kuinoel videndas dicit Struchtmeyeri Animadversiones Critt. p. 60., quae mihi non erant in promptu. *Igne fovere* est etiam Metam. VII, 427.

17. *Nequitia* hic pro lascivia ponitur, qua in cuiuscunque amplexus ferimur, et opponitur *amori*. Amore ergo Hippolyti, non libidine se moveri scribit. *Socialia* illa *foedera* respiciunt nuptias cum Theseo initas, ut patet sequentibus. *Burm.* Conf. Met. XIV, 380.

19. *Venit.* Quidam libri *Urit amor gravius*, ut Amor. III, 1, 20. Sed nihil opus est. Amor.

Venit amor gravius, quo serius: urimur intus,
Urimur, et caecum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus;
Sic male vixque subit primos rude pectus amores
Sarcinaque haec animo non sedet apta meo.

I, 6, 20. *Nec mora; venit amor.* et vid. mox v. 26. *Heins.* Omnino late patet apud poetas, et inprimis apud Ovidium usus verbi *venire;* Pont. I, 1, 20.

Musaque ad invitos officiosa venit —

Pont. IV, 16, 3.

Famaque post cineres maior venit —

Trist. IV, 2, 18.

Famaque tam longe nonnisi parva venit.

Epist. V, 8.

Quae venit *indigne* poena, dolenda venit.

Vid. infr. v. 24. et ad Epist. IX, 120. Nostri codd., excepto Erfurt., *venit. Urit* probant tamen Douza et ad Lotichium Burmann. Sec. Tom. I. p. 86.

20. *Caecum vulnus.* Non damno hanc l.; non minus eleganter tamen unus ex meis *tacitum vulnus.* Apposite Virg. A. IV, 66.

— est mollis flamma medullas
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.

Heins.

Conf. tamen ibid. v. 2. et sic Ovidius sexcenties. Vid. indices.

21. *Laedunt.* Cod. Ambros.: *urunt,* quod elegantissimum et nisi praecessisset *urimur,* sine ulla haesitatione amplecterer. *Burm.* *Laedunt* libri, uno illo excepto, omnes, et notio generalior *laedunt* aptior videtur ad sequentia, quae propter comparationem respici maxime debent. Ceterum *uri* sic usurpari docuit Burm. ex Remed. A. 235., Pont. I, 5, 25., Horat. Epist. I, 13, 6. laudatis Passerat. ad Prop. IV, 3., et Barth. ad Stat. Theb. VI, 398. Conf. etiam Burm. Sec. ad Prop. II, 2, 11. *Scilicet* hic, ut saepe, partic. est, quae excitat mentem legentis, fere ut nostrum *ja,* qua vi tum maxime ponitur, si sententiae universales inferuntur. Fast. VI, 463., Metam. III, 135., Pont. I, 5, 35., Virg. Georg. II, 61. et I, 282., ubi vid. Voss., Trist. II, 107., V, 10, 9., I, 2, 33.

23. *Primos — amores.* Broukhus. maluisse *primo amori* notavit Francius; sed, quamvis uterque casus huic verbo iungi possit, hic aptius puto *amores,* quia continuat poeta metaphoram a *iugo* inceptam, et ita *rude pectus* male *subit amores,* qui sunt grave iugum; quo sensu puto aptius esse casum quartum. Sic Tibull. I, 4, 41. al. *Burm.* Et quid veteres libri?

24. *Animo non sedet apta meo.* Werf. l. l. p. 535. locum hunc et v. 26.

Quae venit exacto tempore, *peius amat.*

corruptelis obscuratos putavit; importunum enim istud *meo* sententiarum *universalium* tenorem interrumpere; verba autem: *Quae venit — amat,* omni

Ars ſit, ubi a teneris crimen condiscitur annis;
Quae venit exacto tempore, peius amat.
Tu nova servatae carpes libamina ſamae;
Et pariter nostrûm ſiet uterque nocens:

prorsus carere sensu. Priorem locum ita emendandum putat, ut (collato XX, 68. aliisque locis illi similibus) scribatur *suo*, quod est, ipso interprete, *qualem sarcina ista requirit.* Quae quidem eius explicatio parum conveniens videtur; sarcina enim, animum nacta *qualem requirit*, satis apte etiam in eo videtur sedere. Omnino retinendum *meo*, quod praeter Werferum adhuc neminem offendit; et ad praecedentem sententiam quoque cogitatione addendum *meum;* ut sequenti demum in disticho ad generalem sententiam transeat oratio. Nec aliter locum cepit Scholiastes codicis Trev., qui ad *pectus* adscripsit *meum.* Nec si generaliter v. 24. dictum intelligeres, ne tum quidem mutare liceret. Epist. III, 43.

> An *miseros* tristis fortuna tenaciter urguet?
> Nec venit inceptis mollior aura *meis?*

De altero loco, in quo cum Werfero, qui coniecit *calet* pro *venit*, haerebat etiam Faber ad Lucret. III, 480., item Heinsius et Burmannus, nec ille quaquam tentandus erit; sc. suum, *feminae*, statum ob oculos Phaedra habens universe dixit: *Ars ſit, ubi crimen a teneris discimus* (*feminas* semper maxime respiciens. Iam contrariam adiicit sententiam) *Quae vero* (cunque femina) *exacto tempore venit ad amorem, peius* (miserius) *amat.* Probavit eam quoque Lennep, qui sic habet: Heinsius malebat *cui venit*, non multum repugnante Burmanno: sed ita subaudiendum non, ut ille volebat, *amor*, quod nimis ab hoc loco remotum, neque, ut hic, *ars*, quod est naturae contrarium, cum vehementior amoris aestus *artem* plane non admittat; sed *crimen.* At omnino ferri potest vulgata lectio, *quae venit*, sc. ad amandum, *exacto tempore.* — Vid. Epist. II, 62. et V, 8. Prop. I, 7, 26.

> Saepe venit magno foenore tardus Amor.

Vid. ad Ep. IX, 120. Heinsius ex IX libris suis (et sic est etiam in Trev., Goth. 1., 2., Guelf. 2. et Pal.): *ut a teneris;* atque ita nunc vulgo editur. Sed recte Iahn cum plurimis codd. et veteribus editionibus edidit: *ubi a teneris.* Conf. Epist. VII, 1., et vid. not. ad Epist. XV, 1. Pal.: *quom discitur.*

27. *Carpes. Carpere* versu sequenti denuo habes. Quare praetulerim, quod in nonnullis, *capies;* nisi *rapies* forte malis. *Heins.*

Rapies, ad quae ipsa invitat, ultro offert? *Carpes* probum est, quod de eius generis libaminibus aptius dicitur, et magis poeticum est, quam generalis notio *capies.* Quod autem statim *carpere* sequitur, ob quam caussam Heinsius mutare voluit, Burmannus cum aliis mu-

Est aliquid plenis pomaria carpere ramis,
 Et tenui primam deligere ungue rosam.
Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
 Candor ab insolita labe notandus erat;
At bene successit, digno quod adurimur igne:
 Peius adulterio turpis adulter obest.

tavit, eodem iure pro lectione *carpes* afferri potest. Vid. etiam supra ad v. 6.

Famae. Vetus edit., qua usus est Gruter: *flammae;* sed *famae* praestat: ita *perdere famam* Epist. V, 6. Multi codd. hic quoque, solemni permutatione, *formae* habent; sed *famam* illibatam pudicitiae se huc usque servasse, et in unius Hippolyti gratiam se peccaturam ostendit. BURM.

28. *Et pariter — nocens.* Vehementer, et iure quidem, Ovidium hic insectatur I. C. Scaliger, ut qui pessimo utatur argumento, quo in amorem sui Hippolytum Phaedra inducat. AMAR.

29. *Est aliquid.* Magnum quid, magnae voluptatis est; locutio, quam Ovidius in deliciis habet, quamque sexcenties apud eum reperias; de qua vid. Schwebel ad L. Bos Ellips. p. 190.

30. *Deligere.* Plurimi scripti *diligere;* Leidens. et alii nonnulli *colligere;* omnes frustra. Vid. Passerat. ad Propert. II, 32. p. 386. BURM. Nostri *deligere.*

31. *Si tamen. Sic tamen* Putean. cum plerisque aliis; sed verum est, quod ex suis profert Naugerius, quodque ego in uno alteroque offendi *si tamen* (idem exhibent Erf., Goth. 2.). Vulgati *sed tamen* (Venet. 1486. *sic tamen*). HEINS. *Si tamen* est nostrum *wenn doch einmal.*

33. *Adurimur igne.* Pro vulgata eaque omnium fere codicum lectione *igne* Heinsius primus ex uno Puteaneo recepit *igni*, et sic nunc vulgo editur; eandem scripturam, sequutus codd. Putean., Guelf. 1. et Erfurt., retinuit nuperrimus editor, Iahn. Perperam, ut mihi videtur; quum praesertim ea lectio in dubitationem nos inducat, utrum eam pro dativo accipiamus, an pro ablativo. Forma *igne* apud Ovidium passim (ut supra v. 15., Epist. XI, 104., XV, 12.), et saepius etiam apud eum legeretur, nisi ab editoribus esset expulsa. Sic idem Heinsius Trist. IV, 10, 67. ex uno cod. Rottendorphiano *minimoque accenderer igni* scripsit, ubi reliqui vetusti libri omnes exhibent *igne*, quod probum est. In correpta autem in fine versiculi syllaba non est haerendum, de qua re haec ad hunc locum apta est annotatio Iahni ad Metam. XI, 562.: „*In ore est* pro *in ore* recipiendum esset, si vere monuissent viri docti, poetas Latinos a versibus in vocalem brevem exeuntibus, inprimis si sequens versus a vocali incipiat, sedulo sibi cavisse. (Vid. H. Voss. ad Virg. Georg. III, 519., Both. Vindicc. Ovid. p. 29., Lachmann. ad Propert. II, 6, 5. et qui laudantur a Weicherto, de Versu

Si mihi concedat Iuno fratremque virumque;
Hippolytum videor praepositura Iovi.
Iam quoque, vix credes, ignotas nitor in artes:
Est mihi per saevas impetus ire feras;

Poett. Epic. Hypermetro Comm. I. [Grimm. 1819. 4.] p. 24.). Sed poëtas nunquam de hac brevi syllaba evitanda, aut de hiatu sequentis versus fugiendo cogitasse, innumeris locis potest probari. Vid. ad Metam. VI, 75." — Conf. supra Epist. II, 55. Codd. Iun. et Gron. *aestu.*

34. *Turpis — obest.* Heinsius et post eum Burmannus aliique permulti ex uno Scriveriano scripserunt *abest*, et Burmannus locum interpretatur: Abest a meo amore deformis adulter, quod ipso adulterio peius est. Sed vera lectio est: *turpis — obest,* quae hunc simplicissimum ac planissimum praebet sensum: *At bene successit, quod digno* (pulcro, et generoso; non turpi, et ignobili) *adurimur igne; (nam) turpis adulter peius* (magis, vehementius, solemni usu loquendi, vid. Ep. VII, 30., supr. v. 26.) *obest, quam ipsum adulterium;* h. e., *maiori dedecori est turpis adulter, quam ipsum adulterium.* Sententia est generalis, de qua re vid. ad Epist. XIV, 13. Eandem scripturam probarunt Lennep., Werf. et Iahn.

36. *Videor. Videar* Vatican. et Farnes. unus, rectius, quam *videor.* Heins. *Videar* etiam Burm. aliique. Sed recte recentiores editores revocarunt *videor,* flagitantibus vetustis libris, et sane etiam sententia: Si Iuno mihi Iovem concedat, Hippolytum me Iovi praeposituram arbitror. Quanquam illud *videor* et *arbitror* non sincere amantis esse videtur, quae dicere debebat *ego praeponam, praepositura sim,* non *videor praepositura;* sed hoc vitium est poetae; alterum ratio non patitur grammaticae.

37. *Nitor.* Elegans est *nitor in artes,* ut *nitimur in vetitum:* et firmatur illa Heinsii coniectura duorum auctoritate codicum, Mentel. 1. et Francof. Sed nec veterem damno lectionem *mittor,* a qua minus etiam alienum se professus est Burmann. in Add. ad Ep. Heroid. T. IV. 242. *Mittor* est quasi invita, contra naturam mei sexus agor, abripior, ire iubeor. Phaedrae nutrix apud Eurip. in Hippol. 235. ἐπὶ θῆρας Πόθον ἐστέλλου. Cf. Prop. III, 7, 3. et Horat. Od. I, 16, 25. Lenn. Put., Argent., Guelf. 1., Goth. 2., Dresd.: *mutor;* Mentel. 2. *miror;* plurimi, in his sex ex nostris, Guelf. 2., 3., 4., Erfurt., Goth. 1., Trev., cum vulgata *mittor. Mutor,* quod aliis, ut Kuinoelio, Heusingero et Baumgarten-Crusio placuit, mihi suspectum videtur; certe exempla, quae Gronov. Obss. III, 1. excitavit, quodque Kuinoel ex Pont. I, 1, 79. attulit, huic loco parum sunt similia; et facillima est vocum *mutor* et *mittor* commutatio, tam prorsus similibus harum vocum literarum ductibus. Sed nec vocis *mittor* hac quidem significatione satis firmatus est usus;

Iam mihi prima dea est, arcu praesignis adunco,
Delia; iudicium subsequor ipsa tuum.

nam quae attulerunt exempla Latina, huic loco non sunt similia; quod autem Graecum excitavit Lennep, *στέλλομαι*, dubito, an hoc loco multum habeat momenti, quum illud verbum, certe apud poetas, passim cum significatione *ire, transire, festinare,* reperiatur; Latinum *mittor* non item. (Vid. tamen Forcell. in Lex. in h. v. et conf. Art. A. III, 667. et locum Eurip. ad versum sequentem.) Quare, donec de usu illo v. *mittor* diligentius inquisierim, retinendam putavi Burmanni scripturam: *nitor in artes,* quod est cum studio incumbo. Ut *nitor in artes* Grat. Cyneg. v. 498.

— non omne meas genus audet in artes.

Pro *credes* Burmannus cum V Heinsii codd. recepit *credas,* et sic etiam habent Goth. 2., Guelf. 3., 4. Vulgata proba est. Art. A. III, 439.

Vix mihi credetis; sed credite, Troia maneret. —

Ars saepe de venatione. Vid. interpretes ad Gratii Cyneg. v. 1. et 151. KUINOEL.

38. *Per saevas ire feras. In feras ire* recte et eleganter dici vidimus modo Epist. III, 36. (?); sed *per feras ire* non placet, nec, ut Crispinus notat, plus esse, quam *in feras,* credimus; nisi transfixas velit intelligi; ut nec *saevas feras* probo. Quare forte scripserit *per silvas impetus ire feras. Silvae ferae* dicuntur; vid. Heins. ad Claud. Cons. Olybr. 186. Sic *fera Aetna* Prop. III, 2., ubi vid. Passerat. BURM.

Nihil hoc loco sanius: *Est mihi* (natura timidae, ut feminae) *impetus per* (medias) *feras ire,* ut audaces venatores solent; et recte vidit Crispinus. Metam. XIV, 45.

— perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula.

Epist. XVII, 246. *per gladios ire,* Epist. V, 64. *per fluctus ire, ire per undas* Epist. XIX, 161. (ubi similis sententia est: *Ire libet tumidas mihi* (feminae) *saepe per undas*); *per agmen hostile* Met. VIII, 37., *per obstantes catervas* Horat. Od. III, 20, 5.; et sequitur v. 41. *in nemus ire libet.* — Sed errorem suum Burmannus ipse perspexit in Addend., ubi vulgatam probat et interpretatur: *Est, ubicunque earum magna copia, insequi et venando persequi; et certe maiorem impetum et ardorem notat;* et confert Prop. III, 7, 25. et Val. Flacc. I, 438., laudato Barth. ad Stat. Theb. V, 151. Expressit autem, ut monet Lennep, Ovidius Euripidea Hippolyt. 216. sqq.

Πέμπετέ μ' εἰς ὄρος· εἶμι πρὸς ὕλαν,
Καὶ παρὰ πεύκας, ἵνα θηροφόνοι
Στείβουσι κύνες.
Βαλίαις ἐλάφοις ἐγχριμπτόμεναι,
Πρὸς θεῶν ἔραμαι κυσὶ θωΰξαι,
Καὶ — — — — —

Ex quo sua etiam hauserunt Seneca Trag. in Hippolyt. 110. sqq. et Racinius in Phaedra, Act. I. Sc. 3.

39. *Arcu.* Scriver. *cornu.* Sic *κέρας* pro *arcu* etiam apud Gr. poetas, ut apud Anacr. Od. 3. sub fin., ubi Cupido: *Κέρας*

In nemus ire libet, pressisque in retia cervis
  Hortari celeres per iuga summa canes;
Aut tremulum excusso iaculum vibrare lacerto,
  Aut in graminea ponere corpus humo.
Saepe iuvat versare leves in pulvere currus,
  Torquentem frenis ora fugacis equi;

ἀβλαβὲς μέν ἐστι —, Claudian. Rapt. Proserp. II, 205., Ovid. Epist. X, 107., Met. I, 455., Virg. XI, 773. et 859. *Heins.* Exemplis his nihil efficitur, nisi, de quo nemo dubitat, *cornu* pro *arcu* dici posse; sed minime id quaeritur, quid dicere poeta potuerit, sed quid verisimillimum sit, hoc loco dixisse. Scribo cum vulgata et Iahno: *arcu. Adunco arcu,* vid. Metam. XIV, 51. et IX, 114.

40. *Delia.* Diana, in insula Delo nata; iam apud Hom. dea venationis *Ἄρτεμις ἀγροτέρη* et *τοξοφόρος* Iliad. XXI, 471. et 483. et 511. *Iudicium,* studium. Et huius vocis significatio apud Ovid. late patet. Epist. III, 104. *Subsequor* Put., nonnulli Heinsii codd., et Guelf. 1., Goth. 1., 2., Dresd., Helmst., Giess.; reliqui cum vulgata: *subsequar.*

41. *Pressisque. Prensisque* Puteanea excerpta et V codd. ex nostris. Sed *pressis* probum est. Virg. Georg. III, 413.

> Ingentem clamore premes in retia cervum.
>
> *Heins.*

Vid. Stat. Theb. IV, 322., ubi Lutatius, *venatores cum investigant, errant, cum prosequuntur, premunt.* Vid. Gebhard. ad Nepot. Milt. c. 3. *Burm. Premere* idem fere est, quod *urguere.*

42. *Hortari.* Quidam codd. *citari;* alii *sectari;* quod placet. Prop. III, 12, 14.

> Sectari patrios per iuga longa canes.
>
> *Heins.*

Nihil muto. *Hortari* enim, ut etiam *monere,* verbum est venatorum. Vid. Gebhard. ad Prop. II, 9, 20. Noster Metamorph. X, 537. *Hortaturque canes.* (Vid. Iahn. ad Metam. VII, 35.) Praeterea Broukhus. ad Tibull. I, 4, 18. mallet hic *hortari c. per iuga* l o n g a *c.,* ut Epist. V, 20. Sed constanter *summa* retinent codices. Praeterea maius meritum et laboris insoliti impetum indicat vulgata, ut etiam enitatur in summa iuga. *Burm. Hortari* probat etiam Lennep, ut quod manifesto exprimat Euripidis illud *θωΰξαι.*

45. *Saepe iuvat etc.* Et hoc ductum est ex Eurip. Hippol. 229. sqq.

> *Δέσποινα δίας Ἄρτεμι λίμνας,*
>
> — — — — — —
>
> *Εἴθε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις,*
> *Πώλους Ἐνέτας δαμαλιζομένα.*

cum quo postremo verbo bene congruit Ovidianum *torquentem;* huc vero nescio an minus faciat receptum ab Heinsio ex Puteaneo, Scriver. et IV aliis *sequacis,* cum in plurimis codd. et antiquis editt. sit *fugacis.* Quia tamen et Burm. *sequacis* probavit, ego quoque,

Nunc feror ut Bacchi furiis Eleleides actae,
Quaeque sub Idaeo tympana colle movent;
Aut quas semideae Dryades Faunique bicornes
Numine contactas attonuere suo.

magnorum virorum auctoritati cedens, id in textum recepi. *Lenn.*

Etiamsi apud me quoque multum valeat Heinsii et Burmanni auctoritas, plus tamen apud me valet codicum et vulgatae, quibus talia solis diiudicari possunt, igiturque cum Heusingero et Iahno scribo *fugacis,* quod, ut recte monet Lennep, etiam aptius est ad *torquentem frenis.* Serv. ad Virg. Georg. I, 280. *Velocem equum fugacem dicimus.* Propert. de Parthis:

Tela fugacis equi et braccati militis arcus.

Conf. Metam. XIII, 808.

47. *Eleleides.* Omnes ad hunc diem *Eleides;* sed quis non videt, si *Eleides* legas, subsultare versum. Iam Bacchi nomen *Eleleus* non *Eleus;* Metam. IV, 15.

Nycteliusque Eleleusque parens. *Egnatius.*

Eleleus autem, ut *Iacchus* et *Euan,* Bacchus vocatur a clamore Bacchantum. De furore Baccharum insignes sunt loci Metam. III, 514. sqq. et XI, 1. sqq. Conf. Met. VI, 587. sqq.

48. *Quaeque. Quique* rescribi Micyllus velit, ut de Gallis intelligatur. At argute Ovidius Gallos tanquam feminas hic describit, pro qua lectione libri stant veteres uno consensu. *Gallas* simili modo Catullus *de Atti* v. 34., ubi passim ludit, Attin tanquam feminam describens, quem et Anacreon Od. 13. vocat ἡμίθηλυν. Sic et in Ibide 453. ex ms.

Ut quas Cybeleia mater incitat.

Apud Stat. Theb. XII. *Dux vesana chori* Attis aut Archigallus vocatur. Apud Apulei. Met. VIII. Archigallus ad Cinaedos: *Puellae servum vobis pulchellum, en ecce, mercatus perduxi. Sed illae puellae chorus erat cinaedorum,* quae etc. Ita ap. Hom. Ἀχαΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί et apud Virg. *Vere Phrygiae; neque enim Phryges.* Certe Lucianus Gallorum choro feminas immistas, ipsosque Gallos vestitu muliebri esse usos testatur. *Heins.* Masculino tamen genere usus est Ovidius Art. A. I, 508. De Gallis, sacerdotibus Cybeles, eorumque furore ac tympanis, deque ipsa Cybele, matre deorum, omnia illustrantur Fast. IV. v. 183. sqq. ubi vid. Gierig. Vid. etiam Voss. ad Virg. Georg. IV, 64. *Idaeo,* Fast. IV, 263.

— — — Divumque arcessite matrem,
Inquit; in Idaeo est invenienda iugo.

49. *Semideae Dryades Faunique bicornes. Dryades* Nymphae sunt silvarum, vel potius arborum. Virg. Eclog. X, 62., Voss. ad Virg. Georg. I, 11. *Semideae,* qui etiam minorum gentium dii appellantur, de quibus vid. Cuper Obss. III, 16., Klotz. ad Tyrtae. p. 112., Forcell. in Lex. *Fauni* et iidem dii agrestes, qui in Italia ori-

Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia; me tacitam conscius urit amor.
Forsitan hunc generis fato reddamus amorem,
Et Venus ex tota gente tributa petat:
Iupiter Europam — prima est ea gentis origo —
Dilexit tauro dissimulante deum;

ginem habent et fere cum Panibus, Arcadiae numinibus, a poetis confunduntur. Vid. Gier. ad Metam. I, 193., I. H. Voss. Mythol. Briefe II, 30. et ad Virg. G. I, 11., et Heyn. Excurs. V. ad Virg. Aen. VIII. et Antiquar. Aufsätze T. II. p. 53., et inprimis Serv. ad Virg. Aen. VI. et Meziriac. l. l. p. 443. Ad rem Festus: *Vulgo autem memoriae proditum est, quicunque speciem quandam e fonte, i. e., effigiem Nymphae viderint, furendi non fecisse finem, quos Graeci Νυμφολήπτους, Latini Lymphaticos appellant.* Conf. Ovid. Fast. IV, 761. ibique Gierig., et Prop. III, 11, 38. ibique Broukhus., et Metam. III, 161. sqq. Ceterum et hic locus ductus est ex Eurip. (Hippol. 141.)

Σὺ γὰρ ἔνθεος, ὦ κούρα,
Εἴτ' ἐκ Πανὸς, εἴθ' Ἑκάτας
Ἢ σεμνῶν Κορυβάντων, cet.

50. *Contactas attonuere. Attonitas reddidere,* ut explicat Schol. cod. Trev., h. e., furentes. Sic est *Attonitas Maenadas* apud Iuv. Sat. VI, 316. ubi vid. Rupert.; et ἐμβροντηθῆναι (nam *attonitus* est Graecum ἐμβροντηθεὶς et ἐμβροντητὸς) pro μαίνεσθαι apud Grot. Excerpt. p. 713. Alia vid. ab Hemsterh. allata ad Lucian. Timon. I. p. 99. Vid. etiam Mitscherl. ad Horat. Od. III, 9, 14. et infra ad Epist. XV, 140.

53. *Generis fato reddamus.* Rectius legitur *generis fato,* quam *fato generis,* ut ambiguitas vitetur. Sic Epist. VIII, 65. *Hoc generis fatum.* Scribendum vero *reddamus* et *petat* ex mss. (Guelf. et alii Heinsii *reddemus*); solet enim Ovidius τὸ *forsitan* cum coni. nectere. Epist. I, 77., VII, 133., XIX, 123., Iuven. XI, 162., Sil. It. XV, 643. *Heins.* Et nos probamus h. l. coni. propter vetustos libros; nam *forsitan* apud Ovidium etiam indicativo iungitur. Epist. II, 103., X, 85., XIX, 57., XX, 136., Trist. III, 3, 26., Amor. I, 6, 45., III, 7, 36. et III, 6, 100. et sic saepissime. Vid. ad Epist. XV, 5.

54. *Ex tota.* Burmannus cum Heinsio et nonnullis Heinsii codd. *e tota.* Sed vulgata cum longe plurimis scriptis *ex tota,* quod non tentandum erat.

Veneri autem adscribit insaniam suam Phaedra et mala gentis suae, utpote iratae Soli, quod is Martis et Veneris adulterium Vulcano denuntiasset. Metam. IV, 170. sqq. Vid. Ibid. v. 190 sqq., Serv. ad Virg. Ecl. VI, 46. et Aen. VI, 14., Libanii Διηγήμ. ab Allatio edita 115. et 116., Senec. Hippol. 114., Boeff. ad Ibin 579. (Hom. Od. VIII, 293. sqq.) *Burm.* Schroder Obss. Misce. Vol. VI. T. I. p. 198.: *Ut Venus.* Sed hac mutatione non est opus. Vid. ad Epist. XIX, 67. 68. De re conf. Epist. VIII, 65. et vid. ad XIV, 85.

55. *Europam.* Post Heinsium

Pasiphaë mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo;
Perfidus Aegides, ducentia fila secutus,
Curva meae fugit tecta sororis ope;
En ego nunc, ne forte parum Minoia credar,
In socias leges ultima gentis eo.

nunc vulgo scribitur *Europen*, et sic est in Guelf. 1. et Sarrav. Sed *Europam* consentientibus omnibus fere libris et vett. editt. non videtur mutandum; quum praesertim multorum etiam aliorum nominum utraeque formae et Graeca et Latina apud Ovidium legantur. *Crete, Creta; Proserpina, Persephone,* al. Vid. ad Epist. XX, 221. *Europa* est Metam. VIII, 120.

De *Europa*, Agenoris vel Phoenicis filia, a Iove sub specie tauri rapta et dorso Cretam translata, ubi ex ea suscepit Minoëm, Sarpedonem et Rhadamanthum, vid. Metam. II, 823. seqq., Mosch. Id. 2., Ov. Fast. V, 605., Anacreon Od. 35., Achill. Tat. init., Apollod. III., Hyg. F. 178., Palaeph. c. 16., Eratosth. 14., Lucian. Dial. Zeph. et Not., Hom. Iliad. XIV, 321. Vid. Meziriac. l. l. p. 337.

Pro *Dilexit* Marklando ad Stat. Silv. I, 2, 9. sensus postulare videtur *delusit* vel *elusit*, ut Met. VI, 103.

Maeonis elusam designat imagine tauri
Europen. —

Perperam. Ceterum ut noster hic ex Eurip. Hippol. v. 338. sqq., ita ex utroque profecit Sen. in Hippol. v. 113. sqq. LENN.

57. *Pasiphaë decepto. Pasiphaë* coniux Minois. *Decepto,* sc. cum tauro ureretur, Daedalus ei vaccam fecit ligneam, et illa

— torvum ligno decepit adultera taurum;
Discordemque utero foetum tulit.

Metam. VIII, 132.

58. *Crimen onusque.* Criminosum, scelestum onus; (vid. Epist. XI, 64.) sc. Minotaurum, de quo ad Epist. X. Cum vi autem bis *tauro* posuit, ut tauri specie utrasque deceptas significet. Nauger, ex veteri, ut ipse dicit, lectione, edidit *suum.* Libri fere omnes recte *suo,* et eodem modo Ovid. Ep. XI. l. l.

59. *Perfidus Aegides.* De his omnibus vid. Epist. X.

60. *Fugit tecta. Fregit tecta* Scriv. cod.; in Vatic., Ambros. et Hafn. erat *subiit tecta.* Non male; nam illud *fregit* durius mihi videtur et morosius dictum (et certe etiam contra fabulam), et vox *subiit* melius securum et interritum Thesei animum notat, qui infamia illa caede tecta subire audebat, Ariadnes filo fidens. Nec permutatio verborum *subire* et *fugere* insolens. Sic apud Virg. Aen. X, 344. in codd. est *protinus hasta subit,* ubi vulgo *fugit.* In Mentel. erat *refugit.* BURM. Nostri prope omnes et vett. editt. *fugit,* quod rectum est, et sensui accommodatius *feliciter evasit,* q. e. *fugit,* quam *subiit, intravit.*

61. *Minoia credar.* Quidam *dicas;* alii *credas.* Duo etiam

Hoc quoque fatale est; placuit domus una duabus:
 Me tua forma capit, capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores:
 Ponite de nostra bina tropaea domo.
Tempore, quo nobis inita est Cerealis Eleusis,
 Gnosia me vellem detinuisset humus.
Tunc mihi praecipue, nec non tamen ante, placebas;
 Acer in extremis ossibus haesit amor.
Candida vestis erat, praecincti flore capilli,
 Flava verecundus tinxerat ora rubor;

Minoida; unde posset legi *ne forte parum Minoida credas.* Sed nihil muto; Epist. VIII, 81.

Ne non Pelopeïa credar.

Burm.

62. *In socias. In solitas* unus Heinsii. *Leges* fati, quae mihi et illis communes.

63. *Duabus.* XVII codices *duobus;* manifesto errore. Aemulatus est Senec. Hippolyt. 665.

Domus sorores una corrupit duas,
Te genitor, at me natus.

67. *Nobis inita est.* Fingit poeta tempus, quo primum amore eius capta sit, et quidem Eleusiniorum sacrorum, quibus solemnibus, quae quotannis celebrabantur, omnes prope Athenienses Eleusin proficisci solebant. Herodot. VIII, 65. Heinsius ex duobus primus induxit *vobis* pro *nobis,* sic enim sequenti versui melius haec respondere; atque eandem l. etiam Guelf. 4. et Goth. 1. exhibent. Sed vulgata proba est, *nobis* (sc. *mihi* Athenis et *tibi* Troezena), quod est familiariter loquentis et ex ingenio amantis. Ductum autem est ex Euripid. Hippolyto.

Eleusis. Prosodia vetus in codice Lovan. *Eleusin* (et sic nunc etiam Priscian. legitur X. c. 9., ubi hic locus laudatur), idque recte; sic Fast. IV, 507. codd.: *Cerealis Eleusin;* idem Metam. VII, 439. Etiam apud Claud. I. de Raptu. Nec non apud Sidonium Apollin. Carm. XXII. Sic Stat. Theb. II, 382. ex mss., idem VII, 411., XII, 132. et 628. Grammatici praeterea utrumque dici monent. Serv. ad Georg. I, 63., Priscian. lib. IV., neque aliter Ammian. Marcell. lib. XVII., Pomponius Mela, Plinius, alii.

Heins.

Eleusin rectum est, quod et Senecae Herc. Fur. 302. et Hippolyt. 838. reddit Gronov.

Burm.

Sed si in hac re vetustatis ac codicum ratio habenda est, et certe est habenda, restituendum est *Eleusis,* atque eo magis, quod Ovidium fere ubique inter formas Graecas ac Latinas fluctuare constat. Vid. v. 55. Nostri, Giessensi excepto, cum veteribus editt.: *Eleusis.* Pro *inita est* Erf. et alii (Heinsiani) *visa est,* alii eiusdem Heinsii *nota est.* Vid. Metam. XIV, 752.

71. *Candida vestis.* Fast. IV, 619.

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite.

Quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,
 Pro rigido Phaedra iudice fortis erat.
Sint procul a nobis iuvenes ut femina comti:
 Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,
 Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas;
 Exiguo flexos miror in orbe pedes:
Seu lentum valido torques hastile lacerto;
 Ora ferox in se versa lacertus habet:

Conf. Fast. V, 357. et Metam. X, 431. *Praecincti flore* capilli ex communi habitu eorum, qui sacra faciunt. Ceterum in Cerealibus usitatiora erant *spicea serta.* Metam. l. l.

72. *Tinxerat.* Sen. Hippol. 376.

Non ora tingens nitida purpureus rubor.

nisi mavis *pinxerat;* hoc enim distichon expressit Sen. Hippol. 650.

....presserant vittae comam
Et ora flavus tenera pingebat pudor.

Amor. II, 14, 52. *Heins.* Senec. loco illo legendum *tingebat,* et hoc loco codd. sine varietate *tinxerat.*

76. *Fine — modico.* Non multum, angustis apparatus finibus. Art. A. I, 509. *Forma viros neglecta decet.*

79. *Ferocis equi.* Idem fere admiratur Scylla in Minoe Met. VIII, 25. Conf. Tibull. IV, 2, 7—12., Ov. Amor. II, 5, 43., Art. A. II, 297. sqq.

Retorques vulg.; sed priscae edd. et scripti omnes *recurvas;* placet; nam *torques* mox sequitur. Praeterea duo exemplaria *fugacis equi;* idque praetulerim, quod *ferocem lacertum* mox subiungat. *Heins.* Mihi *ferocis* placet propter *luctantia* (et sic codd.) *Burm.* Vid. supra ad v. 5.

80. *In orbe. Flectere equos in orbe* vel *in orbem, in gyro* vel *in gyrum* (nam utrumque dicitur), quod saepe apud poetas legitur, erat in palaestra equestri usitata res. Vid. Heyn. ad Tibull. IV, 1, 93., Wernsdorf ad Poet. L. min. T. IV. p. 247., Metam. VI, 225., Virg. Georg. III, 191.

Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis. —

Conf. Ovid. Art. A. III, 383. et Var. in morte Iul. Caes. ap. Macrob. VI, 2. Inprimis autem de equis dicitur, qui primum domantur. Vid. Voss. ad Virg. l. l. *Exiguo,* quod summae laudis et artis. Est autem hic locus a poeta e suae vel certe recentioris aetatis moribus expressus.

81. *Lentum valido.* Ambros. habet *rigido;* sed vulgata sana est; Fast. II, 11. Praeterea *vastum hastile* placet, quod libri veteres sat multi offerunt, prae *lentum,* quia feroci et valido lacerto convenientius, de qua voce vid. ad Metam. VIII, 359.

Sive tenes lato venabula cornea ferro;
  Denique nostra iuvat lumina, quicquid agis.
Tu modo duritiam silvis depone iugosis:
  Non sum materia digna perire tua.

Lentum valido lacerto parum convenit. *Burm.* Maxima pars meorum cum veteribus edd. *lentum*, quod probum et, teste Gierigio, solemne est hastilium, pilorum, thyrsorum *epitheton* apud poetas, et quo in eadem re exponenda usus et Ovidius Metam. VIII, 28.

Torserat adductis hastilia lenta lacertis.

84. *Quicquid agis.* Burmannus et recentiores editores omnes tacite scripserunt *quicquid agas*. Mei quidem codices, exceptis Erf. et Guelf. 1., et veteres edd. omnes *quicquid agis*, quod cum Heusingero, qui *illud ab Latini sermonis observatione vel necessarium fieri* dicit, revocavi. Indicativum autem mihi omnino postulare videntur, quae praecedunt, *sive tenes, sive torques, sive recurvas*; est enim h. l. *Denique* — *quicquid agis* fere pro *Sive denique quodcunque agis.* Referri autem totus hic locus videtur ad ludos, Troezenae ab iuvenibus habitos, quos Phaedram e templo Veneris spectasse testatur Pausanias in Corinthiacis.

85. *Duritiam.* Sic mei fere omnes. Vid. ad Epist. II, 137. Iahn tamen hoc l. cum Heinsio retinuit *duritiem* et Metam. II, 5., ubi etiam variant libri, unice veram l. dicit laudans Salmas. ad Solin. 328.

86. *Non sum materia* — *tua.* H. e., ut recte interpretatur Heinsius, non sum digna, quae peream, te materiam praebente mortis. Sic sane est *caussa tua* pro *propter te*; frequens autem *materia* pro *caussa, occasione.* Sallust. Catil. 10, 3., Vellei. Pat. II, 62, 8., Iustin. III, 2, 12. *Materiam* et *caussam* etiam ut synonyma coniunxit Ovid. Epist. VIII, 51. 52. et Amor. I, 3, 19. 20. Paullo aliter Gesner in Thes. ad v. *materia:* Comparat, inquit, amorem suum cum igne, cui materiam et alimenta praebeat Hippolytus. Non merui, ut peream, amore, quem incendunt et alunt tuae dotes corporis et animi (parum apte ad versum praecedentem). Burmannus *materiem* interpretatur indolem, ingenium Hippolyti ab amore alienissimum, et ad venandum omnino conversum, quam interpretationem amplexus est Forcell. in Lex. ad vocem, locum et ipse citans Ciceronis in Verr. V, 68. *Fac enim fuisse in illo aut C. Laelii aut M. Catonis materiam atque indolem, cet.* Verum in eo loco de significatione vocis *materiem* dubitare nos contextus non sinit, subiecto *indolem:* in Ovidianis vero nihil est, quod ad istam, abstrusam sane, dictae vocis significationem aperiendam inserviat. Minime vero omnium audiendus est Burmannus, quando pro vulgata l. legendum arbitratus *Nam sum etc.* sic explicat: Sum enim digna, quam tu, materia tua, i. e., ingenio tuo ad amandum converso, ita iuvenili ardore

Quid iuvat incinctae studia exercere Dianae;
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Haec reparat vires fessaque membra novat.

amplectaris, ut facere non possim, quin te vicissim perdite amem, sive depeream. Namque, ut de ceteris nihil dicam, quominus h. l. de significatione verbi *perire* dubitemus, ipsa Phaedrae historia facit, cuius, ex amoris impatientia mortem sibi consciscentis, notum omnibus exitum aut hic, aut nusquam in hac Epistola praesignificavit Ovidius. Est igitur *perire* non pro perdite amare, seu deperire, sed proprio sensu dictum, ut apud Tibull. III, 3, 31.

Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neaerae
Coniugis amissae causa *perire* fuit.
LENN.

Quamvis exempla a Lennepio ex Sallust., Vellei. et Iustino allata huic loco parum sint similia, tamen Heinsianam et Lennepianam loci interpretationem et ego unice veram puto: nisi quod *materiem* h. l. non simpliciter et sine consilio pro *caussam* dictum censeo, sed maxime cum respectu ad vocem *duritiam* versus praecedentis: Modo ne sis *durus*, *duritiem* tuam depone; non enim sum digna, non merui, *dura natura tua*, *materia tua* perire. Id quod hoc verisimilius, quia Ovidius eiusmodi lusus adamat. Huc pertinet Epist. XVI, 146., ubi vid. annot. Quae autem est huius loci scriptura Handii, vel potius coniectura ac mutatio:

Non sum materies digna perire tua.

parum curiosa videtur nexus orationis et versus praecedentis, et vix Latina est, cum hunc ei ipse tribuat sensum: *Ich bin nicht werth, ein Gegenstand deiner Vernichtung zu werden;* ut *tua* sit pro *tuae caedis*, ut Epist. III, 152.

87. *Incinctae.* Id est *succinctae*, ut Metam. III, 156. Vid. ad Metam. X, 536. *BURM.* Vid. Wunderlich. ad Virg. X, 1. et Heins. ad Metam. III, 162., et de usu venatorum vestes succingendi vid. Gier. ad Metam. II, 413. De singulari Hippolyti studio venationis et castitatis et fuga amoris multis locis Euripid. in Hippolyto; item in eiusdem nominis fabula Seneca.

88. *Numeros — suos.* Partes Veneri debitas eripuisse, spreto scilicet amore. Amor. III, 7, 17. Cic. de Divin. I, 23. *Veritatis omnes numeros in se habere; Omnes virtutis numeros* idem de Fin. III, 24.; itaque artes ac disciplinae *numeris omnibus perfectae* dicuntur, si nihil desit; Cic. de Nat. D. II, 34. Et hic versus colorem duxisse videtur ex Eurip. Hipp.

90. *Novat.* Sic potiores scripti et recte pro *renovat;* sic Fast. I, 622.

Ingratos nulla prole novare viros.

sic *novare gregem* Stat. Theb. X, 223., et *novare pignora* eodem l. 791. *Membra novare*

Arcus, — et arma tuae tibi sunt imitanda Dianae —
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.
Clarus erat silvis Cephalus, multaeque per herbas
Conciderant illo percutiente ferae;
Nec tamen Aurorae male se praebebat amandum;
Ibat ad hunc sapiens a sene diva viro.

apposite ad hunc locum Val. Flacc. III, 423.

Hic sale purpureo vivaque nitentia lympha
Membra novat, seque horrificis accommodat actis.

Conf. Liv. XXI, 21. *Heins.* Etiam plurimi ex nostris *novat.* Vulg. cum nonnullis codd. *levat,* ut Amor. I, 7., Remed. 206., Fast. VI, 328.

91. *Arcus.* Sic recte Burmannus locum constituit, et sic plurimi ex nostris codd. Olim legebatur: *Arcus et arma tuae tibi sint i. D.* — Heinsius haec: Scripti nonnulli *sunt.* Scribo et distinguo:

Arcus, (ut arma tuae tibi sint imitanda Dianae)
Si etc.

92. *Si nunquam — erit.* Solemnis haec in tali re comparatio. Phaedr. III, 14, 10. sqq.

Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, cum voles, erit utilis.
Sic ludus animo debet aliquando dari.

quam Phaedri scripturam omnino confirmat locus Herodoti II, 173. τὰ τόξα, εἰ τὸν πάντα χρόνον ἐντετάμενα εἴη, ἐκραγείη ἄν. Ceterum *mollis* hic de nervo capiendum, ut apud Phaedrum *rumpes* de cornu. *Lenz.*

93. *Cephalus,* filius fuit Deionei, et Aeoli nepos, venator insignis, quem Aurora amavit ac rapuit, ex eoque peperit Phaëtonta. Vid. Hesiod. Theog. 986., Metam. VII, 661. sqq., Hyg. F. 189., Apollod. pluribus locis. Heinsius et Burmannus h. l. primi ex duobus codicibus receperunt *per herbam.* Male. Virg. A. III, 221.

94. *Conciderant.* Burmann. e cod. Lov. scribendum putabat *deciderant,* quod vix idoneis confirmari potest exemplis; nam, quae ipse excitavit ex Stat. Theb. VIII, 124. et IX, 755. et Claudian. Praef. in Ruf. I., serioris sunt aetatis; quae autem ex Ov. Met. X, 10. et XIV, 805., vereor, ne Burmanni sint, non ipsius Ovidii. Contra vox *concidere* de cadendo per ictum saepissime reperitur, ut etiam *corruere, collabi.* Epist. VII, 196., Met. X, 272.

Conciderant ictae nivea cervice iuvencae.

Met. VII, 538. et 826. et sic passim; ac scripturam *conciderant* habent omnes veteres editt. et codd., nisi quod Lov. ille et Goth. 2. habent *deciderant,* alter Moreti *inciderant,* et unus Heins. *ceciderant.*

95. *Nec — male.* Non invitus.

96. *Sapiens a sene. Sapiens,* quae sciebat scilicet cum iuvene maiorem voluptatem capi, quam cum sene. De voce *sapiens* vid. Epist. XVII, 258. Francof., Scriv. et V alii: *de*

Saepe sub ilicibus Venerem Cinyraque creatum
Sustinuit positos quaelibet herba duos.
Arsit et Oenides in Maenalia Atalanta;
Illa ferae spolium pignus amoris habet.
Nos quoque iam primum turba numeremur in ista:
Si Venerem tollas, rustica silva tua est.
Ipsa comes veniam; nec me latebrosa movebunt
Saxa, neque obliquo dente timendus aper.

sene. BURM. *Senex* ille est *Tithonus,* filius Laomedontis et frater Priami, quem Aurora amavit, eique immortalitatem ab Iove obtinuit; sed quum perpetuam ei quoque iuventutem exorare neglexisset, tristissima ac perpetua vixit senectute.

οὐδέ τι κινῆσαι μελέων δύνατ' οὐδ' ἀναεῖραι.

Hom. Hym. in Ven. 218. sqq., Iliad. XX, 237., Hes. Theog. 984., Apollod. III, 12.

97. *Cinyraque creatum.* Adonim dicit, Cinyrae, Cypriorum regis, filium, qui adolescens vitam pastoralem secutus et propter eximiam pulcritudinem a Venere amatus est. Rem egregie narrat Ovid. Metam. X, 520. sqq., ubi poeta propter Adonis amorem prope idem venationis studium tribuit Veneri, quod hic propter Hippolyti amorem tribuit Phaedrae. Hyg. F. P. A. II, 7., Apollod. III., Serv. ad Virg. Ecl. XIX., Meziriac. l. l. p. 357.

98. *Quaelibet,* est obvia quaeque, etiam vilissima. Prop. I, 8, 4.

Ut sine me vento quolibet ire velis.

Vid. Epist. V, 14. (Pont. I, 1, 4.). BURM.

Vid. Epist. XIX, 146., Amor. II, 11, 48.

99. *Oenides,* Oenei, Calydoniae regis, filius, Meleager, venator et bellator strenuissimus. Hic, cum spreta ab Oeneo Diana immensae magnitudinis aprum misisset, totam regionem vastantem, collecta fortissimorum iuvenum manu feram interfecit, caputque et pellem dedit Atalantae, Schoenei, Arcadiae regis, filiae, quae et ipsa huic venationi interfuerat. Vid. ad Epist. III, 92. et XVI, 263. *Maenalia,* a Maenalo, Arcadiae monte. De neglecta h. l. elisione est annotatio Iahni ad Metam. IV, 336.: Negligunt sane interdum poetae verba elidere, ut Virg. Ecl. III, 6., Hor. Sat. I, 9, 38., cf. Schneider Gramm. L. T. I. p. 141. sqq.; Ovidius tamen id sibi indulget tantum in nom. propriis (Epist. IV, 99., IX, 87. 133. 141., Pont. II, 4, 22.) et in interiectionibus. Fast. III, 485., Met. V, 625., X, 215.

100. Pessime Burmannus ante et post *pignus amoris* comma posuit. Sensus est: Illa ferae spolium pro pignore, tanquam pignus, amoris accepit, habet, tenet.

101. *In ista.* Sc. quae amorem et venationis studia coniungit.

103. *Latebrosa. Salebrosa* priscae editt. (ed. Veneta 1486.

Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
 Et tenuis tellus audit utrumque mare;
Hic tecum Troezena colam, Pittheia regna:
 Iam nunc est patria carior illa mea.
Tempore abest aberitque diu Neptunius heros:
 Illum Pirithoi detinet ora sui.

latebrosa) cum uno Mediceo et uno Palat. Prop. III, 14, 15.

Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras.

Ita *salebrosus pastillus* Auctori Moreti, et *salebrosa semita* Apuleio Met. VIII. *Heins.* *Latebrosa* recte revocarunt Amar et Iahn; sic enim vetusti libri, nec quidquam poetis usitatius, quam locum periculi (qui h. l. *latebrosa saxa*) et ipsum periculum iuxta ponere, et maiorem certe declarant amicae audaciam atque animum saxa *latebrosa*, quod est, in quibus sunt *latebrae, cubilia* ferarum, quam *salebrosa*, quod est, in quibus sunt *salebrae*. Sil. Ital. XV.

Frondosi collis latebras et saxa capessit
Avia —

Saxa h. l. pro *rupes, saltus*, ut saepe; v. c. Metam. IV, 778.

105. *Isthmon.* Troezena in Isthmo quodam seu Chersoneso sitam fuisse, quod Burmannus credebat, nemo, ut puto, veterum tradidit. Isthmon intellige Corinthiacum, a quo non remotissimam fuisse Troezena docet Plin. H. N. IV, 5. Talia in poetis ad strictam accuratioris Geographiae rationem exigi non debent. Vid. etiam Epist. VIII, 69. *Lenn.* *Hic* v. 107. igitur est in vicinia Isthmi Cor.

106. *Audit.* Schlichtenhorst ex Met. VI, 419.

Quaeque urbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo.

legebat *claudit.* Nihil muta; Senec. Thyest. 113.

Vicina gracili dividens terra vada
Longe remotos latus exaudit sonos.

Stat. Theb. I, 335. de Isthmo:

In mediis audit duo litora campis.

Vid. Sil. It. V, 399. *Heins.* *Ambit* erat in duobus (etiam in Guelf. 4.), et Gronov. ad Senec. Thy. 112. hunc versum ita adducit, licet nihil moneat. *Burm.*

107. *Pittheia regna.* A Pittheo, Troezenae rege. Pausan. Corinth., Strabo VIII. Vid. ad Epist. X, 113.

108. *Carior.* Putean. cum aliis nonnullis *gratior.* *Heins.* Et sic nunc vulgo legitur. Nostri, duobus Goth. exceptis, et vett. editt.: *carior*, quod revocavimus.

109. *Tempore abest.* In tempore et opportune abest; quae duo Plaut. in Asinaria coniunxit. Sic Cic.: *ad coenam tempore venit.* *Heins.* Tollit Phaedra, quae votis suis obesse potuissent. *Theseus abest*, res igitur facilis; *aberitque diu*, nunquam fortasse rediturus. Demto sic periculo invidiose transit ad ea, quae patrem in odium filii adducere possint. *Amar.* *Neptunius heros.* Thesea, fabula testatur, filium fuisse Neptuni. Hyg. F. 187. et 47., Apollod.

Praeposuit Theseus, nisi nos manifesta negemus,
Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi.
Sola nec haec ad nos iniuria venit ab illo;
In magnis laesi rebus uterque sumus.
Ossa mei fratris clava perfracta trinodi
Sparsit humi; soror est praeda relicta feris.
Prima securigeras inter virtute puellas
Te peperit, nati digna vigore parens;

III, 15., Euripid. Hippol. pluribus locis.

110. *Pirithoi.* Vid. ad Epist. II, 72. *Sui* cum invidia dictum.

111. *Nisi nos manifesta negemus.* *Negamus* potiores scripti. In Put. et Farnes. *nos* deest. Scribe: *nisi si manifesta negamus.* Epist. XVII, 151.

At tu dissimula, nisi si desistere mavis.

Met. X, 200.

Quae mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari
Culpa potest —

Met. V, 20., XIV, 177. 561., Eleg. de Nuce:

Nil ego peccavi, nisi si peccasse vocatur
Annua cultori poma referre suo.

Trist. IV, 3, 55., Cic. Epist. V, 9., Sulpit. Sev. Dial., apud Columell. passim. Eodem modo *quasi si,* quo Plaut. frequenter utitur. *Heins.* *Nisi nos* omnes codd. et vett. edd., quod sanum est. *Negamus* et *negemus* auctoritate librorum fere pari sunt, sed posterius ad sententiam mihi praestare videtur: *wenn wir nicht offenbare Thatsachen läugnen wollen;* quanquam ferri aliquo modo etiam indicativus potest.

111. *Praeposuit Theseus, cet.* Maligne recenset Phaedra Thesei coniugis facinora: Praeposuit mihi et tibi Pirithoum; sed illa iniuria non sola est et unica, quam nobis fecit: fratrem meum Minotaurum occidit; Ariadnen, sororem meam, in Naxo insula reliquit: tuam autem matrem occidit; alteram tibi iniuriam fecit, quod matrem tuam non legitimam uxorem fecerit, ut tu nothus esses nec regni haeres paterni esse posses; quin etiam fratres tibi ex me genuit, qui aditum tibi ad imperium praecluderent.

113. *Sola nec haec ad nos.* Sic scripti, pro *nec sola haec ad nos* vulgatae, praeter Barberin. et alterum Lovan., in quibus est: *Sola nec haec nobis.* Eleganter. Verbum *venire* enim cum dat. iungit frequenter Ovidius. Fast. V, 648.

Et tandem Caco debita poena venit.

Propert. multus quoque est in hac locutione. Noster Art. A. I, 483., II, 161. 117. 323., III, 251. Plura ad Art. A. II. initio. *Heins.* Nostri omnes cum vett. editt. *ad nos,* quod recte Iahnus revocavit: Ovidius enim hoc verbum etiam saepissime iungit casui quarto cum praep.

116. De re vid. ad Epist. X.

117. *Securigeras.* *Securigerae* Amazones a poetis saepissime

Si quaeras, ubi sit: Theseus latus ense peregit,
Nec tanto mater pignore tuta fuit:
At ne nupta quidem taedaque accepta iugali.
Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus?
Addidit et fratres ex me tibi, quos tamen omnes
Non ego tollendi causa sed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
In medio nisu viscera rupta forent!
I nunc et meriti lectum reverere parentis,
Quem fugit et factis abdicat ille suis.

vocantur. Horat. Od. IV, 4, 20. Vid. Plin. H. N. VII, 57., Plutarch. Quaest. Gr. 45. Caussam autem, cur Theseus Antiopam occiderit, novit Hyg. F. 241.

118. *Digna vigore* uno consensu libri praeter Helmst., qui cum vulgata habet *favore.* Sil. It. III, 112. *Crede vigori femineo.* Excerpta Vossii *rigore.* HEINS.

121. *At ne nupta quidem.* Adhuc vulgabatur *at nec nupta quidem;* sed mollius est *at ne nupta quidem,* ut est in Francof. et plurimis aliis, nec non in vetustis aliquot editt. BURM. Mei omnes: *ne nupta quidem.*

122. *Nothus.* Sic *νόθος* saepe Hippol. apud Euripid. Alii auctores legitimam fuisse Thesei uxorem testantur. Iustin. II., Isocr. Panath., Senec. l. l., etiam Hyg. l. l.

124. *Tollendi. Tollendi* dictum ex moribus Graecorum et Romanorum, in quorum potestate erat, infantes ex se natos vel educare, vel exponere, vel interficere. Positum recens natum infantem in terra pater tollebat, si educare vellet; si nollet, relinquebat iacentem. Vid. Ruhnk. Dictat. in Terent. Andr. I, 3, 14. et Bremi ad Sueton. Aug. 5. Innuit autem Acamantem et Demophoontem. Diod. Sic. III. Vid. ad Epist. II. et Sabini Epist. II. et Meziriac. l. l. p. 120.

125. *Pulcherrime rerum.* Eadem locutio est Met VIII, 49., Art. A. I, 213. Sic *maxime rerum* Epist. IX, 107., *dulcissime rerum* Horat. Sat. I, 9, 4., Virg. Georg. II, 534., ubi vid. Voss. Vid. etiam Spalding ad Quintil. T. I. Praef. p. 81. et Heindorf ad Hor. Sat. I, 5, 88. *Pulcherrime,* ut saepe, ex genere rei significatae.

126. *Nisu* Put. et alii meliores, pro *nixu* vulgatae. Parum refert. Sic Fast. V, 171. *maturis nisibus,* et Virg. Georg. IV, 199. *foetus nixibus edunt.* HEINS. Vid. Gifan. Indic. Lucret. BURM.

127. *I nunc et meriti. I nunc et,* et *i nunc* formulae sunt, propositis ante caussis, cum ironia et irrisione increpantis, vel improbantis ac dissuadentis. Nonnulli scripti Heinsii, etiam Guelf. 2., 3. *immeriti,* male; alii *emeriti;* Put. *ii meriti;* Guelf. 1. *si meriti;* Francof., Helmst. et Excerpta

Nec, quia privigno videar coitura noverca,
Terruerint animos nomina vana tuos:
Ista vetus pietas, aevo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.

Iur. *sic meriti*. Heinsius, ut est saepissime paullo cupidior formulas dicendi ac voculas, quas in deliciis habet, intrudendi, legit *i nunc, i meriti*. Burmannus, quamvis Heinsii novandi studium hoc loco reprehendat, ipse tamen maluit Exc. Iur., Franc. et Helmst. sequi, quam plurimos codd. et vett. editt., et recepit *i nunc sic meriti*, in qua scriptura multi eum editores sunt sequuti, licet illud *sic* ironiam atque acerbitatem locutionis egregie pervertat. Nihil sanius vulgata, quam recentissimi horum carminum editores Amar et Iahn recte revocarunt: sc. postquam Phaedra a Theseo in ipsam et Hippolytum patrata exposuit, cum irrisione monet: *Gehe nun, und habe Ehrfurcht vor dem Bette des würdigen Vaters.* Atque ea l., quod ad versum, mollior ac suavior est, certe quam Burmanni l. *nunc sic;* neque abhorret ab usu loquendi Ovidii aliorumque poetarum. Epist. III, 26.

I nunc et cupidi nomen amantis habe.

Epist. XVII, 57.

I nunc et Phrygiae late primordia gentis
Cumque suo Priamum Laomedonte refer.

in quibus locis eadem prorsus est ratio sententiae. Art. A. II, 222.

I nunc et dubita ferre, quod ille tulit.

Conf. Amor. I, 7, 35., Auson. Mos. 48.

I nunc et Phrygiae sola levia consere crustis.

Vid. et Iuv. Sat. X, 166. 310., XII, 57., VI, 306. *Meriti* autem est digni, bene meriti, ut saepe.

128. *Abdicat.* Ex iure sumtum nomen.

130. *Animos.* Iun. cod. *animum tuum. Animi* de singulis personis est Epist. XII, 184., Art. A. I, 192., Epist. III, 85. et hac Epist. v. 16. *Nomina vana,* sc. adulterii et dedecoris.

132. *Saturno.* Sub Saturno auream aetatem, eamque et pudicitia morumque probitate insignem fuisse; eoque ab Iove in Tartarum misso, deterius moribus et vita subiisse Iovis regnum, plena sunt vetera carmina. Metam. I. ibique Gier. et quos ille laudat, Amor. III, 8, 35., Voss. ad Virg. G. II, 173. De pudicitia autem eius aetatis speciatim vid. Iuv. Sat. VI, 14. et inprimis Prop. II, 23, 105. sqq., ubi hic versus:

Hic mos Saturno regna tenente fuit.

Rustica cum contemtu atque irrisione simplicitatis ac stupiditatis illius saeculi. Cf. Ep. XVI, 222.

Post hunc versum nonnulli codd. addunt:

Saturnus periit, perierunt et sua iura;
Sub Iove nunc mundus; iussa Iovis sequere.
Heins.

Vel *iussa tuere Iovis:* addita vero

Iupiter esse pium statuit, quodcumque iuvaret,
Et fas omne facit fratre marita soror.
Illa coit firma generis iunctura catena,
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est, celare licet: pete munus ab illa;
Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexus aliquis: laudabimur ambo;
Dicar privigno fida noverca meo.
Non tibi per tenebras duri reseranda mariti
Ianua, non custos decipiendus erit.

haec est glossa: *alii textus antiquiores non habent hos versus.* Palat.:

Sub Iove mundus adest, iura Iovis sequere.

Burm.

134. *Fratre marita soror.* Intellige: quae *per fratrem* marita est. Locus Horat. Od. III, 5, 5.

Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit?

quem attulit Burmannus, huic parum similis est, quia ibi abl. *coniuge barbara* rectius accipitur pro casu absoluto, aut cum *turpis* coniungitur. Iuno et soror et coniux Iovis fuit Hom. Iliad. IV, 58., Hesiod. Th. 453.

136. *Nodos.* Sic Lucret. IV, 1142.: *Veneris perrumpere nodos.*

137. *Nec labor est.* Scribe: *Non labor, et;* ut *est* subaudiatur. *Heins.* Pessime; sententia est: *Nec labor est,* nec difficultatem habet hoc commercium; nam *celare licet,* exempli caussa sic: *pete munus ab illa,* sc. *noverca;* respicit enim hic locus vv. 129. 130.

139. *Amplexus. Amplexos* Puteaneus. Sil. Ital. *Inque vicem amplexi.* Priscian. VIII. p. 791. Putsch. multis exemplis adstruit, veteres et *amplecto* et *amplexo* dixisse, et profert illud ex Petron. fragmentum: *Animam nostro amplexam corpore,* περιπλεχθεῖσαν. *Burm.* Unius et alterius codicis (nam etiam Goth. 2. et Dresd. *amplexos*) scriptura, nec ea usu loquendi satis firmata, veterum editt. et tot bonorum codicum auctoritatem non potest infringere; quare Iahnus recte restituit *amplexus,* quod etiam magis poeticum videtur. Vid. Epist. V, 100.

141. *Duri.* Epitheton *duri* apprehendisse librarios puto, ut obvium in hac re, sed hic minime necessarium, cum neque custodi addatur epitheton. Cod. Iun.:

Non tibi per tenebras dabitur reseranda mariti
Ianua —

Eleganter, ut puto. Epist. XVI, 205.

Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
Lumina —

Burm.

Primum dubito, an recte dicatur: *Non dabitur ianua reseranda,* pro: *Non opus erit tibi reserare.* Quod autem neque

Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit;
  Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis.
Tutus eris mecum laudemque merebere culpa;
  Tu licet in lecto conspiciare meo.
Tolle moras tantum properataque foedera iunge.
  Qui mihi nunc saevit, sic tibi parcat Amor.
Non ego dedignor supplex humilisque precari.
  Heu ubi nunc fastus, altaque verba iacent? —
Et pugnare diu nec me submittere culpae
  Certa fui, certi si quid haberet amor:

custodi additur epitheton, certe erat, cur poeta potius marito, quam custodi epitheton adiiceret; ac praeterea eiusmodi res a solo pendent arbitrio scribentis; (vid. Epist. VI, 87. 88.) et quid exhibent vetusti libri? Recte igitur idem Iahn. revocavit *duri*. *Per tenebras,* nocturno tempore; sic Liv. XXX, 37. *per inducias,* h. e. induciarum tempore. Deteriores Heinsii, et V ex nostris, cum quibusdam veteribus editt.: *nec custos.* Ceterum illud *custos* spectat ad morem Romanorum, quo unus e servitio ianitoris munere, saepe adeo *vinctus,* fungebatur. Amor. I, 6, 1., Sueton. Rhet. 3.; hinc tam crebra in carminibus amatoriis mentio ianitorum.

147. *Properataque foedera.* In membrana Scriverii et mea erat *sociataque* pro varia l., quod non contemnendum; sic *sociare cubilia* Epist. III. et similia. In Barberin. et Basil. cod. erat *properataque gaudia;* fortasse bene, ut Art. A. II, 481. HEINS. Non placet *sociata,* quod librarius repetisse ex v. 17. videtur. *Properata* enim vult vel *gaudia,* vel (quod libri habent) *foedera iungi,* quia metuebat Thesei reditum, qui nunc absentia sua opportunitatem dabat ad coeundum. BURM.

Sic Fast. II, 715. *oscula properata.*

148. *Mihi nunc saevit.* Quamvis usus dativi, qui dicitur commodi et incommodi, apud poetas late pateat, hoc tamen loco *mihi saevit* pro *in me* dictum est cum respectu ad *tibi parcat.*

150. *Heu ubi nunc — iacent? Ubi nunc flatuit* male alter Moreti. Porro libri nonnulli *Heu mihi;* Puteani Excerpta *Hei mihi. Heu ubi, ubi nunc* poetis adamata formula dicendi. Met. XIII, 92.

— Ubi nunc facundus Ulixes?

Val. Flacc.

Heu ubi nunc regni generisque
ubi gloria? —

Tibull. II, 3, 28., Art. A. I, 703., Amor. III, 8., Fast. III, 484., Epist. VI, 41. Vid. Burm. ad Prop. III, 9, 59. et Iahn ad Metam. l. l. —

Heu! ubi nunc fastus altaque
verba? iacent.

distinguendum Drakenborch putabat, probante Burmanno Sec. ad Propert. II, 2, 2. Sed *ubi iacent?* ita dicitur, ut *quo*

Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
  Brachia: quid deceat, non videt ullus amans.
Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit.
  Da veniam fassae duraque corda doma.
Quid mihi, quod genitor qui possidet aequora, Minos;
  Quod veniant proavi fulmina torta manu;

recidimus? Pro *precari* v. 149. Markland ad Stat. Silv. V, 1, 33. malebat *vocare.* LENN.

153. *Genibusque.* Plin. XI, 45. *Hominis genibus quaedam et religio inest observatione gentium. Haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec ut aras adorant.* Conf. Eustath. ad Hom. Iliad. I.

155. *Depuduit — reliquit. Depudere* est etiam Amor. III, 11, 4.

Et quae depuduit ferre, tulisse pudet.

ut quidem illic Excerpta Iureti; Senec. de Constant. Sapient. 17. *depudere didicerat.* Alibi est *valde pudere.* HEINS. *Depudescere* est in Apul. Metam. X. BURM. Put. et alii ex melioribus Heinsii, etiam Erf., Dresd., Trev.: *relinquit,* quod Heinsius primus recepit. Verba *profugusque — reliquit* sunt expositio vocis *depuduit,* hinc cum Iahno revocavi *reliquit,* quod etiam maiorem habet auctoritatem librorum. Heinsius pro *pudor* malebat *rubor.* Vid. supra.

157. *Quid mihi, quod.* Codd. Naug., Put., Vict., nonnulli Heinsii et editiones ante Heinsium fere omnes: *Quod mihi sit genitor;* Guelf. 1., 2., 4., et Helmst.: *Quid mihi sit;* Monac., Erf., Goth. 2. et Gu. 3. et Trev.: *Quid mihi, si,* quod etiam Nauger pro var. l. affert, quodque plurimi Heinsii codices tueri videntur; Goth. 1. et V Heinsii: *Quid mihi, quod;* Ment.: *Quid tibi, quod.* Heinsius cum Micyllo scripsit: *Quo mihi, quod;* nos cum VI illis codd., praeeunte Iahno: *Quid mihi, quod.* Vid. ad Epist. II, 53. Coniunctivi autem *veniant, sit,* in quibus non sine omni caussa haerebat Werfer. l. l. p. 540., ita accipiendi videntur, ut Phaedra rem, de qua non dubitet, Graecorum more modestius enuntiet. Werfer. v. 158. novare volebat *Quidve iuvant* et 159. *Quo, quod avus.*

158. *Proavi.* Vict. *Quid veniant;* Monac. *Quid proavi veniant;* Francof. a m. pr. *proava fulmina missa,* quod Burmannus elegantissimum vocat, quamvis praecesserit *genitor,* et sequatur *avus.* Vid. ad Epist. III, 100. Non autem, ut putabat Burmann., Phaedra ex matris, Pasiphaës, genere Iovem *proavum* vocat, quam neque *proavum* neque *abavum* habuisse Iovem constat; sed auctoritatem sequitur poeta fabulae scriptorum illorum, qui duos Minoës fuisse statuunt, Phaedram autem filiam Minois secundi, qui fuit filius Lycasti, Minois prioris ex Itona filii; de quo vid. Distinction de deux Minos, Mém. de l'Acad. d. Inscript. T. III. p. 49. sqq., Meursii Cret., Gruber Wörterb. der altklass. Mythol., Diod. Sic. IV, 62., Heyn.

Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem?
Nobilitas sub amore iacet: miserere priorum,
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus Iovis insula, Crete;
Serviat Hippolyto regia tota meo.

ad Apollod. III, 1. *Proavus* igitur, ut saepe, pro *abavus*.

159. *Avus — vallatus. Avus* Phaedrae Sol erat; nam Pasiphaë erat filia Solis. Apollod. III., Hyg. F. 40. et 46.

Vallatus. Eleganter, quasi corona cinctus, ita ut radii acuti illi telorum speciem praebeant. Et ita Lucian. de Saltat. dicit Aethiopes radiorum instar capiti tela circumdare et hoc illis vicem pharetrae praestare, et Claudian. Idyll. IV. de Nubis:

Et gens compositis crinem *vallata* sagittis.

ut recte Heinsius restituit pro *velatus*, quod verbum et hic IV codicibus insederat. *Burm.* Inde *ictus* affulgentis solis sunt apud Petron. Arbit. de Mut. R. R. 125., *lucida tela diei* apud Lucret. I, 148. sumta imagine ex Homero. Vid. Mitscherlich. ad Hor. Od. II, 15, 9.

160. *Movet.* Pro *movet* cod. Mentel. pro diversitate *vehit*, ut Amor. I, 13, 2., Fast. III, 518. Neutrum non praestat Wakefieldii coniecturae in Silv. Crit. Sect. 133. legendum arbitrati *rotat*, quod Statio quam Nasone dignius. *Lenn.*

163. *Est mihi dotalis.* Si hanc vocem vulgato sensu velimus capere, consequetur, Cretam fuisse in dotem Phaedrae datam, quod neque veterum quisquam tradidit, neque fieri potuerit, cum Minoi esset filius Deucalion, qui ipsi successit, et illi frater Catreus, huic vero Idomeneus, Deucalionis filius. Vid. Meurs. Cretam L. III. 3. et 4.; praeterea notatum est, Heroidas non attulisse dotales terras maritis, sed contra procos emisse sponsas muneribus. Vid. Salm. de Modo Usur. p. 138., Cuper. Obss. I, 20., Perizon. ad Aelian. IV, 1.; unde etiam saepe *dos* illa munera vocabantur, ut notat Barth. ad Claud. Rapt. I, 28. Sed non perpetuam tamen hanc fuisse consuetudinem et dotatas etiam heroici saeculi puellas ad viros venisse (vel potius poetas mores suae aetatis in priscam illam intulisse) patet Apoll. Rhod. II, 238., Euripid. Hippol. 625. al., quod tunc praecipue usu veniebat, si nulli essent illis fratres, et ideo successio ad illas deferretur, ut ita Epist. VI. Hypsipyle *dotalem* Lemnon recte offert Iasoni, neque in eo peccavit poeta, ut volebat Salmasius. Quare statuendum videtur, poetam hic vel non satis attendisse ad antiquorum temporum rationem, vel illum parum de antiquitate sollicitum, omnia Phaedrae tribuisse lenocinia, quibus castum Hippolyti animum corrumpere posset, et ideo etiam splendidae dotis meminisse. *Burm.* Tenendum est, quod posteriore loco recte

Flecte feros animos: potuit corrumpere taurum
Mater; eris tauro saevior ipse truci?
Per Venerem, parcas, oro, quae plurima mecum est.
Sic nunquam, quae te spernere possit, ames;
Sic tibi secretis agilis dea saltibus adsit,
Silvaque perdendas praebeat alta feras;
Sic faveant Satyri montanaque numina Panes,
Et cadat adversa cuspide fossus aper;

scribit Burm. Quin imo fieri quoque poterat, ut mortuis fratribus Phaedra aliquando in patris regnum succederet, idque tum quasi in dotem viro afferret. Sic Epist. XII, 53. *regnum dotale Creüsae* dicitur, in quod successurus erat Creüsae maritus Iason mortuo socero. *Lenn.* Rectum est, quod posteriore loco statuit Burmannus; quam autem novam explicationem proposuit Lennep, subtilior, quam pro poetae ratione esse videtur. Vid. Epist. VI, 117., VII, 149., XII, 52. 103. 199. *Iovis insula.* De Creta, Iovis patria, veteres scriptores passim. Vid. Callim. Hym. Iov. ibique Spanheim, Apollod. I, 1. ibique Heyn., vid. etiam Amor. III, 10, 19. et Epist. X, 68. et Virg. Aen. III, 104.

165. *Feros.* Sarrav. *ferox;* et 164. pauci codd. Heinsii *serviet.* Non Ovidianae venae Burmannus putabat hoc distichon esse, et fortasse cum praecedente intrusum; aptius enim orationem cohaerere, si vv. 162. et 167. connecterentur. Ego in nexu loci nihil haereo; est enim oratio vehementissime commoti animi, omnia ad flectendum amatoris animum moventis; hinc nunc per avos obsecrat (162.); nunc promittit (163. 164.); nunc quasi obiurgat (165. 166.); nunc iterum ad mollissimas preces redit, ac si votis suis obsecundare velit, faustissima quaeque precatur (167—174.). Sententia autem et Hippolyti illa cum tauro comparatio parum venusta est, ac fere ineptam dixerim.

168. *Spernere possit.* Non abundat verbum *posse;* plus enim ei optat, si ei optat coniugem, quae eum *spernere non possit,* quam quae non *spernat.* Vid. Iahn. ad Metam. XI, 117. Ceterum nihil Ovidio tam solemne ac proprium est, quam eiusmodi per verba *posse, velle* et similia circumlocutiones, de quo infra dicam.

169. *Agilis dea.* Diana.

171. *Satyri — Panes. Satyri,* numina serioris aetatis, sunt dii agrestes, qui superiore corporis parte virum, inferiore caprum referebant, et in capite cornua et totum corpus villis tectum habebant; de quibus vid. Heyn. Antiquar. Aufsätze II, 60. sqq., Iacobs ad Callistrat. II, 310., Voss. Myth. Briefe, Mitscherl. ad Hor. Od. I, 1, 31., Nonn. Dionys. L. XIV., Mezir. l. l. p. 439. sqq. Conf. supra not. ad v. 49. *Panes* et ii-

Sic tibi dent Nymphae, quamvis odisse puellas
　Diceris, arentem quae levet unda sitim.
Addimus his precibus lacrimas quoque: verba precantis
　Perlegis; et lacrimas finge videre meas. 176

dem dii agrestes eiusdem formae atque figurae. Ab initio nonnisi unus *Pan*, cuius plena sunt veterum carmina (Hyg. F. 244.). Post plures *Panes* et *Panisci* ficti. Vid. Heyn. l. l. et Voss. ad Virg. Georg. I, 10. Pro *Panes* Francof., Lincoln. et VIII Heinsii *Fauni* exhibent, solemni *Faunum*, Satyrorum et Panum permutatione. Vid. Iahn ad Met. I, 192., Mezir. loc. l.

172. *Et cadat*, quod exhibent Heinsii codd. omnes pro *Sic cadat*, flagitare etiam videtur ratio et praecedentis et sequentis distichi, et vero etiam versus praecedentis, cuius hic est epexegesis. Idem versus est Remed. Am. 204.

174. *Arentem*. Plurimi Heinsiani: *ardentem*. Nostri omnes cum veteribus editt. *arentem*. *Arida sitis* Catal. Pith. p. 35., Metam. XI, 129., Lucret. VI, 1174., Amor. III, 7, 51., Senec. Thy. 5.

175. *Precibus lacrimas quoque*. Vulgo, et sic etiam Burmann.: *his lacrimas precibus quoque*; sed Monac. et Victor. et nostri fere omnes, etiam vetustissimae editiones *precibus lacrimas quoque*, quod iam dudum Heusingerus revocavit, probante Werfero l. l. p. 527.

176. *Perlegis; et lacrimas*. *Perlege et* tres libri. Lincoln. *Perlege; sed*, bene, nisi fallor. Certe illud *Perlegis* natum esse videtur ex primo versu sequentis Epist. At vero, opinor, unam literam elisam esse, et scribendum *Perlegito*. Heins. Burmannus, ut nunc vulgo legitur, primus scripsit: *perlegis; at*. Iahn recte vulgatam restituit. Sic autem locus intelligendus: Phaedra legentem, vel potius, qui huc usque legerit, Hippolytum alloquitur: *Perlegis hic verba quidem mea precantis* et sic scripta vides: *etiam lacrimas finge te videre*, quas, ut verba, ad te perferendas dare non possum.



EPISTOLA V.

OENONE PARIDI.

Quum Hecuba, Priami, regis Troianorum, uxor, facem se ardentem, qua omnis Troia incenderetur, parere somniasset, coniectores responderunt, fore ut filius, quem in utero gestaret, caussa esset Troiani excidii. Quare Priamus eundem, ubi primum editus erat, in monte Ida exponi iussit. Expositum puerum pastores regii educarunt eumque Parin nominaverunt. Hic quum iam adolevisset, pastor Oenonen Nympham amavit. Orta autem de forma inter Iunonem, Minervam et Venerem disceptatione arbiter a Iove constitutus Paris, Iunone regnum, Minerva sapientiam, Venere pulcherrimam feminarum offerentibus, secundum Venerem sententiam tulit, ac deinde agnitus a patre Priamo ac receptus Spartam navigavit raptamque Helenam, Menelai regis uxorem, Troiam abduxit, priore uxore relicta. Quo facto spreta Oenone hanc ei scripsit Epistolam. Apollod. III., Hyg. F. 91. et 273., Dict. Cret. III. et IV., Quint. Calab. X., Lycophr. Cassand. Conf. Epist. XVI.

Perlegis, an coniux prohibet nova? Perlege: non est
Ista Mycenaea litera facta manu.

Excerpta Put. et nonnulli ex nostris (et duo Schotti) hoc distichon Epistolae praefigunt:

Nympha suo Paridi, quamvis meus esse recuses,
Mittit ab Idaeis verba legenda iugis.

quod ab aliis rectius abest. *Heins.*

Nam neque Ovidianae elegantiae respondet, et affectum, quem poeta principio abrupto captavit, intervertit. *Micyll.*

2. *Facta manu.* Editio princeps, Micylli, aliae *scripta;* sed emendatiores, et codd. Francof. et Moreti *facta* (sic etiam nostri, uno Erfurt. excepto, omnes. L.). Trist. I, 11. init.

Litera quaecunque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitae tempore facta viae.

Tibull. III, 1, 12., ubi vid. Broukhus., Iustin. XXVII, 2. *Burm.*

Mycenaea manu est hostili manu, q. e. ab Agamemnonis manu. Amar, Dorn-Seiffen in Onomast., al. *Mycenaea* hoc l. de Menelao intelligi volunt, qui ab Atreo, patre, Mycenarum rege, *Mycenaeus* dicatur; sed eius rei ego nullum unquam legi exemplum (vid. Epist. III, 109.); et Agamemnon dux et administrator erat totius belli.

3. *Pegasis* dicta Oenone ἀπὸ

Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis,
Laesa queror de te, si sinis ipse, meo.
Quis deus opposuit nostris sua numina votis?
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est;
Quae venit indigne poena, dolenda venit.
Nondum tantus eras, cum te contenta marito
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides, — absit reverentia vero —
Servus eras; servo nubere Nympha tuli.

τῆς πηγῆς; fuit enim filia Cebrenis, fluvii Phrygiae. Apollod. III., Parthen. Erot. IV., Strabo XIII. et Harpocrat. in v. Conf. Propert. II, 32. Eodem modo *Pegasis* vocatur Epist. Sab. III, 56.; et sic *Pegasum*, unde *Pegasides*, ἀπὸ τῶν πηγῶν vocatum testatur Hesiod. in Theogonia, et Quint. Calab. III. matrem Atymnii vocat πήγασιν; et *Pegasis* in omnibus libris est. Quibus omnibus Micylli coniectura *Pedasis* a *Pedaso*, urbe Troadis, satis refellitur; accedit, ut Oenonen Pedasi natam fuisse nusquam reperiatur. Vid. Passerat. ad Propert. III, 1. p. 407.

6. *Obest.* Monac. *abest.* Bentleius, quo nullus unquam infelicior Ovidii emendator fuit, pro *crimen* legendum existimans *sidus*, non legisse videtur versus 7. et 8.

7. *Ex merito.* Barber.: *emerito.* Vid. Epist. II, 62. et Epist. XI, 96.

8. *Indigne. Indignae*, quod ex Strozzae libro primus recepit Heinsius, equidem minime probaverim; nam sententia est generalis. Itaque aut legendum erit, ut est in Puteaneo et Excerptis Iur., *indigno* (quam l. probat Schroder Obss. Misc. Vol. VI. T. II. p. 412. et in censura edit. Lennepianae Handius); masculinum enim singularis numeri adhibetur, ubi universe aliquis intelligitur sive vir, sive femina, licet femina nunc innuatur, ut recte monet Erfurdt. ad Sophoc. Antig. 451. probante Hermanno ibidem et ad Viger. Not. 50.; conf. Elmslei. ad Eurip. Med. p. 211. et vid. infra Epist. XII, 182.; aut *indigne*, quod mihi verum videtur, tum propter maximam auctoritatem et codicum et veterum editionum, tum quod egregie respondeat, quae in versu antecedente adverbii loco posita sunt, verbis *ex merito*; nam *indigne* est, ut recte explicuit Schol. cod. Trev., *sine merito, sine culpa.*

11. *Absit.* Heinsius ex VI codd., in quibus Helmstad., qui habet *assit*, recepit *adsit*, quod etiam VIII ex XI nostris tuentur. Alii codices cum vulgata *absit.* Atque ad sententiam utrumque ferri potest. *Adsit* est bene interpretante Iahno: ita revereamur veritatem, ut eam, quamvis tibi ingrata sit, con-

Saepe greges inter requievimus arbore tecti,
Mixtaque cum foliis praebuit herba torum;
Saepe super stramen foenoque iacentibus alto
Defensa est humili cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos,
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?
Retia saepe comes maculis distincta tetendi;
Saepe citos egi per iuga summa canes.

fiteamur. *Absit:* ne tui reverentia nos impediat, quominus verum dicamus. Ac posterius, etiamsi auctoritate codicum cedat, nos cum Iahno praetulimus, cum prius nescio quid morosi habeat, hariolationem sapiat librarii aut diasceuastae.

12. *Servus eras.* Quippe in Ida monte a pastoribus regiis pro suo educatus erat. Apollod. III, 12., Schol. Lycophr. 138., Hyg. 91. *Tuli,* ut sustinui, Ovidio inprimis solemnis locutio, et dictum est ad modum Graeci τλῆναι. Metam. XIII, 460.

Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem.

ubi vid. Gierig. Vid. infr. v. 32.

14. Conf. Epist. IV, 98. et Propert. III, 11, 35.

15. *Super stramen foenoque.* Epist. VIII, 110.

Quaque licet fugio, sicut *ab hoste, virum.*

Vid. Metam. I, 19. Tacito inprimis usitata verborum constructio, de qua vid. Cort. ad Sallust. Iug. 7, 1., Seebode Archiv. II. Heft. 1825.

16. *Defensa.* In edd. fere omnibus est *depressa.* In permultis mss. (etiam in II Vatic. et plurimis ex nostris. L.) *deprensa.* Egnatius ad hunc locum esse scribit, qui legant *defensa*, (quod in quibusdam edd. legi etiam monuit Nauger) atque ita scribendum contendit Parrhasius ad Claudian. Rapt. I, 167. Nec dubita quin vere. Remed. A. 625.

Proximus a tectis ignis defenditur aegre.

Horat. Sat. III, 1., Senec. de Provid. c. 4., Cic. Cat. Mai. c. 15., Stat. Silv. I, 68., idem de Tydeo et Polyn.

— haud passi sociis defendere noctem
Culminibus.

Plaut. Mostell. IV, 2, 20., ubi vid. Taubmann. Pluribus de *defendendi* verbo egimus ad Claudian. Consul. Stil. III, 171. HEINS.

Innuit autem casam pastoralem in saltu. Cf. Prop. III, 13, 33., Virg. Ecl. 2, 29. ibique I. H. Voss.

20. *Iuga summa. Iuga longa* Put. et Iureti Excerpta cum aliis multis; ut Propert. III, 13.

Sectatur patrios per iuga longa canes.

Virg. A. XI, 544.

— iuga longa petebat
Solorum nemorum.

Epist. XVI. *longa Ida;* Ovid. tamen IV, 42.

Hortari celeres per iuga summa canes.

Senec. Hippol.

Summaque montis iuga Cecropii. HEINS.

Incisae servant a te mea nomina fagi,
  Et legor Oenone falce notata tua;
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
  Crescite, et in titulos surgite rite meos.
Populus est, memini, fluviali consita ripa,
  Est in qua nostri litera scripta memor.

Vera mihi videtur l. *summa;* sic enim veteres edd. et longe maxima pars codicum, et maiores etiam declarat venatricis animos atque audaciam, et sic ipse Ovid. Epist. IV. l. l. et qui in Hippolyto suo tot huius Epistolae locos imitatus est Seneca l. l. *Egi* autem est verbum venatorium, Virg. A. IV, 71. et Georg. III, 411. *Citas canes* malebat Francius probante Burmanno; sed vid. Propert. l. l. De loco autem Met. III, 140., ad quem provocat Burmannus, nondum transacta res esse videtur.

24. *Crescite.* Virg. Ecl. X, 54. de iisdem arborum incisionibus:

— crescent illae (arbores), crescetis amores.

ubi vid. I. H. Voss. *Rite.* Heins. et Burmann. cum plurimis codd. *recta,* quod cum *trunci* iungere per leges grammaticas non licet. Idem ad *nomina* si referas, sententia claudicat. Bonis igitur avibus e Gu. 2. et 4. reducimus *rite:* corruptionis ansam dedit interpretatio *recte,* quam glossator aliquis adverbio *rite* adscripserat. HEUSINGER. *Rite* editiones ante Heinsium omnes.

25. *Consita ripae.* XXXIII mss. (etiam maxima pars nostrorum) *rivo,* quod agnoscit etiam Gualth. Alexandr. lib. I.

Dumque vetustatis saltem vestigia quaerit
Sedulus, obiicitur fluviali consita rivo
Populus Oenone —

ut forte fluvialis rivus sit dictus pro *torrenti rivo.* Sed tamen nihil temere mutem. Stat. Silv. Epith. Stell. 245. *fluminea ripa.* HEINS. Neque ego, quia certum est ad *ripas* populos fere conseri. Val. Flacc. V, 186., Virg. Ecl. VII, 66. BURM. Neque ego tum propter id, quod attulit Burmann., tum quia Ovidius eiusmodi repetitiones affectat; ut Art. A. I, 192. 193., infra hac Epist. 57. 58. Hinc neque in sequenti disticho placet Burmanni coniectura *margine rivi. Margine ripae* est Met. V, 598., Stat. Silv. II, 3, 17., Theb. IV, 703., Fast. II, 463. *Populus et cannae riparum summa tenebant.* Conf. Virg. Georg. II, 44. In Guelf. 1. hoc distichon desideratur. Gu. 2., 4., Goth. 1., Dresd., Erf. et editiones veteres ante v. 23. collocarunt, et post v. 28. exhibent multi codd.; sed ut eo, quo nunc legitur, loco, si genuinum est, collocetur, flagitat sententiae ratio; Ovidianum autem esse, quod Iahnus, qui uncinis illud inclusit, negavit, probare mihi satis videtur et codicum et veterum editt. consensus, et nescio quis quasi color atque habitus Ovidianus;

Populc, vive precor, quae consita margine ripae,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Cum Paris Oenone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.
Xanthe, retro propera, versaeque recurrite lymphae;
Sustinet Oenonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miserae mihi dixit, ab illa
Pessima mutati coepit amoris hiems,

immo ad sententiam prope necessarium, certe aptissimum est, quod animum legentis ad graviora illa egregie quasi praeparat atque intendit; repetitio autem, quae est in vv. 25. 27. prorsus est ex more Ovidii. Vid. vel 30. 31. et 57. 58. Conf. infr. ad v. 118.

28. *Rugoso.* Rugis aspero, vetusto; Met. VII, 626. Multi quoque Heinsii codd. hic *nomen* habent: perperam, *carmen* est quod sequitur distichon. Vid. Epist. II, 156.

30. *Ad fontem Xanthi.* Iam illud proverb. Graecis usurpatum frequens innuit, dubio procul, quod illi ἄνω ποταμῶν. Eurip. Med. 410., Hor. Od. I, 29, 10. Cicero quoque in Epist. ad Atticum principio tantum Graeci versus adagii huius meminit. Egnat. Latinorum poetarum locos huius proverbii collectos vid. ap. Burm. ad Propert. I, 15, 29., II, 12, 33. Conf. Mitscherl. ad Horat. l. c. De Xantho, fluvio Troadis, vid. Iliad. XX., Plutarch. de Flum.

31. *Lymphae.* Heinsius, ut ne *Xanthus* solus recurreret, *Nymphas* ei addere comites cupiebat, et ex Put. et VII aliis codd. scribere: *versaeque recurrite Nymphae,* quod probavit etiam nuper in censura Speciminis Adnotat. in Ovid. Heroid. a me editi Nic. Bach. Sed (v. 30.) per solum Xanthum Paris iuravit; *Nymphis* igitur h. loco nihil est negotii; contra recte additur *lymphae,* ut pro *Xanthi aqua,* ut est in versu praecedenti, solemni poetis usu loquendi dicatur *Xanthus et aqua,* vel quod idem est, *lymphae.* (Vid. ad Epist. XVI, 39.) Quanquam verba illa *versae* et *recurrite* personis (Nymphis) sunt aptissima; sed eadem dicuntur de *lymphis et aqua.* Amor. II, 1, 16.

Inque suos fontes versa recurret aqua.

32. *Sustinet,* ut v. 12. *tuli;* idem infr. v. 52. et Amor. I, 7. et sic saepissime.

33. *Fatum mihi dixit.* Multi Heinsii codd., etiam Trev. et a m. sec. Erf. cum vulgata: *mihi duxit;* quatuor tamen codd. Heins. et mei, Trev. excepto, a prima m. omnes: *mihi dixit,* quod Heinsius et Burmannus et plurimi post eos harum Epistolarum editores in textum receperunt, ut *dixit* sit pro *praedixit* vel *indixit.* Atque ita recte dici ex illis, quae Heinsius ad h. l. contulit, exemplis satis apparet. Propert. IV, 1, 50., Tib. I, 7, 61., II,

Qua Venus et Iuno sumtisque decentior armis
 Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.
Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
 Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.
Consului — neque enim modice terrebar — anusque
 Longaevosque senes: constitit esse nefas.
Caesa abies sectaeque trabes, et classe parata
 Caerula ceratas accipit unda rates.

6., III, 4. Vid. Salmas. ad Solin. T. I. p. 110. et Heins. ad Claud. in Eutrop. I, 160. *Indicere* Trist. III, 14, 9. Nec minus recte dicitur *ducere* pro *adducere;* Tibull. I, 2, 77. 78., Horat. Epod. 14, 3., Metam. II, 735., Virg. Georg. III, 155. Sed Ovidianum videtur *dixit,* quod multo maiorem habet auctoritatem codicum ac vetustatis. Quod autem in Specimine meo Adnot. cum Baumgarten-Crusio monui, rectius dici: *dies fatum ducit,* quam: *dies fatum dicit,* quod etiam Iahn ad receptam a se scripturam *duxit* defendendam attulit, nescio an non nunc ullius momenti esse putem. Similis quidem est locus Propert. IV, 3, 63.:

Illa dies hornis caedem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra popae.

34. *Hiems.* Ego de anni tempore sumtam metaphoram puto, non de tempestate, ut censebat Amar. De aestu et calore et frigore amoris et amantium omnia pervulgata.

35. *Qua Venus etc.* Attingit etiam Paridis iudicium, cuius ante meminerunt Lycophron, Euripid., Virg., deinde Coluthus et Lucian. De hoc iudicio multa praeclara ex Graecis auctoribus collegit Lud. Coelius L. XIX. antiq. Lectionum. CIOF.

Vid. Epist. XVI, 59. sqq.

36. *Nuda.* Epist. XVII, 116. de iisdem deabus.

Tres tibi se nudas exhibuere deae.

Cod. Trev. pro variet. *flava;* verecunde sane, sed non recte. *Decentior* sumtis armis, armis instructa et induta, quam *nuda.*

38. *Tremor. Timor* Lovan. et Iunian. Vid. Epist. XIV, 18., III, 82. BURM.

39. *Anusque.* Fatidicas nimirum et sortilegas feminas et viros; de quibus veteres poetae passim; Amor. I, 8, 13., Propert. II, 3, 8. Vid. Heyn. de superstitionibus veterum Romanorum Opuscul. Acad. Vol. III. p. 203. sqq., 270., 291., 312. sqq. *Longaevos senes,* ut Epist. XIII, 25.

41. *Parata.* Gronov. et III alii *peracta,* quod verum puto, quia vulgo minus frequens. Suet. Calig. 21. *Quorum operum a successore eius Claudio alterum peractum.* Oth. 6. *Peragere domum auream.* Has voces saepe confuderunt librarii. Vid. Fast. VI, 587. et 629. Ita Burmannus, cum quo consentit Heusinger. Sed loci Suetonii huic parum sunt similes; et *peracta classis* an in tota Latinitate usquam

Flesti discedens; hoc saltem parce negare;
  Praeterito magis est iste pudendus amor.
Et flesti et nostros vidisti flentis ocellos;
  Miscuimus lacrimas moestus uterque suas.
Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,
  Ut tua sunt collo brachia nexa meo.

reperiatur pro *parata*, vehementer dubito. *Peragere* recte dicitur, ut bene monuit Baumg.-Crus., de aedificiis diuturni operis et ingentis molis. Lectio *parata* omnium prope librorum auctoritate firmatur.

42. *Ceratas*. Naves cera piceque oblitas fuisse notum est; vid. Metam. XIV, 532; eam mixturam Graeci vocant *κηρὸν*, Latini *ceram*; vid. Arrian. in Periplo Ponti Eux. init., Veget. V, 7., Val. Flacc. I, 128. KUINOEL. Conf. Remed. Am. 447.

44. *Praeterito—pudendus amor*. *Praeterito*, nimirum illo, qui me tibi iunxit. *Iste* sc. Helenae. Pro *pudendus* Put. *pigendus*, ut VII, 108. Sed Fast. III, 500. *ille pudendus amor*, et IV, 598.

Nec gener est nobis iste pudendus, ait.

Sic Horat. Od. I, 27, 15. *Erubescendos ignes*.

45. *Nostros — flentis*. Nauger. *madidos* mavult, quod nonnullos legere ait; sed frustra. Amor. I, 8, 108.

Ut mea defunctae molliter ossa cubent.

Et sic pergit Heinsius ad hunc locum exempla afferre, quibus pronomini possessivo nomen, quod ad illud describendum inserviat, in genitivo addi docet; quae res vel tironibus nota est. Sed in quo hic haerere aliquis possit, est illud *nostros — flentis* pro *meos flentis*; neque tamen illud abhorret ab usu loquendi. Martial. VII, 50.

Si tenet absentis nostros cantatque libellos.

Cic. Fam. II, 11. *Totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora onera in republica sustinere et possim et soleam*. Fast. I, 255.

— — — tunc sic nostra ora resolvo.

Monstrum interpretationis est Amari: Ambo flevimus; et *flesti* et vidisti *flentem* me; ergo utriusque flentis *ocellos*, id est, *nostros* vidisti. (!!) De *Et flesti et* etc. vid. infr. ad v. 155.

48. *Nexa*. *Nexa* veteres libri omnes, Basil. excepto, quod probum est; Epist. II, 141.

Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Praebuerunt —

Stat. Silv. V.

At nunc heu aliquis longa sub nocte puellae
Brachia nexa tenens etc.

Conf. Silv. II, 1, 64., Metam. IX, 57. Frustra igitur Ciofanus est, qui *brachia vincta* tuetur. HEINS.

Basil. et nonnulli libri Ciofani: *vincta*.

49. *Vento cum te*. Sic mei, uno Giessensi excepto, omnes pro vulgato *cum te vento*; idque probum censeo.

Ah quoties, vento cum te querere teneri,
Riserunt comites: ille secundus erat.
Oscula dimissae quoties repetita dedisti;
Quam vix sustinuit dicere lingua „Vale."
Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suscitat, et remis eruta canet aqua;
Prosequor infelix oculis abeuntia vela,
Qua licet, et lacrimis humet arena meis;
Utque celer venias virides Nereidas oro:
Scilicet ut venias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii rediture redisti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui,

50. *Secundus.* Secundus sc. amanti, quia te retinebat; vid. Epist. XIII, 3., Val. Flacc. II, 406., Prop. I, 6, 17. *Burm.* Ventus hic igitur erat adversus navigantibus. Perperam. *Secundus* est *secundus ad navigationem* tibi, qui te tamen amore mei retineri patiebaris et ventis te teneri querebaris, ut patet verbis: *Riserunt comites.* Contrarius huic locus est Epist. XIX, 72.

53. *Rigido.* Iun. *Phrygio,* et ita conieceram. Sic Fast. III, 529. pro *rigidis columnis* rescribendum *Phrygiis columnis.* *Heins.*

Et l. illo Fastorum legendum *rigidis,* et h. l. *rigido* probum est, quod est pro *firmo, inflexibili,* ut Virg. Ecl. VI, 28.

— tum rigidas motare cacumina quercus.

Bersm. edit.: *gelido.*

55. *Abeuntia vela.* Regius unus *fugientia;* Epist. XII, 55.

Tristis abis; oculis abeuntem prosequor udis. *Burm.*

56. *Et lacrimis.* Quidam Heinsii codd.: *in lacrimis.*

57. *Venias.* *Venire* h. l., ut saepe, ubi etiam *redire* poni poterat. Vid. Epist. I, 116., Epist. VI, 111., supra ad Epist. IV. et meam adnot. ad Platonis Menex. p. 117. *Nereides,* Nymphae marinae, Nerei et Doridis filiae; Hesiod. Theog. 240. sqq. Vid. ad Epist. III, 74.

59. *Ergo* hoc loco reliqui; cum sic, nisi in omnibus, certe in plurimis scriptum sit codd., posteriorem vero in *ergo* tantum non ubique corripiant, qui post Augusti aetatem ligato sermone scripserunt, ut Lucan. IX, 256. *Ergo pari voto.* Scilicet Augusti saeculi poetarum agmen quasi clausit Ovidius, et in bene multis a priorum severitate iam deflexit. Hoc si in maioribus fecit, rerum ac sententiarum gravitatem saepe ille rhetoricis argutiis ornamentorumque lascivia corrumpens, quod idem maximum posterioris saeculi vitium fuit, quidni in minoribus quoque viam subinde iuniorum straverit licentiae? Solent hi pro

Adspicit immensum moles nativa profundum;
Mons fuit; aequoreis illa resistit aquis:
Hinc ego vela tuae cognovi prima carinae,
Et mihi per fluctus impetus ire fuit.
Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora:
Pertimui; cultus non erat ille tuus.
Fit propior terrasque cita ratis attigit aura;
Femineas vidi corde tremente genas.
Non satis id fuerat: quid enim furiosa morabar?
Haerebat gremio turpis amica tuo. —

libitu ultimam in primae personae verbis corripere. Raro facit hoc Ovidius: nunquam eum fecisse non dicas. Vid. infr. ad Epist. XV, 32. Potest sic etiam posteriorem in *ergo* semel bisve corripuisse, (nam et Trist. I, 1, 87. omnes scripti *Ergo cave, liber* etc.) quod deinde passim fecit aetas recentior. Conf. tamen Broukhus. ad Propert. III, 5, 1., Burmann. Sec. ad Lotich. Tom. I. p. 12. et 105., et Santen. in Catull. Eleg. ad Manlium v. 31. p. 13., ubi hoc quidem loco reponendum censet *Votis ecce meis.* Lenn.

60. *Hei mihi.* Put. et alii nonnulli ex melioribus (etiam Goth. 2., Guelf. 1. et Giess.) *Et mihi,* quod recepit Heusinger. Gronov.: *Et tibi.* Vulgata incorrupta est, et exclamatio illa post narrationem et interrogationem illam miram habet veritatem affectus.

Blanda fere pro *supplex,* ut noster alibi:

Et pro delictis hostia blanda fuit.

Sic *blandum tus* Prop. IV, 6. (Schol. cod. Trev.: *precatus sum deos.*) Heins. *Pellice,* sc. Helena.

62. *Nativa.* Cod. Voss. *ignata,* quod est *innata;* ut Epist. VII, 37. Burm.

63. *Cognovi.* Sic unus Vatican.; mihi *prospexi* magis placet. Ciof. *Vela tuae cognovi* scripti Heinsii omnes, etiam mei; sed Trev., Goth. 1., 2., Erfurt., Helmst. cum vulgata (nisi quod in vulgata *prospexi* pro *cognovi*) *prima tuae cognovi vela carinae,* quae collocatio verborum si non ipsa Ovidiana est, tamen loci rationi aptior mihi quidem videtur. Burmannus scribere malebat, ut ante Heinsium vulgabatur *prospexi,* atque huius verbi ita usurpati multa attulit exempla. Ego vero, licet vel sine illis exemplis sic dici facile concedam, tamen repugnantibus codd. hodie receptam mutare non audeo.

64. Vid. Epist. IV, 38.

67 *Attigit. Attulit* Scriv.

69. *Morabar.* Francius probabat *morabor,* idem Heinsius, qui haec se non intelligere dicit; idque exhibet Leidens. Sensus est: Non satis id fuerat (sc. id vidisse); quid enim (si satis id fuerat, erat, fuisset) furiosa ego morabar, morata eram, essem? *Das war noch nicht genug; denn warum wäre*

Tunc vero rupique sinus et pectora planxi,
  Et secui madidas ungue rigente genas;
Implevique sacram querulis ululatibus Idam:
  Illuc has lacrimas in mea saxa tuli.

ich sonst geblieben? Iahn, praeeunte Heusingero, scripsit:

> Non satis id fuerat? Quid enim furiosa morabar?

Sine omni necessitate; et aspernante, ut mihi videtur, loci ratione. Nam praeterquam quod, si bis interrogetur, altera interrogatio alterius vim hoc loco quasi infirmet, durissimus fit, si primum colon interrogat, ad interrogationem *quid enim furiosa morabar?* transitus; atque affirmatio orationis quasi incessui aptior atque convenientior est; narrat Oenone: Dum moror, fulsit...; pertimui..., fit propior... et terras attigit, *femineas vidi...genas,* (pergit narrare et ad graviora illa, quae iam sequuntur, animum legentis excitat) non satis id fuerat; quid...morabar? *Haerebat gremio turpis amica tuo.* Accedit, quamquam id levioris momenti est, ut Ovidius hanc formulam in narrationibus cum affirmatione ponere amet (vid. Metam. VI, 363. et Indices); et solet, quod paullo gravius sit, affirmatio talibus ellipticis sententiis, qualis *Quid enim f. morabar?* est, antecedere (Iliad. XV, 224., Sophoc. Oed. Tyr. 319., Herod. VI, 50.; nam *quid enim* valet fere idem, quod Graecum *οὐ γὰρ ἄν.*); et similis est locus Ovid. Epist. XVIII, 5.

> Sed non sunt faciles (dii); quid enim mea vota morantur?

Cf. Ep. XIX, 164.

70. *Turpis amica* est Helena.

71. *Tunc vero.* Micylli et Venett. et Bersm. editt.: *tunc flevi,* quod et in Mediceo et uno Heinsii codice exstat. *Burm.* In cod. Ies. verss. 69—72. in textu omissi et in fine paginae positi sunt. Vid. Schroder Obss. Misc. Vol. VI. T. II. p. 412.

72. *Genas.* Iun. et Scriverii: *comas.* Pessime; praecessit *secui* et *madidas.*

73. *Querulis — Idam. Iden* meliores, quomodo saepe alibi noster. *Heins.* Utraque forma apud Ovidium legitur, *Ida* Met. IV, 293. et XI, 762., et sic mihi etiam legendum videtur Epist. XIII, 53., atque ita Virgilius constanter; *Ide* est Metam. II, 218., X, 71., XII, 521., XIII, 324. Sed in ea re soli sequendi videntur vetusti libri. (Vid. ad Epist. IV, 55.) Mei omnes cum veteribus editt. *Idam. Sacram,* ob deam Cybelen. Vid. ad Epist. IV, 48.

74. *In mea saxa. Sua saxa* vocat, quae *Idaeum antrum* Propert. II, 13, 95.

> Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
> Supposita excipiens, Nai, caduca manu.

ubi quin Oenone significetur, equidem nullus dubito. *Lenn.* Meliores (?) Heinsii, etiam Erfurt. et Trev. *illinc;* vulgo *illic;* septem ex undecim meis *illuc,* quod placet: *implevi ululatibus Idam;* (nam) *illuc has lacrimas in mea* (nimirum)

Sic Helene doleat desertaque coniuge ploret;
Quaeque prior nobis intulit, ipsa ferat.
Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta sequantur
Aequora, legitimos destituantque toros;
At cum pauper eras, armentaque pastor agebas,
Nulla nisi Oenone pauperis uxor erat.
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus:
Non tamen, ut Priamus Nymphae socer esse recuset,
Aut Hecubae fuerim dissimulanda nurus.
Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis;
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.

saxa (quae erant in Ida, vid. locum l. Propertii) *tuli*.

77. *Nunc tibi conveniunt*. Sic Put., Iur., Ment., Francof. aliique nonnulli ex praecipuis (etiam Trev., Erfurt. et Giess.) pro lectione vulgata et plurimorum codicum: *Nunc tecum veniunt*. Recte. Qui loquendi modus nostro est familiaris. Amor. III, 8, 15.

Laeva manus, cui nunc serum male convenit aurum.

Epist. XV, 183. et sic passim; vid. Indices Ovidii. Porro *sequantur* et *destituant* libri potiores (etiam praeter duos mei); non *sequuntur, destituunt* cum vulgatis. *Heins.*

78. *Toros*. Primus Ambros., alter Mentel. et Moreti (etiam Trev., Goth. 1., 2., Dresd., Erf.) solemni librariorum variatione pro *viros* exhibent *toros*, quod verum puto. Fast. V, 24.

Corpora legitimis imposuere toris.

Pont. III, 3, 50.

Non me legitimos sollicitasse toros.

Vid. Epist. XIX, 284. *Burm.*

81. Vid. Epist. II, 89.

83. *Non tamen, ut*. Perperam quidam rescribunt *aut Priamus*. Prop. II, 15, 21.

Non tamen ut vastos ausim tentare leones.

Virg. Aen. XII, 815.

Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.

Heins.

Cod. Rel.: *Nec tamen*, ad sensum apte: *Jedoch auch nicht*.

84. Iahn post *nurus* comma posuit, quod ego non video, quomodo h. l. ferri, ne dicam, quomodo, necessarium et Ovidianum esse, defendi possit.

85. *Dignaque sum, et cupio*. *Et* a libris plerisque abest; edit. Veneta: *Digna sum et cupio*. *Que — et* arctius iungunt; supr. v. 71., Virg. Georg. I, 312. Cod. Patav.: *potenti*.

86. *Quas possint*. *Possint* meliores, non *possunt*. Epist. III, 70.

Est mihi, quae lanas molliat, apta manus.

Nonnulli etiam *quae possint*, ut Fast. II, 106.

— capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.

Plin. H. N. XXXVII, 8. *Incusae decorantur auro, nullaeque magis*

Nec me, faginea quod tecum fronde iacebam,
  Despice; purpureo sum magis apta toro.
Denique tutus amor meus est tibi; nulla parantur
  Bella, nec ultrices advehit unda rates.
Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis.
  Hac venit in thalamos dote superba tuos.
Quae si sit Danais reddenda, vel Hectora fratrem
  Vel cum Deiphobo Polydamanta roga.

aurum decent. Stat. Silv. IV, 4, 65. Posset etiam legi *quae possent sceptra tenere,* ex Iun., Douz. et Scriv.; vel cum Vatic. *quas deceat sceptra tenere.* HEINS. *Possint decere* ex more loquendi Ovidiano accipiendum est fere pro *quas deceant,* quem cum interpretes non satis perspectum haberent, ad mutandum seducti videntur. Vid. ad Epist. IV, 168.

87. *Iacebam. Cubabam* Lovan. *HEINS.*

Saepe iacebam alios legere notabat Douza. *BURM.*

89. *Tutus amor meus est tibi.* Sic recte distinguunt Put. et alii quidam. Olim post *est* incidebatur. *HEINS.* Eleganter tales nuptias ἀπτολέμους εὐνὰς vocat Eurip. Med. 643., et Aeschyl. Agam. 695. Τὰν δορύγαμβρον ἀμφινεικῆ Ἑλέναν. *BURM.*

91. *Tyndaris.* Helena, filia Tyndari.

Ad sententiam conf. Hor. Od. I, 15., et ad sensum sequentis versus Virg. Aen. VII, 318.

94. *Polydamanta.* Egnat., Parrhas., Ciof. tam hoc loco, quam Metam. XII, 547. *Pulydamanta* scribendum censent; quod Homero sit Πουλύδαμας passim, et Πολύδαμας prima corripiatur. Sed cum codd. constanter pro vulgata stent scriptura, apud Propertium quoque (III, 1, 29.), et Silium Ital. (XII, 212.) et Persium (I.), non ausim mutare. Sic κορύλλιον, κουράλλιον et κωράλλιον, aliaque eiusdem notae. *HEINS.*

Ego non video, cur non et *Polydamas* recte legatur, quando et *Polypus,* quod ab eadem origine descendit, *o* longa positum, tum apud Latinos tum apud Graecos reperiatur. Hor. Sat. I, 3, 40., et in Epigrammate Isidori. *MICYLL.* Vid. Dausqu. et Drakenb. ad Sil. Ital. l. l., Broukh., Burm. et Kuinoel. ad Propert. l. l., et ad Horatii Sat. l. l. Heindorfium, qui syllabam duplicata in pronuntiatione litera liquida produci dicit, laudans Hom. Hymn. in Merc. 502.

Deiphobus filius fuit Priami, cuius eximiam virtutem canit Hom. Il. XIII.; *Polydamas,* Panthi, unius ex ducibus Troianorum, filius, et idem Homeri carminibus celebratum nomen Il. XIV. et alibi; *Antenor* senex Troianus Il. III, 203. et 262. Vid. Meziriac. lib. I. p. 427. Deiphobum, Polydamanta, Priamum diserte suasisse Helenam reddendam, ex Homeri quidem carminibus non constat. De Polydamante illud testatur Quint. Calab. L. II. Antenor autem apud Hom. Il. VII, 350.

Quid gravis Antenor, Priamus quid suadeat ipse,
  Consule, quis aetas longa magistra fuit.
Turpe rudimentum patriae praeponere raptam:
  Causa pudenda tua est: iusta vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacaenam,
  Quae sit in amplexus tam cito versa tuos:
Ut minor Atrides temerati foedera lecti
  Clamat, et externo laesus amore dolet;
Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
  Laesa pudicitia est, deperit illa semel.
Ardet amore tui. — Sic et Menelaon amavit;
  Nunc iacet in viduo credulus ille toro.
Felix Andromache certo bene nupta marito!
  Uxor ad exemplum fratris habenda fui.

suadet in concione:

> *Δεῦτ᾽ ἄγετ᾽, Ἀργείην Ἑλένην καὶ κτήμαθ᾽ ἅμ᾽ αὐτῇ*
> *Δώομεν Ἀτρείδῃσιν ἄγειν.*

quem locum Ovidius hic certe ob oculos habuit et consilio suo accommodavit; unde etiam fluxit illud Horatianum (Epist. I, 2, 9.):

> Antenor censet belli praecidere causam.

De Antenore pacis suasore vid. etiam Liv. I. et Ovid. Fast. IV, 75. et Heyn. ad Virg. Aen. I. Exc. VII.

95. *Suadeat.* Lovan.: *censeat,* non improbante Heinsio. Recepimus hanc emendationem, quam poscit verbum *consule. Consulebant,* qui sententias rogabant, *censebant,* qui dicebant. *Burm.* Sed eodem modo dicitur etiam *suadeo;* (vid. Forcell.) nec talia apud poetas urgenda.

97. *Rudimentum.* Institutum, exemplum. Guelf. 2., 3., 4., Dresd., Trev., cum veteribus editt.: *rudimentum est,* quod nescio an non Ovidianum censeam.

99. *Si sapias.* Sic praestantiores libri (etiam Giess. et a m. sec. Trev. et Guelf. 1.), ut Epist. XX, 174.

> Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.

Remed. A. 477.

> Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles.

Conf. Metam. XIV, 675. In Put. hic rursus duplicis paginae est hiatus. *Heins.* Vulgo: *si cupias.*

101. *Minor Atrides.* Menelaus, qui natu minor Agamemnone erat. Metam. XII, 623.

102. *Clamat.* Vociferatur, conqueritur, deos hominesque obtestatur.

103. *Tu quoque clamabis.* Perperam sequentia distinguuntur in vulgatis libris, ac si clamantis Menelai verba sint. *Heins.*

105. *Ardet amore tui.* Sibi ipsa obiicit. Vid. Epist. III, 21. Monac.: *tuo.*

106. *Viduo,* ut Epist. I, 10.

107. *Certo.* Fido, in amore

Tu levior foliis, tunc cum sine pondere suci
Mobilibus ventis arida facta volant;
Et minus est in te quam summa pondus arista,
Quae levis assiduis solibus usta riget.
Hoc tua, nam recolo, quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis vaticinata comis:
„Quid facis, Oenone? Quid arenae semina mandas?
„Non profecturis litora bobus aras.

constanti. *Andromache*, filia Eetionis, regis Thebarum in Cilicia, Hectoris uxor, cuius virtutes et in maritum amorem aeterna laude celebrarunt carmina Homeri. Iliad. VI, 394. sqq., XXII, 437., XXIV, 710.

108. *Habenda.* Sc. a te.

110. *Volant.* Ciofanus legendum putat *cadunt;* sed meliores Heinsii *volant*, sic etiam IX ex meis. Heinsius ad h. l. exemplis ostendit de aridis foliis et *cadere* dici et *volare*, de qua re nemo dubitat. Exemplis hoc loco nihil efficitur. Loci rationi, summae animi levitati significandae dico, accommodatius est *volant*, quod cum maxima pars codicum et veteres editiones tueantur, nulla amplius erit de integritate huius loci dubitatio.

111. *Quam summa. Quam in summa* editt. Gryph. et Bersm. Codices (etiam editt. Venet.) *in* non habent. Fast. II, 117.

> Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro.

Vid. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 161. 2., et ad Epist. X, 138. Lovan.: *levius est in te.*

113. *Nam recolo.* les. et alii *refero;* alii *repeto;* Reg. *memoro;* alii *memini;* quae omnia sunt interpretamenta (ut insolentioris) *recolo*, quod in optimis libris et priscis editionibus conspicitur. Burm. Werfer lib. l. p. 511. e cod. Victorino scribendum censet *haec*; plura enim esse, quae Cassandra vaticinetur, quam pro singulari *hoc;* iusto, ut videtur, subtilius. Vid. infr. v. 130. *Germana*, Cassandra; vid. ad Epist. XVI, 119.

114. *Diffusis.* Quod est furentis; nam in furorem rapiuntur vates, si vaticinantur. Vid. omnino Virg. Aen. VI, 46. sqq. Ceterum memorabilis est usus participii perfecti deponentis *vaticinata* pro *vaticinans*. Virg. Georg. I, 339.

> Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis.

Ibidem 494., Epist. IX, 35., Fast. VI, 249.

> Vesta fave: tibi nunc operata resolvimus ora.

Vid. Metam. VII, 746.

116. *Bobus.* Lege *bubus*, ut est in vetustioribus et ratio requirit. Cato de Re Rust. XXXVI.; saepe etiam Varro de Re Rust., et ipse noster Fast. I, 244.

> Tantaque res paucis pascua bubus erat.

Art. A.

> Quid nisi araturis pascua bubus erant.

Ciof.

Bubus recte quidam libri; atque

„Graia iuvenca venit, quae te patriamque domumque
„Perdat! Io prohibe! Graia iuvenca venit!

ita ubique ex auctoritate optimorum librorum castigandum. Vid. ad Metam. XIV, 3. et ad Fast. I, 244. Proverbii vero speciem obtinuit haec locutio. Vid. Trist. V, 4, 48., Iuven. Sat. VII, 48. Vid. Erasm. Proverb., et Zenob. p. 66., ubi Schottus. *Heins.* Recte Iahn revocavit *bobus.* Vid. omnino Schneider Gramm. Lat. Vol. II. Part. I. p. 268.

Quidam codd. *Nil* habent; male. Trist. I, 2, 13.

Verba miser frustra non proficientia perdo.

Vid. Trist. I, 3, 115., Epist. XX, 47., Metam. XIII, 411. *Heins.*

117. *Venit. Venit* positum pro *veniet;* ita solebant vaticinantes. Virg. A. VII, 98. *Externi veniunt. Heins.* Praesens pro futuro ponitur a Latinis, ut a nostris de re aut mox aut certe eventura. Vid. ad Epist. III, 58.

118. *Perdat. Perdat* septem codd. bonae notae et Bersmanni editio, etiam Veneta (et mei codd., praeter unum Trev., omnes) pro vulg. *perdet. Burm.* Utrumque h. l. recte dicitur. Quare cum maxima parte vett. librorum scribendum est *perdat,* quod etiam paullo *vividius* est, utpote exprimens veniendi caussam atque consilium. Virgilius tamen loco l. usus est futuro:

Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent.

118. *Io.* Dictio haec h. l. commiserationis et doloris plena, alibi laetitiae. *Ciof. Graia iuvenca venit* eleganter hoc loco atque ex ingenio vaticinantis repetitur. Ceterum eiusmodi repetitiones in deliciis habet Ovidius. Amor. I, 9, 1.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido;
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

Trist. IV, 3, 77.

Ars tua, Tiphy, iacet, si non sit in aequore fluctus;
Si valeant homines, ars tua, Phoebe, iacet.

Art. Am. I, 705., Amor. III, 2, 27., Epist. X, 10., supra vv. 25—31.

119. *Demergite.* Alii *dimergite;* alii *di mergite,* quomodo scribendum sensus requirit. *Heins.* Et sic nunc vulgo legitur. Veteres editiones omnes et maxima pars codicum (ex undecim meis octo) *demergite,* quod mihi verum videtur; nam ut de maiore auctoritate vetustatis nihil dicam, imperativus hic respondet vel potius cohaeret cum altero illo *prohibe,* qui cum ad Oenonen directus sit, et hic ad eandem Oenonen directus esse videtur; atque ita illud *dum licet* vim atque momentum habet, quod, si alteram scripturam sequaris, fere omni sensu caret; adde, quod haec sunt verba vaticinantis. Pluralis autem ille nihil habet difficultatis. Vid. Epist. VII, 71.; et, quod semel dixerim, suspectum Heinsii testimonium fere ubicunque non addito codicum aut numero aut nomine dicit *codd. meliores, praestantiores.* Sed quomodo Oenone poterat *demergere?* Respondeo: quomodo poterat *prohibere?* et *demergite*

„Dum licet, obscenam ponto demergite puppim!
„Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit!“
Dixerat; in cursu famulae rapuere furentem;
At mihi flaventes diriguere comae.
Ah nimium vates miserae mihi vera fuisti;
Possidet en saltus illa iuvenca meos.
Sit facie quamvis insignis, adultera certe est;
Deseruit socios hospite capta deos.

in plurali est. Epist. XIII, 133.

> Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?
> Dum licet, Inachiae vertite vela rates!

Amor. I, 9, 34.

> Ardet in abducta Briseide magnus Achilles:
> Dum licet, Argolicas frangite Troës opes.

Conf. Cic. de Div. I. et vid. ad Epist. XVI, 140. Ceterum eleganter poeta Cassandram per ambages et allegorias canentem inducit et Helenam *Graiam iuvencam* vocantem, *quam,* ut recte monet Schrader Emendat. c. 6. p. 119., *prorsus invenuste et putide poeta* aut Oenone *sic vocaret.*

120. Idem vaticinatur Nereus apud Horatium. Od. I, 15.

121. *In cursu.* Alii plerique *in cursu,* quasi dicat, in medio vaticinandi cursu sive calore. Ego vero etiam *incursu,* ut alii habent, pro *accursu* et *interventu* recte legi existimo, ut intelligamus famulas incursu et interventu suo vaticinantem longius progredi prohibuisse. *Micyll.*

Lege *in cursu,* h. e. in ipso furoris cursu. Cic. Disp. Tusc. I, 39. *Nonne modo pueros, modo adolescentes in cursu a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? Heins.* (Vid. Epist. VI, 39., Fast. V, 245., VI, 362.) Recte in medio cursu; nam Priamus imperaverat, ut, quoties Cassandra solveret os in oracula, toties eam famulae coërcerent marmorei thalami claustris ut insanam. Meminit Lycophron et eius interpres. *Parrhas.*

123. *Nimium vera.* Val. Flacc. V, 5.

> At memor Aesonides nimium iam vera locuti
> Phineos.

Ipsa Cassandra apud Aeschyl. Agam. 1125.

> *καὶ σὺ μὴν τάχει παρὼν*
> *Ἄγαν γ᾽ ἀληθόμαντιν, οἰκτείρας, ἐρεῖς.*

Burm.

Vid. Ruhnk. ad Terent. Andr. II, 5, 12. *Miserae vates* cum veteribus editt. nostri omnes praeter tres, Goth. 1., 2., Helmst., qui cum vulgata *vates miserae.*

125. *Insignis. Praesignis* cod. Ambros. Recte. Noster Metam. XII, 216.

> Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva
> Praesignis facie.

Fast. VI, 628. *Praesignis facie;* Art. A. III, 773. *facie praesignis;* Met. XV, 131., Epist. IV, 39. *Heins.*

Sed *insignis* quoque eodem sen-

Illam de patria Theseus, nisi nomine fallor,
Nescio quis Theseus abstulit ante sua.
A iuvene et cupido credatur reddita virgo?
Unde hoc compererim tam bene, quaeris? — amo.
Vim licet appelles, et culpam nomine veles;
Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi.

su a nostro saepe dicitur, (vid. Indices), et sic h. l. codd. et veteres edd.

126. *Socios. Socios deos* codd. omnes (margo Bersmanni *patrios*). Vere; nam *patria* mox sequitur. Deos enim coniugales intelligit. Amor. II, 11, 7.

Ecce fugit notumque torum sociosque penates.

quomodo Virg. A. III, 15. *sociique penates* (sed alio sensu); sic Epist. IV, 62. *sociae leges; socias dapes* Fast. II, 618.; Stat. Theb. VIII, 24. *socia mensa;* vid. ad Amor. l. l. Alioquin et *patrii dii* et *penates* poetis passim. *HEINS.* Ego tamen hic *patrios* praeferrem, propter vocem *hospite:* peregrinum enim secuta virum *patrios deos* deseruit. *BURM.* *Socios,* quae est lectio omnium librorum, probum est, et hic versus epexegesis est verborum *adultera certe est.* Sensus est: *Adultera certe est;* (nam) *ab hospite capta socios* (coniugales) *deos ea deseruit.*

127. *Nisi nomine fallor,* sc. femina et peregrina; non male. *Nescio quis Theseus* versus sequentis cum invidia dictum est, ut humilitatem et ignobilitatem raptoris notet.

128. *Theseus.* Theseum cum amico suo Pirithoo Helenam rapuisse testes sunt Plut. in Thes., Diod. Sic. IV, 63., Herodot. IX, 73., Isocrat. Encom. Helen., Hyg. F. 79. Conf. Epist. VIII, 71., XVI, 150., XVII, 21. Non integra pudicitia reddidisse noverunt Pausan. II. et Ant. Liber. 27. et alii. De utroque vid. Meziriac. lib. l. p. 266. et 433. Sed vulgo illaesa a fratribus reducta dicebatur. Pro *ante,* quod a correctore est in Gu. 1., codd. et editt. Venet. *arte.* Ies. *arce.*

129. *A iuvene et cupido.* Aut oratorie mentitur, ut Helenam inducat in suspicionem stupri, aut certe iuventam produxit ex sententia Varronis ad annum XLV. Nam cum Theseus Helenam rapuit, agebat annum fere quinquagesimum. *PARRHAS.* Ego ut de fabulosa Thesei vita et aetate tam certe statui non posse existimo, sic neque poetam sedulo eam inquisivisse, neque curasse, sed hoc tantum in animo habuisse, qui cum periculo virgines rapiat, adhuc iuvenem esse. Nec talia apud poetas ad fidem historicam exigenda.

130. *Hoc.* Vossian.: *ea;* Victor.: *Si unde.*

131. *Veles.* Multi codd.: *celes. BURM.*

132. *Praebuit.* Qua facilitate rapiendam se praebuerit, testari potest Coluth. de Rapt. Hel. 300. sqq.

133. *Fallenti.* Cod. Douz.: *fallaci.*

At manet Oenone fallenti casta marito;
Et poteras falli legibus ipse tuis.
Me Satyri celeres — silvis ego tecta latebam —
Quaesierunt rapido, turba proterva, pede,
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus, in immensis qua tumet Ida iugis.
Me fide conspicuus Troiae munitor amavit;
Ille meae spolium virginitatis habet,

134. *Legibus — tuis.* Quas exemplo tuo quasi tuleras, agendi praeceptis, moribus tuis. Val. Flacc. VI. *lege occidit sua ultus.*

Et: et tamen..... Nec deerat occasio peccandi; nam me Satyri etc.

135. *Satyri celeres.* De Satyris et Faunis vid. ad Epist. IV, 171. *Celeres* ut dii et erant quadrupedes. Lascivi et protervi passim appellantur. Horat. Od. III, 18, 1., ibi Mitscherl.

136. *Quaesierunt.* Sic lib. Lovan. pro *quaesierant,* et placet. Sic *steterunt, dederunt,* et similia penultima correpta, de quibus vid. ad Epist. VII, 166. *Heins.*

Recte: *Me quaesierunt; me amavit.*

137. *Acuta.* Sic etiam *acuta cupressus* Metam. III, 155.; Metam. I, 699.

Pan videt hanc, pinuque caput praecinctus acuta,
Talia verba refert —

ubi vid. Gierig de *pinu* et *praecinctus;* Met. XIV, 638., Art. A. II, 424. Gierig ad Met. l. l. *acuta* de forma arboris intelligendum putat, ego intelligendum censeo de forma foliorum. Vid. Plin. XVI.

138. *In immensis — Ida.* Plurimi scripti habent *et immensis;* quare fortasse legendum:

Me Satyri celeres silvis (ego tecta latebam,
Quaesierunt rapido turba proterva pede
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus,) et immensis qua tumet Ida iugis.
Burm.

Mihi vulgata Ovidiana scriptura esse videtur: *Wo der Ida in unermesslichen Höhen ragt.* Lectio *et* autem e vetusta scribendi ratione orta videtur, qua parentheses nullis signis separabantur. Parum prospiciens copiae poeticae Werfer lib. l. p. 543. revocabat vetustarum quarumdam editionum distinctionem: *in immensis, qua tumet Ida, iugis.* Ut *in iugis tumere* hic Ovidius, sic Sen. Hercul. Oet. 775.

Euboica tellus vertice immenso tumens.

Lucan. IV, 11.

Colle tumet modico.

Claudian. de Apon. v. 12.

Conspicuo clivus molliter orbe tumet.

139. *Me fide conspicuus.* Περίφρασις Apollinis ad differentiam Neptuni, ideoque (?) postea subiicit *Ipse ratus — manus.* Constat enim cum ex aliis locis, tum ex Metam. I. et ex Rem. Am. I., eum medicinae inventorem fuisse. *Crof.* Fide, cithara, conspicuus iam apud Homerum Apollo citharam

Id quoque luctando; rupi tamen ungue capillos,
  Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumque poposci:
  Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes,
  Admisitque meas ad sua dona manus.

pulsat canentibus per alternas vices Musis. Iliad. I, 603., conf. Iliad. XXIV, 62., Hesiod. Scut. Herc. 201., Hom. Hym. in Del., Callim. Hymn. in Apoll., Bion VI, 9. *Troiae munitor* Apollo una cum Neptuno est eodem Homero auctore. Vid. ad Epist. I, 67., quibus adde Apollod. II., Metam. XI, 204. ubi vid. Gierig, et Epist. XVI, 182., Mezir. l. l. p. 445. Artis autem medicae (v. 145.) inventor fuit. Hyg. F. 274., Bion III, 8., Pind. Pyth. IV, 480., V, 85. sqq., Trist. III, 3, 10. De Apoll. medico dissertatio est Mitscherlich. Götting. 1820. Vid. etiam Mezir. lib. I.

140. *Ille.* Cum vi et significanter. Vid. ad Epist. II, 20.

141. *Tamen ungue. Ungue* scripti, non *ante* ut vulgata (Trev. *ante*). Supra v. 72., Epist. XI, 92.

— inque meas unguibus ire genas.

Art. A. II, 452., Amor. III, 6, 48.

Ungue notata comas, ungue notata genas.

et sic passim. *Heins.* Atque idem probat ex suo codice Douza. — Rupit capillos suos, non Phoebi, quae fuit Ruhnkenii sententia. *Iahn.* Non suos, ut puto, capillos rupit, sed Phoebi. Et sic etiam cepit Ruhnken. Epist. Critic. I. p. 72. ab his profecisse putans Paullum Silentiarium in Epigramm., quod ineditum antea, primum ibi vulgavit, cuiusque nos partem tantum, huc facientem, citabimus:

— ὡς δὲ κελεύθου
Ἥμισυ Κυπριδίης ἤνυον ἀσπασίως·
Ἡ παῖς ἐξ ὕπνοιο διέγρετο, χερσὶ δὲ λευκαῖς
Κράατος ἡμετέρου πᾶσαν ἔτιλλε κόμην,
Μαρναμένης δὲ τὸ λοιπὸν ἀνύσσαμεν ἔργον ἔρωτος.

Exstat integrum Epigr. etiam in Analectis Brunckii Tom. III. Ep. 12. p. 75. *Lennep. Rupi tamen eius capillos,* sc. propter iram illatae violentiae. Firmatur autem ea Lennepii interpretatio praeter locum illum Silent. etiam illo *luctando,* et Art. A. II, 451.

Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos;
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas.

Vid. Amor. III, 6, 47—49., et Epist. XX, 81.

143. *Aurumque.* Sic mei codices prope omnes et veteres editt., idque iure Iahn revocavit. Vulgata: *aurumve.*

145. *Medicas.* Oenonen artis medicae gnaram fuisse tradit Apollod. III. Vid. Lycophron Cassand. v. 61. et ibi Schol. et commentarios. De hoc Apollinis amore nulla alia testimonia veterum erant in promptu, neque quo tempore et qua data occasione Oenonen ama-

EPISTOLA VI.

HYPSIPYLE IASONI.

Quum Iason, filius Aesonis, Iolco in Colchidem, vellus aureum Peliae, patrui sui, iussu inde allaturus, vela daret, Lemnum appulit, ubi ab Hypsipyle, Thoantis filia, quae tum regnum ibi obtinebat, hospitio lectoque exceptus duos annos (teste quidem Ovidio) commoratus est. Sed instantibus sociis tandem Lemnum reliquit data Hypsipylae fide se ad ipsam rediturum. Occupato autem auxiliante Medea vellere aureo hanc pro uxore secum abduxit et Lemnum praetervectus in Thessaliam rediit. Quo audito Hypsipyle hanc ei scribit Epistolam. Diod. Sic. IV. et V., Ov. Epist. XII. et Metam. VII., Apollod. I., Hyg. F. 15. 74., Apollon. Rhod. I., Val. Flacc. II., Stat. Theb. IV. et V.

Litora Thessaliae reduci tetigisse carina
  Diceris, auratae vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis; hoc tamen ipso
  Debueram scripto certior esse tuo.
Nam ne pacta tibi praeter mea regna redires,
  Cum cuperes, ventos non habuisse potes.

Etiam huic Epistolae praefigitur distichon hoc in Excerpt. Puteani:

Lemnias Hypsipyle, Bacchi genus, Aesone nato
  Dicit, et in verbis pars quota mentis erat.

1. *Thessaliae.* Iolcos, Iasonis patria, urbs erat Thessaliae. Plin. IV. c. 9. Metam. VII, 158. de eadem re:

Victor Iolciacos tetigit cum coniuge portus.

Rem testatur Eurip. Med. 484., Hesiod. Theog. 994., Hyg. F. 24.

2. *Auratae — ovis.* De aureo hoc arietis vellere ad Epist. XII. *Ovis* autem h. l. nomen generis est.

3. *Quantum sinis.* Quantum mihi per te licet, qui de reditu uxorem ne admonueris quidem. AMAR.

Hoc tamen ipso. Argent.: *ipse.* Lege *ipsa,* nisi malis *ipsum.* HEINS. *Ipso* fere scripti, nisi quod Leid.: *ipsum,* ut sit graecismus (idque Burm. recepit.). Posset et *ipso* capi per ellipsin pro *de hoc ipso.* BURM. Postremum rectum est et sic omnes mei; de ellipsi autem non cogitandum.

5. *Praeter.* Iuxta, propter, ut Metam. V. 159.

— Tela volant hiberna grandine plura
  Praeter utrumque latus, praeterque et lumen et aures.

Vid. Forcell. in v. *praeter.* *Pacta regna* Lemnon insulam

Quamlibet adverso signetur epistola vento;
  Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior quam nuntia litera venit,
  Isse sacros Martis sub iuga panda boves;
Seminibus iactis segetes adolesse virorum,
  Inque necem dextra non eguisse tua;
Pervigilem spolium pecudis servasse draconem;
  Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Haec ego si possem timide credentibus „Ista
  Ipse mihi scripsit" dicere, quanta forem!

dicit, quam Iasoni poeta fingit Hypsipylen in dotem pepigisse.

7. *Quamlibet.* Nauger notat in quibusdam legi *quolibet adverso,* quam l. adstruere conatur ex alio loco:

> Quaslibet admissas detinuere rates.

Perperam; nam et illic *quamlibet* legendum, ut est Epist. XI, 124.

> Urnaque nos habeat, quamlibet arcta, duos.

Amor. I, 7, 66., Art. Am. III, 312., 578., 642., al. *Heins.* Septem ex meis codd. cum edd. Ven.: *quaelibet. Signetur,* signari potest. Sensus est: Potuit fieri, ut venti te detinerent, ne navem ad Lemnum appelleres, Hypsipyle tamen tua, siquidem quamlibet adverso vento epistola scribi potest, *missa* (scripta) salute digna fui. Iahn *signetur* coniunxit cum *digna* commate posito post vento, et sensum loci putat esse hunc: Sed quantumvis adversus fuerit ventus, digna tamen fui, cui epistolam mitteres. Quem quidem sensum ego ex poetae verbis elicere non possum. Certe nostra loci interpretatio multo simplicior est.

10. *Sacros Martis.* Scriv. a man. pr. et Goth. 2. *Marti,* quod Heinsius malebat, quam *Martis,* et Burmannus recepit. Ac sane inest κακοφωνία quaedam in *Isse sacros Martis sub,* nec semel accidit, ut verbum praecedens a sequente *s* mutuarit (vid. Epist. I, 24.), et vulgo dicitur *sacer alicui.* Sed et codices et veteres editt. in l. *Martis* fere consentiunt. Quare ego nihil mutem, praesertim cum huius usus loquendi exstent exempla. Ov. Metam. VII, 101. eandem rem narrans:

> Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum.

Antholog. Lat. Burm. Sec. *Mensis sacer Iani,* ubi Burmannus huius loci scripturam *Martis* probat. Vid. Virg. Aen. V, 360. Heusinger et Iahn quoque *Martis.* Epist. XII, 41. de his tauris: *Martis erant,* et hac ipsa Epist. 32. *aeripedes Martis boves.* De his tauris et ceteris, quae iam commemorantur de Iasonis certaminibus, vid. ad Epist. XII.

15. *Haec ego. Hoc ego* meliores scripti; et sane *haec* et *ista* minus apte cohaerent. Lege:

Quid queror officium lenti cessasse mariti?
  Obsequium, maneo si tua, grande tuli.
Barbara narratur venisse venefica tecum,
  In mihi promissi parte recepta tori.
Credula res amor est. Utinam temeraria dicar
  Criminibus falsis insimulasse virum.
Nuper ab Haemoniis hospes mihi Thessalus oris
  Venerat, et tactum vix bene limen erat;

O ego, si etc. Heins. Reduxi veterum codd. et edit. lectionem, in quibus nulla varietas, nisi quod quidam habent *hoc*, quod eodem redit; quamvis *haec* propter *ista*, quod sequitur, praetulerim. Ingeniosa est quidem Heinsii coniectura, sed nobis tantum non permittimus, ut in textum recipiamus coniecturas, quae nihilo meliorem sensum faciunt, nec fide codicum nituntur. *Burm.*

16. *Quanta forem!* Quam felicem me praedicarem!

18. *Obsequium.* Pro *obsequium* h. l. *officium* e superiore versu repetendum censuit Schroder Obss. Miscell. Vol. VI. T. II. p. 413. Atque ita exhibent duo codd. Heinsii et Erfurt. et a man. pr. Trev., qui a sec. habet *obsequium.* Sed nihil muto: nam maxima et codd. et edit. auctoritas stat pro *obsequium*, et vix credibile est, repetitum *officium* a librariis, qui eam rem adeo in deliciis habent, in *obsequium* esse mutatum: ad sensum quoque *obsequium* aptius videtur. Nexus sententiae est: Sed non est, quod querar te in *officio* lentum fuisse (adhuc enim questa est de Iasonis incuria et quod non scripserit), satis fuisti officiosus, satis obsequii mihi praestitisti, si tua maneo, uxorem me retines. Sed fama est etc. Atque ita transitum facit ad perfidiae vituperationem. Pessime alii interpretantur: Satis obsequii tibi praestiti, si fidem servo.

19. *Venefica.* Vid. infr. 83.

20. *Recepta.* Plurimi mss. et editi *futura* (sic etiam Trev., Dresd., Gu. 3., 4., et a man. pr. Giess.); etiam bene. Art. Am. I, 566.

Atque erit in socii femina parte tori.

Sed recte se habet *recepta;* infr. v. 55., Remed. Am. 456. *Heins.*

Cod. Douzae *vocata.* Iahn revocavit *futura;* sed *recepta* rectum est: vere iam tori parte receptam esse ipsa dicit infra v. 95. et inprimis, ubi haec verba redeunt, v. 132.

Diceris Hypsipyles praeposuisse toro.

etiam 133. et 156—159. *Recipere* cum abl., praeter locos supra laudatos, est Metam. II, 529.

23. *Haemoniis.* Thessalicis; dicta enim Thessalia est Haemonia ab Haemone rege, Thessali patre. Strabo IX. p. 449.

24. *Vix bene* amat Ovid., Metam. II, 46., III, 14., Fast. VI, 513. Sed quomodo Gierig ad Met. II, 46. contendat, *bene*

„Aesonides“ dixi „quid agit meus?“ Ille pudore
Haesit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui tunicisque a pectore ruptis
„Vivit, an“ exclamo „me quoque fata trahunt?“
„ „Vivit“ “ ait; timidum, quod ait, iurare coëgi;
Vix mihi teste deo credita vita tua est.
Ut rediit animus, tua facta requirere coepi;
Narrat et aeripedes Martis arasse boves;

augere notionem particulae *vix*, ego non assequor. *Bene est:* satis, ἱκανῶς.

26. *Opposita.* Tres Heinsii *apposita,* quod Heinsio placet. Male. Sexcenties enim poetae *adversa, opposita* vocant, quae ante nos et ante oculos nostros sunt. Metam. XIII, 541.

— adversa figit modo lumina terra.

Heinsius vero admodum pronus fuit in vocem *appositus,* et ideo ubique fere eam intrudit. Sic Amor. III, 6, 7. *appositum montem* pro vera l. *oppositum montem.* Vid. nos ad Val. Flacc. Quod vero Francius volebat, *in oppositam terram,* nec illud necessarium. Trist. IV, 2, 29.

Hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit.

Burm.

27. *Ruptis. Raptis* libri meliores; sic *deripere* ex humero vestem et similia. At Art. A. III, 707. *rumpere a pectore vestes.;* Stat. Silv. II, 1, 171.

Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpit.

Heins.

Optimus Trev., Gu. 1. et 4., Giess., Dresd. etiam *ruptis,* quod et ego praefero, quia fortius dictum est, utpote simul notionem et deripiendi et disrumpendi exprimens. Conf. tamen Epist. X, 16.

28. *Trahunt.* Quidam libri *fata vocant* cum Iur. Excerpt., ut Epist. VII, 1. Nihil muto. Vid. infr. v. 51., XII, 35. *Heins.* Et sensus poscit vehementius illud *trahunt.*

29. *Vivit, ait; timidum, quod ait.* Heinsius codices habere ait aut: *Vivit ait timide, quod ait,* aut: *Vivit ait, timidum quod ait.* Posterior tamen lectio maiorem auctoritatem habere videtur. Sic enim praeter Heinsianos Goth. 1., Victor., Trev. a sec. m., atque eodem ducit, quod Nauger in pluribus legebat et Planudes in sua interpretatione Graeca agnoscit: *Vivit, ait timidum, quod ait,* et quod Micyllus in aliis legebat: *Vivit, ait timidum quod amat;* et quod in cod. Dresd. est: *timidumque ait.* Quare, memor etiam Ovidium eiusmodi repetitiones in deliciis habere, cum Werfero et Iahno eam l. ab Ovidio esse putavi. Giess.: *timidumque virum;* Ies.: *timidumque eum.* Vulgata est: *timidumque mihi. Timide* autem facile ortum traxisse potest ex vitiosa illa interpunctione quorundam librorum: *Vivit ait timidum, quod ait, i. e.*

30. *Teste deo.* Et licet advocatis diis testibus iurasset, te vivere, tamen vix credidi.

31. *Ut rediit animus.* Vulgata:

Vipereos dentes in humum pro semine iactos,
  Et subito natos arma tulisse viros;
Terrigenas populos civili Marte peremtos
  Implesse aetatis fata diurna suae.
Devictus serpens: iterum, si vivat Iason,
  Quaerimus; alternant spesque timorque fidem.

Utque animus rediït. Sed Excerpta Iur. cum uno Patav.: *Ut rediït animus.* Recte; producitur enim Nasoni aliisque poetis ultima eius verbi syllaba, quemadmodum et in *adiït, abiït, iniït, praeiït, subiït, praeteriït* et similibus, de quibus suo loco. Epist. XIII, 29.

Ut rediit animus, pariter rediere dolores.

Sic etiam Art. Am. III, 707., Fast. III, 333., V, 515. Quibus etiam in locis libri veteres sibi non constant, dum alii: *ut rediitque animus,* alii: *utque redit animus,* alii alia substituunt; meliores constanter, quod nos exhibemus, agnoscunt. Met. XIV, 519.

Mox ubi mens rediit et contemsere sequentem.

Remed. Am. 6.

In liquidum rediit aethera Martis equo.

Fast. II, 341., Met. I, 114., Stat. Theb. VI, 664., Epiced. Drus. 235. *Rediït* vero opponitur *linqui animo.* HEINS. Ex undecim meis VI cum vulgata: *Utque animus rediït;* Goth. 2. et Dresd. cum Ies.: *Utque redit animus;* Erf.: *Postquam animus rediït;* Goth. 1.: *Ut animus rediït.* De vera lect. post accuratiorem demum harum Epistolarum codicum collationem statui poterit. De syllabis autem natura brevibus in arsi productis vid. Schneid. Gramm. Lat. I. p. 745. sqq., Hermann Elem. Doctr. Metr. p. 40., Weichert. Epist. Crit. p. 73.

32. *Narrat et aeripedes. Rettulit aeripedes* est in bonis libris; probo. CIOF. Correctores haec interpolarunt; nam vetusta exemplaria: *Narrat et aeripedes,* vel: *Narrat aëripedes.* Cod. Helmst.: *Narrat aripedes.* Lege minima mutatione: *Narrat aënipedes. Aëneus* et *aënus* pro *aeneo* passim poetae. HEINS. Vetustae editt. et codd. prope omnes consentiunt in l. *aeripedes,* et sic de iisdem *tauris* Ovidius Epist. XII, 93.

Iungis et aeripedes inadusto corpore tauros.

et Metam. VII, 105. de iisdem; Val. Flacc. VII, 545.

— daret aeripedes in proelia tauros.

et de iisdem Hyg.: *Itaque Aeeta Iasoni hanc simultatem constituit, si vellet pellem auratam auferre, tauros aeripedes — iungeret.* Hinc censeo nihil mutandum et cum olim vulgata legendum: *Narrat et aeripedes. Aeripes* etiam apud Virgilium Aen. VI, 803. Vocis *aënipes* ne ullum quidem idoneum reperi exemplum. Vid. Markland. ad Stat. Silv. I, 1, 51. *Narrat et* pro *et narrat* ut saepe apud nostrum. Cod. Ies.: *Narrat a euripedes.*

35. *Civili Marte.* Cum acumine, ut plurima huius poetae, pro

Singula dum narrat, studio cursuque loquendi
Detegit ingenio vulnera nostra suo.
Heu ubi pacta fides; ubi connubialia iura,
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?

mutua caede. Mox *diurna,* (vix) unius diei.

37. *Devictus serpens.* Legimus *devicto serpente;* sed etiam recte *devictus serpens.* NAUGER. *Devicto serpente* in Aldinis legitur, ut sit sensus: postquam autem audissem tandem etiam devictum draconem sive serpentem, a quo custodiebatur vellus etc., iterum prae timore ac sollicitudine scilicet, quaero, an vivat Iason. Alii (sic Erfurt. et ed. Bersm.) autem: *devictum serpentem;* ut cum praecedentibus cohaereat et regatur a *narrat.* Sed haec non ita magni sunt momenti. Mihi tamen Ald. lectio probatur. MICYLL. *Devictus serpens* cum omnibus prope libris pro: postquam devictum serpentem ab eo audissem, omnino retinendum. Eodem modo loquitur Ovidius Epist. I, 19., ubi vid. adnot.

38. *Alternant — fidem.* Ut iam crederem, iam non crederem.

39. *Cursu.* Vid. ad Epist. V, 115.

40. *Vulnera nostra suo.* In quibusdam veteribus editt. (Venett.) etiam in cod. Erfurt. est: *vulnera nostra tuo.* Amar, ut est in editt. Burmanni et Naugerii, et paucis codd. Heinsii, Guelf. 2., 4.: *vulnera facta tuo.* In plurimis vett. edd., Aldina, Micylli, et reliquis codd.: *vulnera nostra suo,* quam l. Ovidianam censeo; nam dum lectio *vulnera nostra tuo* ineptam; *ingenio facta tuo* certe contortam exhibet sententiam, coniectura *vulnera facta suo* paullo obscurior est, longe plurimorum illa librorum *Detegit ingenio vulnera nostra suo* hunc perspicuum atque expeditum sensum habet: *Dum singula narrat, in studio et cursu narrandi detegit* (aperit, prodit, excidunt ei) *ingenio suo* (*simplicitate sua,* ut Schol. cod. Trev. habet, vel, ut Iahn interpretatur, ingenio quo erat simplici) *nostra vulnera* (nempe amore Medeae te captum esse). Quod autem Werfer lib. l. p. 536. volebat, ut est in cod. Ies.: *vulnera tecta suo,* praesertim si cum viro docto Diar. Liter. Lips. a. 1816. n. 87. interpreteris *ingenio suo tecta, hoc est, natura sua tecta,* nemo facile probabit, nec magis, quod Caposerreus audacius coniecit: *vulnera facta toro.* — Petron. c. 126. *crines ingenio suo flexi;* Claudian. in Ruf. I, 210.

Hic radiant flores, et prati viva voluptas
Ingenio variata suo —

quae attulit Burmannus, laudans etiam Schott. Obss. II, 53. Eandem scripturam probarunt uterque Heusinger et Iahn.

41. *Heu ubi.* *Heus* quidam codd.; Aprosian.: *Dic ubi.* Sed nihil muta. Vid. ad Epist. IV, 150. BURM.

42. *Fax.* Vid. ad Epist. II, 120.

43. *Furtim. Furto* Scriv., Francof. et IV alii (etiam Goth. 1., 2., IV Guelf., Giess., et Trev.), quod recipere non dubitavimus, quia elegantius et

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno
  Affuit, et sertis tempora vinctus Hymen. —
At mihi nec Iuno nec Hymen, sed tristis Erinnys
  Praetulit infaustas sanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? Quid cum Tritonide pinu?
  Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?
Non erat hic aries villo spectabilis aureo,
  Nec senis Aeetae regia Lemnos erat.

bonis auctoribus usitatum; sed saepe haec vox a librariis loco mota. Ita Virg. Aen. IV, 337. ex optimis membranis:

— non ego hanc abscondere furto
Speravi.

Et Statio reddidit Bernartius Theb. I, 312., qui pluribus de ea voce agit. Amor. II, 8, 3., Plin. VIII, 31. *et parere furto cupiunt,* et ita ille aliquoties. *Burm.*

Veteres edd. et plurimi codd. Heinsii vindicant *furtim,* quod quum saepe apud Ovidium legatur, donec accuratior instituta sit codicum collatio, cum Iahno retinendum censeo. Vid. tamen Burm. ad Val. Flacc. II, 283. *Cognita,* ut infra 133., sicut Graecum γιγνώσκειν de re venerea intelligendum. Vid. Vechner Hellenolex. p. 563. et Addenda et quem laudat, Pareus Lexic. crit. p. 354.

44. *Hymen. Hymen* ubi adest, et ipse apparatu et ornatu nuptiali adesse solet; saepe etiam facem fert. Epist. XXI, 161., XII, 156., Catull. Epigr. 62.

45. *Erinnys. Eumenis.* Vid. ad Epist. II, 117.

47. *Minyae.* Argonautae, quorum plurimi et praestantissimi originem se trahere gloriabantur a Minyae, Iolcorum in Thessalia regis, filiabus, de quibus vid. adnot. ad Met. IV, 1., Apollon. I, 239. Ipse Iason Minyae neptem habuit matrem. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 42. Alii aliter. Vid. Hoelzlin. ad Apollon. d. l., Heyn. ad Apollodor. p. 143. et 178. Sic Gier. ad Metam., ubi iidem Argonautae *Minyae* vocantur. Conf. Meziriac. d. lib. part. II. p. 56., Hyg. F. 14. *Tritonide pinu,* h. e. navi Argo, quae Pallade monstrante aedificata est, ut ait Val. Flacc. I, 93. et Apollon. I. *Tritonis* enim cognomen Minervae, de quo vid. Gier. ad Metam. III, 127. et Heyn. ad Virg. Aen. II, 170. et Forcell. in v.

48. *Tiphy.* Τίφυς Ἁγνίου ὃς ἐκυβέρνα τὴν ναῦν (sc. Argon). Apollodor. I. Vid. Hyg. F. 14., Val. Flacc. d. l., Paus. Boeot.

49. *Villo — aureo.* Synizesis. Sic Amor. I, 12.

Ipse deus vatum palla spectabilis aurea

Epist. XII, 201. *Crof.* Multi codd. *fulvo spectabilis auro;* ut *vellera fulva;* sed nihil muta. Sic, praeter locum d. XII, 201., Val. Flacc. VIII, 122. *Villis sidereis,* et VII, 30. *aurea pellis,* et Senec. Troad. 1035.

Cum gregis ductor radiante villo
Aureo. *Burm.*

Certa fui primo, sed me mea fata trahebant,
  Hospita feminea pellere castra manu;
Lemniadesque viros nimium quoque vincere norunt:
  Milite tam forti vita tuenda fuit.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi;
  Hic tibi bisque aestas bisque cucurrit hiems.

50. Male Amar distinxit:

Nec senis Aeetae regia: Lemnos erat.

Sensus est: Non *in Lemno* erat aries, nec *Lemnos* erat (quo tendebas) regia Aeetae.

51. *Mea fata.* Putean. et duo alii Heinsii codices, etiam Gu. 3., Goth. 1., Dresd., Monac.: *mala fata*, quam scripturam Heinsius multique alii editores receperunt; et vero dicitur *adversa fata* Hor. Epod. VII, 17., *bona fata* Carm. Saecul.; et ipse Ovid. Amor. III, 9, 35.

Cum rapiant mala fata bonos.

Vid. ad Epist. I, 28. Sed in deliciis habet Ovidius *me mea, te tua*, et ipsum *me mea fata trahunt.* Epist. XII, 35.

— et me mea fata trahebant.

Trist. II, 341.

— sed me mea fata trahebant.

III, 6, 15.

Sed mea me in poenam nimirum fata trahebant.

Metam. VII, 816., hac Epist. v. 136., Epist. VII, 21., 85., X, 45., XVIII, 97., XIX, 84.; et *me mea fata* est lectio veterum editt. et plurimorum codd. Hinc cum Werfero lib. l. p. 546. eam revocandam putavi. Vict. etiam *me mea*; Ies.: *sin me madata.* — *Certa fui.* Premit poeta vestigia fabulae, qua Lemniades primum arcere Argonautas ab insula voluisse traduntur. Apollonius I., Stat. Theb. V., Val. Fl. II. Vid. Meziriac. lib. d. p. 67.

52. *Pellere castra manu. Domo* Vossii Excerpta et cod. lun.; sed nihil mutandum suadent sequentia. *Castra* vero hic recte Hubertinus classem interpretatur. Virg. Aen. IV, 604.

— faces in castra tulissem.

ubi vid. Serv. et nos ad Met. VII, 99. *Burm.*

53. *Nimium quoque.* Nam Lemniades paullo ante adventum Argonautarum, a Venere impulsae, viros omnes interfecerant; sola Hypsipyle patrem Thoanta clam navi impositum servarat. Vid. Apollod. I., Hyg. F. 15. et ibi Munker, Stat. Theb. V., Herodot. VI. c. 136.

54. *Milite — vita tuenda fuit. Fortuna tuenda* Put.; male. At in uno Voss. (et Francof.) pro diversa l. *ripa tuenda*, quod placet. Hoc enim omni studio Lemniades agebant, ut Argonautas litore prohiberent. De *vita* nullum certamen fuit. Caussam dedit loco interpolando, quod *ripam* pro *litore* nonnunquam sumi nesciret, quisquis *vitam ripa* supposuit. At Horat. Od. III, 26.

Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere ripas.
Burm.

55. *Urbe virum vidi.* Heins. ad h. v. et in Advers. I. c. 11.

Tertia messis erat, cum tu dare vela coactus
Implesti lacrimis talia verba tuis:
„Abstrahor, Hypsipyle; sed, dent modo fata recursus,
„Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero;
„Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
„Vivat, et eiusdem simus uterque parens.“

mutabat: *Urbe virum vidua,* quam coniecturam ingeniosam Burmannus vocat. Omnia sana: initio vos depellere constitueram, et habebam mulieres, quae viros vincere possent; sed tamen urbe te vidi et recepi etc.

56. Schroder Obss. Miscell. Vol. VI. T. II. p. 413. malebat: *Hic aestas tibi bis, bisque c. h.* Sed illud *bi bis bisque* meae certe aures non ferunt. LENN. *Currere* pro fugere, praeterire, de tempore. Vid. Forcell., et Miscell. Obss. T. V. p. 125. Conf. Epist. V, 57.

57. *Tertia etc.* Dubium mihi non est, quin haec scribens Ovidius suos secutus sit auctores, hodie deperditos. Ii vero, quos superstites habemus, omnes breviorem Argonautarum apud Lemnias commorationem faciunt. Hyg. F. 90., ibi cum *plures dies* retenti essent, ab Hercule obiurgatos discessisse narrat, nec aliter, quod ad sensum, Apollon. Rh. I, 860. Satis obscura sunt Valerii Flacc. II, 367. sqq. verba, quae Burmannus ad h. l. de IV mensibus, Meziriac. in lib. l. p. 68. de uno mense integro, Voss. ad Val. Flaccum l. c. de quatuor diebus, alii etiam aliter accipiunt. Longissimum tempus memorat Stat. Theb. V, 459., ad quem locum Scholiastes, *anno continuatae cohabitationis*, inquit, *finito ex Argonautis pepererunt Lemniades novam sobolem.* LENNEP. Consilio mutavit poeta fabulam; nimirum ut arctius cum illa Iasonem coniunctum fuisse significet, tempus commorationis de suo producit. Vid. ad Epist. I, 63. et II, 3. *Coactus,* Hercule maxime urgente. Hyg. F. 90.

58. *Tuis.* Malo *suis.* HEINS. Sed cur non *tuas lacrimas,* perfidas, tibi usitatas interpretari liceat, et ita codicum auctoritatem sequi? BURM. Ego quoque codd. scripturam sequendam puto, sed *tuis* accipiendum pro simplici pronom. possessivo: *lacrimans dixisti*; interpretatio enim Burmanni nimis longe repetita videtur.

59. *Sed — recursus.* Sic libri meliores; alii (etiam Ies.) *si dent modo fata recursum.* HEINS. Met. VI, 450.

— celeres spondere recursus.

IX, 593.

— neque habent mea vela recursus.

60. *Vir tuus.* Apollon. I, 892. fingit Iasonem non promisisse reditum, neque ergo connubium (?); sed petiisse, ut puerum natum sibi in Thessaliam mitteret. Minus certe amatorie. BURM.

Hactenus; — et lacrimis in falsa cadentibus ora
Cetera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo.
Illa volat, ventus concava vela tenet.
Caerula propulsae subducitur unda carinae;
Terra tibi, nobis adspiciuntur aquae.
In latus omne patens turris circumspicit undas:
Huc feror, et lacrimis osque sinusque madent;
Per lacrimas specto, cupidaeque faventia menti
Longius adsueto lumina nostra vident.
Addo preces castas immixtaque vota timori,
Nunc quoque te salvo persoluenda mihi.

63. *Cadentibus.* Sic omnes veteres editt. et plurimi codd., pro qua I. Burmannus ex uno Gottorph. recepit *fluentibus*, quam etiam cod. Trev. habet. Ac certe *cadentibus* vix defendi posset, nisi improprie sumi liceret. Sed *fluentibus* naturae rei accommodatissimum est, quod etiam melius quadrat ad v. sequentem: *Cetera te memini etc.*, ut vox quasi flumine lacrimarum obstruatur. Aliter certe se habent, quae pro *cadentibus* afferuntur Epist. XIV, 68. et Trist. III, 3, 41.

65. Atqui Apollon. I, 910. primum navem conscendisse canit, cui concinit Stat. Theb. V, 480.

— primoque ferit dux verbere pontum.

Sed illi magis solliciti videntur fuisse, ut bonum nobis ducem Iasonem, quam doctum amatorem exhiberent. At Ovidius aptius eum fingit ultimum in navem intrasse. Val. Fl., licet non expressis verbis dicat Iasonem ultimum conscendisse, haesisse tamen cum Castore et Polluce diutius reliquis Argonautis in amplexibus Lemniadum innuit II, 425. *Burm.* *Sacram.* Vid. ad v. 47.; et una tabula erat ex quercu Dodonaea. Vid. Lycophr. 1379., Apollod. I. *Argon* mei prope omnes. Vid. ad Epist. VII, 7. De Argo nave omnia fabulosa; Ovidius eos sequi auctores videtur, qui ab Argo aedificatore appellatam et Pagasis structam tradunt. Apollod. I., Hyg. F. 14., Mela II, 3., ibi Tzschuck., Metam. VII, 1. Vid. omnino Mezir. l. c.

68. *Adspiciuntur.* Scriv. et Mor. codd.: *prospiciuntur.*

70. *Osque sinusque.* Sic meliores libri, non *ora sinusque,* ut est in Naugerii et Bersmanni edd.

71. *Per lacrimas etc.* Argutatur poeta et acumina captat suo more.

73. *Addo.* Francof., Reg., Iun. et VII alii (etiam Trev.) *addo,* concinnius, ut mihi videtur; dicit enim se lacrimis addidisse preces et vota. Ita Epist. IV, 175. *Burm.* Recte, ut mihi videtur; narrat: *Huc*

Vota ego persolvam? Votis Medea fruetur?
Cor dolet, atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod Iasona perdam?
Hostia pro damnis concidet icta meis? —
Non equidem secura fui semperque verebar,
Ne pater Argolica sumeret urbe nurum.

feror...., per lacrimas specto..., addo preces etc. Addo, quod est sedatioris narrationis, aptius etiam ad sequentem affectum: *Vota ego persolvam?* De l. *o* in verbis correpta vid. ad Epist. XV, 32. *Castas,* ut uxor pro coniuge. Eodem fere modo infr. v. 134. *pudica.* Cod. Ies.: *immixtaque verba timore.*

75—78. Sic vulgo hic locus distinguitur. Iahn post *fruetur, perdam* et *meis* signum interrogandi delevit, ut sit cum acerbitate concedentis et affirmantis. Mihi multum praestare videtur vulgata, quae sic intelligenda: *Ego vota persolvam?* (Iam huic opponitur) *Votis Medea fruetur?* (Iam post vehementem illam interrogationem quasi sensum et statum animi sui describens dicit) *Cor dolet, atque ira mixtus abundat amor.* (Atque eleganter et cum summa veritate affectus iterum in interrogationem et exclamationem erumpit, qua notio versus 75. latius exponitur) *Dona feram templis — — — — icta meis?* (Nunc post aliquam quietem paullo sedatiore animo pergit) *Non equidem secura fui etc.* Exclamatio per tempus futurum hoc sensu Virg. Aen. II, 577.

Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho?
Coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?

Epist. VIII, 17., VII, 64., XI, 100., Remed. Am. 229. Pro futuro *fruetur* apud Burmannum et qui eum sequuti sunt, legitur *fruatur* et *concidat* pro *concidet;* sed prius nullam codicum auctoritatem habet, alterum paucissimorum, Put., Reg., Guelf. 3., 4. Idem Burmannus cum Heinsio ex Put. et Reg. v. 77. *perdo* scripsit pro *perdam,* quod sane locum habere potest (vid. ad Epist. II, 85.); sed codices requirunt, quod Iahn revocavit, *perdam.* Ad sensum conf. Tib. I, 5, 76. Gronov.: *Tura feram templis, vivum quoque Iasona perdam.* De *donis* vid. ad Epist. I, 27.

76. *Ira mixtus. Ira* codices fere omnes (et veteres edd.), non *irae* (ut margo Bersmanni). HEINS.

78. *Concidet. Concidere* et *cadere* proprie de victimis mactatis. Gierig. ad Metam. VII, 126.

79. *Non equidem secura fui; res enim,* ut supra vere poeta, *solliciti plena timoris amor.*

80. *Argolica.* Intellige *Thes-*

Argolicas timui; nocuit mihi barbara pellex:
Non exspectato vulnus ab hoste tuli.
Nec facie meritisque placet, sed carmina novit,
Diraque cantata pabula falce metit. —

salica, ab *Argo Pelasgico* in Thessalia. Plin. H. N. IV. c. 7.

81. *Argolicas. Argolidas* Put. Sic *Argolis Alcmene* Met. IX, 276. et *Argolides puppes* Rem. Amor. 735. Stat. Theb. II.

— casta matres cinxere corona
Argolides.

Vid., quae noto Epist. IX, 73. *Heins.*

Recentiores editores fere omnes cum Burmanno *Argolidas.* Sed rectum est, quod excepto Puteaneo omnes exhibent vetusti libri, *Argolicas,* quod et concinnitas, praecedente *Argolica,* postulat; neque constanter Ovidius de personis Graecas usurpavit verborum formas. Sic *Corycidae Nymphae* Metam. I, 320., et *Coryciae Nymphae* Epist. XX, 221., ubi plura de hac re; et Put. cod. fere ubique graecatur.

Barbara est Medea, Colchis; vid. infr. 106.

82. *Exspectato.* Unus Put. *exspectata* pro *exspectato.* Recte. *Heins.*

Sic *certa hostis* Art. Am. II, 461., *nova miles* Epist. XI, 48. Vid. Priscian. V. p. 651. et Gronov. ad Liv. XXX, 14. *Burm.* Nihil mutandum. Vid. ad Epist. V, 8.; et Epist. XII, 182. Medea (Creüsam respiciens):

Hostis Medeae nullus inultus erit.

83. *Carmina novit.* Olim lectionem vulgatam *carmine movit* ad sensum vix ferri posse putabam, quod sic sensus versus sequentis quasi praeoccupari, et poeta hoc potissimum dixisse videretur, non solum *carminibus,* sed etiam *malis herbis* Medeam *amantis animum movere,* quod etiamsi nunc non urgendum, et notionem *carmine movit* effectum herbarum excludere non putem, tamen nescio quomodo displicet illud praeteritum *movit* iuxta praesens *metit,* et tot verba eiusdem temporis, quae statim sequuntur. Trev. et Goth. 2.: *carmina movit,* et solemne est Ovidio aliisque poetis *movere verba, carmina* hoc sensu; Metam. XIV, 20.

At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen
Ore move sacro.

Conf. Virg. A. I, 261. et vid. Gierig ad Metam. dict. l., Heyn. ad Virg. d. l., Schirach in Clavi Ovid. in voce *movere,* et Bentlei. ad Hor. Od. III, 7, 20. Verum cadit in hanc scripturam, quod in illam; est enim praeteritum inter tot praesentia. Tertia est loci scriptura, quae Oudendorpio probata est et Ruhnkenio: *carmina novit,* quam, cum Ovidius in eadem re ita sit locutus, Amor. I, 8, 5.

Illa magas artes Aeaeaque carmina novit.

cumque sic illa temporum difficultas tollatur, atque eadem praeterea satis magnam habeat auctoritatem codicum; sic enim Iun., Lovan., Francof., Erfurt. et tres alii ex Heinsianis; his caussis et ductus etiam illorum

Illa reluctantem cursu deducere lunam
Nititur, et tenebris abdere solis equos;
Illa refrenat aquas obliquaque flumina sistit;
Illa loco silvas vivaque saxa movet;

hominum doctorum auctoritate in textum recepi. Sententia est generalis: Illa amantes non forma et meritis capit, sed arte magica. Totum autem locum sic accipiendum existimo, ut verbis *nec facie meritisque placet* proxime respondeant verba *carmina novit* et *pabula metit;* a quibus ad totum fere Medeae veneficium (85—94.) describendum quasi abripiatur. Recte etiam cum codd. et veteribus editt. Iahn dedit *meritisque*, pro *meritisve* quae scriptura inducta ab Heinsio est. Vid. Epist. II, 90., V, 143., Burm. ad Metam. III, 492. Neque si sensus particulam posceret disiunctivam; ne sic quidem particulam *que* moveri satis tutum esset. Vid. Voss. ad Virg. Georg. I, 442. *Carmina* sunt incantamenta, formulae magicae, *ἐπῳδαί*, ut saepe.

84. *Cantata pabula falce. Pabula*, herbae. Ex Met. VII, 227. et Virg. Aen. IV, 513. discimus has herbas magicas falce aenea ad lunam esse incisas. Vid. Heindorf. ad Hor. Sat. I, 8, 21. *Dirus* frequens rerum magicarum epitheton.

85. *Cursu.* Heinsius e tribus codicibus recepit *curru.* Quam quidem lectionem ita defendit, ut *Lunae* a poetis saepe *currum* tribui solere ostendat; velut a Tibull. I, 8, 21. qui locus etiam propter v. *deducere* memorabilis est:

Cantus et e curru Lunam deducere tentat,

ab Ovid. Metam. XV, 790., Senec. Hippol. 311., Virg. Aen. X, 215., Theocrit. XXII., XXV.; sed ea defensio non satis firma videtur; nam si poetas nonnunquam Lunae currum addidisse constat, hinc non efficitur et cogitur, Ovidium hoc loco quoque *curru* scripsisse. Cum Iahno revocavi *cursu.* Olim varietati *curru* aliquid momenti tribuebam propter concinnitatem, quae inde sententiae conciliaretur: *Lunam curru deducit* et *solis equos abdit tenebris*, quam rem nunc cum in re critica, tum inprimis apud Ovidium haud satis tutam existimo. De re huius loci, vim magicam Medeae dico, conf. Metam. VII, 180. sqq., in qua describenda ingenium suae aetatis expressisse intelligendum est. Locos similes ex hoc aliisque poetis ad Metam. l. dict. attulerunt Gier. et Iahn, Hor. Epod. V, 17., Sat. I, 8., Virg. Aen. IV, 504., Eclog. 13., Lucan. VI, 402., Ovid. Fast. V, 429., Amor. I. 8., Metam. XIV, 403., Prop. I, 1, 19., IV, 5, 13. Conf. Plin. H. N. XXX, 2., quibus adde Aristophan. Nub. v. 749. sqq. et vid. doctam de ea re not. I. H. Vossii ad Virg. Ecl. VIII, 69—71.

86. Pro *nititur* Waddel. Obss. Crit. p. 89. malebat *dicitur;* sed eam lectionem iure Kuinoel. frigidam dicit, quum praecesserit *reluctantem.* Ies.: *addere.*

87. *Obliquaque flumina.* Duo libri *fulmina.* Verum aliena hic

Per tumulos errat passis discincta capillis,
  Certaque de tepidis colligit ossa rogis;

mentio *fulminis* inter aquas et silvas et saxa. Obliqua flumina sunt decurrentia, prona. Sic Metam. I, 39. *Flumina declivia*, conf. IX, 17. et Remed. Am. 121.; *obliquus rivus* Horat. Od. II, 3.; *obliquus amnis* Lucan. I, 220. *Burm.*

88. *Vivaque saxa movet.* Codd. Voss., Scriv. et Gottorph., etiam Erf. habent *trahit*, quod malebat Heinsius, ut verbum magicum; sic enim dici Met. VII, 207., Senec. Hippol. 791. et Med. 684. al. Sed et omnino bene dicitur *loco movere*, Cic. de Divin. I, 35., Senec. de Vit. Beata 27., et de eadem re et de ipsa Medea Ovid. Metam. VII, 204.

> Vivaque saxa sua convulsaque robora terra
> Et silvas moveo —

Ceterum cum vi additum h. l. *viva*, ut supra *obliqua*.

89. *Passis.* Goth. 1., 2., Dresd., Trev., Giess., Guelf. 2., 3., 4., et nonnullae veteres editt. *sparsis*, quae si non est ipsius Ovidii scriptura, tamen loci rationi accommodatior est. Plus enim videntur esse *sparsi* capilli, quam *passi*, nempe non solum expansi, soluti, sed *turbati, disiecti*; et *passi* capilli magis lugentibus convenire videntur, ut adnotavit Burmann. ad Art. A. III, 709., et ad Liv. I, 13. Drakenb. et Gronov.; et ipse Ovidius de furentibus plerumque dicit *sparsis capillis*, velut Metam. VII, 257. *sparsis Medea capillis*, VIII, 108. *sparsis furibunda capillis*; idem est Art. A. III, 709. Atque cum ex XI nostris codd. VIII habeant *sparsis*, plus profecto, quam verisimile est, in permultis quoque aliis, si diligentius, quam ab Heinsio et Burmanno factum est, excutiantur, eandem scripturam repertum iri. *Passus* tamen capillus Canidiae, veneficae, dicitur Hor. Od. I, 8, 24., et de furente Ovidius Met. IV, 520.

> Exululat passisque fugit male sana capillis.

Sed ibi versu superiore *sparsus* alio sensu praecedit. Quid sit *passus*, docet Gell. N. A. XV, 15. les. etiam *sparsis*.

90. *Certaque colligit.* Put. *colligat*; *cunctaque ossa* Scriv. et Hafn.; *curtaque* suspicatur Gronov. Obss. Eccles. c. 5. Legebam aliquando *ustaque*, ut Tibull. I, 3., Lucan. VI, 533., Mort. Drus. 434.; *duraque* alter Ment. pro diversa lectione. *Heins.*

Nihil mutandum; non enim omnia ossa, licet minuta, utilia erant magicis artibus, sed praecipue calvae et praesegmina quaedam, ut iam Hubertinus vidit. (Schol. cod. Trev.: *certa, utpote de sene et iuvene et ossa de quibus inguis.*) *Colligit* non est movendum. Hor. Sat. I, 8, 22.

> — quin ossa legant herbasque nocentes.

Vid. de hoc instituto magarum Lindenbr. ad Ammian. XIX. fin. *Burm.* Art. Am. III, 187.

> Lana tot aut plures succos bibit: elige certos;
> Nam non conveniens omnibus omnis erit.

Devovet absentes, simulacraque cerea fingit,
Et miserum tenues in iecur urget acus;
Et, quae nescierim melius, male quaeritur herbis,
Moribus et forma conciliandus, amor. —
Hanc potes amplecti, thalamoque relictus in uno
Impavidus somno nocte silente frui?

Tepidis. Lucan. l. l.

Fumantes iuvenum cineres ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis.

Tibull. I, 2, 46.

— et tepido devocat ossa rogo.

91. *Fingit.* Put. *Figit.* Optime, ut de defixionibus magicis agatur; vidit id iam Salmasius. Sen. Herc. Oet.

— Hoc, inquit, magae
Dixere amorem posse defigi malo.

Paullo aliter Persius V, 16.

— ingenuo culpam defigere ludo,

tanquam aculeo tangere satiricis reprehensionibus. Plenius, quid hic velit, explicat Ovid. Amor. III, 7, 29.

Sagave punicea defixit nomina cera,
Et miserum tenues in iecur egit acus.

Ubi plura. *Heins.* Vulgata, quae est eadem, uno Puteaneo excepto, omnium codicum, proba, et simplicissimum atque expeditissimum habet sensum: *Devovet absentes* (sequuntur praecipuae devotionis ceremoniae) *et simulacra fingit*, sibi facit, *eaque acubus pungit.* De re Forcell. in v. defigo: Magae quos obligare veneficiis vellent (*devovere absentes*), eorum vel imagines cereas effingebant (*simulacra fing.*), vel nomina in cera notabant ferreoque stilo transfodiebant (*in iecur ac. urg.*). Addo, quidquid enim fieret simulacris, hoc pati credebant eos, quos cera repraesentabat. Vid. Virg. Ecl. 8, 80. ibique I. H. Voss. not. et quos hic laudat Theocr. 2, 18. et Horat. Sat. I, 8. Conf. Heins. ad Amor. l. l. Iahn etiam *fingit.*

93. *Et, quae n. m.* Alii scribunt:

Et quae nescierim: meliusne (al. meliusve) age quaeritur herbis etc.?

per interrogationem; alii: *melius mage;* ut sit *mage* dictum pro *magis, meliusque* adverbium cum *conciliandus* construatur. Sed nos Aldinam l. sequuti sumus, quae et simplicior et planior; ut sit sensus: *Et quae ego melius nescierim:* male (quod malum est) enim quaeritur herbis amor, qui moribus et forma conciliandus erat. *Micyll.* Plerique Heinsiani cum Puteaneo et mei prope omnes *mage.* Iahn ita distinguit:

Et quae nescierim melius: male quaeritur herbis etc.

96. *Frui.* Non damno hanc l.; sed nescio, an elegantior sit Argent. codicis l. *premi,* i. e., tam alte ac secure dormire, ac si nullum tibi a maga illa periculum immineret. Profundus enim somnus arguit abesse omnem timorem et sollicitudinem. *Burm.* Equidem securae voluptatis et quietis verbum *frui* unice accommodatum huic loco puto. Conf. et Ibid. 631. *Lenn.* Et sic veteres libri.

Scilicet ut tauros, ita te iuga ferre coëgit;
Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se facit, et titulo coniugis uxor obest.
Atque aliquis Peliae de partibus acta venenis
Imputat, et populum, qui sibi credat, habet:

98. *Angues.* Alludit ad draconem, velleris aurei custodem, quem Iason Medeae ope sopivit.

99. *Procerumque.* Reliquorum Argonautarum.

100. *Se facit.* In plurimis codd. et in nonnullis quoque vetustis editt. est *se facit;* aliae priscae editt. et nonnullae membranae Heinsii, etiam Putean., et ex meis Guelf. 1., 3., Goth. 1. exhibent *se favet,* quod Heinsius recepit et per omnes prope posteriores editiones manavit. Sed mihi restituendum videtur *se facit,* tum propter auctoritatem librorum, tum et maxime propter vim atque significationem; nam *adscribi se favet* magis est *gaudio ipsi est, non repugnat se adscribi.* Sed crimen ei obiicitur, ideoque studiose aliquid agere mali debet; *se facit adscribi* significat, ipsam crimen patrare, ut rerum a marito et proceribus gestarum partem sibi arroget, quo ducere etiam videtur, quod sequitur, *obest;* neque praeterea usus ille loquendi satis firmatus est exemplis vett. scriptorum; nam quod unum Heinsius ex Enn. Annal. XIII. attulit: *Matronae muros complent spectare faventes,* minimi certe ad h. l. scripturam constituendam est momenti; contra *facit* cum infinit. et vi, *efficit, curat,* frequentissimum est; vid. Bentl. ad Terent. Phorm. Prol. v. 6., et Forcellini Lex. i. v. *facere.*

Adscribi factis. Plin. Ep. IX, 13.: *Consule te, consule illos, an velitis adscribi facto, in quo ego comite non egeo etc.*

101. *Aliquis Peliae de partibus.* Recte *partes* dixit; nam populi altera pars favebat Peliae, altera Aesoni: vid. Valer. Flacc. I, 70. Sensus est: Atque aliquis de partibus tibi inimicis, quae a te acta sunt, (non virtuti tuae, sed) magicis artibus Medeae imputat.

103. *Sed Phasias Aeetine.* Dubitavi saepe, quae maxime probabilis esset lectio, an quam ipsi reliquimus, *filia Phasis Aëtae,* an quam alii substituere, *Phasias Aetae,* ut *Aetam* bissyllabum fecerint. Ego, ut contractionem illam, male etiam ab his scriptam, non hactenus legere memini, sic malim trisyllabum servare, ut diphthongus illa corripiatur sequenti vocali, quod et Graecis et Latinis est peculiare, in duabus scilicet dictionibus: cum una enim terminatur diphthongo, et subsequens a vocali incipit, corripitur diphthongus praecedens, natura alioqui longa; ut *insulae Ionio*, et *Ilio alto*, et *Pelio Ossam*, ne Graeca citem. Sed et in eadem dictione

„Non haec Aesonides, sed Phasias Aeetine
Aurea Phryxeae terga revellit ovis.“

Virgilius, cum dixit *sudibusque praeustis,* diphthongum corripuit, quod et Ov. Met. VII, 131. *Quos ubi viderunt praeacutae cuspidis hastas,* et Auson. Protrept. *Te praeeunte nepos.* Adde, quod vix legas *Aeetam* bissyllabum. Sic Egnatius, contra quem Naugerius: *Phasis Aeetae* nullo pacto legi potest, ut *Aeetae* prima corripiatur. Neque ulla est similitudo inter hoc, et *praeustum* Virgilii et *praeacutum* Ovidii. *Aeeta* est simplex, illa composita. Ac simplicis quidem nominis alicuius primam syllabam diphthongo longam corripi, quomodo fieri possit, non intelligo. In compositis ea ratione potest, qua diphthongi in ultima syllaba sequente vocali, ut *insulae Ionio in magno: prae* enim monosyllabam praepositionem finit diphthongus, et vocalis sequitur. Nec *Aeetam* bissyllabum est invenire. Ideo vel Ovidium hoc nomen ex trisyllabo in bissyllabum contraxisse dicendum est, vel fortasse *Phasias Aeetae* legendum. Quod et ex Planude quasi colligi potest, qui locum sic vertit: *Οὐ ταῦτ' Αἰσονίδης ἀλλ' ἡ Φάσιας Αἰήτου Θυγάτηρ.* Felicior Heinsius huius loci interpres, qui fere sic habet: Et Vossius Art. Gramm. II. c. XI. et libri quidam *Phasis Aeetae,* pessime. Aeeta enim trisyllabum est. Nam quod Ep. XII, 29. *pater Aeta Pelasgos,* et Met. VII, 170. *subiit pater Aeta relictus, τὸ pater* ex fide optimorum codd. delendum. In veterrimo Puteaneo pars posterior huius versus in litura cubabat, veteri lectione erasa, cuius tamen e vestigiis utcunque appareret scriptum primo fuisse *Phasias Aeetine.* Atque hanc esse genuinam Nasonis ipsius scripturam ausim affirmare, quam et Meziriacus Gallicis in has Epistolas notis, Salmasio suggerente, laudavit. *Aeetine* ut *Neptunine, Nereïne, Oceanine, Adrastine, Nonacrine, Evenine* et similia; quod etiam in nominibus obtinet civitatum: sic *Elephantine* in Aethiopia civitas, quam Vitruv. et Mela *Elephantidem;* insula Aethiopiae *Daphnis* Plinio et Ptolemaeo est *Daphnine.* Pari modo duo quoque patronymica coniunxit Met. VIII, 527. Ita *Inachis Acrisione* (Danaë) Virg. Eleg. ad Messal.; Orphei Argonauticis (Iason) *Θέσσαλος Αἰσωνίδης.* Medeam *Aeetinen* dixit Avienus Descript. Orb. v. 658. et 1226.
HEINS.

Phasias Medea etiam est Art. A. II, 382., nempe a Phaside, fluvio Colchidis. Strabo IX., Plin. VI.

104. *Revellit.* Sic meliores libri. Amor. III, 10.

Prima iugo tauros supponere colla coëgit,
Et veterem curvo dente revellit humum.

Frustra *revulsit* quidam codd.; ut et Met. VIII, 583., IX, 85., XII, 300. Atque ita locutos scriptores antiquos observant grammatici, quos inter Diomedes L. I. (Serv. ad Aen. IV.). Sic *revellit* pro *divulsit* non uno in loco in veteribus libris Me-

Non probat Alcimede mater tua — consule matrem —
Non pater, a gelido cui venit axe nurus.
Illa sibi a Tanai Scythiaeque paludibus udae
Quaerat et a patria Phasidis usque virum.

tamorphoseon, ut suis locis monebitur. Unus cod. Vatic. *refixit*. HEINS. *Phryxeae* a Phryxo, qui ariete, quo super mare Colchos fugerat, immolato, vellus auratum Marti dicavit et in fano eius affixit. Hyg. F. 12. coll. 22. et Apollodor. I. *Revellit* autem respondet voci *figere, affigere*, quae in hac re propria est. Sic Stat. Theb. XII.

— Patriis modo fixa revellunt
Arma diis.

105. *Alcimede, mater tua.* Hanc Hyg. 14. Clymeni filiam facit; alii Autolyco natam volunt; sunt tamen, qui Rhoeo vel Polymelam Iasoni matrem assignent. Apollod. I., Tzetz. Chiliad. VI, 96. HEINS. Vid. Munker ad Hyg. 14., Diod. IV, et Mezir. dicto l. p. 17. De sententia vid. Epist. V, 95.

106. Colchis ab Iolco sita est versus septemtrionem.

107. *A Tanai — udae.* Veteres editiones:

Illa sibi a Tanais Scythicaeque
paludibus udae.

Illa sibi Tanais potiores scripti. Nauger e codice: *a Tanai*, probante Micyllo, qui *s* ex verbo sequenti fluxisse dixit. Lege *Tanai.* Deinde maior pars librorum cum Puteaneo *Scythiaeque paludibus undae;* sed *Scythiae udae* restituendum, ut recte IV libri veteres; sic et Fast. II, 597. corrigendum *Tyberinides udae* pro *undae.* HEINS. Atque ita saepius praepositio primo nomine omittitur et posteriori additur, ut Metam. VII, 708.

Pectore Procris erat, Procris
semper in ore.

XII, 124.

Inde velut muro solidave a caute
repulsa est.

Vid. ad Epist. XVI, 141. et ad Epist. V, 106. Sed tamen in tanta obscuritate verae scripturae malui cum Naug., Micyll., veteribus editt. et Iahno scribere *a Tanai.* Giess.:

Illa sibi Scythiae Tanaisque paludibus undae.

108. De lectione, quae nunc vulgata est, *Phasidos*, malim sequi veteres libros. Mei codices prope omnes et vetustae editt.: *Phasidis.* Vid. supra ad v. 81. Tanais fluvius Scythiae est, hodie Don dictus, effluens in lacum Maeotidem. Plin. Hist. N. IV, 12., Mela I. Scythiae nomine veteres comprehendebant omnes terras septemtrionales incognitas.

A patria. Ian. Ulitius corrigebat: *a patrio Phasidos amne;* sed non opus. *Patria Phasidis* est fons, origo fluvii, ut Amor. III, 6, 40. de Nilo:

Qui patriam tantae tam bene
celat aquae.
BURM.

Patria autem Phasidis Moschici montes in Armenia. Plin. H. N. VI, 4., Eratosth. apud Schol. Apollon. II, 401.

109. *Aesonide.* Mei praeter duos: *Aesonides.*

Mobilis Aesonide vernaque incertior aura,
Cur tua polliciti pondere verba carent?
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde redisti:
Sim reducis coniux, sicut euntis eram.
Si te nobilitas generosaque nomina tangunt;
En ego Minoo nata Thoante feror;
Bacchus avus, Bacchi coniux redimita corona
Praeradiat stellis signa minora suis.

110. *Polliciti pondere. Pollicito pondere* codd. VIII, quod non est de nihilo; sic *polliciti iura tori* Epist. Cydipp., et Fast. III, 366. *pollicita fides.* Vid. ad Metam. XI, 107. *Heins.* Loci illi huic non sunt similes. Recte dicitur *fidem, torum* polliceri, hinc *pollicita fides, pollicitus torus;* sed quid est *polliceri pondus?* Retinui cum Heusingero aliisque *polliciti pondere.* Ex meis Goth., 1., 2.: *pollicito;* Erf.: *sollicito;* reliqui: *polliciti.*

111. *Vir non meus.* Sic Put. et IX alii; reliqui (etiam Giess., Gu. 1., 2., 3.) cum vulgata: *cur non meus inde redisti?* Nihil muta. Sic Epist. X.

Venimus huc ambo, cur non discedimus ambo?
Heins.

Mihi placet *vir non meus;* in ipsum enim retorquet, quae discedens promiserat (v. 60.):

Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero.

Et aptior haec scriptura videtur ad versum sequentem. Ep. XX, 227. et 228.

Appeteres talem vel non iurata maritum;
Iuratae vel non talis habendus erat.

114. *Feror.* Burmannus e Barthii membranis *precor* malebat, assentiente Schrodero Miscell. Obss. Vol. VI. T. II. p. 414. Sed *feror,* pro *omnium ore celebror,* propriam h. l. et elegantem vim habet. Ita coniugem alloquens Ovidius Trist. V, 14, 4.

Tu tamen ingenio clara ferere meo.

Cf. et Met. VII, 61., VIII, 486., (vid. ad Epist. II, 82.), Cic. de Orat. III, 56. Fugit verbi vis ut alios viros doctos, ita Marklandum ad Statii Silv. p. 241. *feror nata* idem hic esse scribentem ac *sum nata. Lenn. Minoo Thoante,* nempe Thoas, pater eius, filius fuit Ariadnae, Ariadne vero Minoem patrem habuit et Bacchum coniugem. Apollon. I., Stat. Theb. V., Diod. Sic. V. Vid. ad Epist. II, 79. De Ariadnes corona, quam Bacchus ipsi donaverat, inter astra relata Hyg. Astronom., Heyn. ad Virg. Georg. I, 222., Metam. VIII, 180. Secundum alios ipsa Ariadne in coelum relata; Prop. III, 15, 8. ubi vid. Broukhus., Epist. II, 80., Sen. Oedip. 498.; hoc loco et Fast. III, 511. ipsa et corona eius memoratur.

117. *Dos tibi.* Edd. Bersmanni et aliae *dos mihi;* sed arridet scriptura cod. Francof.: *Dos tibi Lemnos eat;* de quo verbo ad Valer. Flacc. IV, 217., v. Barth. ad Stat. VI. 548. *Burm.*

Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti;
Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi: gratare ambobus Iason;
Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.
Felix in numero quoque sum, prolemque gemellam
Pignora Lucina bina favente dedi.
Si quaeris, cui sint similes; cognosceris illis:
Fallere non norunt, cetera patris habent.

Idem probat Kuinoel; sed *insula Lemnos dos eat?!* idque repugnantibus codicibus! Cod. Gronov. *erat.* *Ingeniosa,* fructuosa; sic Fast. IV, 684. *ingeniosus ager.*

118. *Me quoque res tales inter.* Libri scripti Heinsii *Me quoque quod tales* vel *res tales.* Alias h. l. lectiones viri docti invenerunt: Meziriac. lib. I. allata Puteanei scriptura *Me quoque q.....lis* coniecit *Me res dotales;* Salmas.: *Me quoque dotales* pro *dotatas;* Heinsius: *Me quoque, quot tales, inter habere potes!;* Faber ad Lucret.: *Me quoque iam matres.* Sed vera est *res tales,* quam etiam VII ex meis tuentur, probata ea cum ab aliis tum a Lennepio, qui eam interpretatur: *res tales,* sc. colenti ingeniosas, fertiles, assentiente vel potius auctore Burmanno Secundo ad Propert. I, 8, 35. Eandem interpretationem dedit Heusinger atque iis quae proxime sequuntur magnopere suaderi dixit; etiam Gronov. Obss. IV. c. 15. Verum mihi nescio quomodo displicet illa de se ipsa praedicata fertilitas et numerus pluralis *res tales,* ubi una tantum *res* ingeniosa praecessit eaque loco *appositionis.* Hinc mihi melior videtur interpretatio Iahni, qui praeeunte Amare explicat: *res tales, tam praeclarae, sunt dos, nobilitas et generosa nomina.* Ceterum minus recte Burmannus Sec. dicto l. pro *etiam peperi* legi voluit *etenim.* Gravida sub discessum Iasonis Hypsipyle ei cognita (vid. 61. 62.) nunc *etiam* pepererat. *Ambobus,* tibi et mihi; vid. supr. v. 62. *Auctor,* ut Met. IX, 288.

122. *Lucina,* Graecis *Εἰλείθυια,* Iovis et Iunonis filia, dea parturientium est. Hesiod. Theog. 922., Hom. Iliad. XIX, 103., Donat. ad Terent. Andr. III, 1, 15., Apollodor. I., Servius ad Virg. Eclog. 4., et Varro de L. L. IV. Vid. Meziriac. lib. I. p. 116.

123. *Si quaeris.* *Quaeris* meliores, non *quaeras.* Ita pro *cognosceris* duo codd. *ignosceris.* Met. IV, 290.

Huius erat facies, in qua materque paterque
Cognosci posset.

Apul. Metam. V. *In hoc saltem cognoscam faciem tuam.* HEINS. Variant fere semper codices in hac formula *si quaeris* vel *si quaeras;* vid. Epist. IV, 119., XVI, 173., XX, 219., Met. III, 141. et alibi saepius. BURM. Vulgo *si quaeras* et *si quaeris* hoc interest, ut *si quaeras* di-

Legatos quos paene dedi pro matre ferendos;
Sed tenuit coeptas saeva noverca vias.
Medeam timui: plus est Medea noverca;
Medeae faciunt ad scelus omne manus.
Spargere quae fratris potuit lacerata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis?
Hanc tamen, o demens Colchisque ablate venenis,
Diceris Hypsipyles praeposuisse toro.

catur, si in animo dicentis est, *sed verisimile est te non quaerere,* vel *dubium est, an quaeras.* Verum, quum ea res plerumque in arbitrio scribentis sit, ultra quod codices exhibeant, de ea re statui nihil posse, facile apparet.

125. *Legatos.* Recte quidem Burmannus, repudiata veteri l. *legatos,* ex Scriv. et uno Reg. codice *Legatis* in textum recepit; male vero nexum verborum hunc constituit: Dedi fere ferendos legatis pro matre missis ad deprecandum: tanquam illud *pro matre* alio referri possit, quam ad ipsos parvulos, quorum mater erat Hypsipyle. *Ferendos pro matre* (sic enim haud dubie iungendum), id est, ut vel solo aspectu suo patrem, quamvis immemorem, admonerent matris et huic eum, si fieri posset, rursus reconciliarent. Lenn. Heusinger, Iahn, alii cum vulgata et codicibus *Legatos,* qua nihil integrius ac sanius: *Quos paene pro me* (nam h. e. *pro matre*) *legatos* (i. e. ut legati essent, legatorum apud te munere fungerentur, pro me deprecarentur) *ad te misi.* Pro *misi,* quia parvuli erant, ut adhuc ferendi essent, dicit *dedi, tradidi* (sc. ministris) *ferendos;* ut dicitur: *dare literas perferendas* sine dativo personae perferentis. In ipsa autem locutione *dare legatos ferendos,* quod Burmanno displicebat, mihi aliquid acuminis Ovidiani inesse videtur.

128. *Faciunt.* Recte Schol. cod. Trev.: conveniunt, paratae sunt. Epist. XVI, 189.

— tu cultu divite digna;
Ad talem formam non facit iste locus.

129. *Lacerata.* Burmannus et post eum multi alii editores ediderunt *laniata,* quae scriptura nescio unde sit profecta. Omnino cum omnibus vetustis libris scribendum *lacerata,* quod est in *frusta distracta,* propter voc. *spargere.* Ibide 533.

Aut lacer in silvis manibus spargare tuorum,
Sparsus ut est Thebis angue creatus avo.

Met. III, 522.

Mille lacer spargere locis. — *Fratris.* Medea dicitur Absyrtum fratrem, quem secum abduxerat, dilacerasse et membra eius in via dispersisse, ut, dum ipsa cum Iasone et Argonautis aufugeret, insequentem patrem moraretur. Vid. Trist. III, 9, 7., Epist. XII, 113., Cic. de N. D. III, 26., Apollod. I.; conf. tamen Hyg. 23. 26.

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo;
  Me tibi teque mihi taeda pudica dedit:
Prodidit illa patrem; rapui de caede Thoanta:
  Deseruit Colchos; me mea Lemnos habet.
Quid refert, scelerata piam si vincit et ipso
  Crimine dotata est emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iason:
  Quaelibet iratis ipse dat arma dolor.

131. *Ablate.* Unus Reg.: *Hanc o tu demens;* multi quoque: *Colchis ablate*; alii *oblate, oblite.* Nihil muto; *ablatus* eleganter dictum pro in diversum a pristina sententia et amore deducto, alienato. Infra 150. Vid. Flor. II, 6., Cic. ad Fam. II, 7., Senec. Agamemn. 275. *Burm.* Vid. etiam Gronov. ad Liv. XXXV, 2., Quint. VIII, 3., Sil. Ital. VI, 256., quae attulit Kuinoel.

133. *Adultera virgo.* In multis codd. Heinsii *adultera certe,* in quibusdam *certe est,* ut Epist. V, 125., quod facile est divinatu unde fluxerit. *Virginem adulteram* dici probat Grot. ad Matth. V, 27., et *cognoscere* tam de feminis, quam de viris, ad Matth. I, 23. *Burm.*

134. *Pudica.* H. e. nuptialis, et opponitur illi *turpiter,* q. e. cum turpitudine.

135. *Prodidit illa patrem,* data tibi ope fatis eum obiiciens. Nam responsum ei erat, tamdiu eum regnum habiturum, quamdiu pellis illa, quam Phryxus consecraverat, in fano Martis esset. Hyg. F. 22. *Rapui.* Vid. ad v. 53.

136. *Deseruit* patriam suam, Iasonem nimirum secuta. Ceterum libri omnes *Colchos,* non *Colchon,* idque recte; *Colchos* enim non dicitur, sed *Colchi.* Ita noster semper. Epist. XII, 23., XVIII, 157., XIX, 175.; Ammian. Marcell. XXII. *Phasis fremebundis cursibus Colchos attingit.* *Heins.*

137. *Quid refert? Referat* Put. Vulgata *referam;* sed verum est, quod ex suis profert Nauger. (Gu. 2., 3., Dresd. confirmant): *Quid refert. Vincet* etiam meliores. Epist. XVI, 213.

> Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?

Eodem modo Metam. XIII, 268., Fast. III, 495., Stat. Theb. X, 793. *Heins.* *Quid refert,* h. e. *interest,* ironice dictum, *si scelerata illa me piam vincit et pro dote, opibus* (v. 117.), *proditione dotata est?* Cum vi et eleganter. Ita Iustin. I. c. 7. *Uxor mariti sanguine dotata regnum viri et se pariter adultero tradidit.* *Burm.*

138. *Emeruitque. Demeruitque* Sarrav. cum IV aliis; sed *emeruisse* pro *demeruisse* simili significatu legitur Amor. II, 8, 24.

> Unum est e dominis emeruisse satis.

Trist. IV, 8, 52. *Heins.* Vid. Forcell. in v.

140. *Quaelibet.* Alii libri (etiam Leod.): *Quodlibet ad facinus,*

Dic age, si ventis, ut oportuit, actus iniquis
 Intrasses portus tuque comesque meos,
Obviaque exissem fetu comitata gemello;
 (Hiscere nempe tibi terra roganda foret.)

vel *quaelibet ad facinus;* sed rectum est Puteanei: *Quamlibet iratis.* Qui loquendi modus unice in deliciis est Nasoni.
Heins.

Miror Heinsio et Burmanno placuisse *Quamlibet iratis. Quamlibet* enim hoc etiam loco nihil aliud significare potest, nisi *quamvis.* At vide, quam bella hinc sententia existat: *Dolor ipse arma dat, quamvis iratis.* Nonne hoc idem est, ac si dicas: *Vinum homines titubare facit, quamvis ebrios: hieme algeo, quamvis nudus.* Immo omnium maxime iratos ad sumenda arma impellit dolor, atque ut eleganter alio loco (Amor. I, 7, 66.) Ovidius dixit, *Quamlibet infirmas adiuvat ira manus.* Sed omnino retinenda erat vetus huius loci lectio, *Quaelibet iratis;* ex cuius glossa profectam puto alteram quorumdam codd. lectionem: *Quodlibet ad facinus.* Notat enim *quaelibet* h. l. *quantumvis impia, scelerata,* ut est *quolibet* pro *quodlibet ad facinus* Art. A. II, 549.

Mene palam nostrae det quisquam signa puellae?
 Et patiar, nec me quolibet ira ferat?
Lenn.

Eandem l. tuetur Kuinoel. *Quamlibet* pro *quamvis, quanquam* et particula concessiva, ut accipi posse putabat Lennepianae editionis censor Heidelbergensis, non Ovidianae videtur Latinitatis, atque ipsa interpretatio, quam proponit, contorta est et longe repetita: *Damno potius illud, quamlibet, si rem acrius inspiciam, ne damnandum quidem simpliciter illud videatur, cum doloris ea sit natura, ut ipse iratis arma det, i. e., eos ad vindictam etiam invitos excitet.* Fr. Heusinger coniecit: *Quamlibet infirmis* vel *invalidis;* Conr. Heusinger edidit: *Quamlibet invitis.* Quod est in uno Heinsii et in uno et altero ex meis *furor* pro *dolor,* ut recte adnotat Kuinoel, glossema redolet.

142. *Comesque.* Medea.

143. *Comitata. Comitante* Put. et nonnulli alii; frustra. Epist. XVI, 113., Fast. II, 463., III, 603. *Solo comitatus Achate,* Fast. IV, 425. et alibi. *Heins.*

144. *Hiscere nempe.* Scripti fere omnes *nempe,* non *nonne.*
Heins.

Heusinger in editione sua dedit: *Hiscere nonne.....fuit;* Iahn *nempe—foret* cum signo interrogandi. Sed l. *fuit* omnino repugnat auctoritati vetustorum libb., et sententia *foret* et *fuit* nihil discrepant. Vid. ad Epist. X, 112. *Nempe* vindicant iidem codices, nam qui *nonne* tuentur, sunt admodum pauci. Quod autem Iahn signum interrogandi induxit, et illud novatio est, ut mihi videtur, non necessaria, neque ea sensus iuvatur, immo impeditior fit et simplicitate privatur, quum sic semel *coniiciens,* et deinde

Quo vultu natos, quo me, scelerate, videres?
  Perfide, quo pretio, qua nece dignus eras?
Ipse quidem per me tutus sospesque fuisses,
  Non quia tu dignus, sed quia mitis ego:
Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus,
  Quosque veneficiis abstulit illa suis;
Medeae Medea forem. — Quod si quid ab alto
  Iustus adest votis Iupiter ipse meis,

(v. 145. et 146.) *simpliciter* interroget. Mihi unice probatur, qualem hunc versum Burmannus constituit, parenthesis, ut hic versus sequentium interrogationem cum vi quadam quasi praeparet atque introducat, aut ut Hypsipyle inter protasin (141—143.) et apodosin (145. 146.) ad affectum abripiatur. Vid. ad Epist. VII, 146. Conf. Epist. I, 68., VI, 76. Vid. etiam Epist. XX, 94. Fast. II, 667.

Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
  Cuncta Iovi cessit turba locumque dedit.

Tibull. II, 3, 27.

Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho?
  Nempe Amor in parva te iubet esse casa.

Metam. XIII, 93., Trist. III, 4, 21.

Quid fuit, ut tutas agitarit Daedalus alas:
  Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat.

145. *Quo vultu.* Hor. Epist. I, 6, 8.

Quo spectanda modo, *quo* sensu credis et *ore?*

146. *Perfide, quo pretio. Perfidiae pretio* Put. et Scaligeri Excerpta; optime, ut et parens meus (Dan. Heins.) in notis ad h. l., et postea Salmasius de Usur. c. II. restituerunt. Multus est passim in hac locutione Naso. Sic Epist. VII, 74.

Grande morae pretium tuta futura via est.

Epist. XIV, 129., XVIII, 163. *Heins.*
Eras ut *foret*, *videres* coniungendum cum *intrasses* et *obvia exissem*; *dignus eras* igitur pro *dignus esses*. *Pretium* etiam in malam partem sumi docet Ruhnken. ad Terent. Andr. III, 5, 4.

147. *Per me. Per te* Put. *Heins.* Alii *pro me,* sed nihil muta: quantum in me esset, tu tutus fuisses. *Burm.*

150. *Suis.* Lincoln. *tuos;* sed glossa videtur; sensus enim est: Sanguine Medeae et *meos* conspersissem vultus et *tuos*, quos veneficiis suis cepit et a me abalienavit. Contra Medeam Medeae saevitia usus essem.

151. *Si quid.* Pro *si quis ab alto iustus adest* scripti plerique cum priscis editt.: *si quid ab alto iustus adest.* Venuste et vere: nisi quod in Put.: *si quod.* Illud *quid* eleganter redundat. Enn. apud Lactant. de Fals. Relig. I. c. 14.; Fast. *Pacando si quid vacas*; Ammian. XXII. *Si quid te laesum existi-*

Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nostri
Moereat et leges sentiat ipsa suas;
Utque ego destituor coniux materque duorum,
A totidem natis orba sit aque viro;

mas, si quid annuis. (De quo usu voc. *quid* vid. Ruhnk. ad Terent. Andr. IV, 1, 18. et Drakenb. ad Liv. III, 48. *L.*) Deinde *Iustus ades* pro *adest* vel sine libris scribendum videtur, ut Iovem alloquatur. Deinde *Iupiter ille* a Nasonis manu esse opinor, etsi pro recepta l. stantibus membranis. Fragm. Corn. Nep. *Nec ille sinat Iupiter; sic Iupiter ille monebat* Virg. Aen. VII, 110. ubi pluribus hunc loquendi modum illustravimus. *Heins. Ab alto* est *ex alto* sc. coelo. Art. A. I, 633.

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Ades precibus editt. Venet., Colin. et Bersm. Trist. III, 1, 78.

— ades voto, maxime dive, meo.

Burm.

Ille praepropera ac minime necessaria coniectura est. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. dict. loc. Nec movenda scriptura praeter Helmst. omnium codicum *adest.* Sensus autem est: Quod si quid (qua in re) Iupiter (cum vi) *ipse* ab alto votis meis iustus adest, me exaudit: moereat et sentiat etc. *Si* ut saepe affirmantis est.

153. *Subnuba.* Vetus lectio *subnuba nostri.* *Nauger.* Glossae H.Steph. *Παλλακή, concubina, succuba, pellex.* Papias: *succuba, pellex, amica a succumbendo, latenter iacendo.* Tamen Puteaneo et melioribus accedo, in quibus *subnuba.* *Subnuba* ut *pronuba, innuba* et similia. *Heins.* De *succuba* vid. Forcell. *Subnuba* etiam plurimi et optimi ex meis. Sed vid. Munker ad Hyg. Fab. 177.

154. *Sentiat.* Heinsius ex Voss. et altero Mentel. scribendum censebat, quod in plurimis recentioribus editt. exstat: *sanciat;* collat. Lucan. VII, 351. et Liv. XXIII. *Iam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam Rom. foedus.* Sed si considero omnes prope libros in l. *sentiat* consentire, et Ovidium eiusmodi epexegeses, ut *moereat et leges suas sentiat,* adamare, quod olim vulgatum cum Iahno videtur restituendum, praesertim cum non adsit abl. rei, qua *sanciat,* ut locis illis ab Heinsio allatis, et versus 155. 156. eam scripturam confirmare videantur; accedit, ut Ovidius eius verbi usum hac significatione in deliciis habeat. Art. A. III, 593.

Postmodo rivalem partitaque foedera lecti
Sentiat.

Epist. IX, 46., Fast. II, 135., Trist. III, 8, 14., II, 229., Metam. XV, 823. et sic passim. Vid. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 7, 10. Eodem sensu, sed aliis verbis Tibull. I, 6, 10.

Nunc premor arte mea —

nam *sentire* fere est, damno suo experiri.

155. *Duorum.* Eunei et Nebrophoni Apollod. I. Euneus et Deiphilus apud Hyg. F. 15.

Nec male parta diu teneat peiusque relinquat;
  Exsulet et toto quaerat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit miseroque parenti
  Filia, tam natis, tam sit acerba viro.
Cum mare, cum terras consumserit, aëra tentet;
  Erret inops, exspes, caede cruenta sua.

et 273. Scholiastes vero Pindari in Argument. Nemeaeorum Euneum et Thoanta vocat; et sic etiam Stat. Theb. V. *Amar.* Vid., unde haec sumta sunt, Meziriac. lib. laud. p. 114.

156. *A totidem.* Felicissime hunc locum considerat I. C. Scaliger in Critico, cuius verba haec sunt: *Ovidianae Hypsipyles clara admodum imprecatio est; quae neque tumida, neque vulgaris, ac tam rotunda, ut tam brevi gyro, tam composita apud multos excellentes possimus desiderare.* Vid. et Schol. in lib. Trist. *Ciof.* Putean. et reliqui plerique: *illa viro;* vulg.: *atque viro,* quod omnino verum videtur. *Orbus ab* licet insolentius, tamen Cic. pro Flacco: *orba ab optimatibus concio. Heins.* In Douzae codice *Cum totidem natis.* Ego legendum censeo:

A totidem natis orba sit, aque viro.

Locus ille Cic. est c. 23. ubi vid. Sylvius. *Burm.* Confirmant eam Burmanni lectionem pauci Heinsiani, et ex nostris Goth. 2., Erf., Dresd., atque ut videtur, Helmstad. *Aque* est etiam Pont. I, 9.

157. *Peiusque relinquat. Relicta* Ambros. et Excerpta Iureti; eadem Excerpt. Iur. et unus Patav. *poenisque; poenisque relinquat* legendum censebat Schroder Obss. Miscell. Vol. VI. Tom. II. p. 414. Sed ut recte adnotavit Lennep, allusisse videtur noster ad notissimum illud, quod ut veteris poetae laudat Cic. Phil. II, 27., *male parta male dilabuntur.*

158. *Quaerat—fugam.* Durius dictum, *quaerere: petere fugam* pro *fugere* novimus. Quare forte non reiicienda Vat. unius lectio *fidem,* ut nusquam *fidem,* at ubique perfidiam inventuram imprecetur; nisi *quaerat fugam* dictum quis velit, ut *petere fugam,* de quo Davis. ad I. Caes. Bell. G. II., 24., et *petere viam,* Gronov. ad Liv. XLII, 3.; nam et hic unus Strozzae habebat: *quaerat in orbe viam. Burm. Fugam,* quo fugere possit.

159. *Fratri.* Vid. supra ad v. 129.

161. *Consumserit.* Eleganter, cum frustra in iis refugium quaesierit. *Aëra tentet.* Innuere videtur poeta, quod Medea draconibus vecta Corintho Athenisque fugerit. Vid. Diod. Sic. IV. c. 54. 55., Hyg. F. 26.

162. *Erret inops, exspes.* Multi scripti: *Erret inops mentis.* Male. Ita Met. XIV, 217.

Solus, inops, exspes, letho poenisque relictus.

In Ibide 111.

Exul, inops, erres etc.

In Leidensi erat adscriptum alterum pentametrum:

Haec ego coniugio fraudata Thoantias oro;
Vivite devoto nuptaque virque toro.

Et fugiat natis ipsa cruenta suis. Douzae cod. habebat *Erret inops mortis.* BURM. *Exspes* est Horat. Art. P. 20.

164. *Devoto.* Diris, exsecrationibus a me onerato. Scite et eleganter poeta ea, quae facta erant, Hypsipylen Medeae imprecantem facit. Vid. Epist. XII.



EPISTOLA VII.

DIDO AENEAE.

Troia a Graecis capta atque incensa Aeneas, Veneris et Anchisae filius, iussu deorum Anchise patre et Ascanio filio et diis penatibus ex incendio ereptis fugit, et cum magno sociorum numero conscensis navibus mare ingressus est novas sedes quaesiturus. Post longas autem et multas ambages et errores tandem in Libyam tempestate delatus est, ubi tum Dido, Tyro profecta, fratris Pygmalionis saevitiam fugiens, novam urbem, Carthaginem, moliebatur; a qua cum sociis suis liberaliter acceptus et amatus est. Quum autem deinde iussu Iovis in Italiam fatis ipsi promissam navigare pararet neglectoque hospitae amore iam vela dare videretur, Dido prope desperans, eum adhuc revocari posse, et certa, ni moveatur, mori, postremum ad eum verba facit, et hanc ei scribit Epistolam. — Quod ad res et argumentum, fere tota pendet e Virgilii Aeneide. Conf. Iustin. XVIII, 4., Vellei. Pat. I, 6., Ovid. Metam. XIV.

Sic, ubi fata vocant, udis abiectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

Liber Reg. et Excerpta Puteani cum codd. Lovan., Erfurt. et Goth. 2. hoc distichon huic Epistolae praefigunt:

Accipe, Dardanide, moriturae carmen Elissae;
Quae legis, a nobis ultima verba legis.

de quo Micyllus: Ab similitudine: *Sic, ubi fata etc.* plerique Epistolam hanc ordiuntur, ellipsin ac praecisionem istam affectui tribuentes. Ceterum quia partic. *sic* vulgo sententiam aliquam postulat, cui vel inferatur vel adaptetur; deinde et similitudinem absque collatione poni, ita ut neque epilogi neque epiphonematis vicem sustineat, non ita usitatum est: curiosus quispiam rei mederi volens, versiculos a principio alios duos adiecit, quibus similitudo ipsa inferretur, et quod affectus caussa omissum a poeta erat, perfectum ac plenum redderetur. Quanquam igitur ipsi versus tolerabiles sunt, et cum iis, quibus praemissi sunt, non male cohaerent; quia tamen a doctis tanquam adulterini notantur, nos quoque eosdem ab aliis separavimus. Haec Micyllus. Et profecto, ne de veterum librorum auctoritate dicam, multo verisimilius est, addidisse librarium vel quemvis alium sciolum hos versus ut in sententiae ratione tam nova atque insolita, quam vulgarem sententiarum nexum

Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
  Alloquor; adverso movimus ista deo;
Sed merita et famam corpusque animumque pudicum
  Cum male perdiderim, perdere verba leve est.

praecidisse, et parum consentanei sunt versibus 4. et 5. et inprimis voci *prece.*

2. *Maeandri.* Maeander fluvius Phrygiae, qui ita sinuosos habet flexus, ut saepe videatur reverti. Plin. H. N. V, 29. Conf. Epist. IX, 55., Metam. VIII, 162. Iique flexus apud veteres ita pervulgati fuerunt, ut in proverbium cesserint et omnes obliquitates, item omnes ambages et obliqua et vafra consilia *Maeandri* dicta sint. Exempla exstant ap. Forcell. in v. *Ad Maeandri vada* autem potissimum dicit poeta, quia in eo Asiae tractu frequentissimi cygni erant. Vid. Gierig. ad Metam. II, 252. De cygnorum cantu in ipso mortis momento omnia protrita. Vid., si operae pretium est, Metam. l. l. et XIV, 430. Vid. etiam Rath ad Cic. Tusc. Disput. I, 30., Hyg. F. 154., Aelian. V. H. I, 14., Plin. H. N. X, 23. et Athenae. IX, 11.

4. *Adverso movimus. Novimus* Put. cum aliis nonnullis; Basil. *vois;* scribe *vovimus* (et sic est in Dresd.). Sed et *averso deo* corrigendum; sic enim loquebantur (ut Horat. Od. III, 23., Epod. 10., Ov. Amor. III, 12, 17.), h. e. *non audiente.* HEINS. Nos tamen contra libros meliores hoc loco nihil movemus; et *movimus* retinuimus, quod melius illi *alloquor* convenit. *Movere* enim de scriptione, epistola et sermone recte dicitur. Vid. Art. A. I, 29. (vid. etiam ad Epist. VI, 83.); et *deos* tam *adversos,* quam *aversos* recte dici scimus, licet librarii perpetuo fere commutarint. Vid. Gronov. ad Senec. Med. 10. *Aversi* proprie dii, si excedere ex templis, destituere loca ante amata inducuntur; *adversi,* ubi inimica mente, iniqui, irati, contrarii sunt. BURM. *Deus* hic videtur esse *Amor.*

5. *Merita et famam.* Vulgata et plurimi codd.: *meriti famam;* Gottorph. et alter Ment.: *meritam;* unus Mediceus: *merita;* Put.: *merite.* Scribe: *Sed merita et famam. Merita* vocat beneficia in ingratum Aenean collata. Sic Auson. Parental. *merita et famam* coniunxit; Epist. XV, 188.

Et forma et meritis tu mihi Phoebus eris.

ubi *et formae meritis* similiter legebatur. Qua elisione literarum saepe peccatum. Sic Medic. Fac.: *Addite de querulo,* pro *Adiice et e querulo.* Vid. ad Art. A. I, 225. et 397. et Epist. Sab. III. fin. HEINS.

6. *Perdiderim.* Patav. *perdideris,* ut generalis sit sententia, ut Epist. V, 7. *Male,* Schol. cod. Trev.: *ad malum meum.* — *Perdere verba* est inutiliter insumere, ut Trist. I, 2, 13.

Verba miser frustra non proficientia perdo.
BURM.

7. *Dido.* Et hoc loco et v.

Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido,
  Atque ìdem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves,
  Quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi;
Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
  Moenia, nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis, facienda petis; quaerenda per orbem
  Altera, quaesita est altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
  Quis sua non notis arva tenenda dabit?

133. codices mei omnes *Didon;* atque inde coniicere licet, quid plurimi habeant reliqui. Etiam Burmannus multos testatur codices exhibere *Didon*. Eodem modo Epist. XV, 217. multi vetusti libri *Sapphon;* Epist. VI, 65. et XII, 9. *Argon;* Amor. II, 16, 31. *Heron*. Accus. *Dido* est ap. Vellei. Pat. I. c. 6., *Didun* apud Charis. p. 102. Vid. Leop. Schneider Gramm. Lat. Vol. II. p. 300. Heusinger formam *Didon* defendit his verbis: „Quum a rectis *Ἀργὼ, Διδὼ, Σαπφὼ, Καλυψὼ* Dores atque Aeoles accusandi casu *Ἀργῶν, Διδῶν* etc. dixerint, Latinos ea forma servata horum ac similium nominum accus. syllaba *on* producta interdum terminasse, haud incredibile est.“

8. *Idem venti etc.* Vid. ad Epist. II, 25.

11. *Crescentia. Surgentia moenia* codex Regius, quod rectius puto. Horat. Od. III, 3., Ov. Fast. I, 523., Virg. Aen. I, 366., ubi vid. Cerda. *Heins.* Sed aeque bonum videtur *crescentia.* Ovid. Metam. XV, 451.

— cognataque moenia laetor
Crescere —

ibidem XI, 199. sqq.; et conf. vv. dd. ad Sil. Ital. XIV, 309. *Lenn.*

Pro *nova Carthago* Lov., Erf., et a man. sec. Trev.: *mea.* Sed *nova* verum censeo propter libros, et respondet voci *crescentia;* non enim cum Burmanno Ovidium ita existimo curiosum *etymologiae* fuisse, ut eum fortasse ad *etymon Carthaginis,* quae lingua Phoenicia *novam urbem* notet, respexisse putem.

12. *Summa*, est *summa rerum*, imperii, atque, ut saepe, ex contextu loci explicandum. Sic Propert. III, 7, 11.

In Veneris tabula summam sibi
ponit Apelles.

Plaut. Trucul. IV, 2.

Solus summam habet hic apud nos.

XI codd. apud Burmannum, item Goth. 1., Gu. 4., Giess.: *regna;* Moreti: *credita regna;* Put.: *sceptrum.*

13. *Facienda.* Haec est lectio veterum librorum; vere. *Ciof.*

Fugienda Aldina 1502. et Venn., ut et codices plurimi. *Burm.* Trev. *facienda,* quae l. praeter libros a *quaerenda* et *quaesita* satis firmitatis habet.

16. *Arva tenenda. Regna te-*

Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido,
  Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
  Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur;
  Unde tibi, quae te sic amet, uxor erit?

nenda tres libri; *arva colenda* unus Vaticanus, et alter Ment.: *tuenda*. Nihil muta; *tenenda* enim proprium verbum regum, ut notissimum. Praeterea *tenere* convenit praecedenti verbo *habere*, cuius eadem vis est. Vid. infr. 163. Metam. I, 197.

— qui vos habeoque regoque.

et ita centies noster et alii. *Burm.*

Sensus est: Finge, id tibi contingere, ut terram, quam sequeris, invenias, ne sic quidem voti tui compos eris; quis enim eam etc.

17. *Alter habendus etc.* Vid. var. lectt. in fine huius libri.

18. *Quamque iterum fallas.* Recte scripti *quamque*, non *quaque*. *Fallere fidem* pro *violare* non praestando, quae praestanda sunt; nihil magis obvium apud bonos auctores. Fast. IV, 227. *Heins.* Conf. Epist. XVI, 284.

21. *Omnia ut eveniant.* Vulgo: *Omnia si veniant.* Put. et quidam ex melioribus codd. (etiam Goth. 1., Guelf. 3. et a sec. m. Trev.): *Omnia ut eveniant.* Recte; qui error ex elisione vocalium profluxit. Pro *vota* multi *facta*, quidam *ficta*; fortasse: *nec te tibi ficta morentur.* *Heins.*

De illo *ut* conf. infr. 146., Remed. A. 229., Metam. VI, 195.

Nec te tua vota morentur. Sic vulgo legitur. Sed ut saepe dicitur aliquis *alicuius vota morari* (quemadmodum Epist. XVIII, 5.

Sed non sunt faciles; nam cur
  mea vota morantur?

Epist. XIX, 95.

Non ego tam ventos timeo, mea
  vota morantes.

Metam. VIII, 71.

— solus mea vota moratur.

i. e. obstat, quominus optata re potiar); ita prorsus insolens dictio est, *morantur aliquem sua vota*, ad quam h. l. offensus etiam Heinsius legendum coniiciebat: *nec te tibi ficta morentur*. Ego leniori mutatione, ad exemplum loci supra ex Epist. XVIII. citati, refingendum et hic duxi: *nec di tua vota morentur;* utrum bene, iudicium esto penes eruditos. *Lenn.*

Censor Lennepianae editionis, Hand, hanc Lennepii coniecturam improbans, vulgatam ita tuetur, ut *vota* accipiendum moneat pro *vota solvenda* (*die zu leistenden Gelübde*) et sensus sit: *Omnia tibi ut eveniant, nec te amplius vota diis* (ob impetrata) *persolvenda detineant, occupatum teneant*, h. e., *et ipsa quoque vota persolveris, ut ad fruendum bonis tuis liber possis accedere.* Quae quidem interpretatio mihi paullo videtur curiosior. Mihi locus sic accipiendus videtur, ut paullo

Uror ut inducto ceratae sulfure taedae;
  Ut pia fumosis addita tura rogis:
Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret;
  Aenean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus,
  Et quo, si non sim stulta, carere velim.

audacius dictus sit pro *nec tu in votis tuis amplius impediaris.*

23—26. Alii notarunt in aliis codd. legi:

> Uror ut inducto ceratae sulfure taedae,
> Ut pia fumosis addita tura focis.
> Aeneasque oculis semper vigilantibus haeret,
> Aeneamque animo noxque diesque refert.
> *Dan. Heins.*

Post versum 23. in uno Vatic. a veteri glossario notatum est, legisse se in veteri textu hoc distichon:

> Ut pia — — — — rogis.
> Aeneas oculis vigilantis semper inhaerens.
> *Ciof.*

Hunc et sequentem versum (24. 25.) a vulgatis libris exulantes adieci ex auctoritate optimarum membranarum, et sunt elegantes nec Ovidio indigni. Invenerat etiam eos in suis codd. Andr. Schottus, ut Obss. eius II. c. 53. testantur. Micyllus eosdem quoque agnoscit. (Item codd. Erfurt., duo Leodd., Giess., Helmst.; Trev. eosdem in margine habet cum glossa: *Quidam habent hos versus, sed non sunt de libro.*) In Sarraviano et plurimis erat *tura rogis;* sed Gronov. et Basil. recte *focis.* Amor. III, 3, 33.

> Et quisquam pia tura focis imponere curet.

Epist. XXI, 34., Nuc. 178.

> Nostraque fumosis urite membra focis.

Vid. Epist. II, 18. Sed et in *rogis* tus crematum ostendi posset ex Stat. Silv. IV. Epiced. Glaucae et Virg. A. VI, 224. *Heins.*

Vigilantibus haeret Micyllus; sed *vigilantis inhaeret* rectum. Vid. Epist. II, 91. Ac sic etiam cod. Trev. In codice Victorino hi versus post v. 32. et inverso ordine exstant. Leodd. et Vatic.: *vigilantis semper,* et Vatic.: *inhaerens.*

Taedae. Taedae saepe cera obducebantur et sulfure tinguebantur. Vid. I. H. Voss. ad Virg. Georg. I, 294. et II, 431., Ovid. Metam. III, 373. Conf. Epist. XII, 34. Burmannus vult h. l. intelligi *facem lustralem,* de qua vid. ad Epist. XII, 31.; sed in ipsis quidem verbis nihil inest, quod eo necessario ducat, nisi quod versus sequens de sacris est. Ceterum eadem comparatio est Met. III, 373.

26. *Aenean.* Sic meliores codd. pro vulgata *Aeneamque,* et sic Graeco more etiam infra ac passim alibi in optimis libris legitur. *Heins.* Art. A. II, 348.

> Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Leodd.: *nocte dieque.* De re conf. Virg. Aen. IV, 3. et 83.

27. *Male gratus.* Parum gratus, ingratus. Pro *surdus* Mor., Hafn. et Leid.: *tardus.*

Non tamen Aenean, quamvis male cogitat, odi;
Sed queror infidum questaque peius amo.
Parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor; castris militet ille tuis;
Aut, ego quem coepi — neque enim dedignor — amare,
Materiam curae praebeat ille meae.

29. *Aenean,* quod et hic meliores, eleganter repetit. *Heins.* Iidem meliores, teste Heinsio, *cogitat* pro *cogitet.* Trev., Goth. sec., Erfurt., Giess., Helmst., Guelf. 2. et 4., et veteres editiones: *cogitet.* Sed ea res sola veterum librorum auctoritate diiudicari debet; nam *quamvis* a poetis promiscue coniungitur cum indicativo et coni., quam particulam prosae orationis scriptores in aurea quidem aetate raro indicativo iungebant. Pessima est Werferi (lib. I. p. 531.) explicatio: *wenn auch noch so;* tum enim scribere debebat Ovidius *cogitantem,* non verbo finito *cogitat.*

30. *Peius amo.* Vid. Epist. IV, 26.

31. *Nurui,* h. e., mihi quae sum nurus tua, nam uxor sum filii tui. Sic de Aeneae uxore, Creüsa, Virg. A. II, 787.

Dardanis et divae Veneris nurus.

Miserere, Venus, nurus tuae, et, o Cupido, durum et inflexibilem fratrem tuum (nam et Cupido filius Veneris) amplectere, amplexibus tuis perduc ad amorem, et fac, ut militet ille in castris tuis (nam: *militat omnis amans et habet sua castra Cupido* Amor. I, 9, 1.); aut, ego etc.

33. *Aut, ego quem.* Meliores (etiam Trev., Dresd., duo Goth., Guelf. 3., 4., Francof., unus Ciof., et edit. Nauger.): *quem;* alii: *quae;* in Put. et duobus aliis erat: *Et ego;* in alio: *Ait ego;* in quinque: *En ego quae;* Argent.: *Haud ego;* vulgata: *quae;* Francof. (etiam unus Ciofani et plurimi ex meis. L.): *amore. Burm.* Fuit, cum emendandum censerem: *Huic ego, quae coepi, neque enim dedignor amare, Materiam curae praebeat ipse meae:* ut esset, quemadmodum huic ego, sic ipse mihi materiam curae praebeat; a qua sententia non multum etiam abludit coniectura Schroderi in Misc. Obss. T. VI. p. 415.: *Utque ego, quem coepi, neque enim dedignor, amare, Materiam curae praebeat ille meae.* Nimirum in plerisque editionibus, in Burmanniana adeo, haec est vulgatae lectionis interpunctio: *Aut ego, quem coepi (neque enim dedignor) amare; Materiam curae praebeat ille meae.* Unde cum ipse Burmannus nullum extricare sensum posset, itidem correctione locum sanandum existimavit, hoc modo: *Castris militet ille tuis; Atque ego, quae coepi: nec enim dedignor amare.* Sed correctione nihil opus. Etenim, dummodo, ut fecimus, interpungas, sensus, ut egregie vidit Heinsius, idem erit, qui est Amor. I, 3, 2.

Aut amet, aut faciat, cur ego semper amem.

aut se a me amari sinat. Vide

Fallor, et ista mihi falso iactatur imago;
Matris ab ingenio dissidet ille suae.
Te lapis et montes innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae;
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis;
Quo tamen adversis fluctibus ire paras.
Quo fugis? Obstat hiems: hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas!

consentientem nobiscum Hoeffitium Peric. Crit. ab auctore recognitis p. 62. 63., ubi et Santenium ita censuisse scribit. LENN. *Curae* est pro *amori*, ut saepe.

35. *Fallor.* Fallor, quae Aenean, ut det materiam amori meo, perduci posse existimem, et ista imago, cogitatio, falso mihi iactatur, oculis meis obversatur; nam ab ingenio matris, Veneris, dissidet. Sed non Venus eum peperit, sed (cum vi et oratione ad ipsum conversa) *Te lapis et montes etc.*

Ista imago pro vulgata *ipsa* est in Put. et aliis ex castigatioribus (etiam in Trev.); idem Put.: *falsa.* HEINS.

37. *Te lapis.* Saepe inde ab Homero hac de duris hominibus locutione utuntur poetae, et omnium saepissime Ovidius. Hom. Iliad. XVI, 33., ubi vid. Clark., Virg. Aen. IV, 365., ubi vid. Heyn., Ov. Metam. IX, 615., VII, 33., ubi vid. interpp., Trist. III, 11, 3. et I, 8, 37., Epist. X, 132. Vid. etiam Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. T. I. p. 145. et 695., Mitscherl. ad Horat. Od. I, 3., Heyn. ad Tibull. I, 1, 64. Conf. Epist. X, 110.

40. *Quo tamen.* Malim *Qua tamen* cum Scriv., vel etiam *Quod tamen* cum Strozzae codice, quia sequitur: *Quo fugis?* qui durus est concursus. HEINS. *Quod tamen* exstat apud Burmannum et eius sectatores. Atque Latinum esse *mare ire, currere, navigare,* satis constat. Virg. A. V, 235., Prop. II, 21, 21., Virg. G. III, 260. Vid. Schrader. ad Musae. 232. et conf. Iahn. ad Metam. VI, 311. Verum libri fere omnes *Quo,* nec in concursu illo vocis *quo* haerendum, praesertim cum *quo* alia sit sententia hoc loco, alia versu sequenti.

41. *Quo fugis? Obstat hiems.* Iahn novavit: *Quo fugis, obstat hiems,* hoc est, *ibi, quo tu fuga tendis, ibi obstat hiems.* Sed ne de languidiore sensu et rariore constructione dicam, apta et affectus veritate insignis est interrogatio, retinenda ea etiam propter rationem versuum 39. et 40. Epist. XIII, 131.

Quo ruitis, Danai? Ventos audite vetantes:
Non subiti casus, numinis ista mora est.

Fast. II, 225.

Quo ruitis, generosa domus? Male creditur hosti.

Conf. Epist. X, 35. et XVI, 123. Atque eodem ducit affectus sequentis: *Adspice, ut.....*

42. *Eversas.* A fundo versas.

Quod tibi malueram, sine me debere procellis;
Iustior est animo ventus et unda tuo.
Non ego sum tanti — quamvis merearis, inique, —
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretiosa odia et constantia magno,
Si, dum me careas, est tibi vile mori.

Eodem sensu Hor. Epod. X, 5. *inversum mare,* ubi vid. Mitscherl. Conf. Burmann. ad Val. Flacc. VII, 75.

43. *Malueram. Maluerim* Argent. et V alii, rectius (quam *malueram*). HEINS. *Malueram* l. vulgata et longe plurimorum codicum bono sensu est, sc. est pro *malebam* vel *maluissem,* si nostro more loquaris. Quod autem Heusinger edidit *debuerim,* satis bono sensu est, sed nulla, nisi unius Guelf. 1., auctoritate codicum. Val. Flacc. II, 407.

Ergo moras coelo cursumque tenentibus undis
Debuimus.

Barth. Adversar. XXXVII, 13. ex antiquis membranis affert: *Quod te malueram.*

44. *Ventus et unda. Aura* quidam. Vid. ad Epist. II, 35.

45. *Quamvis merearis, inique.* Mire hic variant libri veteres; Putean.: *quid non terreris,* et emendatum *quod;* at Puteani et Iureti Excerpta, alter Ment. et Francof.: *quod non censeris,* cum quatuor aliis; duo: *quo non cessaris*; octo alii cum quibusdam veteribus editionibus: *quod non mediteris;* septem cum ed. Ven. 1492.: *quod non meditaris;* quatuor: *quamvis mediteris;* totidem alii: *quod tu meditaris,* Scriverianus: *quamvis dimittis* vel *miraris*; alius: *quod tu non credis*; certe Hafniensis expresse praeferebat: *quantus censeris.* Vera igitur scriptura revocetur: *quamvis censeris inique; censeri* enim pro aestimare veteres aevo optimo dixisse certum est. Ita noster Pont. I, 3., Fast. V, 25., ut ibi vetustissimi libri. *Quamvis censeris inique* est quamvis iniquum pretium mihi addis (?). Vid. de eo verbo Gronov. Obss. IV. c. 3. HEINS. Legerem: *quamvis censebis inique;* id est, tanti me non habebis, nec iusto me pretio aestimabis. Douza vulgatum: *quamvis merearis, inique,* retinet. BURM. Iahno scribendum videtur: *quamvis mediteris,* hoc loci sensu: Non sum tanti, ut inevitabilem mortem oppetas, quamvis iniquo modo hoc in mente habeas; exerces enim pretiosa odia etc. Mihi Ovidiana videtur vulgata, quam etiam optimus cod. Trev. tuetur: *Quamvis merearis, inique,* eamque sic intelligendam censeo: *Non ego sum tanti (quamvis merearis, inique, qui pereas,* vulgari more Latinorum eiusmodi sententias anteponendi), *ut pereas, dum per longa freta curris.* Grunerus sublatis parentheseos signis interpretatur: Quamvis merearis, inique, qui, dum per longa freta me fugis, pereas; tamen ego non sum tanti, ut mea caussa pereas. In qua interpretatione offendere possit illud: *merearis, ut*; ac

Iam venti ponent, strataque aequaliter unda
Caeruleis Triton per mare curret equis.
Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses;
Et, nisi duritia robora vincis, eris.
Quid si nescires, insana quid aequora possent?
Expertae toties tam male credis aquae.

praeterea mea interpretatio mihi etiam magis propria ac Latina videtur.

48. *Me careas.* Praestantiores *careas,* non ut vulgata *fugias*; *fugis* paullo ante praecesserat. *Heins.*
Octo etiam libri: *sit tibi velle mori,* quod capi posset pro *sit tibi voluntas moriendi*; sed vulgata praestat: si non magni ducis mortem, dum me careas. *Burm.*
Est mihi (τὸ) *velle mori,* pro *moriendi voluntas,* non Latinum est.

49. *Ponent.* Ita passim noster et alii loquuntur; sed subaudiendum *mare* vel *undas* docet Hor. Od. I, 3. de Noto:

— tollere seu ponere vult freta.

Vid. Cerda ad Virg. A. VII, 27.; vel etiam potest subaudiri *flatus. Burm.* Nec *fretum* subaudiendum nec *flatus,* sed *ponent* est pro *ponent se,* frequentissimo apud poetas modo loquendi. Virg. Aen. VII, 27.

Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus.

X, 103.

Tum Zephyri posuere.

I, 108.

— tum prora avertit (sc. se).

II, 235.

Accingunt omnes operi.

Cic. Disp. Tusc. ex emendatione Wolfii: *recipiat* pro *se recipiat*; conf. Metam. XIII, 919. et supra Epist. V, 132., Stat. Theb. II, 43. ubi vid. Bernart.

50. *Triton.* Triton filius Neptuni (Hesiod. Theog. 930.) et tibicen et in imperio maris socius; Virg. A. I, 144., Metam. XIII, 919.; et ut pater (Virg. A. I, 147.) curru super mare vehitur, dum *temperat aequor.* Conf. Metam. I, 333. Locus colorem duxisse videtur, ut multa alia huius Epistolae, ex Virg. Aen. I, 144. sqq. *Caerulei* equi sunt ut ipsi dii marini Metam. I, 333. *Caeruleos habet unda deos.*

53. *Si nescires — possent?* Tres Heinsii codices et ex meis Goth. 1., Dresd., Erf.: *nescieris,* ultima producta, quam scripturam Heinsius et post eum plurimi alii editores receperunt. Et sane syllabam *is* et *itis* perfecti conj. et futuri exacti in arsi produci nemo dubitat, et permultis ex uno Ovidio probari potest exemplis. Art. A. I, 222., Metam. X, 561., Art. A. I, 370., Epist. X, 126., Metam. V, 357. Vid. Val. Prob. Grammat. I. p. 1433. ed. Putsch., et ad Epist. V, 31. Sed *si nescieris,* ut mihi videtur, hac ratione sententiae ferri non potest, in qua dicendum est aut *si nescias* aut *si nescires.* Hinc omnino revocanda vulgata eaque longe plurimorum codd. *nescires.* Idem Heinsius pro vulgata *possent* primus dedit *possint,* ex melioribus, ut ipse testatur, suis

Ut pelago suadente etiam retinacula solvas;
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest:
Perfidiae poenas exigit ille locus,
Praecipue cum laesus Amor; quia mater amorum
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

codicibus. Sed equidem iure mihi videor suspicari, *meliores* illos Heinsii esse eosdem, qui exhibeant l. *nescieris*, qui sane ita legere debebant; certe de meis iidem habent *possint*, qui *nescieris*, Goth. 1., Dresd., Erf. Quare, quamvis ad sensum l. *possint* satis apta sit, tamen *possent* cum vulgata et nonnullis codd. praeferenda videtur, quae sensus bonitate illi minime cedit. Consecutio autem temporum ipsius Ciceronis usu loquendi satis firmata est. Ad sensum et constructionem conf. Virg. Aen. IV, 310. sqq. Iahn: *nescires — possint.*

53. *Insana aequora.* Vid. ad Epist. I, 6. Vossii Excerpta: *vesana.*

54. *Tam male — aquae.* Vatic. et Lovan.: *quam male,* ut per interrogationem legatur. BURM.

Atque eam scripturam Burmannus recepit. Conr. Heusinger ex emendatione Fr. Heusingeri dedit:

Expertae toties tam male, credis aquae?

quam hic in Epist. ad Harles. interpretatur: *tam infeliciter, tanto cum malo tuo expertae,* laudans Cort. ad Sallust. Iugurth. 54, 7. Parum venuste. Ego vulgatam eamque codicum servandam puto. Sensus est: *Quid si nescires, quid tempestates maris valerent? Tam male,* h. e. aegre, vix, non, *credis aquae, quanta mala habeat, licet toties eius pericula sis expertus.* Eandem scripturam secutus est Iahn, nisi quod duce Amare post *aquae* signum interrogandi posuit, quod sane locum habere potest, sed, an sic sententia multum iuvetur, dubitari potest.

56. *Latus — pontus.* Hoeffitius in Peric. Critic. p. 277. legendum h. l. coniicit: *laetus — pontus*, ut sensus sit: etiamsi mari tranquillo et pacato abitum pares, nondum securus ibis. Sub blandientis enim specie insidias et pericula multa tegit pontus. Santenius vero in eandem sententiam: *Multa tamen stratus t. p. h.* Ingeniose quidem uterque! Sed vulgatam l. sanam puto. Etenim quo *latius* est mare, eo plura illud permeantibus obvenire possunt tristia, ut, quamvis pelago suadente navem solverint, inde tamen colligere non debeant, eundem semper et ubique maris statum fore. LENN.

Conf. ad Epist. II, 122.

59. *Amorum. Mater Amoris* IV Heinsii codices, unde apud Heinsium et Burmannum sic legitur. Vid. Epist. XVI, 203.

60. Venerem e mari ortam

Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti;
  Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor; sic te melius quam funere perdam:
  Tu potius leti causa ferere mei.
Finge age, te rapido — nullum sit in omine pondus —
  Turbine deprendi; quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falsae periuria linguae,
  Et Phrygia Dido fraude coacta mori.
Coniugis ante oculos deceptae stabit imago
  Tristis, et effusis sanguinolenta comis.
„Quicquid id est, totum merui! Concedite!“ dices;
  Quaeque cadent, in te fulmina missa putes.

et primum ad Cythera insulam appulisse canit Hesiod. Theog. 190. Vid. etiam Plin. H. N. IV, 12. Hinc eius nomina, Cythera, Cytherea, Cythereia, Cythereis. Vid. ad Epist. XVI, 20. *Cythera* insula maris Aegaei. Vid Plin. l. l. De Venere domina maris in carminibus amatoriis, inprimis apud Ovidium passim. Epist. XV, 213., XVI, 24., XIX, 160., Horat. Od. I, 4, 1.

61. *Perdita.* En ego, quae perdita sum per te, metuo tamen, ne te perdam et tibi, qui ita mihi noces, noceam, propter iniuriam mihi illatam naufragio pereas. Ludit suo more poetae ingenium.

63. *Sic te melius.* Diras his verbis imprecari Aeneae Dido credebat Dausqueius ad Sil. It. I. p. 41., quasi vitam miseram et morte peiorem voveat; inepte. Amoris est vehementia, ut, licet mereatur Aeneas odium Didus, illa tamen malit eum vivere, quam naufragio perire. Burm. Non nihil Dausqueius vidisse videtur; nam *sic* nimirum est, *viventem in conscientia iniuriae atque culpae,* ut patet sequentibus.

64. *Ferere.* Iun. et Douz.: *ferare,* ut sit optantis. Heins. Vulgata *ferere* proba et optimo sensu est. Vid. ad Epist. VI, 75.

65. *Rapido.* Argent. et unus Patav. *trepido. Nullum sit in omine pondus,* nullam hoc omen *vim* habeat; verba enim, quae iter ingressuro a valedicente temere et casu fortuito dicebantur, pro ominibus accipi solebant. Metam. IX, 495.

— an habent et somnia pondus?

Vid. Epist. VIII, 116. De sententia conf. etiam Epist. VI, 141.

67. *Occurrent.* Sic scripti omnes, non *occurrunt.* Heins.

68. *Phrygia. Troiana.*

69. *Coniugis a. o.* Locus adumbratus ex Virg. Aen. IV, 382. sqq.

71. *Quicquid id est.* Put.: *Quid tanti est? tutum,* et emendatum postea *totum,* quomodo et VII alii; Iureti Excerpta: *Quid tamen est totum. Dicas* etiam pro *dices* Put. et IV alii, quod sequens versus requirit. Heins.

Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque:
Grande morae pretium tuta futura via est.
Nec mihi tu parcas, puero parcatur Iulo;
Te satis est titulum mortis habere meae.
Quid puer Ascanius, quid dì meruere penates?
Ignibus ereptos obruet unda deos.

Sensus est: *Dicas* (scribe *dices*, praecessit *stabit. L.*): Quidquid illud poenae est, quod mihi immittitur, totum meruisse me fateor. At vos, o superi, concedite, condonate mihi peccatum! Vid. Oudendorp. ad Suet. Neron. c. 29. *Quidquid id est* frequens est formula, cum significatur aliquid inepti. Sil. Ital. VI, 582. *Lenn.* Duo Heinsii codd. v. sequenti: *cadunt;* Werfer lib. l. p. 550. in hac loci interpretatione, qualem proposuit Lennep, desiderabat *o dii, o superi* vel simile quiddam, ideoque *concedite* accipiebat pro *concede,* dirigebatque ad Dido; quemadmodum dicitur *concedimus* pro *concedo, noster* pro *meus.* Sed frigere mihi videtur ea interpretatio, et maxime ei adversatur, quod sequitur, *fulmina missa* (sc. ab iis [a diis] *missa,* ad quos conversum est illud *concedite*); nec si cum affectu et recto sono adiunctis gestibus pronuntietur, quicquam puto desiderari. Ac saepe *precor, adoro* et similia sine ipsa advocatione deorum, nullo adiuncto vocativo, leguntur. Trist. I, 10, 13., Epist. I, 111., XIII, 90., Met. XII, 121., XIV, 379.

75. *Nec mihi tu parcas.* Plurimi codd.: *Nec mihi tu parcas; tu curae* Put. et alii nonnulli ex potioribus; codd. Andr. Schotti in Obss.: *Nec mihi parcatur,* non invenuste, quomodo et tres ex nostris (etiam Leodd. II et Guelf. 3.). Amat Ovid. eiusmodi repetitiones. Epist. XIX, 205.

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae.

Art. A. II, 30.

Si non vis puero parcere, parce seni.

Heins.

Vulgata non mutanda. *Iulo.* Iulus etiam Ascanius dictus erat Aeneae ex Creüsa filius. Virg. A. I, 267. et passim, Liv. I, 3., Strabo XIII. Vid. Heyn. Excurs. 7. ad Aen. I., Exc. 17. ad Aen. II. et Exc. 3. ad Aen. XII., et Meziriac. dict. l. T. II. p. 197. sqq.

76. Satis est meae te mortis auctorem esse et huius rei titulum habere.

77. *Penates,* quos e Troiae flammis ereptos tecum vehis. Qui dii illi penates fuerint, ambigitur; alii enim Iovem, Iunonem et Minervam; alii Neptunum et Apollinem; alii alios fuisse tradunt. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. II, 293. et III, 12., et doctam de his diis penatibus disputat. Meziriac. dict. l. p. 185. sqq., qui inter alios laudat Dion. Halic. Antiq. Rom. I., Macrob. Saturn. III., Hyg. de diis pen., et Serv. ad Aen. II. et III.

78. Notam interrogationis post hunc versum ponendam

Sed neque fers tecum, nec, quae mihi, perfide, iactas,
  Presserunt humeros sacra paterque tuos.
Omnia mentiris: neque enim tua fallere lingua
  Incipit a nobis, primaque plector ego.
Si quaeras, ubi sit formosi mater Iuli:
  Occidit a duro sola relicta viro.
Haec mihi narraras: at me movere merentem?
  Illa minor culpa poena futura mea est.
Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent:
  Per mare, per terras septima iactat hiems.

censebat Schroder Obss. Misc. Nescio an recte. *Lenz.*

80. Vid. Virg. II, 717. sqq.

83. *Mater Iuli.* Creüsa, Priami regis et Hecubae filia, quae, dum cum Aenea per ruinas et incendium Troiae fugit, amissa est. De Creüsa vid. Heyn. Exc. 14. ad Aen. II. et Meziriac. dicto l. p. 195. sqq.

85. *Narraras.* Sic meliores Heinsii codd., etiam Guelf. 1. et Goth. 2. Recte. Vulgo: *narrabas.* Nonnulli Heinsiani, etiam Hubert. pro *at me movere* habent *at me novere.* Crispinus legit: *at me movere merentem, Inde minor etc.*; Heusinger dedit: *an me movere?* Burmannus dedit, probante Lennepio: *nec me movere: merentem Ure.* Heusingeri scriptura vix Latina esse videtur; Burmanniana ad sensum bona, sed nimis longe recedit a scriptura codicum. Codices et vetustae editiones: *at me movere* vel *novere.* Quorum posterius quum nullum sensum habeat, cum Iahno facile scriberem:

— at me movere? Merentem
Ure minor etc.

si illud *Ure* satis firmitatis haberet; sed *Ure* unius tantum Puteanei auctoritate nititur; nam teste Heinsio Francof. habet: *Iure*; Ment. 2. pro var. l.: *Inde* vel *Vive;* VII Heins.: *Inde;* duo Heins.: *Unde;* unus: *Atque;* alius: *Ipsa*; reliqui Heinsii cum vulgata: *Illa.* Vid. var. l. in fine huius libri. Quare equidem scribere malim: *at me movere merentem? Illa minor etc.*, ut *merentem* sit pro *culpae, illicito amori obnoxiam. Merentem* sic in malam partem legitur Metam. VIII, 116., Virg. Aen. II, 229. Amar et Baumgarten-Crusius:

— at me movere merentem.
Illa minor —.

Scriv. pro var. lect.: *nec eram corruptior inde;* in Reg. post *narrabas* est spatium vacuum, sed in margine vulgata scriptura. Nonnulli Heinsii codd., etiam quidam ex nostris, *hoc* pro *haec.* Locus corruptus est. Epist. XII, 89.

Haec animum (et quota pars haec sunt) movere puellae.

87. *Numina. Munera* multi ex scriptis; Put.: *quin te te munera damnant;* Moreti: *crimina;* Reg. et Francof.: *mea munera.* *Heins.*

Vulgata et plurimi codd.: *nu-*

Fluctibus eiectum tuta statione recepi;
Vixque bene audito nomine regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuissem,
Et mihi concubitus fama sepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Caeruleus subitis compulit imber aquis.
Audieram voces; Nymphas ululasse putavi:
Eumenides fatis signa dedere meis.

mina, quod etiam sententia poscit.

88. *Septima.* Et hic premit noster vestigia Virgilii, qui Aen. I, 759.

— Nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus aestas.

Ubi vid. Heyn. Vid. etiam de eadem re Mezir. l. l. p. 201.

89. *Eiectum. Ereptum* Moreti et duo alii; frustra. Proprium enim hoc verbum de naufragis in litus eiectis, et respicit Ovidius Virg. Aen. IV, 373.

— Eiectum litore, egentem
Excepi et regni demens in parte locavi.

Terent. Andr. V, 4, 20., Plaut. Rud. II, 7., Liv. XXIII, 34. *Burm.*

92. *Concubitus fama sepulta.* Werfer coniecit: *Nec mihi concubitu f. s. f.*, „ne Dido quiddam humile et se indignum eloqui videatur." Paullo audacius sane dictum est; nam *sepeliri* vulgo et rectius de *bona fama* dicitur. Pont. I, 5, 85.

— tunc cum mea fama sepulta est.

h. e. extincta, perdita; Petron. Fragm. p. 675. *Fama sepulta probris.* Vid. Miscell. Obss. T. VI. p. 415. Verum audaciora et insolita apud Ovidium non semper habenda sunt vitiosa atque corrupta. Quare Werferi coniecturam, quamvis ingeniosam et ad sensum optimam, probare non possum, praesertim omnibus vetustis libris obstantibus. Sensus loci est: His officiis utinam contenta fuissem et utinam fama illa, quae percrebuit, concubitus, sepulta, extincta, deleta, inanis, nulla esset! Cod. Lincoln.: *relicta.*

93. *Qua nos declive etc.* Virg. A. IV, 165.

Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deveniunt: prima et Tellus et pronuba Iuno
Dant signum; fulsere ignes et conscius aether
Connubii, summoque ulularunt vertice Nymphae.
Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit etc.

Conf. Aen. IV, 120.

95. *Voces.* Heinsii meliores (?) *vocem*, quos recentiores prope omnes secuti sunt; sed mihi unice verum videtur, ut olim vulgatum fuit et ut est in omnibus prope codicibus (vid. var. l. in fine huius libri): *voces*, tam propter auctoritatem vetustatis, quam propter plurales, quibus iunctum est, *Nymphas, Eumenides, signa.* Ululasse, carmen nuptiale canere et fausta vaticinari. Nam *ululare* et *ululatus* de sagis et magis dicitur. Hor. Sat. I, 8, 25., Ovid.

Exige, laese pudor, poenas, violate Sichaei,
  Ad quas — me miseram! — plena pudoris eo.

Metam. VII, 190., XIV, 405., Lucan. VI, 685. sqq. Sensus est: Nymphas fausta vaticinari putavi; sed Eumenidum hae voces erant.

96. *Fatis — meis.* Forte legendum: *Eumenides fati s. d. mei*; quemadmodum Auctor Consolat. ad Liv. v. 401.

Iupiter ante dedit fati mala signa cruenti.

Quid enim est *signa dedere fatis?* nisi forte cum Burmanno Sec. Anthol. Lat. T. II. p. 30. Parcas intelligi velis, quibus signa dederint Eumenides, ut stamina nerent Didoni infausta. Sed nec ipsi Burmanno vehementer hanc explicationem placuisse vel ex eo manifestum est, quod mox emendandi loci periculum fecerit, pro *fatis* scribendum coniiciens *thalamis*, ut Epist. II, 117. Lenn. Atque ea Lennepiana coniectura firmari eo videtur, quod vocem *fatis* sequitur *signa*, atque ita facile fieri potuit, ut vox *fatis* literam *s* acceperit a voce *signa*. Vid. ad Epist. I, 24. Sed tamen nihil videtur mutandum. Dicit poeta: Eumenidum erant voces, quae fata mea indicarent, signa fatorum meorum darent, pro quo poetice per dativum *fatis meis signa dederunt*; nam *fata* sunt casus, infortunium.

97. *Violate Sichaei.* Codices Heinsii omnes et edd. Ven.: *Sichaeu*, aut *Sicheu*. Heinsius ad h. l. monet, in quibusdam codd. legi *Thais Menandru* pro *Μενάνδρου* literis Graecis (et sic in edd. vulgatis apud Terent. Adelph. init. legitur: *Facta e Graeca Menandru*); sed ex eo tamen exemplo *Sichaeu* defendi non posse putat, quia hoc loco *Sichaeu* sit casus tertius. Sed nihil melius inde defenditur genitivus; nam *Thais Menandru* inscriptio Graecae fabulae, quam scriptores Latinis aut fortasse etiam Graecis literis retinuerunt, igiturque parum momenti habere videtur ad eam formam in mediis Latinis scriptis defendendam. Quod Heinsius ex Stat. Theb. III, 546. et 573. attulit *Melampu*, huc non pertinet; *Ceu Simonidei* pro *Cei*, quod idem affert ex Auson. Prof. XIV., nec satis certum nec magnae auctoritatis est. Omnino forma *Sichaeu* vitiosa videtur. Vid. Leop. Schneider Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 79. Burmannus Naugerii emendationem sequutus, dedit *Sichaeo*, de quo Lennep: „Valde mihi *violate Sichaeo* suspecta sunt. Putares violatum a Sichaeo pudorem, cum contra mens Didonis esse debeat, violatum a se pudorem, quem Sichaeo servatura promiserat." Ipse malebat cod. Regium sequi, qui l. hunc ita exhibet:

Exige, laese pudor, poenas, violataque....
  Iura, nec ad cineres fama retenta meos;
Vosque, mei manes, animaeque cinisque Sichaei,
  Ad quas, me miseram, plena pudoris eo.

ita tamen, ut post *violataque* suppleas *lecti* (quod opportune offert cod. Trev., qui habet in margine:

Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus;
Appositae frondes velleraque alba tegunt;

Exige laese pudor poenas, violataque lecti
Iura, nec ad cineres fama retenta meos.

cum Schol.: *sed non sunt de libro.*), et pro *quas* cum edd. plerisque recipias *quem.* Ego quamvis Naugerii scripturam non Ovidianam habeam, tamen Latinitatem *violate Sichaeo* non urguendam puto, quum in eo genere scriptores non tam sola verba, quam totius rationem sententiae, vere ambiguitas locum haberet, nec ne, respexisse videantur, hoc autem loco de *pudore ab ipso Sichaeo violato* ne cogitari quidem possit. Sic Sueton. Caes. c. 20. *Campum Stellatem, maioribus consecratum,* i. e., *a maioribus;* idem Oct. c. 15. *Ara divo Iulio consecrata,* i. e., *in honorem divi Iulii;* Ovid. Epist. XIV, 20. *De facta non sibi caede,* pro *a se,* et v. 21. *Facta crepuscula terris;* Cic. ad Att. XII, 20. *Si mihi minus proficio,* h. e. *mihi, non alteri,* et ad Att. I, 1. *Quiddam spero nobis profici,* q. e. *a nobis.* Vid. Ovid. Epist. XVIII, 19., et Fast. IV, 852. Scriptura Cod. Regii certe interpolatio est. Pro Graeco genitivo *Sichaeu* quam lenissima mutatione scribendus videtur Latinus *Sichaei.* In constructione non haerendum; dicitur *pudor patris* (vid. Ruhnken. Dict. in Terent. Andr. I, 5, 26., Forcell. Lex. in voce *pudor*); dicitur igitur quoque *pudor Sichaei;* igitur etiam *pudor Sichaei laese, violate.* Eodem modo a vetusta manu correctum reperi in meo exemplo edit. Ven. a. 1486., nec aliter exhibent codd. Guelf. 1., Helmst., Bersm.; cod. Trev.: *Sichaei. Sichaeus* etiam prima syllaba producta legitur Virg. Aen. I, 343., de qua re vid. Iahn. ad Metam. VI, 11. Conf. Epist. XVI, 173. *Sichaeus* autem Didonis fuit maritus, Herculis sacerdos, in urbe Tyro, quem Pygmalion, germanus Didonis, interfecit. Vid. Iustin. XVIII, Virg. Aen. I, 343. et infra hac Epistola v. 127. *Exige—poenas.* „*Poena* de ultione vid. Ernest. Clav. Cic.; *exigere* autem proprium in hac re verbum. Metam. VIII, 531. 125. Burm. ad Prop. I, 13, 2. IAHN."

98. *Ad quas.* Sic scripti omnes. Occuparat iam edd. nonnullas *Ad quem;* nec auderem id damnare, si scriptorum codicum auctoritate initeretur; ut haec non minus quam sequentia ad statuam referantur Sichaei, ad quam aditura sit Dido. Praeterea scribe *plena ruboris,* ne toties eodem vocabulo utatur prorsus inconcinne; nam et *pudor* proximo praecesserat versu, et mox subsequitur denuo v. 103. HEINS. Proba est l. *Ad quas,* atque intelligenda: Ad quas non eo vultu et habitu, quo innocentes, sed conscia peccati et culpae ideoque *plena pudoris eo.* Vid. v. 104. In repetitione illa eiusdem vocis non haerendum esse, iam saepe dictum est.

99. *Est mihi marmorea* etc. Totus hic locus illustratur, unde sumtus est, Virg. Aen. IV, 457. sqq.

Hinc ego me sensi noto quater ore citari;
  Ipse sono tenui dixit „Elissa veni."

Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, magno quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum.
Hinc exaudiri voces et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret.

Aedes marmorea igitur sacellum est Sichaeo consecratum. Vid. Serv. ad Virg. l. l. Conf. Sil. It. I, 81. sqq.

100. *Appositae frondes. Appositae* IV libri (etiam Dresd. et a sec. man. Trev.). Placet. Fast. III, 770.

Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
  Hanc frondem cunis apposuere novis.

Trist. III, 1, 39.

Cur tamen apposita velatur ianua lauro?

Vid. Epist. IX, 60. et V, 47. *Heins.*

Iahnus revocavit l. *Oppositae*. Mihi cum Heinsio vera videtur *Appositae*. Nam de imagine hoc loco dici, quae magno honore habeatur, patet verbis: *Est mihi marmorea etc.* et *velleraque alba tegunt*. Iam de sertis atque frondibus, quibus imaginem honoris causa ornamus, rectius dici *apponi* quam *opponi*, dubitari vix potest; immo *apponere* in ea re fere vox propria est. Exemplis, quae iam allata sunt, adde, quae idem Heinsius adscripsit ad Epist. IX, 60., Marc. Capell. L. I. *Diadema capiti apponere*, et ibidem: *Flammantem coronam vertici apponere;* Lib. II. *Apponit vertici diadema nuptiale*, et alibi: *Ornatum pectori apponere*. Accedit eodem, idque in hac quaestione maximi videtur esse momenti, quod *Appositae* accommodatius sit, unde haec sumta sunt, loco illi Virg. Aen. IV, 459.

Velleribus niveis et festa fronde revinctum.

et quod, ut vox *alba* illi *niveis*, sic *Appositae* apte respondeat illi *revinctum;* neque caret ea lectio, ut iam dictum est, auctoritate codicum; *Appositae* denique etiam unice convenit voci *vellera*. Eadem varietas est Epist. IX, 60., ubi etiam *apponere* ab Ovidio est. *Frondes*, serta et omnino, ut Virg. *Festa frons. Vellera* infulae ac vittae. Vid. Heyn. ad Virg. dict. l. *Alba*, ut in sacris.

102. *Tenui*, qualis umbrarum. *Exiguam vocem* dixit de eadem re Virg. Aen. VI, 493. Uterque hausit ex Hom. Odyss. XXIV, 5.

Elissa, non *Elisa*, constanter Dido nominatur in veterrimis Virgilii, Silii, Auson., Claudiani, Paterc. et nostri poetae codicibus; nec aliter apud Graecos. *Heins.* Eandem scripturam probat ad Virg. A. IV, 335. Heynius. De nomine ipso Servius ad Aen. I.: „Dido nomine *Elissa* antea dicta est: sed post interitum a Poenis *Dido* appellata, id est, *virago*, Punica lingua etc." Vid. Etymolog. Magn. in v. *Διδώ*, et Sam. Bochart. in Phaleg suo.

103. *Nulla mora est.* Solemni ex formula. Nepos Con. 3. *Huic*

Nulla mora est, venio; venio tibi debita coniux;
Sed tamen admissi tarda pudore mei.
Da veniam culpae: decepit idoneus auctor;
Invidiam noxae detrahit ille meae:
Diva parens, seniorque pater, pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite dedere viri.
Si fuit errandum, causas habet error honestas;
Adde fidem: nulla parte pigendus erit.
Durat in extremum, vitaeque novissima nostrae
Prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas coniux mactatus ad aras,
Et sceleris tanti praemia frater habet;

ille inquit, nulla mora est; saepe Comici. BURM. *Venio; venio tibi.* Nonnulli: *Venio dixi tibi d. c.* Put. et IX alii: *dedita coniux.* HEINS.

Vulgata recta est; *debita* autem non est, ut putabat Kuinoel, *fatis destinata,* sed quae tibi debetur: sc. propter fidem eius cineri promissam. Virg. Aen. IV, 552. Conf. ibid. vv. 28—34. et Heins. Advers. II. c. 10. Epist. XX, 8.

Debitus ut coniux, non ut adulter amo.

104. *Admissi.* Violatae pudicitiae. *Admissum* pro substantivo Epist. XI, 106. 110., XVII, 45., Art. A. I, 376., II, 381. Mei, praeter Goth. II, omnes cum editt. Ven. *Sum tamen.*

105. *Idoneus.* Dignus. Vid. ad Epist. IV, 34.

107. Quod mater dea esset, et quod tanta in patrem Anchisen fuisset pietate, ut eum humeris e flammis eriperet, spem mihi etc. Conf. Aen. IV, 597.

110. *Adde fidem,* mihi ab eo datam, et nihil erit, cur me ob eum errorem culpare et accusare possim, cur iure eius me pigeat. *Pigendus amor* quatuor scripti Heinsii. Vid. ad Epist. V, 44.

112. *Prosequitur.* Burmann. cum IV mss. dedit *persequitur.* Sed plurimi codd. et veteres edd. *prosequitur,* quod et idem in malam partem accipitur; vid. Forcellin.; et hoc magis revocandum, quia *prosequi* hac significatione rarius legitur, quam *persequi.* Heusinger et Iahn etiam *prosequitur.*

113. *Internas.* Putean. et reliqui Heinsiani plerique, etiam maxima pars meorum cum vulgata: *in terras;* V Heins. codd.: *ad terras;* quatuor: *in terris;* duo: *in terra;* duo: *externas;* Micyllus: *Herculeas,* quando Sichaeus Herculis sacerdos fuisse tradatur; Dan. Heins.: *infernas;* Nic. Heins.: *Herceas,* h. e. Herceo dedicatas; aras enim in interiori parte aedium dedicatas fuisse Iovi Herceo, laudans Festum, et Serv. ad Virg. Aen. II. Vera videtur, quam omnes recentiores editores sequuti sunt, scriptura Naugerii

Exul agor, cineresque viri patriamque relinquo,
Et feror in duras hoste sequente vias;
Applicor ignotis, fratrique elapsa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, litus emo.
Urbem constitui, lateque patentia fixi
Moenia finitimis invidiosa locis:

internas, quae haud valde diversa est a plurimorum librorum lectione: *in terras;* et in interioribus aedium partibus, ad interiores aras etiam patrata caedes erat. Vid. Virg. Aen. I, 348—356.

114. *Frater.* Vid. ad v. 127.

116. *Duras.* Basil.: *dubias. Durae* sunt viae laboriosae et plenae iactationis; sic *durum iter* Val. Flacc. I, 565., Lucan. IX, 39.; ita contra *molle iter* Amor. II, 16, 20. *Burm.*

117. *Ignotis.* Moreti cod.: *ignaris;* Heinsius coniecit *his oris.* Sed nihil opus est coniectura. *Ignotis* sc. *terris, litoribus,* quod nescio an aptius etiam sit, in enumeratione nimirum, quae sit perpessa, malorum. Dicitur etiam *applicor in* cum accus., ut Epist. XVI, 126.

118. *Litus emo.* Virg. Aen. I, 367.

> Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
> Taurino quantum possent circumdare tergo.

Codd. mei prope omnes: *emi.*

119. *Fixi.* Put. et X alii Heins., item Guelf. 3. et 4. et II Goth.: *finxi;* Trev., Helmst. cum IX Heins.: *feci,* ut Fast. III, 92.; Heins. coniecit: *ieci* laudans Propert. II, 25, 64. et Fast. IV, 835. Insolentius *iacere moenia,* quam *figere* puto; quamvis etiam melius sedes, quam moenia *figi* dici arbitrer: *iacere* vero *fundamina, moles* et similia recte dici, notat Acro ad Hor. Od. III, 1., sed *iacere moenia* non placet. *Burm. Moenia fixi* pro firmiter fundavi, stabilivi, quamvis invidentibus finitimis, nequaquam sollicitandum est hoc loco. Ita saepe dicitur *fixum,* quod moveri nequit. Cic. pro Rabir. Post. c. 9. *Illud maneat et fixum sit, quod neque moveri neque mutari potest.* Unde et *fixum immotumque* coniunxit Virg. Aen. IV, 15., et sic apud Ov. Fast. III, 442. dicitur *in solida fixus Olympus humo,* et Metam. VI, 331. *fixa cacumine montis,* in statuam conversa, Niobe. Conf. Burm. Sec. Anth. Lat. Tom. II. p. 58., ubi tamen post bene expositam vulgatam lectionem „Si quid mutandum, inquit, praeferrem *lateque patentia vidi Moenia.* Imitatur enim Virgilium, ut passim in illa Epistola, Aen. IV, 655. ubi eadem Dido:

> Urbem praeclaram statui, mea moenia vidi.“

De Virgilii imitatione prorsus assentior Burmanno, sed tamen illud *vidi moenia* nostrum a Marone mutuare voluisse non credo, cum nec adiunctum usurpaverit *mea,* in quo omnem apud Virgilium residere vim sententiæ, mecum, ut puto, unusquisque sentit. *Lenn. Fixi* etiam aptius ad illud *constitui.* Cod. Regius: *late potentia.*

Bella tument, bellis peregrina et femina tentor,
 Vixque rudes portas urbis et arma paro.
Mille procis placui, qui me coiere querentes
 Nescio quem thalamis praeposuisse suis.
Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?
 Praebuerim sceleri brachia nostra tuo.

121. *Tument.* Dan. Heinsius, cui displicebat l. *tument,* sequendam putabat scripturam codd. Lugd. et Scriv.: *Bella timent,* vel legendum *Bella tonant.* Sed Burmann.: „Recte, inquit, se habet vulgata. Claudian. L. St. II, 95.

— Quamvis certamine partes
Iam tumeant.

ubi vid. Barth. Et ita *tumere* omnes dicuntur, qui graviori animi motu concitantur; vid. Heins. ad Claud. Bell. Gild. 330. Sic *tumere* negotia dici, cum maxime agitantur, notat Cuper. Obss. II, 4., et metaphoram esse a mari concitato puto, quod *tumere* Ovid. Pont. II, 3, 27. dixit, et *tumidum* passim noster et alii.“ Haec Burmannus. Nic. Heinsius laudavit ex Paterc. II. c. 15. *tumescens* bellum, cui adde Virg. Georg. I, 465.

Saepe monet, fraudemque et operta tumescere bella.

122. *Rudes portas et arma.* Burmannus cum in Put. Excerptis reperisset esse *virque rudis,* et in Leidensi *ad arma,* ex his duobus h. l. corruptis codicibus legere malebat:

Vixque rudis portas urbis ad arma paro.

ut sensus esset: *Ego femina, rudis ad arma, vix paro portas urbis*; vel etiam: *vix paro portas urbis rudis ad arma;* quae quidem l. neutro modo satisfacit; certe in eo vitiosa est, quod duplicem admittit interpretationem et mera coniectura est; contra nihil simplicius est, quam sententia vulgatae: *Bellis ego femina tentor, et vix* (nam urguebat hostis, ut poliendi non superesset tempus) *rudes portas urbis et arma parare possum,* atque ea est l. omnium reliquorum mss. et impressorum.

123. *Me coiere querentes.* Post *coiere* delendum est comma. Non enim, ut existimasse videtur Heinsius, regitur quartus casus a verbo *coiere,* quod praeterquam in *coire societatem,* ac talibus, quorum diversissima ratio est, prorsus sine exemplo putem: sed est hic loci nexus: Qui coierunt, querentes, me praeposuisse thalamis suis nescio quem. LENN. *Coire* pro *convenire* Ovidius saepissime. Vid. Indices. Unus vatican.: *qui me coluere*; alii Heins.: *qui me cupiere* vel *petiere*; pauci: *in me.* V. sequenti de *nescio quem* vid. ad Ep. V, 128. Et haec Virgilio poeta debet. Vid. Aen. IV, 320. et 535.

125. *Quid dubitas.* Vehemens exprobratio, quasi Aeneas non tantum ipsam servatam nolit, sed ingratus atque perfidus maximis eam periculis obiicere possit. *Iarbae,* regi sc. Numidarum, qui Didoni sedem in

Est etiam frater, cuius manus impia possit
Respergi nostro sparsa cruore viri.
Pone deos et quae tangendo sacra profanas:
Non bene coelestes impia dextra colit.
Si tu cultor eras elapsis igne futurus,
Poenitet elapsos ignibus esse deos.
Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas,
Parsque tui lateat corpore clausa meo:
Accedet fatis matris miserabilis infans,
Et nondum nati funeris auctor eris;

iis terris concesserat, et quem Dido ob repulsa eius connubia infestissimum habebat. Virg. Aen. IV, 196. sqq. ibique interpretes. *Gaetulo.* Gaetulia regio est Africae, de qua vid. Mela I., Plin. H. N. V, 7. et Sallust. Bell. Iug.

126. *Praebuerim.* Praebere velim, parata sum brachia mea porrigere liganda. Douza et nonnulli ex nostris: *Praebueram.*

127. *Est etiam frater.* Pygmalion sc., rex Tyriorum, qui *Sichaeum,* ut Virg. Aen. I, 349. verbis utar,

Impius ante aras, atque auri caecus amore
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanae.

Quo facto Dido ablatis thesauris fuga in Africam evasit. Hos duos inimicos Dido etiam simul commemorat apud Virg. A. IV, 325., unde haec sumta sunt.

127. *Possit.* Veteres editiones *poscit.*

129. *Deos et sacra.* Sc. sacra et in iis imagines Penatum. Eodem modo Virg. A. II, 717.

— cape sacra manu patriosque Penates.

et II, 293., V, 12. De his sacris et Penatibus vid. Heyn. Excurs. IX. ad Aen. II. Sed ex v. 158. fere coniicias *deos et sacra* h. l. per hendiadyn explicandum esse.

131. *Si tu cultor eras.* Medenb. Wakker in Amoenitat. Literar. c. 13. p. 113. malebat: *Sic tu cultor eras elapsis igne futurus?* Parum circumspecte; et omnia in vulgata l. sunt expedita: Si tu futurus fuisti, eras et etiam nunc es, cultor diis ereptis ex incendio, homo tam impius; certe poenitet eos, se e flammis esse ereptos.

133. *Dido.* Multi Heinsii codd., et mei praeter Helmst. omnes *Didon.* Vid. ad v. 7.

134. *Lateat. Latitat* Colinaei et Bersm. et priores aliquot editiones, quae et *relinquis.* Vid. ad Epist. IV, 54. Burm. *Relinquis* etiam nonnulli e meis.

136. *Nati.* A recentioribus editoribus praeter Iahnum contra codd. et vett. edd. duce et auctore Heinsio receptum est *nato,* quod vehementer dubito, an recte. Certe ambiguitas, dummodo recte pronuntietur, nulla inest; nec duplex genitivus habet, in quo hae-

Cumque parente sua frater morietur Iuli,
Poenaque connexos auferet una duos.
Sed iubet ire deus. — Vellem vetuisset adire,
Punica nec Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce nempe deo ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore si vivo quanta fuere forent.
Non patrium Simoënta petis, sed Tibridis undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris.

reas: ipse enim Cic. pro Muren.: *Auctor beneficii populi Romani.* Vid. quae huius locutionis exempla laudat Goerenz ad Cic. de Legg. II, 17. §. 42., Ruhnken. ad Vellei. Pat. I, 17. et Bremi ad Sueton. Octav. c. 19.

138. *Connexos. Connixos* Bersm. ms. *Burm.*

139. *Deus. Deus,* quem dicit, est Iupiter, qui per Mercurium Aenean relicta Africa in Italia regni sedem quaerere iussit. Vid. unde et hic locus adumbratus est, Virg. A. IV, 220. sqq. De sententiae figura vid. Epist. III, 21.

140. *Punica nec Teucris. Teucri* sunt Troiani, ita dicti a Teucro, qui ex Creta in terram Troianam immigravit. Vid. Metam. XIII, 705. Conf. Apollod. III. et Diod. Sic. IV, 75. *Punica* a *Poenus,* quod a *Φοῖνιξ, Φοινικία,* unde Dido venerat.

141. 142. Iahn h. l. interrogationem induxit, quam non modo non retinendam, sed vix ferri posse existimo. Sensus est: (Sibi ipsa obiicit) *Sed iubet ire deus.* — (Ad quae primum respondet) *Vellem vetuisset adire*; (cum acerbitate pergit respondere, ipsa quasi se corrigens) *Hoc duce nempe deo quem iactas ventis agitaris iniquis etc.,* quod non est interrogantis, sed cum irrisione affirmantis.

143. Sensus est: Vix tanti laboris esset, Troiam revertere, si adhuc salva staret, si adhuc tanta esset, quanta Hectore vivo fuit.

145. *Sed Tibridis undas.* Pro *Tibridis* Heinsius et cum eo multi recentiores editores ex uno Put. receperunt *Tibridas.* Sed recentissimi harum Epistolarum editores, Amar et Iahn, recte secuti sunt antiquam scripturam *Tibridis,* quae non parum etiam concinnitatis loco conciliat, sc. *non petis patrium Simoënta,* sed *Tibridis undas.* Arg. et pro var. Gronov. cod.: *bibis* pro *petis.*

146. *Eris.* Et hic Iahn interrogationem induxit, non solum non postulante, sed vel repugnante sententia. Nimirum *nempe* hic est particula, quae vocatur coniecturalis. Iam coniectari et cum affirmatione potest, et ita ut rei coniectae affirmationem ab eo, ad quem conversa oratio est, adhuc exspectes, hoc est, interroges. Hic autem nihil mihi langui-

Utque latet vitatque tuas abstrusa carinas,
Vix tibi continget terra petita seni.
Hos populos potius in dotem ambage remissa
Accipe, et advectas Pygmalionis opes.

dius ad sententiam videtur, quam Didonem, qua re Aenean commovere maxime studet, eam ita enuntiare, quasi eam nondum satis certo sciat. Interrogamus quidem saepe etiam, ubi rem persuasam habemus, nimirum quasi exprobrantes, et hoc ipsum fere fit cum partt. *videlicet, scilicet, nempe*; sed ea observatio an cadere in hunc locum possit, valde dubito, ac deinde et illud hic quaerendum nobis est, an interrogatio hoc loco praestet et necessaria sit. Vid. Epist. VI, 144., I, 44.

147. *Utque latet etc. Vitatque tuas* Put. cum aliis quibusdam Heinsii, etiam unus et alter e nostris; *abstrusa* etiam meliores Heinsii pro veterum editionum l. *refugitque tuas obstrusa*. In Reg., Iun. et VI aliis Heins.:

Utque iuvet ventusque tuas, remusque carinas.

et octo alii eodem fere modo, nisi quod *remus* et *ventus* transponant; Leidens.: *Utque iuvet velumque tuas ventusque carinas*; Scriverii: *Ut moveas remoque tuas ventoque carinas*; Erfurt.: *veloque t. remoque c.*; alius Heinsii: *Utque volet remusque tuis ventusque carinis*. Sed si sententiae rationem spectamus, vera videtur, quae satis magnam etiam codicum auctoritatem habet: *Utque latet vitatque* (ut post Heinsium editur) vel *refugitque* (ut ante Heinsium vulgabatur) *tuas abstrusa carinas*. Sensus est: *Nempe ut pervenias, quo cupis, hospes* (tamen) *ibi eris*; *et ut* (nunc) *latet et semper ante te recedere videtur* (ut tantis tamque longis tuis erroribus apparet), *vix senex eo* (in terram petitam) *pervenies. Quare hos potius pop. etc.* Controversia igitur una videtur esse, *refugitque* an *vitatque* germanum sit; quod posterius cum plures summae auctoritatis codices exhibeant, pro Ovidiano accipiendum videtur. Quam autem Burmannus ad sensum accommodatiorem putabat scripturam codicis Scriv., (atque eandem sententiam exhibent pleraeque aliae ll. varr.,) tam inepta hyperbole vix Ovidianae videtur elegantiae. Lectio *abstrusa* firmatur etiam verbo *latet*; solent enim poetae et inprimis noster sic a verbo praecedente adiectiva repetere. Vid. supra v. 35.

149. *Hos populos potius. Potius populos* cum quibusdam lege, ut versui consulatur. *Ambage remissa* deinde meliores. Sic *inceptum opus remittere* et *remittere fila* noster alibi, de quo diximus ad Art. A. II, 79. Similiter Horat. Sat. II, 5, 9.

Quando pauperiem missis ambagibus horres.

Sic *mora missa* Propert. III, 15. Heins. *Ambage*, sc. itinerum atque errorum; hinc *remota*, quod deteriores codices exhibent, etiam ad sententiam durissimum, ortumque videtur

Ilion in Tyriam transfer felicius urbem,
 Hancque loco regis sceptraque sacra tene.
Si tibi mens avida est belli, si quaerit Iulus,
 Unde suo partus Marte triumphus eat;

ex vulgari illa formula dicendi: *ambage remota.*

150. *Advectas.* Libri multi *adductas.* Put. Graeco more, ut saepissime, *Pygmalionos.* Virg. Aen. I, 363. *avari Pygmalionis opes,* ubi recte Heynius: *vis et acumen inest; scilicet, quas ille animo et spe iam praeceperat.* Nam veritate erant opes Sichaei a Pygmalione occisi, ut patet Virg. A. I, 359.

151. *Tyriam* urbem Carthaginem dicit, quia ipsa et eius socii ex urbe Tyro erant.

152. *Hancque loco regis. Hancque locum regni sceptraque s. t.,* lectionem, e vestigiis Barberini, Voss. et Leid. a se receptam hoc modo exponit Burmannus: Hanc urbem, non illam, quam in Italia quaeris, tene locum regni tui et ibi sceptra sacra habe. Sed *ibi* non est in contextu. Quomodo vero per appositionem dici possit: *hanc urbem, sceptra sacra tene,* ego me non capere fateor. Omnes ante Burmannum edd.: *Inque loco regis sceptra sacrata tene,* sensu ut probabili satis, ita languide enuntiato. Notat Heinsius ad h. l. in Leidensi esse: *Hancque loco;* in Barber. et Vossian.: *Inque locum;* in Puteaneo totum versum esse erasum, sed sic ut liqueat scriptum fuisse *sceptraque sacra;* monere autem Salmasium, a manu prima fuisse: *Nomine coregis,* unde eum fecisse: *nomine cum regis (sceptra sacrata tene).* Ipse vero Heinsius tentabat: *Nomine et hanc regis (sceptraque sacra tene).* Mihi probabilius videtur: *Nomen et hic regis sceptraque sacra tene.* Dictio est apud Ovidium non infrequens: *nomen tenere aliquod* vel *alicuius.* Sic Fast. II, 475.

 Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino.
 Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Fast. V, 239. Conf. etiam Epist. VIII, 2. Lenn. Mei prope omnes, plurimi Heinsii, et veteres editiones:

 Inque loco regis sceptraque sacra tene.

Margo Bersmanni, nonnulli Heinsii et ed. Nauger.:

 Inque loco regis, sceptra sacrata tene.

Heusinger e Guelf. 1. dedit:

 Inque loco regis regia sceptra tene.

Sed mihi ex ea scriptura glossa redolere videtur. Iahn:

 Hicque locum regis sceptraque sacra tene.

Nos cum Leidensi et Trev.:

 Hancque loco regis sceptraque sacra tene.

Hanc et *sceptra* copia poetica dictum, ut Metam. XIII, 649.

 — locumque et regna tenentem.

Conf. Metam. VI, 680. Neque prorsus contemnenda scriptura vulgata: *Ilion transfer Tyriam in urbem, et eam* (quod facile ex praecedenti suppletur) *et sceptra sacra in loco regis tene.*

154. *Triumphus eat.* Graphice et a more sumtum Romanorum.

Quem superet, ne quid desit, praebebimus hostem:
Hic pacis leges, hic locus arma capit.
Tu modo — per matrem, fraternaque tela, sagittas,
Perque fugae comites, Dardana sacra, deos!
Sic superent quoscumque tua de gente reportas,
Mars ferus et damni sit modus ille tui;
Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et senis Anchisae molliter ossa cubent! —
Parce precor domui, quae se tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis praeter amasse meum?
Non ego sum Phthias magnisque oriunda Mycenis,
Nec steterunt in te virque paterque meus.

155. *Quem superet. Quod superest* Put. et alii ex melioribus. *Heins.*

156. Sensus est: Hic locus et pacis otio artibusque et bellis convenit, hic bellum geri potest, locum habere potest, hic locus bella, arma capit. Cod. Trev. *dabit* pro *capit.*

157. *Per matrem, fraternaque. Per matrem* cum decem scriptis (vulgo *patrem*). De *patre* mox aget. Erfurtanus (Erfurtanus Kuinoelii habet *patrem* L.) *per Venerem,* quod alterius interpretamentum est. *Heins.* Recte Heinsius revocavit *per matrem,* quod etiam firmari videtur verbis, quibus iunctum est, *fraternaque tela,* matre dea posita iuxta filium, deum; ut supra v. 31.

160. *Damni — tui.* Et Mars ille ferus (atrox illud bellum Troianum) sit finis, modus malorum tuorum, *damni tui: damni tui* enim omnino legendum, non quod Heinsius aliique ex Erfurt. et Lovaniensi dederunt *damnis tuis.* Quae quidem scriptura praeter auctoritatem librorum etiam hoc praestare videtur, quod sic cacophonia illa *is sit* vitatur, tot literis *s* in hoc versu concurrentibus. Vid. ad v. 96. In singulari autem, ubi pluralem exspectes, minime haerendum. Vid. Epist. XII, 21., X, 141. Dicitur quidem etiam *modus* cum tertio casu, ut Fast. II, 556., Art. A. II, 25.; sed illud hoc loco non quaeritur.

162. *Molliter ossa cubent.* Bene *ossa quiescant,* ut est in Ibid. 303. Anchises enim apud Drepanum mortuus erat, antequam Aeneas Africae oris appulsus est. Virg. A. III, 709. sqq.

164. *Praeter amasse.* Haec est genuina lectio, quam Vaticanum exemplar habet. *Ciof.* Erf., nonnulli Heins., margo Bersm., et edd. Venn. et Vinc.: *amare;* reliqui ll.: *amasse.*

165. *Phthias.* Sic Put. cum emendatioribus IX aut X aliis (etiam Goth. 1., 2., Dresd., Erf., Helmst.; Trev. et Giess. *Phicias*). Vere. Femina *Phthias* et *Phthiotis.* Euripides Androm. choro 1.

Si pudet uxoris, non nupta sed hospita dicar;
 Dum tua sit Dido, quidlibet esse feret.
Nota mihi freta sunt Afrum frangentia litus;
 Temporibus certis dantque negantque viam.

Φθιὰς ὅμως ἔμολον ποτὶ σὰν Ἀσιήτιδα γύναν.

Apollon. Rhod. I, 53.

— καὶ τὸν μὲν ἐπ' Ἀμφρύσσοιο ῥοῇσιν
Μυρμίδονος κούρη Φθιὰς τέκεν Εὐπολέμεια.

Eurip. exemplum producit Stephanus Byzantinus in *Φθία*. HEINS. Non tamen damno *Phthia*, quia *Mycenis* sequitur, quas coniungit etiam Virg. A. I, 284.

Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Servitio premet.

Scribendum vero *magnisve* vel invitis libris, quorum multi habent *magnis oriunda*. BURM. Ego cum recentissimis editoribus insolentiorem eamque plurimorum veterum lib. auctoritate firmatam scripturam *Phthias* veram esse puto. *Phthias* dicit, quia *Phthia* patria Achillis, *Mycenis*, quia *Mycenae* patria Agamemnonis. Iahn recte revocavit *magnisque*, ut est in veteribus libris, quod ne tum quidem mutandum erat, si sententia particulam disiunctivam requireret; ut supra iam dictum est. Sententia ducta et haec e Virgilio est. Vid. A. IV, 425.

166. *Nec steterunt.* Sic Put. et Leidensis, margo Bersm. (etiam Dresd.) pro vulgata *steterant.* Recte. Virg. A. II, 774. *Obstupui steteruntque comae;* Epist. XIV, 72. *Expulerunt somnos;* conf. Fast. I, 592, II, 502, III, 65., Art. A. III, 405. et 188. Quae loca in vulgatis libris sunt depravata. Plura alibi dicemus. HEINS.

168. *Quidlibet.* Put. et alii meliores *quodlibet,* quod Heins., Burm., alii dederunt. Sed plurimi tamen libri cum veteribus edd. tuentur *quidlibet,* quod cum Iahno restituendum putavi, praesertim cum *quodlibet* fere pro adiectivo, *quidlibet* autem pro substantivo vulgo usurpetur. Prop. II, 2, 18.

Si cuivis nuptae quidlibet esse licet.

Conf. Epist. XII, 25.

169. *Frangentia.* Ita est in nonnullis Heinsii, in Vaticano aliisque melioribus Ciofani, etiam in meis, praeter Erfurt., qui cum nonnullis Heinsianis et quibusdam vett. edd. exhibet: *tangentia.* Heinsius coniiciebat *plangentia,* fluctus enim a litore *frangi* passim poetis dici, non litus a fluctibus; contra quem disputans Burmannus „Dubito, ait, an perpetuo vera sit Heinsii observatio, et aeque litora *frangi* a fluctibus dici deprehendo, ac fluctus a litoribus. Idem Priscian. in Periegesi dixit:

— rapido quod frangit gurgite saxa.“

Et recte; quemadmodum enim saxa et scopuli in litore *exedi cavarique,* ita recte quoque *frangi a fluctibus* dicuntur. Hor. Od. I, 31, 8. *Mordet aqua* (sc.

Cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis;
  Nunc levis eiectam continet alga ratem.
Tempus ut observem, manda mihi: certius ibis,
  Nec te, si cupias, ipsa manere sinam.
Et socii requiem poscunt, laniataque classis
  Postulat exiguas semirefecta moras.
Pro meritis et si qua tibi debebimus ultra,
  Pro spe coniugii tempora parva peto.

rura); Lucil. Iun. Aetn. 110. (in Wernsdorf. Poet. min. IV. P. I. p. 111.) *Lympha edit humum.* Vid. Mitscherl. ad Hor. l. l. *Radentia* placet Burmanno Sec. Anth. Lat. T. I. p. 490., Scaligero *mutantia.* Miror, viros illos doctos in lectione haerere, pro qua ipsa natura loquatur, praesertim hoc loco, ubi illud *frangentia* cum vi positum videtur, ad violentiam illius maris significandam.

171. *Carbasa.* Species pro genere; erat enim carbasus genus lintei tenuissimi et pretiosissimi. Virg. XI, 775., Curt. VIII, 9, 21. ibique interpp.

172. *Continet alga ratem. Algae eiectae* concitatum mare significant, igiturque retinent naves ab itinere. Hom. Iliad. IX, 4. sqq., Virg. Aen. VII, 590.

173. *Certius ibis.* Sunt qui *serius* malint. *Egnat.* (Et sic est in Trev., Guelf. 1., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd.) *Certius* legendum ex probatissimis libris. *Ciof.* Francof. pro var. l.: *tutius.*

174. *Si cupias, ipsa.* Trev., Guelf. 1., 2., 4., Goth. 2., Erf., Dresd., Monac., Victor. et si ex his, qui diligentius excussi sunt, coniicere licet, permulti quoque Heinsii codd. cum veteribus edd.: *si cupias* pro vulgata: *si cupies,* quod cum Iahno recepimus. Idem Iahn recte scripsit *ipsa* pro *ipse,* idque coniunxit cum *sinam,* ut est in plurimis codicibus et vett. edd., quod etiam iuvare sententiam videtur.

Si pro *etsi;* Cic. ad Att. V, 4., Liv. VII, 32. Vid. Acidal. ad Vell. Paterc. II, 99., Cort. ad Sallust. Iug. 85. 48., Graev. ad Cic. Fam. XII, 2. *Kuinoel.*

175. *Laniataque. Lacerataque* malebat Boltius Silv. Crit. p. 104., ipse tamen in praesidium vulgatae e Sallust. Fragment. p. 990. Ed. Cort. *laniata* excitans *navigia. Lenn.*

177. *Debebimus ultra.* Neque verba Ovidii, neque Heinsii interpretationem: *Si quid tibi debebimus, quod vincat mea beneficia,* satis recte capio, nec puto nos obtestari et precari per ea, quae debemus alteri; neque etiam *debere ultro* eleganter dici. Quare Vossiani cod. scripturam sequimur et legimus: *si qua tibi praebebimus ultra.* Rogat, ut aliquid sibi reddat pro tot meritis, quibus iam eum prosequuta sit, et pro illis, quae adhuc praeter ea libens est praebitura. Idem ut dicat, quod Phyllis Demophoonti Epist. II, 110.

Dum freta mitescunt, et amor dum temperat usum,
  Fortiter edisco tristia posse pati.
Sin minus, est animus nobis effundere vitam:
  In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam, quae sit scribentis imago:
  Scribimus, et gremio Troicus ensis adest;
Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem,
  Qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit.

Munera multa dedi, multa datura fui.

Praebebimus etiam cod. Douzae. Si quis *ultro*, ut est in Put. et Arg., malit, non valde repugnabo. *Burm.* Iahn cum Werfero retinuit vulgatam, eamque Werferi verbis interpretatur: *Si qua tibi ultra beneficia mea debebimus*, cuius sensum ego non satis intelligo. Cogitabam olim cum Heinsio intelligendum: „si qua ultra merita mea tu mihi daturus es, ego tibi debebo", et fortasse idem voluit Werfer; sed ea sententia nihil hoc loco potest esse languidius. Iudicent peritiores.

179. *Amor dum temperat usum.* Put.: *dum temperet usum*; sed sic ut in voce *usum* prima scriptura sit erasa; unde Salmasius teste Meziriaco:

Dum freta mitescunt et amor, dum tempore et usu
Fortiter edisco tristia posse pati.

cui nos subscribimus; nam et ex nostris nonnulli *temperet usum*, vel *usus*, et alter Ment. *temperet usu.* Posset etiam legi:

Dum freta mitescunt, et amorem temperet usus.
Heins.

Vulgata paullo audacior sane est; est enim *amor dum temperat usum* pro *dum amor usum remittit, remissiorem facit*, h. e. *usus amoris temperatior, remissior factus est*; sed tamen a poetae ratione non videtur abhorrere. De re, Remed. A. 503. *Intrat amor mentes usu; dediscitur usu.* Douza *temperat usu* pro *temperatur*, i. e. *tolerabilis fit*, capiebat.

180. *Edisco.* Meliores omnes *edisco. Heins.* Et mei fere omnes, Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., 2., Dresd., Erf., Helmst., et a m. sec. Trev. et edd. Venn.; Guelf. 1., Giess., edd. Nauger., Vinc., Micyll. et Bersm.: *ediscam*, et sic nuper rescripsit Iahn. Mihi si ad sententiam optio daretur, certe *edisco*, ut vividius, facile praeferrem, quam l. nunc, cum maior etiam accedat auctoritas codicum, restituere minime dubitandum puto. Ceterum et hoc loco vestigia Virgilii premit. Aen. IV, 429—435.

181. *Sin minus.* Trev., Helmst., Guelf. omnes, et edd. Venn.: *si minus*, probante utroque Heusingero, quod codices apud Ovidium ubique exhibere monet Heinsius ad Remed. Am. 478.

184. *Troicus ensis.* Nimirum ensis, quem Aenean thalamo fixum reliquisse canit Virg. IV, 495. 507. 647. Conf. Aen. I, 248. ibique interpretes. De

Quam bene conveniunt fato tua munera nostro:
Instruis impensa nostra sepulcra brevi.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus saevi vulnus Amoris habet.
Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae,
Iam dabis in cineres ultima dona meos.
Nec, consumta rogis, inscribar: Elissa Sichaei;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:

forma *Troicus* vid. ad Epist. I, 28. Tres Heins.: *in gremio.*

187. *Quam bene.* Cum ironia.

188. *Impensa.* Argute; impensa non pro sumptu capiendum, quod volunt interpretes, sed pro re qualibet ad ornandum sepulcrum idonea. Apud Iuv. Sat. III, 216.

Ardet adhuc, et iam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas; hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris aut Polycleti.

Vides per *impensas* marmor et statuas designari, quae ad instaurandam et ornandam domum exustam ab amicis conferebantur. *Instruere* pro *ornare* dictum Fast. II, 318., quomodo *instruere hortos* Tacito XV., *Asiam novis urbibus instruere* Tertulliano de Pallio. Heins. De *impensa* hac significatione vid. Forcell. *Brevi,* exigua, parva, ut *brevis census* Horat. Od. II, 15, 13.

189. *Primo. Primo telo* codex alter Reg. et Erfurtanus. Placet. Vid. Art. A. I, 36. et II, 571. et ad Claud. in Rufin. I, 304. Heins. *Primo* etiam Guelf. 1., Trev. et Goth. 1.

191. *Anna soror.* De sorore hac Didonis vid. Virg. A. IV., Ovid. Fast. III. *Culpae.* Vid. supra v. 97. *Conscia,* et hoc Virgilianum est.

192. *Ultima dona.* Amor. III, 9, 49.

Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater, et in cineres ultima dona tulit.

Quaenam ea dona sint, docet Kirchm. de Fun.

193. *Elissa Sichaei.* Ita *Caecilia Metelli* in veteri lapide. Vid. Pigh. ad Val. Max. I, 5. et 8. Heins. Sic apud Lucan. II, 343.

— liceat tumulo scripsisse: Catonis
Marcia.

Vid. Perizon. Dissert. 1. p. 18.

194. *In tumuli marmore.* Cod. Strozzae et Erfurt. *tituli,* de qua l. miror Burmannum tot verba perdere, cum l. *tumuli* et veterum edd. et reliquorum quoque codicum omnium auctoritate sit firmata, et optime quadret ad sententiam. Virg. Ecl. V, 42. *tumulo superaddite carmen.* Vid. ad Epist. VIII, 120. De *tamen* vid. ad Epist. I, 2.

195. *Praebuit.* Repetit hoc distichon Fast. III, 549., et Art. A. III, 39. eandem expressit sententiam, ubi est:

Praebuit Aeneas et causam mortis et ensem;
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

Et famam pietatis habet, tamen hospes et ensem
Praebuit et causam mortis, Elissa, tuae.

196. *Usa manu.* Mss. plurimi hic et Fast. l. l. habent *icta manu.* Vereor, ut accurate Heinsius codices inspexerit; nam ex XI meis nonnisi duo, iique levioris auctoritatis, l. *icta* tuentur, Erfurt. et Giess.; reliqui exhibent *usa manu.*

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTI.

Profectus Menelaus ad bellum Troianum unicam ex Helena filiam, Hermionen, parvulam reliquerat. Hanc, cum durante bello adolevisset, Tyndareus avus Oresti, Agamemnonis et Clytaemnestrae filio, despondit. Cuius rei Menelaus ignarus eam promisit alteri viro, Pyrrho, Achillis filio. Is igitur cum a bello Troiano rediisset, Hermionen invitam, ut quae prioris sponsi amorem praeferret, secum in Thessaliam abduxit indignoque eam modo captam retinuit.

In hoc miserrimo statu Hermione Oresti hanc scribit Epistolam. — Sophocl. Hermione apud Eustath. ad Hom. Odyss. IV., Hyg. F. 123., Pausan. I. Conf. Euripid. Orest. et Androm. Vid. Meziriac. dict. lib. T. II. p. 238. sqq.

(Alloquor Hermione nuper fratremque virumque,
Nunc fratrem; nomen coniugis alter habet.)

1. 2. Hi versus nonnisi in Goth. 1., editione Aldina, et in margine unius codicis Heinsiani a recentiori manu exstant; ex tot enim horum carminum codicibus, quos Nauger., Ciofanus, Micyllus, Heinsius, Wiedeburg, Heusinger inspexerunt, ne unus quidem eos agnoscit. Quare videntur esse supposititii. Nam quod Lennepius cum Micyllo ad eos Ovidio vindicandos primum attulit, Epistolam his versibus sublatis ἀκέφαλον relinqui, cave magni momenti ducas; quid enim tum facias Epistolis VII., XI. et XII., quas profecto multo maiore iure ἀκεφάλους dixeris? Atque ut dicam quod sentio, nihil ego hic truncati video; quin aptissimum videtur, ut Hermione, tantis pressa malis, ab ipso eorum malorum auctore scribere incipiat: *Pyrrhus Achillides etc.* Summa argumenti, quam viri illi docti his versibus contineri confirmant, satis indicatur vss. 3—10.; et quam paucae harum Epistolarum in principio versus habent, quibus summa argumenti contineatur! Quod autem alioquin ad versum 59. usque frustra quaeri nomen scribentis dicunt, nihili est; nam primum etiamsi ad illum usque versum expresso quidem verbo nomen dictum non est, tamen satis illud apparet vss. 9., 15., 19. et 20., nec illud contra morem Ovidii est, ut nomen scribentis post aliquot demum versus indicet. Vid. Epist. IX., et inprimis Epist. X., in qua nomen scribentis nusquam indicatum est. De colore denique Ovidiano ve-

Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
Inclusam contra iusque piumque tenet.
Quod potui, renui; ne non invita tenerer;
Cetera femineae non valuere manus.

rum est, eos aliquid acuminis Ovidiani prae se ferre, sed verum quoque videtur, haud ita magno poeta opus esse, qui unum aut alterum versum ad similitudinem Ovidianorum, vel potius hos duos, de quibus agitur, ex versibus, qui infra sequuntur, 28. et 29. possit conficere.

3. *Achillides.* Sic bene Puteaneus hic ut in Ibide v. 301. pro *Achilleides;* sic *Atrides, Aegides, Pelides, Belides, Phinides, Thesides, Driantides, Promethides, Oenides, Amphiaraides* et similia apud nostrum. *Heins.* *Achillides* etiam nostri fere omnes. *Pyrrhus* autem dictus est a patris sui nomine, qui cum in Scyro inter Lycomedis filias lateret, Pyrrha vocabatur, auctore Hygino F. 46. et 97. De eodem vid. etiam ad Epist. III, 136., et Meziriac. ad hunc locum.

Animosus. Achilles ipse *animosus* dicitur apud Horat. Sat. I, 7, 12. Erat igitur huius *imagine,* ad exemplum huius, *animosus* etiam filius Pyrrhus. Sic Epp. ex Pont. II, 8, 31.

Perque tibi similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest.

De *imagine* Achillis proprie sic dicta, quam in domus suae atrio Pyrrhus collocatam habuerit, poetam h. l. cogitasse, et sic mores sui temporis, suae civitatis alii aevo atque genti accommodasse, quae sententia est Nodellii Not. Crit. cap. VI. p. 99. minus mihi verisimile videtur. *Lenn.* Mihi non tantum minus verisimile videtur, sed eam Nodellii sententiam ineptam et ridiculam esse existimo. Ceterum ego vocem *animosus* malim in malam partem sumi, fere pro *audax, superbus.* Vid. infra v. 43.

4. *Iusque piumque.* Est idem quod *ius et fas;* vid. ad Petron. 108. *Burm.*

5. *Quod potui.* Erfurt. et pro varia l. Ment. 2.: *quam potui,* cum glossa: *quantum;* Gottorph.: *qua;* alius: *quo.* Sed *quod* verum est; neque tamen cum Burmanno ita h. l. accipiendum est, ut sit *quam, quantum,* licet eo significatu saepe legatur; sed sensus est: *Quod* (*unum*) *potui* (facere), *renui, ne non invita tenerer;* (cui apte respondet): *Cetera femineae non valuere manus, cetera in mea potestate non fuerunt.* Eadem sententia est Epist. XVII, 24.

Cum sim rapta, meum quid nisi nolle fuit?

ubi *nolle* est, quod hic *renuere.* Est autem illa locutio apud Ovidium frequentissima. Epist. X, 53., XIII, 41., Trist. IV, 2, 57., Pont. II, 10, 45., Metam. I, 655., IV, 684., VI, 203., VII, 147., Fast. V, 472. Cod. Seidl.: *feci, ne.*

7. *Aeacide.* Lege *Aeacida,* et vid. ad Epist. III, 87. et mox ad v. 9. *Heins.* Aeacides ab Aeaco,

„Quid facis, Aeacide? Non sum sine vindice“ dixi;
„Haec tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.“
Surdior ille freto clamantem nomen Orestis
Traxit inornatis in sua tecta comis.
Quid gravius capta Lacedaemone serva tulissem,
Si raperet Graias barbara turba nurus?
Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix,
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.

Pyrrhi proavo, patre Pelei. Iliad. XXI, 189., Apollod. III.

8. *Suo.* Seidl., etiam unus et alter ex nostris: *domino est—suo.*

9. *Orestis.* Put.: *Orestes*; lege *Orestae;* non enim aliter sec. et tert. casum eius nominis meliore aevo efferebant, nisi quod Prisc. VI. notet, Ciceronem et Sallust. semel *Orestis* sec. casu enuntiasse; *Oresti* est apud Gell. III. c. 10. *Orestes Orestae, Thyestes Thyestae, Geriones Gerionae, Pylades Pyladae.* Trist. I, 9., Amor. II, 6, 15., Pont. II, 3. Hinc et *Oresta* non semel apud nostrum. Patavin.: *Oresti,* quomodo Priscianus *Bootes Bootae et Booti. Thyestae* apud Martial. non uno in loco; *Thyesta* in vocativo Senec. in Thyeste saepe. Ita et versu 15. *Oresta* legendum. Cic. Disp. Tusc. III. *Stultissime Aecta* et ibidem *Thyesta;* sic iisdem in libris Cic. *Philocteta,* ut noster Metam. XIII, 329. ex mss.; hinc *Philoctetae fama* Pont. III, 1., *Philoctetae crura* Propertio, et *Philoctetae murus* Virg. A. III.; *Geriones, ae* Virg. A. VIII, 202.; *Bootae* apud nostrum sec. casu passim, apud Avien. tamen Descript. Orb. *Bootis* frequenter. Vid. Serv. ad Virg. VII, 662. *Heins.* In tanto librorum consensu mutare non audeo; nam ad analogiam talia omnia revocare non satis tutum est, et *Orestis* Cic. apud Prisc. p. 705., de Fin. II, 24. extr., Vell. Pat. I, 1., I, 2., Hyg. saepius, quae exempla congessit Schneider Gramm. Lat. T. II. p. 41. *Freto surdior,* idem Metam. XIV, 711., ubi de hoc proverb. vid. Heins. Vid. etiam ad Epist. X, 110. et Burm. ad Propert. I, 10, 16.

10. *Traxit.* Cod. Basil.: *Tradit; in sua castra* Gronov.

11. *Quid gravius.* Sic Fast. IV, 593.

Quid gravius, victore Gyge, captiva tulissem?

Multi codd.: *fuissem.* Francius malebat *Dardana* pro *barbara,* ut Epist. I, 26. *Burm.* Quoties si speciem innuimus, generatim enuntiamus? Nimirum tum, si species, quae designatur, ex loci ratione nota est; et *barbara* maiorem habet vim, et sic est in libris.

12. *Nurus,* pro quibuscunque nuptis et latiore significatione pro quibuscunque feminis, Ovidio inprimis solemnis vox.

13. *Andromachen vexavit. Andromacha* post excisam Troiam Pyrrho, Achillis filio, in praedam cessit et in Graeciam abducta est (Lesches apud Ztetz. ad Lycophr., Dictys Cret. V, 13.)

At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste,
  Iniice non timidas in tua iura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
  Arma feras? rapta coniuge lentus eris?
Sit socer exemplo, nuptae repetitor ademtae,
  Cui pia militiae causa puella fuit.
Si socer ignavus vacua stertisset in aula,
  Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.

et Pyrrho pro uxore fuit, qui eam postea Heleno, Priami filio et fratri Hectoris, uxorem dedit. Iustin. XVII., Pausan. Attic.; atque eo sensu *parcius* hic ab Graecis *vexata* dicitur.

Achaia. A parte totum. Conf. Epist. XVI, 185. *Ciof.*

15. *Cura—pia.* Quidam codd.: *Si te iam* aut *nunc tangit;* cod. Balliolensis: *At te causa mei si te pia t.*; sed *pia cura* rectum est, sc. cura, quae cum pietate est vel pietatis. Eodem modo Amor. II, 16, 47.

Si qua mei tamen est in te pia
  cura relicta —

Cura mei te tangit. Liv. III, 17. *Si vos urbis, si vestri nulla cura tangit; at veremini deos.* Seidl. et maior pars meorum: *Orestes;* idem: *non te.*

16. *Iniice — manus.* Vindica me tibi. *Iniicere manus* verbum est iuris et significat manu capere, sibi vindicare, possessionem alicuius rei aut personae apprehendere, tanquam si nostri sit iuris. Vid. Forcellin. in v. *iniicere,* interpp. ad Liv. III, 44., Matthiae ad Cic. pro Murena c. 12., Donat. ad Terent. Adelph. II, 1, 40. et Brisson. de Formul. V. p. 365.

17. *Reclusis.* Burmann. ad hunc locum non satis grave verbum nec aptum existimavit raptori, qui vi effringere fores fingendus esset, unde ipse *revulsis* malebat. Assensus est ei Ruhnken. in Dictatis, ubi provocat ad Lucani III, 115. *Refrangere* tamen et *recludere* coniunxit Plautus Capt. IV, 4, 10.

Cellas refregit omnes reclusitque
  armarium.

Lenn.

Nec nostrum est, quanta cum vi quoque loco poeta loqui debeat, praefinire, nec quanta loqui voluerit, pro certo affirmare. Ceterum Meziriac. ad hunc versum adnotat, locum hunc expressum esse ex antiquitate, qua possessiones, opes pecoribus potissimum et agris constabant. Cod. Seidl.: *At si.*

20. 21. Hi versus in plerisque codd. desunt. Male. *Heins.* Etiam in omnibus meis.

Stertisset. Miror interpp. tam secure transire verbum *stertisset,* cum certe barbarum sit; dicendum enim *stertuisset,* quod respuit lex carminis. Vid. Voss. de Analog. III. c. 31. Edd. Venn. et Gryphii cum Palatino cod.: *stetisset,* quod aeque vitiosum, nec versus admittit. Margo Micylli et Bersmanni *sedisset,* quod recipi posset; *sedere* enim proprie est desidis et inertis, ut vulgo notissimum; et in hanc sententiam Virg Georg. III, 456.

Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis,
  Nec numeros Danai militis; ipse veni.
Sic quoque eram repetenda tamen, nec turpe marito,
  Aspera pro caro bella tulisse toro.
Quid, quod avus nobis idem Pelopeius Atreus,
  Et, si non esses vir mihi, frater eras?

— meliora deos sedet omnia poscens.
Burm.

Vid. etiam Forcell. in v. *sedere.* Eidem Burmanno non displicebat l. Regii et unius Heinsiani (quam etiam Seidl. exhibet): *plorasset;* verum *sedisset* magis respondet verbis *lentus eris,* et *plorare* magis mulieris; sed neque *sedisset* retineri potest, reclamantibus codd. scripturam: *stertisset;* nam in forma illa non haerendum docet Rudimann. Gramm. Lat. T. I, p. 254. Conf. Burm. Sec. ad Propert. III, 6, 37. *Vacua.* Quod nunc vulgo legitur *vidua in aula,* ex uno Regio et duobus aliis suis codd. induxit Heinsius; idem exhibet Seidl.; reliqui codices omnes cum veteribus edd.: *vacua,* quod et idem ferri potest. Sic *vacuus torus* Amor. III, 10, 2., et *viduus lectus* Epist. I, 81. Vid. ad Epist. I, 7. Terent. Adelph. IV, 5, 59.

Credebas dormienti haec tibi confecturos deos.

Socer, Menelaus, pater Hermionae.

23. *Mille rates.* Vid. ad Epist. XIII, 97.

Meliores *Nec tu mille* pro vulgata *Non tu mille;* deinde *pararis* Putean. et Barber. (etiam Gu. 1., 2., 4.) pro *parabis.* Bene. *Heins.* Vossian. cod.: *Nec mihi mille,* quod valde placet Burmanno, mihi autem valde displicet; nam sive ita accipias, ut *παρέλκη,* sive ut valeat *in meam gratiam,* ut me vindices a raptu, nescio quid affectati habere videtur; et *tu* cum vi opponitur verbo *socer,* nec certe gratum est auribus *Nec mihi mille,* et quid codices? Seidl.: *numerosaque vela.*

24. *Nec numeros. Numeros* Put., Gottorph. et Ambros. pro vulgata *numerum;* sic *numeri militares* passim pro catervae, cohortes. Vid. Lindenbr. ad Amm. Marcell. XIV, 7. et Torrent. (et Ernest.) ad Suet. Vespas. 6. Cassiodor. Hist. I. *Romanorum cohortes nunc numeri vocantur.* Ne vero quis dubitet hoc sensu iam aevo Nasonis *numeros* dictos esse, ita Amor. III, 9.

Auxisti numeros culte Tibulle pios.
Burm.

Numeros etiam Dresd.; Seidl.: *numero.* De sententiae forma conf. Remed. A. 229. Iahn: *numerum.*

25. *Sic quoque.* Sed tamen si opus esset, deberes etiam sic, sc. cum classibus et exercitu, me in libertatem vindicare.

27. *Pelopeius.* Pelopis filius.

28. *Frater. Frater* absolute pro frater patruelis; sic Aiax Metam. XIII, 31. Achillem fratrem dicit, qui erat filius Pelei, patrui sui; eodem signifi-

Vir precor uxori, frater succurre sorori:
  Instant officio nomina bina tuo.
Me tibi Tyndareus, vita gravis auctor et annis,
  Tradidit: arbitrium neptis habebat avus;
At pater Aeacidae promiserat inscius acti;
  Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.

catu *frater* saepius legitur in Epist. XIV.

31. *Me tibi Tyndareus.* Serv. ad Virg. A. III, 328. *hanc*, inquit, *Hermionen quidam dicunt, cum Oresti esset desponsata, post a Menelao apud Troiam, admirante virtutem Pyrrhi, esse promissam: alii dicunt a Menelao quidem apud Ilium Pyrrho desponsatam; sed a Tyndareo Oresti, morante apud Troiam Pyrrho, ut quidam, promissam, ut quidam, coniunctam tradunt etc.* Posteriorem traditionem, quam primum a Sophocle vulgatam, cuius Tragoedia fuit Ἑρμιόνη, verosimile fit ex Eustathio ad Hom. Od. IV. p. 1479., sequitur in h. Epist. noster. Conf. Meziriac. Tom. II. p. 289. sqq. LENN.

Tyndareos cod. Leidens., et sic edd. Venn.; ita *Androgeos* Ep. X, 99. Sic et alia similiter nomina Graeca pronuntiatione extulit. HEINS.

Sed in hac re audiendi sunt vetusti libri, ut dictum est supra.

33. *Promiserat etc. Promiserit* Putean.; deinde in Put. deest *qui*; idem cum aliis nonnullis Heinsii et quibusdam e meis *posset avus* pro vulg. *possit.* Heinsius coniecit: *Plus quo, qui* (vel *quod*) *prior est ordine, posset avus*; Burmannus scribendum putabat: *At pater Aeacidae promiserit; inscius acti, Plus quoque, qui prior est ordine, possit avo*; sed tamen edidit:

At pater Aeacidae promiserit inscius acti;
  Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.

Fr. Heusinger coniecit et Conr. Heusinger edidit:

Ut pater Aeacidae promiserit inscius acti;
  Plus quoque, qui prior est ordine, posset avus.

Sed, quam retinuimus, vulgata sana est et incorrupta, cuius sensus esse videtur hic: *Me tibi Tyndareus avus, qui utique arbitrium neptis habebat* (praesertim te in bello domo absente), *despondit*; *pater autem inscius huius rei* (me iam desponsam) *Pyrrho promisit;* accedit, quod *qui prior est ordine* (qui prius promisit, despondit) *huius promissum plus quoque valere debet;* (ac praeterea) *cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat* (nemini meo connubio iniuria fiebat, cum libera essem nullique promissa); *si iungar Pyrrho*, (aliquis sc.) *tu mihi laesus eris* (tibi iniuria fiet). (Denique ne de aequo et iusto plura dicam) *pater ignoscet meo amori* (me ei [tibi] nubere, cui cupiam), *siquidem et ipse vim amoris persenserit.* Ex qua interpretatione patet, quo iure Lennep ad hunc locum dixerit, *posset* an *possit* h. l. legas, non multum referre.

Cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat;
Si iungar Pyrrho, tu mihi laesus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori;
Succubuit telis praepetis ipse dei:
Quem sibi permisit, genero concedet amorem;
Proderit exemplo mater amata suo.
Tu mihi, quod matri pater, es; quas egerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu, quae referas, acta parentis habes:

Eandem scripturam atque eandem prope interpretationem secutus est Iahn, nisi quod verba *qui prior est ordine* de aetate intelligere videtur; interpretatur enim: *Accedit quod avus etiam plus auctoritatis habet.* Quam autem idem novam distinctionem proposuit: *habebat avus. At p. A. promiserat. — Inscius acti* (sc. *promisit*); *Plus quoque, q. p. c. o., possit avus.* mihi quidem nimis quaesita et Ovidiana carere simplicitate videtur. Sententia v. 34. an iuri communi vel Romano conveniat, recte adnotavit Lennep, cum Burmanno minime esse quaerendum. Seidl.: *Et pater.*

38. *Succubuit.* Helenae amore captus est.

39. *Concedet.* Pro nunc vulgata *permittet* plerique Heinsii codices et mei omnes et veteres editiones: *concedet,* quod quidem mihi etiam aptius videtur ad sententiam; opponuntur enim sibi *permisit* et *concedet,* condonabit, veniam dabit, (*die Liebe, welche er sich erlaubte, wird er seinem Eidam verzeihen, nachsehen*); et respondere videtur *concedet* praecedenti *ignoscet. Concedere* autem hoc significatu habes Epist. VII, 71.

40. *Amata,* sc. ab ipso Menelao. Quod ipse matrem meam amavit, hoc exemplum mihi commodo erit. Conf. Epist. II, 76.

41. *Quas egerat.* Pro *gesserat* repone ex Puteaneo (neque aliter Barber., Hafniens., Ment., Francof., Goth. 2., Giess. cum excerptis Gallicanis) *egerat,* cum quod Latinior sit ea lectio, tum quod elegans sit repetitio illa *agit;* et ita statim praestat *acta parentis habes* cum praestantioribus codd. pro *facta* vulgatae, quia praecessit *superbiat actis.* Similis repetitio est Metam. XI, 222.

— mater eris iuveni, qui fortibus actis
Acta patris vincet.

Heins.

Egerat recte. Art. A. II, 294.

— partes illa potentis agat.

et ita passim locutione ex scena desumta. *Burm.* Conf. Epist. II, 78. *Dardanius,* Paris. Cod. Seidl.: *Tu mihi es, quod matri pater est.* Idem v. 43. *patris.*

44. *Et tu.* In Iahni editione pro *Et tu* est *Et tua,* sine du-

Tantalides omnes ipsumque regebat Achillem;
Hic pars militiae, dux erat ille ducum.
Tu quoque habes proavum Pelopem Pelopisque parentem;
Si melius numeres, a Iove quintus eris.
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater.

bio, errore typographi; nam *Et tu* reclamant et libri et sane etiam sententia, in qua *Et tu* respondet voci *ille* versus praecedentis, etiam illud *Tu quoque* versus 47.

45. *Tantalides,* Agamemnon; conf. Metam. XII, 626. Nam Agamemnona Atrei filium fuisse dictum est supra et notum ex Homero est; Atreus autem fuit Pelopis (Hyg. 86—88), Pelops Tantali (Hyg. 83.), Tantalus Iovis. Hyg. 82. et Pausan. Corinth. Cod. Put.: *pelebat.*

46. *Hic pars militiae etc.* Hunc locum expressit Senec. in Agamemn.

> Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum.
>
> Ciof.

Pars militiae. Quo claritatem Agamemnonis extollat, minuit magnitudinem Achillis *partem* vocando militiae, quod est *militum,* ut est Val. Max. I, 6. Sic *servitium* pro servis Flor. I, 1. ubi vid. Duker. Quod non satis perspexisse videtur Broukhus., cum scribere mallet *dux* pro *pars.* De Agamemnone, Graecorum in bello Troiano duce, omnia ex Homero nota. Conf. Thucyd. I.

47. *Tu quoque,* ut Pyrrhus (vid. ad Epist. III, 73.), inter *maiores* tuos numeras. *Proavus* hoc significatu Hor. Art. P. v. 270. Duo Heinsii codices: *Pelopen.*

48. *Si melius numeres.* Cod. Douzae *Altius enumeres.* Lennep certissimam dixit et recepit emendationem Nodellii Obss. Crit. II. p. 16.: *Si medios numeres,* probatam etiam Wyttenbachio Bibl. Crit. Vol. II. P. III. p. 95. Sed mihi cum Werfero et Iahno recta videtur omnium veterum lectio librorum: *Si melius numeres:* saepe enim pro positivo, si qua vis inest, Latinis ponitur comparativus. Epist. II, 7.

> Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes.

Cod. Trev.: *Et bene si numeres.*

A Iove. Lege *ab Iove.* Sic alibi semper apud nostrum in optimis membranis. Monui Fast. I, 236. Heins. Ex Pont. I, 7, 50. tamen libris consentientibus est *A Iove. Quintus.* Vid. ad v. 45. et conf. Meziriac. l. l. p. 327.

50. *Induit illa pater.* Vulgo: *induit illa patrem,* ut ad matrem Orestis referatur et ad vestem impeditam, qua illa Agamemnonem indutum et implicatum Aegistho trucidandum obiecerat, ut Seneca in Tragoedia auctor est. Verum haud scio, an eorum l. sit simplicior, qui legunt: *induit illa pater;* ut intelligas, patrem induisse arma illa invidiosa Oresti, h. e., fuisse caussam, cur ille arma sumeret, pietate videlicet postulante,

Materia vellem fortis meliore fuisses; —
  Non lecta est operi sed data causa tuo; —
Hanc tamen implesti, iuguloque Aegisthus aperto
  Tecta cruentavit, quae pater ante tuus.
Increpat Aeacides, laudemque in crimina vertit,
  Et tamen adspectus sustinet ille meos.

ut caedem patris filius ulcisceretur. *MICYLL.* *Induit illa pater* recte Put. (et sic iam Nauger correxit, confirmatque margo Bersm.); reliqui *patrem*. Art. A. I.

Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque.

Liv. XXX, 13. *Nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.* Conf. Sil. It. XIV, 292., Val. Flacc. VII, 90. *HEINS.*

51. *Materia.* Trist. III, 5, 21.

Di tibi, posse tuos, tribuant, defendere semper,
  Quos in materia prosperiore iuves.

52. *Operi.* Aut *operae* legendum, aut hic versus parenthesi includendus, ut *Hanc tamen implesti* ad praecedens *Materia* referatur; nam in uno Moreti erat: *Hanc caussam implesti.* *BURM.*

Sensus est: *Vellem meliore materia* (caussa, re) *fortis fuisses;* (sed quod te excusat, invidiam facti tollit) *non lecta est* (a te ipso) *caussa, materia, res, sed data tibi est* (coactus eam suscepisti); *sed tamen eam implesti, immerhin hast du sie aber doch ausgeführt, und etc.* Nam *implesti* hoc loco fere est *perfecisti*, ut *implere consilia* et similia, de qua re vid. Forcell. Eodem modo *materia et caussa* sese excipiunt Amor. I, 3, 19. 20.

Te mihi materiem felicem in carmina praebe:
  Provenient causa carmina digna sua.

Data vero caussa illa Oresti est, si Euripidi fides habenda, ab ipso Apolline. Orest. 28.

Φοίβου δ' ἀδικίαν μὲν τί δεῖ κατηγορεῖν;
Πείθει δ' Ὀρέστην μητέρ', ἥ σφ' ἐγείνατο,
Κτεῖναι.

Eleganter autem caedem matris innuit quidem, sed non expressis verbis enuntiat. Tangit enim historiam Orestis, qui Clytaemnestram matrem adulteram cum Aegistho, qui ipsa adiuvante Agamemnonem interfecerat, occidit. Quod argumentum *τραγικώτατον* veteres poetae certatim tractarunt, Aeschyl. Eumenid., Sophocl. Electr., Eurip. Orest., Iphigen. Taur. et Electr. Conf. Hyg. 119. Eadem cum elegantia caedem Aegisthi, adulteri, vividissimis pingit coloribus.

54. *Quae pater ante.* Sequitur hoc loco poeta Sophoclem (Electr.), qui Aegisthum, auctor est, ab Oreste in eodem cubiculo, quo ab Aegistho Agamemnonem, occisum esse.

56. *Adspectus.* Scriv. et Bas. *amplexus.* Perperam; nec enim Hermione rapta et invita amplecteretur Pyrrhum. Flor. II, 18. *Ut ne oculos quidem aut vocem Nu-*

Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quisquamne obiecit Oresti? —
Nec mihi sunt vires, nec ferus ensis adest.
Flere licet certe: flendo diffundimus iram;
Perque sinum lacrimae fluminis instar eunt.

mantini viri quisquam sustineret. Conf. Q. Curt. III, 4. *BURM.*

58. *Ignibus.* Sc. irae.

59. *Quisquamne obiecit.* Sic vulgata. Lege: *quicquamne* cum tribus quatuorve (sic etiam est in Trev., Dresd., Goth. 2.); Mentel. (etiam Erf.): *si quicquam;* Leidensis: *quisquamne obiectet. Orestae* praeterea legendum. Nisi malis: *Hermione coram quisquamne obiectet Oresten.* Quod placet; nam in Argentin.: *si quisquam obiecit Orestem;* loquitur enim de Pyrrho et *obiectat* est indignantis. *Coram* absolute; ut Epist. III, 79. *HEINS. Hermione* (nae) *coram obiectet Orestem* esset *Hermionae obiectet, male ab ipsa habitum Orestem,* ut Metam. II, 400.

— natumque obiectat et imputat illis.

quod omnino adversatur loci sententiae. Burmannus dedit:

Hermione coram quidquamne obiectet Orestae?

Idem Iahn, nisi quod pro *Orestae* edidit *Oresti. Oresti* legendum est pro Heinsiano *Orestae.* Vid. supra ad v. 9.; deinde restituendum videtur *quisquamne* propter codices et bonitatem sententiae, ut verbum *obiecit* absolute positum intelligatur; nam *obiecit,* praeter Leid. et Erfurt., lectio omnium veterum librorum, et optimo hic sensu. *Quisquamne obiecit Oresti?* est *quisquamne culpavit Orestem?* Ceterum notandus est loci affectus, sc. postquam animi sui dolorem et iram vss. 57. 58. descripsit, minaciter et quasi cum furore interrogat: *Hermione coram etc,* post quae flebiliter ac demisso animo memor muliebris debilitatis atque inopiae dicit: *Nec mihi sunt vires etc.* Iahn coniecturam proposuit: *Rumpor et ..... dolent, Hermione coram si quicquam obiecit Oresti: Nec etc.,* quae etsi ad sensum ferri possit, tamen et affectu et poetico quasi colore a nobis receptae multum concedit.

61. *Flere licet certe: flendo diff. iram.* Non movendum illud *flere licet certe* (nimirum Heinsius proponebat *flere libet,* ut Trist. III, 2, 9.). Quia non licet arma capere et ense vindicare dolorem, quod virile est, saltem muliebria arma moveo, quae sunt lacrimae; *certe* hic est *ad minimum, saltem,* ut apud Terent. et alios sexcenties; Eunuch. IV, 2. *Si illud ergo non licet, saltem hoc licebit.* Neque *diffundere* displicet, quod idem est, quod minuere, in diversas partes fundendo exhaurire; nam *defundere,* quod ex Puteaneo Heinsius attulit, nec improbavit, puto esse fundere ex patera vel simili re liquorem in aliud vas vel locum inferius positum; *diffun-*

Has solas habeo semper, semperque profundo;
Hument incultae fonte perenne genae.
Hoc generis fatum, quod nostros errat in annos:
Tantalides matres apta rapina sumus.

dere est ita fundere, ut ipse liquor pereat diversis locis fusus; et hinc translate est *minuere* et idem dicit hic, quod in Trist.: *Expletur lacrimis egeriturque dolor.* Ita *diffundere animum, vultum, dolorem,* et similia, de quibus vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 213., Broukhus. ad Tibull. I, 2, 3. *Burm.*

63. *Solas habeo semper.* In membranis antiquis, quas producit Barth. Adv. XXXVII, 13. est

Has semper lacrimas habeo, semperque profundo.

Palat., Seidl., nonnulli ex nostris cum vett. edd.: *Has semper solas habeo;* Palat. etiam *refundo.*

64. *Incultae* fere sunt *squalidae.* Tibull. I, 8, 36.

Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.

ubi vid. Huschk. Francof.: *Vivent,* Moreti: *Livent.*

65. *Hoc generis fatum.* Paullo durior mihi videtur constructio, quae nunc vulgo editur: *Hoc generis fato — Tantalides matres apta rapina sumus,* ut voces *hoc fato* in sequentibus demum versibus (67—82.) exponantur. Multum praestare mihi videtur plurimorum codd. et veterum edd. scriptura: *Hoc generis fatum,* quae hanc simplicissimam habet sententiam: *Hoc generis fatum* (est): (sequitur iam fatum illud) *Tantalides matres apta rapina sumus.* (Sequitur iam illarum rapinarum enumeratio) *Leda Iovis rapina fuit; Hippodamia Pelopis; Helena prius Thesei, deinde Paridis; ego* (v. 82.) *Neoptolemi.* L. *generis fato* orta videtur ex Epist. III, 53. Put.: *Nam generis fato — erat; fato* praeter Put. etiam nonnulli alii Heinsiani et unus et alter ex nostris.

Pro *errat* Monac. et pro varietate Ment.: *regnat.* Lennep ex coniectura Heinsii collatis Epist. VII, 111., Met. X, 217., Pont. II, 6, 36. et IV, 8, 7. in textum recepit *durat.* Werfer lib. l. p. 503. coniecit *horret;* alii alia, et quot hoc loco verba, ut recte monet in dicta censura Handius, si coniecturae liber, quo excurreret, aperiretur campus, ad sensum quidem satis apta coniectari possent! Sed vulgata *errat* proba videtur, quae valet: ab ipsi praefinito ac determinato cursu, spatio (nam et fatis certi sunt fines) aberrat, et temere ulterius, quam par est, vagatur, delabitur et pergit, quo pergere non debet, et seros quoque nepotes (meos annos, aetatem, me) malis persequitur. Eodem prope modo, sed alia de re Liv. XXXI. c. 12. *Foeda omnia et deformia errantisque in alienos foetus naturae visa.* De *meis annis* pro *aetate, vita, me,* conf. Epist. XIV, 110., Prop. IV, 5, 57.

66. *Tantalides matres. Matres* scripti (pro lectione quarum-

Non ego fluminei referam mendacia cygni,
  Nec querar in plumis delituisse Iovem.
Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
  Vecta peregrinis Hippodamia rotis;
Castori Amyclaeo et Amyclaeo Polluci
  Reddita Mopsopia Tyndaris urbe soror.

dam veterum editionum *omnes*), h. e. *matronae* vel *nuptae*. Sic *Dardanides matres* Epist. XVII, 212.; *Troades matres* Ep. XVI, 183.; *Dardanides nurus* Epist. XVI, 194.; *Phylaceides matres* Epist. XIII, 35.; *Dardanides matres* Met. XIII, 412.; *Oebalides matres* Fast. III, 230.; *Italides matres* Fast. II, 441.; *Achaeiades matres* Epist. III, 71. Vid. ad Epist. IX, 73. Heins. Recte Heinsius monet *Tantalides matres* esse hoc loco *matronas, nuptas;* nam ex quatuor illis, quas commemorat, una ipsa Hermione genere *Tantalis,* reliquae per maritos et affinitatem *Tantalides* erant.

67. *Cygni.* Tangit historiam Ledae, Tyndari uxoris, quam cum Iupiter amaret, forma cygni accepta, ad Eurotam fluvium cum ea concubuit. Hyg. F. 77., Metam. VI, 109., Epist. XVII, 55., Hom. Iliad. III, 426., Apollod. III. al.

68. Seidl.: *in pluviis.*

69. *Distinet.* Quidam codices (etiam Seidl. et magna pars meorum *L.*) cum veteribus editionibus *detinet;* alii *separat* et similia; vetustiores (etiam unus et alter ex meis *L.*) *destinat;* sed verum est *distinet,* ut est in vett. edd. Nauger., Vinc., Micylli, Bersm. Epist. XII.

Quique maris gemini distinet
    Isthmos aquas.

Idem est Stat. Theb. VII, 15., ut ibi ex melioribus codicibus primus restituit Bernartius, et ad quem locum erudite de hoc verbo disputat Gronov. Lucret. V, 204.

Et mare quod late terrarum
    distinet oras.

Lucan. IV, 674. Heins. Conf. Propert. III, 21. 22.

70. *Vecta peregrinis.* Prop. I, 2, 20.

Avecta externis Hippodamia rotis.

Hippodamia. Oenomaus, rex Pisarum, responsum acceperat, a genero ipsum interemptum iri; quare cum Hippodamia, filia, a multis procis expeteretur, curule certamen iis instituit ea lege, ut qui vinceret, filiam haberet, victus occideretur. Multis victis et occisis Pelops, Myrtilo, eius auriga, corrupto, eum vicit filiaque potitus est. Hyg. F. 84., Serv. ad Virg. Georg. III, 7. Cursus autem erat a Pisis usque ad Isthmum, hinc: *Qua duo etc.* Diod. Sic. IV. et Schol. ad Apollon. Rhod. I. *Peregrinis,* quia Oenomaus procis concedebat, ut puellam suo quisque curru secum veherent a carceribus usque ad metam, ut testes sunt Pindar. et Apollon. Rh. l. l.

71. *Castori etc.* In fabula traditur, Theseum cum Pirithoo Helenam adhuc puellulam de fano Dianae rapuisse et primum Athenas, deinde Aphi-

Tyndaris, Idaeo trans aequora ab hospite rapta,
  Argolicas pro se vertit in arma manus. —
Vix equidem memini, memini tamen; omnia luctus,
  Omnia solliciti plena timoris erant.
Flebat avus flebatque soror fratresque gemelli,
  Orabat superos Leda suumque Iovem;

duas in Attica detulisse, unde postea a Castore et Polluce, fratribus eius, illaesa atque integra in libertatem vindicata sit. Plut. Thes., Diod. Sic. IV., Hyg. F. 79., Apollod. III., Pausan. Corinth., Isocr. Laud. Helen. Conf. Epist. V, 91. *Amyclaeo,* quia Amyclis natus, quae urbs regia fuit Tyndarei. *Mopsopia,* Atheniensis, a Mopsopo, ut videtur, rege. Vid. Strabo IX. Conf. Mezir. dict. l. p. 355.

72. *Tyndaris.* Putean. hic et sequenti versu *Taenaris.* Probe. Delectatur enim Ov. hisce oppositionibus; supra v. 14. *Cum Danaus Phrygias etc.*; Art. A. I, 686. *Graiaque in Iliacis.* Sic *Taenaris terra* Epist. XVI, 31., *Taenaris ora* Epist. XVII, 6.; et Epist. XIII, 45. Helenam Taenariam maritam vocat; in quibus omnibus locis eadem in mss. varietas. *Heins.* Epist. V, 91.

> Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis.

Met. XV, 232.

> Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles
> Tyndaris.

Amor. II, 12, 17.; et sic hoc loco reliqui veteres libri omnes; accedit illud *Tyndaris soror.* Quare nihil videtur mutandum. *Tyndaris* autem a Tyndaro, qui pater eius habebatur, re autem erat filia Iovis.

73. *Idaeo hospite. Idaeus hospes* h. l. ut Epist. XVIII, 73. et Fast. VI, 44. est Paris, Priami filius. Epist. V., XVI. et XVII. *Aequora.* Heinsius primus scripsit *aequor* pro *aequora.* Sed licet nihil frequentius sit, quam verba verborum sequentium literas mutuare, ut dictum est Epist. I, 24. aliisque locis compluribus; tamen malo cum omnibus libris legere *aequora,* quam cum Heinsio *aequor,* quod aptius quoque videtur ad sensum, ad longinquitatem dico terrae, quo abducta mater sit, significandam. Nam quod auribus ingratum in illo *a ab* inesse videatur, veterum aures, ut quibus eiusmodi elisiones non insolitae erant, minus offendit. Eodem modo tam loci ratio propter plurales, cum quibus coniunctum est, quam longe maior codicum auctoritas postulat Met. X, 190. *papavera* pro Heinsiana scriptura *papaver.*

77. *Flebatque soror. Phoebique soror* Put., Francof. et Iun. Lege: *Phoebeque soror.* Eurip. Iphigenia 49.

> Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι,
> Φοίβη, Κλυταιμνέστρα τ᾽ ἐμὴ ξυνάορος,
> Ἑλένη τε.

Phoebe ergo soror Helenae. Veram quoque l. subodoratus est Meziriac. *Heins.* Egregie quidem Heinsius; sed alii non

Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam „Sine me, me sine, mater, abis?“
Nam coniux aberat. — Ne non Pelopeia credar,
Ecce Neoptolemo praeda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus;
Damnaret nati facta proterva pater.
Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli,
Abducta viduum coniuge flere virum.
Quae mea coelestes iniuria fecit iniquos?
Quod mihi — vae miserae! — sidus obesse querar?

Helenes sororem Phoeben, sed Leucippi filiam faciunt et uxorem Pollucis. Vid. ad Prop. I, 2, 15., et infr. Epist. XVI, 327. *Burm.* Conf. Hyg. F. 80. Sed ego ex tribus illis codd. h. l. corruptis mutare nihil audeo, praesertim cum nec avum nec fratres nomine vocet, et si *Ledam* nomine vocat, contra verbum *mater* est omissum, ac maiore quoque affectu est repetitio illa *flebatque* et ex more Ovidii; Metam. I, 642.

Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse.

Adde, quod praeter illud testimonium Euripidis non satis constat, *Phoebe* vere Helenae soror fuerit, nec ne.

79. *Etiam nunc.* Lege: *etiamnum.* Ita in Metam. vetustissimi libri semper scribunt. Certe Farnes. hoc l. *etiam tum.* *Heins.*

Non longos, ut puellulae, meo quidem sensu parum eleganter.

81. *Nam coniux aberat.* Vid. ad Epist. XVI, 301.

82. *Parata.* Moreti: *petita.* *Praeda parata,* quae in promptu est ac sine ulla opera atque periculo capi potest. Curt. IV, 14. *Parata hostibus praeda;* idem V, 1. *Praedam opimam paratamque.*

83. *Pelides utinam.* Achilles interfectus est ab Apolline, vel Apolline sagittam Paridis dirigente, quod vaticinium a matre sua acceperat. Odyss. XXIV, 36. sqq., Quint. Calab. Paral. Hom. III, 176. sqq., Ovidii Metam. XII, 605., Virg. A. XI, 57. sqq.

84. *Facta.* Seidl.: *pacta.*

85. *Nec quondam placuit.* Implacabilem enim illam contra Agamemnonem conceperat iram propter raptam ei Briseida. Seidl. et plerique mei: *nec nunc,* et sic vett. edd.; vulgo: *nec iam.*

87. *Quae mea.* Alter Mentel.: *Quod mea;* tres scripti Heins.: *Quae mihi.* Mea cum vi, a me patrata.

88. *Quod mihi — vae miserae! — sidus.* Sic scripti plerique (etiam Seidl. et nonnulli ex nostris *L.*) pro vulgata: *Quodve mihi;* et recte, quamvis Put. obnitente. Epist. III, 82.

Hic mihi — vae miserae — concutit ossa metus.

Epist. XXI, 169.; Ibide 205.

Tot tibi — vae misero — venient talesque ruinae.

Amor. III, 6, 101.

Parva mea sine matre fui, pater arma ferebat;
Et, duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli;
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec gremio sedi sarcina grata tuo;
Non cultus tibi cura mei, nec pacta marito
Intravi thalamos matre parante novos.
Obvia prodieram reduci tibi, — vera fatebor —
Nec facies nobis nota parentis erat;
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi;
Ipsa requirebas, quae tua nata foret.
Pars haec una mihi coniux bene cessit Orestes;
Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.

Huic ego — vae demens — narrabam fluminum amores.

Sic illic meliores libri; atque ita comici saepe. *Heins.* Locus dictus ex superstitione, qua sidera praeesse nativitati hominum eorumque vitam moderari in utramque partem credebatur, de qua re veteres scriptores passim. Cic. de Divin. II. c. 43., Iuven. Sat. VII, 194., Stat. Silv. III, 4, 63., Propert. I, 6., Ovid. Trist. V, 10, 45., ad quos locos vid. interpretes. *Quodve*, ut est in veteribus edd., ortum videtur e vetusta scriptura *ve* pro *vae*. Ceterum *quodve* ad sensum ferri potest; ut dubitet, iniuria, culpa aliqua sua infestos sibi deos fecerit, an sidus, quo nata sit, malorum caussa sit.

89. *Ferebat.* Sic meliores Heinsii, etiam Seidl., Erf., Guelf. 1., 3., Trev., Goth. 1., 2., edit. Naugerii et margo Bersm. Vulgo: *gerebat.*

92. *Incerto.* Balbutiente. Quint. I. O. I. *Ita futurus eloquentissimus, edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit.* Burm.

95. *Pacta.* Vid. Epist. II, 4.

97. *Reduci.* Sc. Troia; nam post Troiam eversam Helenam Spartam rediisse testis est Hom. Od. IV. Sed de recepta Helena vid. Heyn. Excurs. 12. ad Aen. II. p. 314.

99. *Te tamen.* Sic scripti. Nonnullae veteres editiones: *Et tamen.*

100. *Tua nata.* Revocavit Iahn recte *tua nata*; nam quae ab Heinsio primum recepta est lectio *quae tibi*, codicum Voss., Leid. et Excerpt. Iureti auctoritate nititur, et nescio quid graecatur. *Nata* loco substantivi et inde cum genitivo Epist. XII, 54.

— et magni nata Creontis.

101. Enumeratis multis, quibus afflicta sit calamitatibus, addit: In hoc uno felix sum, quod coniugem sortita sum Orestem.

Pyrrhus habet captam reduce et victore parente;
Munus et hoc nobis diruta Troia dedit.
Cum tamen altus equis Titan radiantibus instat,
Perfruor infelix liberiore malo;
Nox ubi me thalamis ululantem et acerba gementem
Condidit, in moesto procubuique toro;
Pro somno lacrimis oculi funguntur obortis;
Quaque licet fugio, sicut ab hoste, viro.

102. *Ni pro se pugnet.* Put.: *pugnat.*

103. *Habet captam.* Put.: *habet raptam,* quod primus recepit Heinsius et post illum multi alii editores. Sed vulgata sana est; *habet captam* est *detinet captam,* igitur prope idem, quod v. 4. *Inclusam contra iusque piumque tenet.* *Reduce.* Licet pater victor redierit; et hoc sensu Schol. cod. Trev.: *unde magis etiam doleo.*

104. *Munus et hoc — dedit.* Schol. cod. Victor.: *Quidam libri sic habent: Et minus a nobis d. T. fuit;* Putean., Argent. et duo alii Heinsiani: *Et minus a n. d. T. dedit,* nisi quod Argent. et duo alii illi pro *a* habent *ah;* sex alii apud Heins.: *Hoc munus n. d. T. dedit;* alii tres apud eundem: *Et munus nobis d. T. fuit;* alii Heinsiani aliter; codd. Ciof. cum edd. Venn. et Vinc.: *Et minus hoc n. d. T. dedit;* Guelf. 1.: *Hoc munus nobis diruta Troia tulit,* quod recepit Conr. Heusinger; Douza ex suo codice legebat: *Munus et hoc Pyrrho diruta Troia dedit.* Excerpta Iureti et multi Heinsii codices, etiam Trev., Seidl., Vatican.: *Munus et hoc nobis d. T. dedit,* quam l. firmant interpretatio Planudis et editt. Micylli et Bersmanni plurimique recentiores horum carminum editores. Sensus est: *Praeter alia mala multa et hoc* (nam *munus* ironice dictum est) *mihi Troiae excidium paravit, quod a Pyrrho capta detineor;* nam si Troia diruta nondum esset, Pyrrhus adhuc bello occupatus in Troade commoraretur. Potest tamen particula *et* etiam sic intelligi, ut simpliciter copulet; ut pentameter mera sit expositio hexametri: *Pyrrhus habet raptam .... et hoc munus* (sc. quod raptam tenet) *nobis diruta Troia dedit;* atque ea ratio mihi verior videtur.

105. *Titan.* Ex antiquissima fabula sol non Phoebus est, sed Titan, qui genitus erat ab Hyperione, uno ex Titanibus. Hesiod. Theog. 371. Vid. Heyn. ad Virg. VI, 725., ubi est *Titania astra.* Conf. Epist. VI, 86.

106. *Liberiore.* Minus urguente v. premente.

107. *Acerba gementem,* ut *dulce queri,* de quo infra dicemus.

109. *Obortis.* Seidl.: *abortis.*

110. *Quaque licet — viro.* *Virum,* quod in vulgatis libris plerumque legitur, Heinsius ex quinque codicibus recepit; nam reliqui codd. et vetustae edd. habent *viro,* quod hoc l. recte dicitur; ex ea nimirum lege

Saepe malis stupeo, rerumque oblita locique
  Ignara tetigi Scyria membra manu;
Utque nefas sensi, male corpora tacta relinquo,
  Et mihi pollutas credor habere manus;
Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Orestis
  Exit, et errorem vocis ut omen amo.
Per genus infelix iuro generisque parentem,
  Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;
Per patris ossa tui, patrui mihi, quae tibi debent,
  Quod se sub tumulo fortiter ulta iacent:

grammatica, qua praepositiones apud prius aut posterius nomen saepe omittuntur. Fast. II, 517.

Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro.

Virg. Aen. VI, 692.

Quas ego te terras et quanta per aequora vectum
Accipio.

Vid. ad Epist. V, 111. Seidl.: *Quoque.*

112. *Scyria membra,* Neoptolemi membra. Nam Achilles orto bello Troiano apud Lycomedem, Scyri, insulae maris Aegaei, regem, aliquamdiu sub veste muliebri latitavit, ibique ex Deidamia, Lycomedis filia, Pyrrhum genuit. Vid. Hyg. F. 56. et 97., Apollodor. III. Vid. ad Epist. III, 136. Sic Senec. Troad. 976. *Scyrius iuvenis* pro *Pyrrhus.* De *Scyro* vid. Plin. H. N. IV, 12.

114. *Mihi — credor habere,* id est, mihi videor; sed exempla huius usus loquendi non erant in promptu.

115. *Orestis.* Sic veteres libri omnes, nisi quod Farnes.: *Orestes.* Heinsius dedit: Orestae. Vid. ad v. 9.

116. *Ut omen.* Nam verba, quae temere excidebant, pro omine accipere solebant. Epist. VII, 65.

117. *Genus infelix.* Genus Tantalidum, quod tot semper malis vexatum est, quae supra ipsa enarravit. *Generisque parentem,* vid. ad v. 45. *Iuro.* Nonnulli ex meis cum Put. aliisque Heinsii multis et vulgata: *oro.* Sed vera l. videtur, quae est in Guelf. 1., 3., Seidl., Trev., Giess. et edit. Naugerii et margine Bersm.: *iuro. Attestatione enim,* ut ad hunc locum recte Micyllus adnotat, *confirmare vult, se aut statim prima hac aetate morituram esse, aut Oresti, suo priori ac legitimo marito, uxorem futuram.*

118. *Qui sua.* Vulg.: *et sua.* Duodecim Heinsii et sex e nostris: *qui sua.*

119. *Patrui mihi.* Agamemnon, Orestis pater, frater erat Menelai, patris Hermiones, et sic Hermiones patruus.

120. *Quod se sub tumulo.* Nescio, an recte *ossa* dicantur *se ulta;* non enim illa se vindicarunt; sed Orestes patris caedem caede matris et Aegisthi ultus curavit, ut patris ossa bene sub tumulo iacerent, in-

Aut ego praemoriar primoque exstinguar in aevo,
  Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero.

feriis ab adultero Aegistho exactis. Quare verior mihi videtur codicis Lov. lectio: *Quod sic sub titulo,* licet malim *sub tumulo,* quamvis *sub titulo* defendi posset; *ulta* vero passive capiendum. Vid. ad Metam. VII, 3. et ad Val. Flacc. V, 753. *Burm.* Cui licet universe non assentiar; neque enim licentiae, quae dicitur, poeticae fines puto transgredi, si quis de patris caede a filio vindicata dicat, ipsa patris ossa *se ulta* esse, vindictam sumsisse, neque urgenda talia praesertim in poetis et ad vivum resecanda videntur; attamen si rationem huius loci diligentius inspicio, l. *se ulta* vix ferenda videtur, cum omnino ab ipso Oreste, *per ipsas Orestis manus atque virtutem* vindicatum patrem significare Hermione velit. Sensus enim est: Per patris ossa iuro, in cuius caede vindicanda tam fortem te praestitisti et hoc ipso carissimum eum tibi esse ostendisti. Offendere etiam posset: quae tibi *debent,* quod *se fortiter ulta* iacent. Hinc et ego cum Burmanno malim *sic* pro *se,* atque ita est in codice Lovan. et Guelf. 1. Eandem lect. probavit uterque Heusinger et nuper Baumgarten-Crusius. Sic ante hos IV annos ad hunc locum adnotavi. Nunc, licet etiamnum scripturam *sic* ad sensum multum praestare puto, tamen memor et melius edoctus, Ovidium, ut in aliis, sic etiam in compositione verborum saepe paullo liberiorem esse, vulgatam vix audeo mutare. Cod. Trev.:

— quae tibi debent
Se . quod sub tumulo fortiter ulta iacent.



EPISTOLA IX.

DEIANIRA HERCULI.

Carmen hoc duabus constat partibus, quarum prior ac potior epistola est. Nempe cum Hercules Oechaliam cepisset, Iolen, Euryti regis ab ipso occisi filiam, cuius amore captus erat, abductam Trachina misit, ipse, ubi primum Iovi in promontorio Cenaeo vota solvisset, secuturus. Quae postquam ibi advenisset, Deianira, Herculis uxor, novo hoc mariti amore cognito, datis ad eum literis ab indigna illa cupiditate eum revocare tentavit, missa iam ante eodem consilio tunica, Nessi, Centauri, sanguine, quem ab ipso Nesso ut amoris irritamentum acceperat, peruncta. Atque ea epistola priorem huius carminis partem complectitur. Sed inter scribendum nuntius ei affertur, Herculem tunicae illius veneno tabescere atque perire. Itaque altera carminis pars continet Deianirae post nuntium illum acceptum sensus atque affectus. — Sophocl. Trachin., Ovid. Metam. IX., Diod. Sic. IV., Senec. Herc. Oet., Hyg. Fab. 34, Apollod. II.

Gratulor Oechaliam titulis accedere nostris;
Victorem victae succubuisse queror.

Et huic Epistolae Puteani Excerpta et quaedam vetustae editiones cum cod. Regio sequens distichon praefigunt:

> Mittor ad Alciden a coniuge conscia mentis
> Litera, si coniux Deianira tua est.

Sed hi versus, ut recte monet Micyllus, neque sententiam quidquam iuvant et per se inculti ac putidi sunt.

1. *Titulis nostris.* Heinsius non satis aptum putans, Deianiram mariti titulos invadere ac sibi vindicare, scribebat *vestris*, quem bene ita refellit Burmannus: „Immo vero reducenda antiquarum editionum et scriptorum lectio, quam habent fere omnes praeter duos Scriverii et unum Gronov., qui tantum pro varia lectione habent *vestris*, loco verae scripturae *nostris*. Decebat enim obiurgantem et iratam uxorem, sibi partem vindicare eorum, quae maritus gesserat, et sibi quoque gratulatur, tot titulis iam ante partis nunc Oechaliam subactam accedere; minime vero pellicem inde adduci. Imitatus vero hunc l. Lucan. II, 555.

> Te quoque si superi titulis accedere nostris
> Iusserunt."

Oechaliam Strabo X. facit Euboeae Eretricae urbem, cum quo conf. Mela II. et Plin. H. N. IV, 12.; Hom. Iliad. II, 730. eam inter Thessaliae urbes refert; Pausan. Messen. p. 283.

Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes,
Decolor et factis inficianda tuis,
Quem nunquam Iuno seriesque immensa laborum
Fregerit, huic Iolen imposuisse iugum.
Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis,
Laetaque sit vitae labe noverca tuae:
At non ille velit, cui nox, si creditur, una
Non tanta, ut tantus conciperere, fuit.

eam Messeniae urbem fuisse putat. Euboeae urbem dicit Sophoc. in Trachin. v. 74., quem mihi poeta, ut in aliis, ita in hac quoque re secutus videtur. Conf. Apollod. II, 7. Vid. Micyllus ad Met. IX, 136.

2. *Victorem victae.* Annominatio. *Crof.* Met. III, 95.

3. *Pelasgiadas,* Graecas, a Pelasgis, antiquissimis Graeciae incolis. *Ad urbes* cod. Douz.

4. *Decolor.* Gronov. et duo Voss. cum altero Mentel.: *Discolor*; idem habet Apros. cum glossa: *priori famae tuae.* Probum est *decolor,* i. e., deformis, adspectu et colore foeda, non laeta. Ita *deterior ac decolor aetas* Virg. A. VIII, 326.; *decolor Indus* pro *turpi colore, niger,* Art. A. III, 130. et Trist. V, 3, 24.; Propert. IV, 3, 10., ubi vid. Broukhus. et Burmann. Vid. Eleg. Mort. Drus. 386., Claud. Bell. Gild. 193.; Stat. Theb. XII. *sanguine decolor.* Conf. Forcellin. *Factis inficianda tuis,* f. t. neganda, quam negari debeat esse famam factorum tuorum. Sic Metam. II, 34.

> Progenies, Phaëthon, haud inficianda parenti.

Martial. Epigr. V, 31.

> Varro, Sophocleo non inficiande cothurno.

5. *Quem nunquam Iuno.* Fabula haec est: Quum Alcmene Herculem paritura esset, Iupiter, ut huic filio suo potestatem adderet, in coetu deorum iuravit, eum, qui eo die in lucem ederetur, omnibus Persidis imperaturum. Quo facto Iovis filiis semper invida Iuno Alcmenes partum cohibuit, Argosque profecta Stheneli uxoris partum properavit; quae septimo mense peperit Eurystheum. Quare is arbiter irae Iunonis factus totam illam laborum seriem Herculi imposuit. Hom. Iliad. VIII, 362., XIX, 97. sqq., Odyss. XI, 619., Apollod. II.

7. *Hoc velit Eur.* Virg. Aen. II, 104.

> Hoc Ithacus velit et magno mercentur Atridae.

quod illustratur, unde utrumque fluxisse videtur, Hom. Iliad. I, 255.

> Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες,
> Ἄλλοι τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ.

Tonans autem absolute Iupiter saepe est. Metam. I, 170., II, 466., XI, 198.

8. *Noverca,* Iuno. *Vitae tuae,* splendore plenae illius ac gloria.

9. *Velit.* In multis libris est *venis,* vulgata est *venit;* sed cum X Heinsianis, Trev., Helmst.,

Plus tibi quam Iuno nocuit Venus: illa premendo
  Sustulit; haec humili sub pede colla tenet.
Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
  Qua latam Nereus caerulus ambit humum.

Erfurt. et Dresd. legendum esse *velit,* tota sententiae ratio satis confirmat. Pro *si creditur* Waddel. Animadv. Critt. p. 91. scribendum censebat *sic creditur,* probante Burmanno Sec. ad Propert. II, 18. 25. Sed *sic creditur* ad pronuntiandum paullo durius est, et vulgata ferri potest, quae valet, *si credi potest, si verum est.*

10. *Non tanta.* Sligtenhorstius ex scriptis libris legebat: *Non satis, ut tantus;* atque ita minor Gryphii editio. *Heins.* Et margo Bersm.; reliqui libri vetusti omnes: *Non tanti, ut tantus,* nisi quod unus Moreti: *tanta,* de qua l. recte Lennep: „Sensus esse debet: Cui nox una non sufficere, non satis magna visa est, ut tantus conciperere. Illum autem melius, ni fallor, exprimit lectio a nobis e Moreti cod. recepta: *Non tanta, ut tantus c., f.,* quam vulgata *Non tanti, u. t. c., f.* Tempus respicitur, non pretium. *Tanta* asseruit etiam Van Bergen Critt. Obss. p. 21." Rem testatur Hyg. F. 29., qui duas noctes Iovem cum Alcmena concubuisse tradit; alii auctores tertiam noctem addunt, Diod. Sic. IV, 9., Lycophr. in Cassand., Theocrit. Idyll. 24, 31. Vid. Hemsterhus. ad Lucian. Somn. T. I. c. 17. p. 21.

11. *Premendo.* Dum te premeret, malis persequeretur, te erexit, siquidem per tot impositos labores animum tuum auxit et vires tuas exercuit. *Sustulit* autem dictum est cum respectu ad *haec humili sub pede colla tenet.* Guelf. 1., 2., 3., Dresd., Trev., Helmst., Giess.: *humilis,* ut sit humi prostrati, humi iacentis; sed verum est *humili* (vid. ad Epist. I, 24. et al.), quod repraesentat humilitatem eius, cuius collo pes impositus est.

13. *Vindicibus viribus.* Cum acumine dictum; Hercules enim per excellentiam nomine *vindicis, paciferi, pacatoris* insignitur. Metam. IX, 241.

— timuere dii pro vindice terrae.

Conf. Senec. Herc. Oet. 109. 321. Pind. Nem. Od. 1. et 3., Senec. Benef. I. 13., Senec. Med. 637., unde patet pessime in quibusdam vett. editt. v. 15. legi: *Se tibi pars terrae.* Vid. etiam Herc. Oet. 31. 283. al., Claudian. Praef. L. II. Rapt. Proserp. Graecis ἀλεξίκακος et σωτήρ, quibus titulis honoratus est, quia impiis hominibus et immanibus feris ac monstris occidendis securitatem terris paravit.

14. *Qua latam etc.* Quam late oceanus terram ambit, quam late terra patet. Paullo altiore spiritu Met. I, 187.

— qua totum Nereus circumtonat orbem.

Conf. Fast. V, 82. *Qua* est *ubi,* ubicunque. Nereus antiquissimus deus maris, filius Ponti et Terrae. Apollod. I, 2., Hesiod. Theog. 233. Conf. Apollod. I, 7.

Se tibi pax terrae, tibi se tota aequora debent;
Implesti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum est, coelum prius ipse tulisti;
Hercule supposito sidera fulsit Atlas.

15. *Tota aequora.* Etsi constantem omnium codd. lectionem *tota aequora* e contextu pellere non ausi sumus, veriorem tamen etiam nobis visam esse correctionem Heinsii fatemur, legi iubentis *tibi se tuta aequora debent:* hoc est, tibi debent, quod sint tuta; sicuti *Se tibi pax terrae debet* dictum est pro: tibi pax debet, quod sit in terra (?); *tibi se semper debebit Iason* (Met. VII, 48.) pro: tibi semper debebit, quod sit, seu vivat. Alterum autem vix intelligo. Quid enim est: *tibi se tota aequora debent?* Num hoc Herculi debebant, quod *tota* essent, vel quod essent *aequora? Tuta* probasse video etiam Burmannum Sec. in Anth. Lat. T. I. p. 507. et ad Propert. IV, 4, 39. Conf. Eurip. Herc. Fur. 852. *Lenn.* Ego cum Iahno probam esse censeo vulgatam et scire mihi videor, quid sit illud *tota aequora se tibi debent*, quod dictum est poetica cum libertate pro *tota aequora tibi debent*, quod salva, secura, non amplius a belluis aliisque periculis infestata sint. Fingit sibi poeta totum mare tanquam unum corpus, quod hostibus obnoxium sit atque infestetur; et hoc sensu hic locus non absimilis est illi Met. VII, 48. *tibi se semper debebit Iason.*

16. *Utramque domum.* Senec. Herc. Fur. 1061. *Novit tuas utrasque domus*, et Herc. Oet. 3. Noster *utrumque Phoebum* Metam. I, 338. et *utrumque latus Solis* Fast. II, 136. *Burm.*

17. *Prius.* Cum Iahno revocavi *prius*, pro Heins. l.: *prior*; cur enim duorum codicum inferioris notae scripturam *prior* magis sequamur, quam reliquorum omnium et vett. editt. lectionem *prius?* quanquam Art. A. II, 218. legitur:

> Qui meruit coelum, quod prior ipse tulit.

Coelum autem Hercules tum tulit, quum ab Eurystheo missus ad Hesperidum mala apportanda Promethei consilio Atlanti persuasit, ut ille ea poma afferret, ipse interea ei in coelo sustinendo succederet. Apollod. III. Conf. Diod. Sic. IV. Ceterum acumen captat poeta in verbis *tulisti* et *laturum est. Supponere* v. 18. Burmannus hoc loco censet valere *substituere*, ut Cicero pro Rosc. Am. 38. dixerit *vicariam fidem supponere;* ego malim sensu proprio accipi, quod ποιητικώτερον est et quo ducere etiam videtur illud *fulsit.* — Pro omnium vett. libb. scriptura *fulsit* Burmannus primus scripsit *fulcit*; sed mutandi caussa nulla apparet; nam de perfecti forma nemo dubitat. Voss. de Analog. III, 33. *Fulcit* autem pro praeterito, quod Burmannus probans dedit, cadentis Latinitatis est.

19. *Notitia est.* Burmannus Sec. ad Propert. I, 2, 31. lo-

Quid nisi notitia est misero quaesita pudori,
Si cumulas stupri facta priora nota?

cum hunc ita (nescio an de memoria) citans:

Quid nisi notitia est misero quaesita pudori,
Si maculas turpi facta priora nota.

„Notitiam, inquit, misero pudori quaesitam, qui intelligat, explicet velim. Mihi legendum videtur:

Quid nisi stultitia est sero quaesita pudori,

ut Herculi exprobret Deianira, facinus ab eo committi, cuius stultitiae illum sero pudere debeat post tot facta egregia. Vel corrigi etiam posset:

Quid nisi nequitia etc."

Est tamen vulgatae l. omnino facilis explicatio. Certe mihi non obscure significare hoc videtur: Quorsum iam tot egregia facta tua, nisi ut notius hocce tuum dedecus reddant? Si non tam clarum in toto terrarum orbe tuum nomen esset, non omnium in te unum semper intenti oculi, minus etiam fortassis in hominum notitiam tuum hocce perveniret probrum. Nunc vero in tanta nominis tui celebritate prorsus neminem latere potest. Conf. infra v. 84. *Pudorem* h. l. facinus intellige pudendum, ut Epist. XI, 79. et XV, 63. Dixit autem *miserum pudorem*, ut alibi *triste crimen*. Cic. ad Att. VIII, 2. *Nihil potest fieri miserius, nihil perditius, nihil foedius.* Lenn. Illud *est* a multis Heinsii codd. abest.

20. *Si cumulas.* Variant hic libri. Leid. et Franc.: *Si cumulo — notes* (Franc.: *notas*); Heinsius in nonnullis legebat: *Si macula turpi f. p. notas;* sed Burmannus affirmat, *turpi* in nullo codice reperiri, sed in omnibus *stupri*, neque in ullo illud e meis exstat; codex Reg., Guelf. 4., Goth. 1., 2., Dresd.: *Si macula stupri f. p. notas;* nonnulli Heinsii et Giess., etiam Douzae cod.: *Si cumulus stupri f. p. notat.* Sed plurimi et optimi codd. cum veteribus edd. tuentur:

Si cumulas stupri facta priora nota.

Quae vera videtur. *Cumulare* est quasi *cumulum addere, fastigium imponere.* Cic. de Orat. III, 24. *Hae duae partes, quae mihi supersunt, illustrandae orationis ac totius eloquentiae cumulandae — — — — hanc habent vim.* Conf. Epist. II, 57. Fuit, ubi in locutione *cumulas facta priora stupri nota, labe,* haererem, quia vulgo res sic nonnisi similibus rebus cumulari dicuntur, in quo nunc aliquid Ovidiani acuminis inesse mihi videtur. Quod autem Heinsius, Heusinger, Werfer, Lennep probant *turpi* pro *stupri*, nullam primum, ut dictum est, habet auctoritatem vetustatis, et certe est, cur Deianira crimen Herculis vero vocitet nomine. Nam quod opponit Heusinger, *non stupratam Iolen, sed iugi ab Iole accepti longe foedius crimen Herculi Deianiram exprobrare*, paullo facere videtur argutius; nam iugum illud erat *ipse amor*, et ex mente Deianirae *stuprum*; et quod crimen atque ignominiam Herculis sic

Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
  Cum tener in cunis iam Iove dignus eras?
Coepisti melius, quam desinis: ultima primis
  Cedunt; dissimiles hic vir et ille puer.
Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis,
  Non potuit Iuno vincere, vincit Amor.
At bene nupta feror, quia nominor Herculis uxor,
  Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis. —
Quam male inaequales veniunt ad aratra iuvenci,
  Tam premitur magno coniuge nupta minor.

etiam ex alia parte et alio nomine Deianira designat, vere poeticum esse videtur. Vid. vv. 47. et 48. *Nota* pro *ignominia, dedecore* frequentissimum est. Burmann., Heusingeri, Lenn. probante Werfero: *Si macula turpi* (Burmann. et Lennep: *stupri*) *facta priora notas;* Iahn, ut nos, dedit.

21. *Tene ferunt.* Nimirum Iuno, noverca, duos serpentes miserat ad Herculem infantem occidendum, quos Hercules suffocavit. Pindar. Nem. 1., Theocr. Id. 24., Diod. Sic. IV., Aelian. H. A. XII, 5., Heyn. de priscae artis opp. in Comment. Gotting. T. X. p. 85. Conf. tamen Apollod. II, 4. Art. A. I, 187.

Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Pressit, et in cunis iam Iove dignus erat.

Virg. A. VIII, 289.

— — — — ut prima novercae
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues.

27. 28. *Quia nominor...Sitque. Nominer* Argent., quod requirunt sequentia. Heins. Iahn restituit *nominor* cum adnotatione: „Poeta *Sitque* scripsit, quia voce *nominor* significavit, haec esse eorum verba, qui ipsam bene nuptam esse dixerint.“ Sed id si poeta voluisset, scribere debebat *nominer*, et sententia esset: *At bene nupta feror, quia titulus, nomen mihi* s*it Herculis uxoris et quia sit socer etc.* Ego utrumque ex mente Deianirae dictum existimo, ut alterum pro certo enuntiet, alterum incerte ad modum Graeci optativi cum partic. ἄν; nisi malis hunc usum loquendi ad eandem referre libertatem, qua fere sine diversitate sententiae in indirecta, quam vocant, interrogatione, poetae quidem, tam indicativum ponunt quam coniunctivum, de qua re vid. ad Ep. X, 86. Atque ea modorum variatio apud ipsos prosae orationis scriptores frequentissima est. Liv. XXXVIII, 33. *Sexaginta tres postero die comprehensi, — non quia salvos vellet, sed quia perire caussa indicta nolebat.* Vid. Duker. ad Florum II, 15. p. 386., Cort. ad Sallust. Iug. 4., Munker ad Hyg. F. 148., et qui haec attulit ad Terent. Andr. IV, 1, 26. Ruhnkenius. Vid. etiam Lachmann. ad Prop. V, 6, 47.

Non honor est, sed onus, species laesura ferentem:
  Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest, et coniuge notior hospes,
  Monstraque terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua votis operata pudicis
  Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes aprosque avidosque leones
  Iactor, et esuros terna per ora canes;

Vid. ad Epist. II, 82. Amar, nescio unde, dedit *Estque.*

29. *Veniunt.* Heinsius, Burmannus, alii ex uno Put. scripserunt *veniant.* Sed scribendum omnino est cum omnibus reliquis libris *veniunt,* ut de re, quae nullo modo in dubium vocari possit et in vulgus nota sit ac fieri soleat. Similiter indicativus *veniunt* revocandus est in simili loco Metam. XI, 537., ubi pariter ex Heinsii auctoritate cum paucissimis codd. vulgo legitur *veniant,* pro sanissima et longe plurimorum codd. et vett. edd. scriptura *veniunt.* Locus hic est:

— — totitemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere atque irrumpere mortes.

Vid. ad Epist. XX, 183. Conf. Pont. III, 4, 49.

30. *Nupta minor.* Conditione nobilitatis ac fortunae.

31. *Non honor est, sed onus.* *Παρωνομασία.* P. Rutil.: *Quia traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit.* Ciof. *Species laesura ferentem.* Splendor, qui ei, qui eum fert, eo indutus est, molestus, perniciosus futurus est. Multi libri: *ferentes*; sed meliores Heinsii, etiam Guelf. 4., Goth. 2., Erf.: *ferentem* (Goth. 1.: *minorem*), quod rectum est; nam in generalibus sententiis saepissime singularis ponitur (vid. ad Epist. V, 8.); et sequitur *Si qua voles,* q. e., *o tu aliqua, quaecunque, si voles a. n., n. pari,* et praecedit in generali sententia singularis: *Tam premitur magno coniuge nupta minor;* et facile fieri potuit, ut l. *ferentes* orta sit ex illo *species.*

33. *Coniuge notior hospes,* ut qui saepius ad me veniat, et apud me commoretur, ipso coniuge.

35. *Votis operata pudicis.* De usu partic. praeteriti pro praesenti vid. ad Epist. V, 113. et Virg. Georg. I, 293.

Cod. Argent.: *studiis,* pro *votis.* Sed *votis* ab Ovidio est. *Vota* enim concepta diis solvebat, ne vir inter tot pericula caderet. Nam *operari* h. l. verbum sacrorum est, de quo vid. Passerat. ad. Prop. II, 33, 3. et Pigh. ad Val. Max. VI. c. 6. et Forcell. Lex. *Pudicis,* quae cum pudore sunt, piae uxoris. Vid. Epist. VI, 134. Hafn.: *thalamis operata pudicis;* Moreti: *domi vidua.*

37. 38. *Inter serpentes — canes.* Schradero Emendation. c. 9. p. 201. (cui adsentiuntur Clarquius et Hand. *L.*) primum numeri v. 37. non satis Ovi-

Me pecudum fibrae, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent:

diani videbantur; deinde vehementer dubitabat, num v. 38. Latinum esset *esuros terna per ora canes*; tum et ridicule sic de uno Cerbero dici putabat; (denique votis et pecudum fibris ridicule a muliere interponi, *se iactari inter serpentes etc. L.*). Hinc spurios esse versus colligebat. Mihi vero v. 37. potius inter numerosos, quam innumeros censendus videtur. Hominem autem in poetis versatissimum, Schraderum, offendisse de uno Cerbero numerum plur. *canes*, equidem valde miror. Ut ipso v. 37. h. l. non utar, ex una Epist. III. tria statim afferam v. 108., 119., 145. Atque ita passim. Denique etsi facile cum Schradero agnoscam, Propertiani illius, IV, 9, 10. *Per tria partitos qui dabat ora focos*, duorumque ab Heinsio citatorum exemplorum, alterius ex Senec. Herc. Fur. 795. *Vocis horrendae fragor Per terna missus ora*, alterius ex Paullini Epiced. Celsi pueri, *Latrantem in foribus per tria rostra canem*, non eandem, atque eius, quam h. l. tractamus, dictionis, *esuros terna per ora canes*, sed aliquo modo diversam rationem esse; quid vetat, quominus, ut saepe apud Latinos, ita et in h. l. praepositio *per* instrumentum significet, a qua loquendi ratione nec alienum nostrum fuisse docet Art. A. I, 585. *Per amicum fallere nomen*, et Art. A. II, 121.? Quid vetat etiam, quominus Graecorum imitatione locutus sit Ovidius, cum certe *ἤσθιε διὰ τριῶν στομάτων* in simili re Lucianus dixerit Hermot. c. 74.

Lennep.

De numeris v. 37. ego Lennepio facile adsentior, qui non sine elegantia ex rei significatae natura tarde et horride incedunt. Numerum autem pluralem *canes* de uno Cerbero non ex ea poetarum ratione defendi posse censeo, qua fere promiscue atque indifferenter a poetis ponitur pluralis pro singulari, ut *enses* pro *ensis*, *irae* pro *ira*, *proelia* pro *proelium*, sed potius e rhetorica illa observatione, qua certum quoddam nomen numeri singularis significantes cum superlatione quadam (*Uebertreibung*) numerum ponimus pluralem. Sic Epist. VI, 98. Hypsipyle de dracone, uno illo, custode velleris aurei, quem Iason ope Medeae sopierat:

> Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.

Ac Medea Epist. XII, 163. de eodem uno dracone:

> Serpentes igitur potui taurosque furentes,
> Unum non potui perdomuisse virum.

Vid. Epist. XVI, 96. et ibi not. Sic quoque Virgilius in egregio illo loco Georg. II, 169. dixit:

> — haec Decios Marios, magnosque Camillos etc.

(Vid. de hoc usu plur. Sophocl. Oed. Tyr. v. 1250., ibique Herm. not. Conf. ibid. v. 1403. et not. Brunckii.) Nam *canes* h. l. non dictos, ut existimasse Schrader videtur, propter tria Cerberi capita, ora, quod sane

Aucupor infelix incertae murmura famae,
  Speque timor dubia spesque timore cadit.

ridiculum foret, satis declarant, quae praecesserunt, *Inter serpentes, apros, leones,* qui quidem numeri plurales et iidem de uno dicti sunt. Quod autem Schrader obiicit, votis et pecudum fibris ridicule a muliere interponi, *se iactari inter serpentes etc.,* metuo, ne ipse haec contendens ridicule faciat et nodum in scirpo quaerere videatur; quae enim sententiarum series planior et aptius coniuncta, quam haec est: Ego vota diis persolvo ac (dum) metuo, ne vir ab ignoto, peregrino hoste pereat; alia me terrent, pericula illa, quae tute obiisti, serpentem illum et aprum etc. domando; (ac non solum opinione mea terreor) me terrent fibrae victimarum, quas consulo, et imagines somniorum et omina, quae nocte media exploro. Nam aliud hoc l. certe est *vota diis operari* et exta pecudum ad explorandum, quid futurum sit, consulere. Quam denique V. D. Hand. novam huius loci vituperationem movit, nudam illam enumerationem *inter serpentes aprosque etc.* indici nimis similem (registermässig) et omni vi poetica destitutam ideoque Ovidio indignam esse: ego aliter sentio, quum mihi ipsa illa enumeratio colorem loco poeticum afferre videatur, ac iure de ea dici posse putem, quod de simili prope loco Platonis dixit Dionys. Longin. de Sublim. c. 23. *φύσει γὰρ ἐξακούεται τὰ πράγματα κομπωδέστερα, ἀγεληδὸν οὕτως τῶν ὀνομάτων ἐπισυντιθεμένων.* Sed an proba sit lectio: *et esuros terna per ora canes,* non iniuria dubitatur. *Esuros* quidem multi Heinsiani codd. et Vat. et mei plerique tuentur, sed illud *terna per ora* compositum est e Vatic. et Guelf. *per ora* et Put. lectione *terna per ossa.* Quare Iahn fortasse tutius revocavit reliquorum librorum et vulgatam lectionem: *et haesuros cerno per ossa canes,* quod interpretatus est: „*Conspicio canes, qui iam in ossibus viri interfecti haesuri sunt.*" Verum cum illud *cerno,* sic cum verbo *iactor* compositum, nescio quid suspecti habeat, neque illud *haesuros per ossa* facile probari possit, contra illud *esuros terna per ora,* ut Lennep docuit, imaginem poeticam a vetustate non alienam contineat, singulareque in eo aliquod acumen, quod Ovidius affectat, conspiciatur, vox *esuros* denique magnam habeat auctoritatem codicum, ego hoc loco aliquid dandum coniecturae et felicissimum Heinsii inventum *esuros terna per ora canes* retinendum putavi. Neque tamen contemnendum putem, quod Fr. Heusinger probabat et Conradus edidit: *haesuros terna per ora,* modo illud acumen *terna per ora* servetur. *Haerere* de mordente est apud Virg. A. XII, 754. In multis codd. v. 37. est *apros,* vocula *que* omissa. De l. *esuros* conf. adnot. ad Sabini Epist. III, 66.

39. *Fibrae.* Exta, h. e. iecur, cor, pulmones. Vid. I. H. Voss.

Mater abest queriturque deo placuisse potenti,
  Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.
Arbiter Eurystheus irae Iunonis iniquae
  Sentitur nobis, iraque longa deae.
Haec mihi ferre parum est; peregrinos addis amores,
  Et mater de te quaelibet esse potest.

ad Virg. Georg. I, 484. *Simulacra somni,* somnia, de quorum vi vid. Cic. de Divin. I. c. 20., II. c. 58., Plin. in fine L. X., Macrob. I. c. 3.

40. *Ominaque.* Edd. Venn., Vinc., Mic., et margo Bersm.: *Omniaque.* Male. *Omina,* ut recte monet Burmannus, hic innuit Deianira, quae per magica sacra petuntur; quibus *arcanis* nox idonea est; hinc et ipsa nox *arcana* appellatur, ut etiam Stat. Theb. X, 360. eam vocat, quam Val. Flacc. VIII, 25. *sacram* dixit. Vid. Burm. ad Val. Flacc. VI, 477. Tibull. III, 4.

At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale.

De *ominibus nocturnis* vid. Burm. ad Val. Flacc. VII, 250.; vid. etiam Plaut. Merc. II, 1., Virg. A. IV, 483. sqq. *Movent* autem generalius dictum pro *turbant, terrent,* et nihili est, quod ad Metam. XIII, 416. Heinsius coniecit et cod. Gu. 2. exhibet: *monent.*

42. *Speque — — cadit.* Conf. Epist. XIII, 124. Vatic.: *cadunt.*

43. *Mater abest.* Amphitryonem etiam ante, quam Deianira Herculi nupsisset, in pugna contra Minyas occisum auctor est Apollodor. II, 4., unde et Alcmena apud Senec. Herc. Oet., filii mortem deflens, de Amphitryone loquitur ut primum mortuo, v. 1778. Quod igitur h. l. tamquam vivus adhuc memoratur Amphitryon, vel μνημόνικον ἁμάρτημα est Ovidii vel ab eo sumtum ex auctoribus hodie deperditis. Lenn. Vel suo poeta iure novavit. Vid. ad Epist. I, 63. Alcmena cum Amphitryone habitabat Tirynthe et Deianira Trachine. Hyllum filium Deianira miserat ad patrem quaerendum. Vid. Sophocl. Trachin. et eius fabulae hypothesis. Ceterum Amphitryon mortalis erat Herculis pater. Vid. praeter auctores supra dictos Herodot. VI. c. 53. Pro *potenti* unus Strozzae et pro var. lect. Scriverii et Sarravii, etiam nonnulli ex meis: *tonanti.* Non male. Douzae cod.: *petenti.* Alter Lov.: *ilos,* unde Heinsius correxit: *Hyllos.*

46. *Sentitur.* De hac voce vid. ad Epist. VI, 154. Vid. etiam Metam. II, 488., Burm. ad Petron. c. 139. et ad Propert. IV, 9, 39. *Deae est* editt. Venn., Mic. et Bersm., etiam cod. Guelf. 4.

47. *Parum est.* Meliores Heinsii *parum,* voce *est* omissa. Mei praeter tres cum vett. edd.: *parum est.* Vid. ad Epist. III, 25.

48. *Et mater—potest,* cum invidia dictum.

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
  Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos;
Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
  Quarum de populo nulla relicta tibi est:
Una, recens crimen, referetur adultera nobis,
  Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.

49. *Partheniis — Augen. Auge* filia fuit Alei, regis Tegeae in Arcadia, quam cum Hercules in Parthenio, monte Arcadiae (de quo vid. Mela II.), deprehendisset, filium ex ea suscepit Telephum. Vid. Hyg. F. 101., Pausan. VIII, 48., Apollod. II. Conf. Senec. Herc. Oet. 366.

50. *Ormeni nympha*, est Amyntoris, Dolopum regis, qui fuit filius Ormeni, filia, Astydamia, quam Hercules patre eius occiso vitiavit, et ex ea Ctesippum sustulit. Diod. Sic. IV, 2., Apollod. II. Conf. Pindar. Olymp. 7.

51. *Teuthrantia turba*. Teuthras, Teuthraniae urbis in Mysia rex, pater fuit Thespii, qui L filias habuit, quae Herculi in leonis Cithaeronei interfecti praemium cesserunt et L filios ei peperisse feruntur. Apollod. II., Pausan. IX. De Thespii genere vid. Eustath. ad Iliad. II, 498., Bernart. ad Stat. Silv. III. et Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 177. Conf. Steph. in Θεσπεία et Munker. ad Hyg. F. 162. *Populus sororum*, ut Metam. VI, 198. et XI, 633. Meliores Heinsii et maior pars meorum: *Non*. Vulg.: *Nec*.

52. *Tibi est. Est* Monac., Guelf. 3. et meliores (?) Heinsii non habent, reliqui omnes cum vett. edd.: *tibi est*, de qua l. Werfer. p. 552.: „Ita, quo melius fulciatur versus, legendum intelligas, si teneas, quae Goerenz in Programm.: Tentamen Criticum in loca quaedam Tibulli, p. 6. de finali *est* erudite docuit. Nostri enim loci et ultima vox in brevem, certe ancipitem syllabam desinit, et sequens versiculus prima vocali incipit. Vid. Epist. II, 144., III, 22., IV, 102., XV, 40."

53. *Referetur*. Editiones ante Heinsium praeter ed. Vinc.: *refertur*, adversante metro, (aliae, Nauger., Mic., Bersm.: *defertur*); Heinsius vero e VI codd. *praefertur* dedit, quod probavit etiam Burmannus. Atqui non unam modo adulteram sibi *praeferri* viderat Deianira. Igitur illa certe vera esse l. non potest. At nescio, an unice vera sit, de qua iam Egnatius cogitarat, quamque nos amplexi sumus lectionem: *referetur*. Nimirum supra fuit v. 49. sqq.

Non ego Partheniis t. v. Augen,
  Nec *referam* partus, O. n., tuos;
Nec tibi crimen erunt etc.

His aptissime, ni fallor, subiicitur:

Una, recens crimen, *referetur* adultera nobis.

Quod Egnatio postea magis placuit *defertur*, pro *accusatur*, neque tam congruum est h. l., quia Deianira magis Herculem,

Maeandros, toties qui terris errat in isdem,
 Qui lassas in se saepe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
 Illo, cui coelum sarcina parva fuit.

quam Omphalen accusare vult, nec, ut puto, Ovidianae Latinitatis. LENN. Cod. Monac.: *referatur;* cod. Egnat.: *desertus;* multi Heins.: *refertur;* Francof.: *praefertur.* Omphalen autem, Lydorum reginam, dicit, cui Hercules, quum Apollinem laesisset, a Mercurio in servitutem datus est (Hyg. F. 32., Apollod. II.), qui ex ea Lamum filium suscepit. Diod. Sic. IV. Conf. Sophocl. Trachin.

55. *Maeandros.* Veteres edd. et multi codices habent *Maeander;* sed praestantiores Heinsii, etiam duo Goth., IV Guelf.: *Maeandros,* ut Met. II, 246.

Quique recurvatis ludit Maeandros in undis.

VIII, 162.

— liquidus Phrygiis Maeandros in arvis
Ludit.

Conf. Lucan. III, 207., Senec. Phoen. 605. et Epist. V, 31. — Vetus editio: *ripis in isdem;* unus Vatic.: *terris toties qui volvitur isdem;* Lovan.: *versat in isdem;* alter Lovan.: *regnat in isdem;* Put.: *Maeandros toties terris erratur in isdem;* Scriv.: *Maeander fluvii toties redeuntis eodem;* Vatic., Apros., Barber. et Giess.: *qui se toties concludit in orbem;* Reg.: *qui se toties includit in orbem.* Sed plurimi codd. Heinsii et, Trev. et Giess. exceptis, mei omnes cum veteribus editt. consentiunt in l.: *toties qui terris errat in isdem;* quae aptissimo est sensu, ut Burmanni coniectura: *toties qui secum ludit in orbem,* minime opus sit. *Errare* Maeander dicitur Lucani dicto loco et Sil. It. VII, 139., Senec. Phoen. 606. De ipso fluvio vid. ad Epist. VII, 2.

56. *Lassas.* Vulgo *lapsas; lassas* est in Putean., Guelf. 1. et 4., Goth. 1. et a m. sec. in Trev. et in nonnullis Heinsii (Burmanno teste) melioribus et in primis edd., quod convenit fluvio toties in se quasi recurrenti. Metam. I, 582.

In mare deducunt fessas erroribus undas.

Lucan. V, 466.

— Neuter longo se gurgite lassat.

Conf. Lucan. VI, 45. Ita fere hanc l. defendit Burmannus. Conf. Metam. VIII, 166.

57. *Monilia. Monile* ornamentum colli proprium feminarum, de quo vid. Boettig. Sabin. p. 405. et Heyn. ad Virg. A. VII, 267.

58. *Illo.* Unus cod. Heinsii pro varia lectione loco *illo* exhibet *collo,* quam l. Lennep cum viro quodam docto in Obss. Miscell. Vol. V. T. III. probavit et in contextum recepit, elegantiam quandam putans habere repetitionis et suaviorem auribus esse, quam *collo illo.* Mihi *collo* glossa videtur, ut in codice Trev. vere est, et lectio *illo* singularem quandam habere vim, qua locus non debeat privari. Quod autem *collo* auribus suaviorem

Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas apposuisse toris.
Nempe sub his animam pestis Nemeaea lacertis
Edidit; unde humerus tegmina laevus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae;

dixit, meis certe auribus gratior videtur vulgata, quam *collo collo cui coelum;* nec praeterea solet poeta repetere ubicunque potest, et locus simillimus est Metam. X, 431.

Festa piae Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus nivea velatae corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum.

60. *Et solidis.* Perperam Put. et multi alii Heinsiani et maior pars meorum: *opposuisse;* nec *imposuisse,* quod alii Heinsii exhibent, probum est. Vopisc. in Aurel. c. 7. *Torquem brachialem et annulum apponat;* Macrob. Saturn. VII. c. 7. *Dic, oro te, quae facit caussa, ut sinapi et piper, si apposita cuti fuerint, vulnus excitent et loca perforent.* Vid. ad Epist. VII, 100. *Toris,* sc. brachiorum. *Solidus* autem hoc l. est *musculosus,* vel quod Terent. Eun. II, 3, 26. dixit, *firmus,* h. e. Ruhnkenio interprete non fluxa aut flaccida carne, qui ad hunc locum aptissimum exemplum laudat Lucil. apud Non. Marc. p. 391.

Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas
Pectore marmoreo.

Si post *toris* signum interrogandi poneretur, nihil equidem adversarer pro illo, quod Iahn post v. 61. et 62. induxit, quem locum ego malim cum vulgata accipi, ut sit cum acerbitate exprobrantis et affirmantis. *Pestis Nemeaea* est leo, qui in Nemea silva in Peloponneso degebat et vicinos agros vastabat, monstrum horrendum et invulnerabile. Hunc Hercules suffocatum ad Eurystheum, qui hunc primum ei laborem imperaverat, portavit. Eius pellis ei post haec pro tegumento fuit. Hesiod. Theog. 326., Apollon. Rh. I, 1317. sqq., Apollod. II., Theocrit. 25., Diod. S. IV., Hyg. F. 30. Ceterum locus colorem duxisse videtur ex Sophoc. Trachin. 1106., quem Latine versum citat Cicero Tuscul. Disput. II, 9. Vid. etiam Senec. Herc. Oet. 1235. et Metam. IX, 197.

62. *Edidit.* Cic. pro. Sest. c. 38. *Ac si tunc P. Sestius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset,* ubi vid. not. Abrahami. Cod. Moreti: *perdidit;* Leid.: *credidit.*

63. *Mitra redimire,* quod erat Phrygum mulierum. De *mitra* vid. Heyn. ad Virg. Aen. IV, 216. et IX, 616. et, quem ille laudat, Winkelm. Geschichte d. Kunst p. 308. Wernsdorf, Poett. Min. II, 292. Ac *redimire* proprie dicitur; nam *et habent redimicula mitrae* Virg. dict. l. Aen. IX, 616. Imitatus est hunc locum, ut plurima Ovi-

Nec te Maeonia lascivae more puellae
Incingi zona dedecuisse pudet.
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equos?

dii, Senec. Herc. Oet. 374. Hafn.: *mirto;* Lov.: *cohibere.*

64. *Alba.* Put.: *alma. Alba* populus, quia eius folia interiora sunt *alba,* ut vetus Schol. docet ad Horat. Od. II, 3.; Virg. Ecl. IX, 41.

— Hic candida populus antro
Imminet.

Graecis λευκή. (Vid. Heyn. ad Virg. A. VIII, 276. et Horat. Od. I, 7, 23.). *Aptior* autem illa Herculi dicitur, quia ea coronatus ab inferis rediit, teste Servio ad Virg. Ecl. VII, 61. et ad Aen. V, 135. *Burm.* Conf. I. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 66.

65. *Lascivae more. Lascivae* a poeta dictum videtur ex ratione sui temporis, quo meretrices fere Asiatico cultu atque vestitu insigniebantur. *Maeonia* i. q. Lydia, a parte Lydiae meridionali, quae a veteribus Lydiae colonis *Maeonia* vocatur. Plin. H. N. V, 29., Heyn. Exc. ad Virg. Aen. VIII, 478.

66. *Pudet.* Plurimi codd.: *pudet;* nonnulli: *putas;* Leid.: *putes.* Certe *puduit* iam praecesserat. Remed. Am. 410.

Et nihil est quod se dedecuisse
putent.

Ubi similiter *pudet* in quibusdam libris. Praeterea Excerpta Douzae: *Maeoniam zonam,* ut sit Graecismus. *Heins.* Ego licet in repetitione eiusdem vocis minime haeream, tamen maxime haereo in constructione verborum: *nec te pudet dedecuisse incingi,* quod mihi abhorrere videtur a ratione ac simplicitate Nasonis, quare nescio, an cum Heinsio et Burm. legendum censeam *incingi dedecuisse putas* cum interrogatione.

67. *Crudi Diomedis.* Octavum certamen fuit, ut Diomedis equos Mycenas abigeret. Is Bistonum, Thraciae gentis, rex fuit, cui equi erant, quos hominum corporibus pasceret. Eos Hercules vivos abduxit, aut, secundum alios, interfecit. Apollod. II., Apollon. Rh. I., Diod. S. IV., Hyg. F. 30. Conf. Metam. IX, 196. et quos ibi laudat Iahn, Burm. ad Anth. Lat. T. I. p. 23., Barth. ad Stat. Theb. VI, 346., Gesner. ad Claud. II, 254., Fischer ad Palaeph. 4. et Iacobs ad Anth. Gr. T. II. P. I. p. 45.

68. *Equos.* Put. et tres alii *equas.* Sic infra v. 90. *equae.* Alii tamen *equos* fuisse contendunt. *Heins.*

Licet vix operae pretium putem, Diomedis equi, qui fortasse nunquam fuerunt, utrum masculini generis an feminini fuisse tradantur, curiosius inquirere; tamen, quamvis in hac quidem Epistola genus eorum ambiguum sit, hoc loco plurimis codicibus tuentibus l. *equos,* contra infra v. 90. *equae,* ex aliis locis verisimilius fit, ab Ovidio esse genus masculinum. Metam. IX, 194.

— Thracas equos, humano
sanguine pingues.

Si te vidisset cultu Busiris in isto,
  Huic victor victo nempe pudendus eras.
Detrahat Antaeus duro redimicula collo,
  Ne pigeat molli succubuisse viro.
Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
  Diceris, et dominae pertimuisse minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
  Rasilibus calathis imposuisse manum;

In Ibin 401.

> Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
> Impius humano viscere pavit equos.

Claudian. Rapt. Pros. II, 12.

> Et Diomedeos gramine pavit equos.

Sil. Ital. III, 38. *Thraces equi;* idem Stat. Theb. VI, 486.; idem Apollinar. carm. 8.; Lucret. V, 29.

> Et Diomedis equi spirantes naribus ignes.

69. *Busiris* Aegypti tyrannus fuit, qui hospites diis suis immolabat. Eum Hercules et ipse immolandus occidit. Apollod. II., Hyg. F. 30., Herodot. II, 45., Diod. Sic. IV., Oros. I., August. de Civitate Dei XIX. c. 12., Gell. N. A. II, 6., Macrob. Sat. VI, 7. Conf. Metam. IX, 183.

70. *Nempe.* Iahn et hoc loco interrogationem induxit, quae mea quidem sententia hic ferri minime potest. *Nempe* est hic cum acerbitate confirmantis (ut Epist. VI, 144.): *Hunc victum tui, talis victoris* (a tali viro vinci) *puduisset.* Cod. Sarrav.: *Sic victor.*

71. *Antaeus.* Vid. ad v. 97. *Redimicula.* Vid. v. 57. *Detrahat,* si videat.

73. *Inter Ioniacas calathum. Ioniacas* libri veteres, non quod Egnatio et Micyllo ex Aldina placebat *Maeonias inter,* quomodo Art. A. II, 219.

> Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
> Creditur, et lanas excoluisse rudes.

Ubi tamen vetustiores *Ionicas inter. Ioniacas* pro *Lydias;* nam Ionia pars est Lydiae. Vid. Plin. V. c. 29. Ceterum animadvertenda est h. l. actionis nendi per suas partes enumeratio, *calathum tenere, deducere pollice fila, stamina digitis torquere, pensa rependere.*

74. *Et dominae* (ut serva) *pertimuisse minas.*

75. *Non fugis.* Meliores Heinsii et mei prope omnes: *Non fugis* (alii cum nonnullis veteribus editt.: *non pudet*) q. e. *non metuis, non adspernaris,* pervulgata consuetudine loquendi. Sic *fuge credere* Lucret.; Hor. Od. I, 9, 13.

> Quid sit futurum cras, fuge quaerere.

Hor. Od. II, 4, 22., Virg. A. IX, 199., Ovid. Trist. IV, 3, 55., Tibull. I, 4, 69.

76. *Rasilibus,* laevigatis, quales puellulis placent. Cod. Douzae: *implicuisse.*

77. *Crassaque—deducis.* Paullo durior mutatio constructionis: *Non fugis imposuisse,* et *dedu-*

Crassaque robusto deducis pollice fila,
  Aequaque formosae pensa rependis herae?
Ah quoties, digitis dum torques stamina duris,
  Praevalidae fusos comminuere manus.
Crederis, infelix, scuticae tremefactus habenis,
  Ante pedes dominae pertimuisse minas.

cis? De *crassa* Burmannus: „*Crassa* recte dicit, ut solocem intelligat, quae ut imperito lanam deducendi dabatur, ut contra mollis peritissimis ancillis dabatur.“ Ridicule sane. Non quia *solocem* Hercules ducebat, poeta eius fila *crassa* fingit, sed propter *robustos* eius *pollices,* ad clavam vibrandam ac regendam, quam ad lanificium aptiores. Deducere est *in longum ducere, ducendo attenuare.* Conf. Metam. IV, 36. et Amor. I, 14, 7., ubi vid. Burm.

78. *Aequaque.* Pro *aequaque* Excerpta Puteani: *Cressaque*; multi Heinsii: *Crassaque* vel *Grossaque*; Reg.: *Plenaque*; tres Heinsii: *Tu quoque;* duo: *Et quoque*; Excerpta Iureti, Barb. et Vossii cod.: *Et data,* quomodo et Graevius coniiciebat, ut Fast. II, 743., Metam. XIII, 511., Trist. IV, 1, 13., Epist. III, 75. Sed *aequa* rectum est. *Aequa pensa* sunt *iusta pensa;* tantum enim filorum pondus, quantum lanae domina vel lanipenda appenderat, rependere debebat serva. Nam *iusta* pensa nere servilis conditionis erat. De *lanipenda* vid. Paul. in L. XXXI. D. de donat. inter vir. et ux., Cuiac. Obss. IX, 30. Propert. IV, 7, 37.

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

Cod. Lovan. et Helmst., ut post Burmannum vulgo editur: *famosae*; reliqui libri omnes: *formosae*; *famosa* autem in malam partem accipi et dici pro *infamis* dubitari non potest (infra v. 134., Amor. III, 6, 78., Cic. de Orat. II, 68., Non. Marc. in *fama,* al.). Sed mihi cum libris et Iahno retinendum videtur *formosae,* ut cum acerbitate caussam servitutis innuere intelligatur.

79. 80. *Ah quoties praevalidae, vastae, manus tuae inter nendum fusos* (instrumentum, quod nentes digitis volvebant) *fregere.* Ceterum ad fastidium in Herculis lanificio describendo poeta commoratur. —

At quoties legendum suspicabatur Schroder in Obss. Miscell. Vol. VI. T. III. p. 532., vulgatum *ah* indignanti puellae minus convenire putans. Sed vid. Epist. V, 49. et Art. A. I, 313. Ceterum Ovidiana haec legisse videtur auctor Eleg. in obitum Maecenatis, quam confer v. 69. seqq. Vid. etiam Broukhus. ad Prop. IV, 9, 50.
LENN.

81. 82. *Crederis etc.* Heinsius cum codd. et editt. omnibus dedit: *Ante pedes dominae pertimuisse minas,* cum annotatione: „Haec eadem fere habes supra v. 74.; quare distichon adulterinum esse arbitror, quod in Put., ut et sequens, margini

Eximiis pompis praeconia summa triumphi,
Factaque narrabas dissimulanda tibi:

est adiectum, in ipso contextu non apparet." Idem distichon suppositum iudicavit nuperus editor Iahn. Ego vero cum Burmanno existimo non tam facile disticha repugnantibus libris esse damnanda atque eiicienda, et isthoc Ovidiana elegantia non indignum esse, sive cum Burmanno ex codd. Reg. et Goth. 2., in quibus haec sic leguntur:

Crederis, infelix, scuticae tremefactus habenis
Ante pedes dominae pertimuisse minas,
Dumque paras veniam, pudet ah, celanda recenses (*vel* recense),
Ante pedes dominae procubuisse tuae.;

sive igitur cum Burmanno v. 82. legas: *Ante pedes dominae procubuisse tuae*; sive propter librorum consensum malis retinere vulgatam. Nam quod Heinsius primum obiecit, idem iam v. 74. legi, parvi, ut saepius iam dictum, apud Ovidium est momenti. Quoties, ut intra locum nostrum consistamus, notio nendi hoc loco repetitur! Et omnis vis in hoc versu posita esse videtur in verbis *ante pedes dominae*. Quantum autem illud valeat, quod hoc distichon in contextu codicis Put. non exstat, vel eo satis apparet, quod etiam sequens distichon ab eodem codice abest, et una cum hoc, de quo agitur, in margine adscriptum legitur. Goth. 2. h. l. corruptum esse, argumento est, quod in eodem etiam v. 83. desideratur. Aptissimum denique hoc distichon ad praecedens, ut peccatum fractorum fusorum sequatur timor poenae. Veritatis autem superlationes tales non abhorrent ab ratione Ovidii; ex. c. vid. Ep. X, 95. Nonnulli codd. (vid. var. l.) et editt. Venn., Vinc., Mic. et Bersm.: *Diceris*, pro *Crederis*. Nonnulli Heinsii etiam post 82. addunt:

Turpiter ipse aliis referebas verba puellis,
Coniugis in gremio debita pensa trahens.

De re conf. Epist. XVI, 270.

83. *Eximiis pompis.* Excerpta Douzae:

Exuviis positis meritarum semina laudum.

Put. et Scriv. et Goth. 1.: *immania semina laudum*, pro *praeconia s. t.*; Scriv. etiam: *Eximias pompas*, unde conflata est, quae nunc vulgo editur, scriptura Burmanni:

Eximias pompas, praeconia summa triumphi.

Sed cur non potius omnium prope librorum scripturam sequamur, quae optimam sententiam exhibet? „*Narrabas praeconia summa triumphi eximiis pompis* (abl. qualitatis, qui vulgo dicitur), *triumphi pomposi*, ut hac voce pessimae Latinitatis utar, *et facta narrabas, quae tam servili ancillae lanificae habitu dissimulare, tacere debebas.*" Burmanno etiam l. *Eximias pompas, immania semina laudum* non displicebat. Sed, quod salva dixerim huius viri reverentia, huic non semel accidit, quod

Scilicet immanes elisis faucibus hydros
Infantem caudis involuisse manum;

accidere puerulis saepe videmus, ut omnia ei placeant, aut saepe eorum, quorum optionem habeat, pessima. Iahn quoque: *Eximiis pompis.* Sin autem Heinsio totum hoc distichon suspectum est, parum respexisse videtur sequentia et in his vocem scilicet, quae inservit ad universe in hoc disticho significata enumeranda.

84. *Narrabas.* Heusinger e Guelf. 1. dedit *narrabis,* quod idem malebat Schroder dicto loco. Sed nullus futuro est locus in re iam diu praeterita. Supra v. 57. est: *Vidit in Herculeo*; v. 59. *non puduit*; 63. *ausus es..*; 66. *incinctus es*; 73. *tenuisti*; 80. *comminuere*; 82. *pertimuisse crederis, pertimuisti*; igitur unice recte *narrabas*; nam quod v. 101. ad tempus praesens transit, ex concitata oratione explicandum est; statim enim ad praeteritum redit v. 103. *ornavit etc.*

85—100. Nescio, quid Heinsium permoverit ad VIII illa signa interrogandi inducenda, quae in veteribus libris non reperiuntur. Vv. 85—100. expositionem continent versuum 83. et 84., qui cum sine nota interrogandi scripti sunt, et illi omnino sine hoc signo scribendi videntur. Non parum molesta praeterea est illa in infinitum continuata vel repetita interrogatio. Denique vide, quanta vi atque affectus veritate post sedatam illam enarrationem inde a v. 85—100. tandem vv. 101. et 102. Deianira interroget: *Haec tu Sidonio — — — Dicere? non—lingua retenta silet?*

86. *Infantem caudis.* Nonnulli Heinsii codices et vett. edd.: *nuda dilacerasse manu*; nonnulli: *Infantem cunis inv. m.*; Vat.: *Infantem cintis*; Put. cum ceteris plerisque melioribus: *Infantem caudis involuisse manum*; unde Heinsius coniiciebat: *Infantem nodis.* „Nimirum, inquit, *codis* pro *nodis* antiqua librarii dederat manus; *codas* enim et *caudas* promiscue confundebant; dilaceratos autem ab Hercule serpentes esse contra fidem est historiae, et ipse *elisos* versu praecedente dixerat omnino probe; recte igitur *involuisse* per διαίρεσιν, ut passim, ex. c. Trist. II, 237., Epist. XII, 4., Epist. VI, 74., Fast. IV, 536., V, 330.“ Contra Heinsii coniecturam bene disputat Lennep: „Non nego, inquit, ita fieri potuisse, nec apposite in hac fabula anguium memorari *nodos* (vid. auctor venustissimi Idyllii, quod inter Theocritea circumfertur 24, 27. sqq.); sed hoc dico, non satis Heinsio caussae fuisse, cur h. l. a praestantissimorum codd. lectione recederet, quae et ipsa probabilis nec minus ad h. l. est apposita. Sane similiter in re simili locutus est Ov. Met. IV, 361. Nos igitur *caudis involuisse* non damnamus; in contextu tamen cum Burmanno prius ab Heinsio probatam lectionem, *cunis* relinquendam putavimus. Etenim, ut clare sic scriptum in Heinsianorum quibusdam codicibus,

Ut Tegeeus aper cupressifero Erymantho
Incubat, et vasto pondere laedit humum.

ita nos huc ducere videtur, quamvis depravata, Vat. codicis a Ciofano inspecti l.: *cintis.* Sed maximum est, quod fere solemnis in hac historia mentio *cunarum.* Ipse Hercules Met. IX, 67.

Cunarum labor est angues superare mearum.

Art. A. I, 187. et supra verss. 21. 22. Praep. *in* h. l. omittitur, ut Metam. III, 313.

Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat.

Auctor Elector. Etonens. *e cunis* malebat.“ Haec Lennep. Nos cum Iahno *caudis* probamus, quod significantius est, quam illud *cunis,* et periculum maius repraesentat; et quod caput rei est, plurimi libri et mss. et editi eam lectionem tuentur; *cunarum* autem vices, de quibus dicit Lennep, *infanti* illa *manu* facile implentur. Ut *infantem manum,* sic Metam. IV, 517.: *infantia ora;* Fast. VI, 145.: *infantia pectora;* Fast. IV, 208.: *infanti ore.*

87. *Ut Tegeeus. Ut Tegaeus* editi multi; *utque Tegeus* Put. et IX alii; sed legendum, ut Micyllus et Heinsius: *Ut Tegeeus;* vid. ad Fast. I, 545., et ita semper Fast. II, 167., VI, 531., Met. VIII, 317. et 380. *In cypressifero* fere omnes scripti, editio princeps et Venetae. Contra metrum. Male. Burm. Etiam mei prope omnes. Vid. ad Epist. II, 18. Ceterum ne curiose quaeramus, an in Erymantho creverint cupressi; nobis sufficiat confirmare posse, eum silvosum fuisse (Horat. Od. I, 21.), et eas arbores in Arcadia frequentes esse, quod testatur Pausanias Arcad. pluribus locis, et poetam etiam Cyllenen, alium Arcadiae montem, cupressiferam appellare, Fast. V, 87. *Tegeeus* a Tegea, Arcadiae oppido. Plin. H. N. IV, 6. De neglecta elisione, quae apud Ovidium in nominibus propriis frequentissima est, conf. infra 141., et omnino de fine Graeco huius versus vid. Herm. Epitome Doctrinae Metri §. 322. et Iahn ad Metam. IV, 336. et XI, 17. et, quem laudat, Sprengel *Neue Kritik* p. 52. Vid. de tota ea re doctas I. H. Voss. not. ad Virg. Ecl. 2, 24., 6, 53., 10, 12. Conf. Met. II, 244.

88. *Incubat et — laedit.* Sic veteres editiones cum plerisque scriptis. Guelf. 3. et Douzae cod. exhibent: *Incubuit vasto*; Scriv.: *Incumbens — laedat*; Gronov.: *pulset;* Put., Goth. 2. et margo Bersm.: *Incubet....laedat*; posterius etiam Mor. et Guelf. 3., unde, quod nunc vulgo legitur: *incubet.... laedat.* Sententia *ut incubat — laedit,* quomodo etiam *involuisse* versus praecedentis, sane pendet a *narrabas*; sed tamen repugnantibus codicibus indicativum nolim mutare, quum indicativi usus in indirecta vel obliqua, quam vocant, oratione saepissime reperiatur, de qua observatione vid. ad Epist. X, 86.; nam *ut* hoc l. fere est *quomodo,* ut Terent. Adelph. II, 6, 3., ubi similiter cum in-

Non tibi Threiciis affixa penatibus ora;
Non hominum pingues caede tacentur equi;
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi
Geryones, quamvis in tribus unus erat;
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberus implicitis angue minante comis;
Quaeque redundabat fecundo vulnere serpens,
Fertilis et damnis dives ab ipsa suis;

dicativo est coniunctum. De re, circa Erymanthum ingens aper omnia vastabat, quem Hercules, qui ei quartus labor impositus erat, vivum humeris suis ad Eurystheum deportavit. Diod. Sic., Apollod., Hyg. dictis locis.

89. *Non tibi.* Nempe Diomedes hospitum, quos equis devorandos obiiceret, capita (ora) postibus affigebat, quod idem de Caco canit Virg. VIII, 196.

— foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Penatibus pro domo et parte domus, h. l. fere pro foribus. Trev. et Goth. 2.: *equi;* reliqui: *equae.* Vid. supra ad v. 68.

92. *Geryones. Geryones* monstrum tribus corporibus, *tricorpor*, ut Virg. Aen. VI, 289., tyrannus fuit Erythiae, quae insula erat oceani, ditissimus armentorum; hunc Hercules occidit et armenta eius, qui decimus ei ab Eurystheo impositus labor erat, abduxit. Hyg., Apollod., Diod. Sic. l. l. Conf. Gier. ad Metam. IX, 184., Heyn. ad Virg. l. l., Mitscherl. ad Hor. Od. II, 14, 7. Mei codices, praeter duos, omnes cum edd. Venetis: *Gerionis*; sed sic *dives* cum *prodigium* coniungendum esset, quod durum est, etiam propter illa *quamvis in tribus unus erat.*

94. *Cerberus.* Cerberum, custodem ianuae Ditis, qui triceps canis erat et pro pilis serpentes habebat, iussu Eurysthei ab Hercule domitum et catenis constrictum vivum ad superos abstractum esse, nota fabula est. Diod. Sic., Hyg., Apollod. ibique Heyn., Hom. Iliad. VIII, 368., XX, 146., Od. XI, 622. Vid. Burmann. ad Anth. Lat. T. I. p. 23. et Fischer ad Palaeph. 40. Conf. Metam. VII, 410.

Digestus, divisus, ut Epist. X, 67. Metam. IX, 773.

— septem digestum in cornua Nilum.

Conf. Met. IV, 774. De scriptura *Cerberus*, Heinsius cum Put. suo iterum graecatus est et scripsit *Cerberos*; idem nuper dedit Iahn; sed *Cerberus* cum vett. libris omnino retinendum videtur. Metam. IV, 449.

— tria Cerberus extulit ora.

Quod autem Ovidius Metam. VII, 413. scripsit *Cerberon*, certe non sine caussa fecit metrica; et saepissime nominum e Graecis ortorum utraeque formae apud Ovidium obtinent et Graeca et Latina. Vid. ad Epist. VI, 81. et X, 66.

95. *Serpens* est hydra, quae

Quique inter laevumque latus laevumque lacertum
Praegrave compressa fauce pependit onus;

Lernae in Peloponneso fuisse dicitur et septem, secundum alios plura, capita habuisse, quorum uno rescisso alia duo nascebantur. Et hoc monstrum Hercules occidit, et eius felle sagittas tinxit, quo mortiferae redditae sunt. Hesiod. Theog. 316., Hyg. F. 30., Apollod. II. ibique Heyn., Diod. Sic. l. l. Conf. Metam. IX, 69. sqq., Eurip. Herc. Fur. 1188. Put.: *elulabat.* Sed *redundabat* elegans et probum, metaphora a fluctibus desumpta. Cic. pro Mur. c. 39. *Si haec elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint?* ubi vid. Camerar.; et ita passim optimi quique. *Burm.* Ceterum verbosius: *redundabat; fecundo vulnere; fertilis; dives.*

96. *Dives ab ipsa.* Sic Put. et ceteri praestantioris notae (etiam Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., Erf., Dresd., Helmst., et edd. Venn. et Vinc. *L.*). Probe. Epist. XII, 18., XIII, 116., Art. A. III, 668.

— indicio prodor ab ipse meo.

Pont. III, 3, 46.

Discipulo perii solus ab ipse meo.

In Ibide 406.

— quem reddere vitam
Urbe Coronides vidit ab ipse sua.

Sic bene libri veteres. Mox:

Et laesus lingua Battus ab ipse sua.

Amor. I, 7, 26.

Et valui poenam fortis in ipse meam.

Heins.

Ciofanus in praestantioribus libris reperiebat (et sic cum vulgata habent etiam Guelf. 1., Goth. 2., Trev. et Giess.): *ditior ipsa suis.*

97. *Quique inter laevumque etc.* Antaeum innuit, Libycum gigantem, quem Hercules novo modo devicit. Namque cum is, quoties terram, quae erat eius parens, attigisset, alimenta et novas inde vires acciperet, altera manu eum in altum sustulit, altera sublati fauces compressit. Vid. Gier. et Iahn. ad Met. IX, 184., et quos laudant, Apollod. II. ibique Heyn., Diod. Sic. l. l., Hyg. F. 31., Lucan. IV, 590. sqq. Sed variat h. l. scriptura. Herculaneus lib.: *dextrumque latus dextrumque lacertum*; Erf.: *dextrumque latus laevumque lacertum*; Nauger. veterem lectionem esse dicit, quam etiam Ciofanus in libro Statiano et utroque Vatic. reperiebat: *laevumque latus laevumque lacertum;* atque ita est etiam in Put., praestantioribus Heinsianis omnibus, Trev., Goth. 2., Guelf. 1., 3. et Giess. Vulg.: *laevumque latus, dextrumque lac.* Sed ea scriptura ferri vix potest; quomodo enim, cum Ciofano quaero, potuit Hercules Antaeum dextro lacerto sustulisse et inter laevum latus suffocasse? Itaque legendum *laevumque latus laevumque lacertum,* ut *laevo brachio* Antaeum ab Hercule sublatum et inter hoc brachium et laevum latus sustentatum, dextra autem fauces eius compressas esse intelligatur: nam de lectione cod. Herculanei: *dextrumque latus dextrumque lacertum,* cum qua consentit num-

Et male confisum pedibus formaque bimembri
  Pulsum Thessalicis agmen equestre iugis.
Haec tu Sidonio potes insignitus amictu
  Dicere? non cultu lingua retenta silet?
Se quoque nympha tuis ornavit Iardanis armis,
  Et tulit e capto nota tropaea viro.

mus, quem exhibet Gronov. in Diatr. Statiana c. 25., ubi pendet Antaeus compressus dextra manu ad dextrum latus Herculis, etiamsi artis legibus magis consentanea sit et naturae rei accommodatior esse videatur, ut ingentem gigantis molem dextra Hercules, quod in illo certamine difficillimum erat, sustulerit; parum ei momenti tribuendum existimo, propter tenuem et exiguam, quam unus ille codex habet auctoritatem, quum praesertim probabile sit, poetas non minus, quam fictores (Wild. in Signis p. 37.) in ea re variasse.

100. *Agmen equestre.* Cum acumine; nam Centauros dicit, quos equestres et *forma bimembri* dicit, quia superiori parte corporis homines, inferiori equi erant. Haec monstra Thessaliae, cum in aprum Erymanthium proficisceretur, Hercules traditur devicisse, in antra sua et latebras fugientes persecutus; unde *male confisum.* Diod. Sic. l. l., Apollod. II., Isocr. Enc. Helen. Conf. Metam. IX, 191.

101. *Sidonio.* Huic loco lucem affert Propert. IV, 9, 47. et 48., ubi Hercules de se ipse dicit:

> Idem ego Sidonia feci servilia palla
> Officia, et Lyda pensa diurna colu,

ubi vid. Burm., quem eundem vid. ad Prop. II, 12, 15.

103. *Se quoque.* Quod dedecus tuum etiam auget, *nympha Iardanis* (Omphale a Iardano eius patre ita dicta) vel ipsis tuis se armis ornavit. Pro *ornavit* nonnulli vetusti codd. *oneravit;* sed lectio *ornavit* et loci ratione et versu sequenti satis firmatur. Virg. Aen. XII, 343.

> — quos Imbrasus ipse
> Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis.

Cod. Iun.: *ingentibus instruit. Arma* sunt clava et arcus, ut statim sequitur. De *nympha* vid. ad Epist. I, 27.

104. *E capto nota tropaea.* Gron.: *a capto;* Scriv.: *in capto.* Pro *nota* unus Vat., Bas., Erfurtanus Heinsii, Excerpta Vossii et pro var. lect. Gronov.: *bina trop.,* quod miraberis Heinsium ita interpretari ac defendere: alterum enim tropaeum de amore eius, alterum de spoliis hisce tulit. *Tropaea* sunt *spolia leonis* v. 113.; saepe enim quaecunque hosti eripiuntur, poetice *tropaea* dicuntur (vid. Rem. A. 157.), ac *nota* ea dicit, quia semper Hercules iis indutus erat. Conf. Metam. IX, 113. 114. De scriptura *trophaea,* quae in quibusdam libris est pro *tropaea,* vid. Forcell. in voce. Conf. Ruperti ad Iuven. S. X, 133.

105. *Fortia facta. Gesta* Put.

I nunc, tolle animos et fortia facta recense:
Quod tu non esses iure, vir illa fuit;
Qua tanto minor es, quanto te, maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere maius erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum:
Cede bonis; heres laudis amica tuae.
Pro pudor, hirsuti costis exuta leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.

et alii quinque Heinsii, etiam cod. Douzae; sed desidero exemplum, cum *fortia facta* apud unum Ovidium sexcenties reperiatur. Burm. Licet in locutione *fortia gesta* (Nep. vit. Datam. c. 1.) omnium minime apud Ovidium haerendum existimem; tamen *fortia facta* propter maximam auctoritatem codicum et vett. edd. retinendum putavi. Iahn: *gesta.*

106. *Quod etc.* Put.: *Quem.* Alter Mentel.: *Quo.....foret.* Nihil muta. *Quod*, quia, cum, tu iure ac merito (vir) non esses, non virum te exhiberes, sed femina dici deberes propter segnitiem et servilem animum, illa vir fuit, illa virum se praestitit. Alii post *vir* incidunt, quod fere eodem redit; sed quam nos cum Burmanno et Iahno distinctionem secuti sumus, paullo gravior ad sententiam videtur.

107. *Maxime rerum.* Vid. ad Epist. IV, 125.

109. *Procedit.* Unus Vatic.: *procedat*; Put. a m. sec.: *proh cedit. Procedit* est in utilitatem cedit, prodest, additur: illa omnem ex rerum gestarum tuarum magnitudine fructum, laudem capit. Metaphora sumta videtur ex re Romanorum militari, ubi stipendia et *aera* militibus *procedere* dicebantur, ubi anni, quos militabant, ad missionem honestam proderant. Vid. Forc. Lex. et Gronov. ad Liv. VII, 48. Simili modo Sallust. Iug. c. 87. *Quippe benefacta mea rei publicae procedunt.* Val. Flacc. VIII, 457.

110. *Cede bonis.* H. e. ex laude tua; nam Omphale heres est omnis laudis tuae, possidet omnem laudem tuam. Vulgo: *tuae est;* sed *est* Put. et alii Heinsii non pauci, etiam Trev., Guelf. 3. et 4. omittunt, quod nescio, an cum Iahno probandum putem, cum loci concisionem illud *est* adiuvare videatur.

111. *Pro pudor.* Vulgo: *O pudor;* sed rectius VI libri (etiam Trev. et Giess.): *Pro pudor.* Petron.:

Pro pudor, imperii deserto nomine fugit.

Idem c. 81. Stat. Theb. X, 868.

Pro pudor, Argolicas hinc ausi obsidere portas?

Catal. Pithoei p. 88., Flor. I. c. 12., Senec. Cons. ad Polyb. c. 36. et sic passim optimi scriptores. Martial. VIII. *O pudor, o pietas!* Heins. Bentlei. ad Hor. Od. III, 5, 38. huius loci *O pudor* defendit Horatii loco: *O pudor, o magna Carthago;* sed nescio, an Horatius ibi *O pudor* scripserit propter addi-

Falleris et nescis: non sunt spolia ista leonis,
  Sed tua; tuque ferae victor es, illa tui.
Femina tela tulit Lernaeis atra venenis,
  Ferre gravem lana vix satis apta colum;
Instruxitque manum clava domitrice ferarum,
  Vidit et in speculo coniugis arma sui. —

tum *o Carthago*, quemadmodum etiam Martialis d. l. *o pudor* scripsisse videtur propter, quod addidit, *o pietas*. De scriptura: *hirsuti costis exuta leonis*, pro qua nunc vulgo auctore Heinsio ex Put., Francof. et altero Mentel. editur: *hirsuti costas exuta leonis*, docte disputavit Werfer l. l. p. 544., cuius verba afferre placet: „Omnes libri praeter tres: *costis*, qua l. spreta Heinsius alteram *costas* iure sibi visus est reddidisse, utpote commendatam eleganti Graecismo, quem tamen h. l. nullum esse omni pignore contendo. Diceres enim ad Graecorum exemplum aut: *costae hirsuti leonis* (sive *leo hirsutus*) *aspera vellera exutae*, aut: *leo hirsutus costas asperis velleribus exutus*, aut etiam fortasse: *leo hirsutus costas aspera vellera exutus*, qua dictione binae verbi constructiones: *costas exuere asperis velleribus* (ut Metam. IV, 590. *teque his, infelix, exue monstris*), et *costis exuere aspera vellera* solemni Graecorum more in unam conflatae forent. Sed *hirsuti costas exuta leonis aspera vellera* est pro nihilo, nec h. l. auctoritati trium quantivis pretii codd. ceteris invitis parendum. Conf. Art. A. III, 77.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.

Heroid. XIII, 147. Recte contra Metam. VII, 318.: *Cornuaque exuitur*; Sil. Ital. VI, 100. *exutus senium*, quem locum cum sequentibus frustra laudat Heinsius, Sil. XIII, 120., Stat. Theb. X, 643., IX, 103. Quibus omnibus locis nominativus totum quiddam designat; accusativus partem eius aliquam, aut quidquid et utcunque ad totum illud pertinet." Eandem l. amplexus est Lennep, et Bentl. ad Hor. III. Od. 5, 38., et Iahn. Vid. Forc. Lex. *Hirsutus*, λάσιος, Soph. Philoct. 185. Sensus est: *Illa vellera*, illa pellis, *costis leonis exuta*, detracta, *texerunt molle pectus* Omphales.

113. *Leonis, Sed tua.* A leone, sed a te.

114. *Ferae. Feri* Put. et pro var. l. Gronov. Sic Metam. VIII, 355. *Ira feri mota est*, de apro, et 382. *sub aure feri*, quomodo Phaedr. I, 12, 9. Conf. Phaedr. Fab. I, 21., 32. et 62. Heins. Cod. Trev. quoque pro var. l. *feri*; sed quum praeter Put. omnes codices, a prima quidem manu, et vett. edd. tueantur *ferae*, mutare nihil licet. De ambiguitate autem, *illa* ad *ferae* referendum sit, an ad Omphalen, profecto nemo cogitabit.

115. *Atra.* Leid.: *usta*, fortasse pro *uncta*, ut passim *ungere tela* poetae; duo alii: *tincta*, quod non minus obvium.

Haec tamen audieram; licuit non credere famae,
Et venit ad sensus mollis ab aure dolor.

De utroque vid. Bentl. ad Hor. Od. II, 1. Alter Reg. in margine hoc ineptum distichon habet:

Femina cum miles, et miles femina fiat,
Incipit esse, quod es, desinis esse, quod es.
Burm.

Atra proba et elegans locutio est. Ita *scorpion* noster Metam. II, 198. dixit

— nigri madidum sudore veneni.

Sil. Ital. III, 312.

— atro rabidas effervescente veneno
Dipsadas.

Stat. Theb. I, 565. de Pythone:

— nigro sitiens alimenta veneno.

Et est passim *ater* pro *noxio*. Vid. Serv. ad Virg. Georg. IV, 407. *Lenn.* De re vid. ad v. 95.

120. *Et venit ad sensus.* In plurimis recentioribus edd. cum vulgata legitur: *En venit ad sensus*, quod cum Heinsio plerique ita intelligunt, ut *sensus* sit pro *visu*, sensu *oculorum* vel *videndi*. In quo primum offendit vox *sensus* pro *visu*, cuius locutionis fortasse ne unum quidem usquam exstat exemplum; nec ipsum verbum *sentire*, quod aliis visum est et unde hanc vim vocis *sensus* h. l. defendi posse putarunt, distincte pro *videre*, *oculis percipere*, ut opponatur auditui, sensui audiendi, usurpatur; certe exempla, quae Heinsius et Burm. ex Cic. Div. c. 9., Epist. Fam. IV, 9. et 10., Partit. c. 6. attulerunt, nulla sunt; in primo enim *sentire* non est *videre*, sed propria significatione *sensu percipere* (fühlen); in reliquis additum est *oculorum*, quod hic non quaeritur. Neque, quae, qui in ea re diligentior solet esse, huius consuetudinis proposuit exempla Forcellinus (Plaut. Bacch. IV, 9, 77., Lucret. II, 809. et IV, 494.), si acrius inspicias, commode huc trahi posse videntur. Nec minorem, si hanc interpretationem sequaris, difficultatem habet, quid valeat h. l. illud adi. *mollis*; nisi forte ad contortam hanc explicationem confugias: *En dolor mollis ab aure* (pro *qui mollis ab aure, ab auditu erat*) vel *en dolor, qui* (antea) *mollis erat, ab aure ad sensus* (ad visum) *venit*; nam multo longius a veritate abest, quam Burmannus alteram loci interpretationem proposuit: *Dolor ab aure venit* (pro *est*) *mollis ad sensus*, h. e., si comparetur cum dolore, qui ab oculis venit; ut *ad* inserviat comparationi. Omnino cum codd. Trev., Guelf. 2., Vict., quod multos quoque Heinsianos exhibere existimo, legendum: *Et venit ad sensus*, quae l. hanc simplicissimam et aptissimam habet sententiam: *Attamen haec audieram* (tantum), *ex audito* vel *auditu* (tantum) *noveram, quae* (primum) *licebat, poteram, non credere*; *et* (praeterea) *dolor ab aure, ab auditu, ad sensus* (animum) *venire mollis solet*, minus graviter, vehementer sentimus dolorem, qui ab aure venit,

Ante meos oculos adducitur advena pellex,
Nec mihi, quae patior, dissimulare licet.
Non sinis averti: mediam captiva per urbem
Invitis oculis adspicienda venit;
Nec venit incultis captarum more capillis,
Fortunam vultum fassa tegendo suam:

quem per solum auditum novimus, minus graviter dolemus de re tristi, quam solo auditu percepimus. Nam, ut aliis bonis scriptoribus (Cic. de Orat. II, 35. §. 148., Virg. A. VI, 747., Iuvenal. XV, 133.), sic etiam sunt Ovidio *in pectore sensus* (Metam. III, 631., conf. Epist. XVIII, 24.) pro *vi, facultate sentiendi;* ut aures quasi nuntii aut instrumenta, quibus res ad ipsos *sensus* (ad animum) perveniant, esse videantur. Atque ita eleganter et cum vi sequitur ἀσυνδέτως: *Ante oculos* etc. pro *Sed ante oculos;* adde, quod Ovidius generalius dicta affectat (vid. ad Epist. IV, 134.), atque copiosiorem ita locum esse, addita nova eaque usu atque experientia probata sententia. De locutione *venit mollis* Art. A. I, 749.

— curae est sua cuique voluptas.
Haec quoque ab alterius *grata* dolore *venit.*

Propert.:

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Mox *venit* assueto *mollis* ad arva iugo.
Sic etc.

Idem II, 19, 68.

Si qua venit sero, magna ruina venit.

Ovid. Pont. I, 1, 20.

Musaque ad invitos *officiosa venit.*

Vid. ad Epist. IV, 19. et 24. Ad totam sententiam Art. A. II, 405.

Haec tamen audierat: Priameida viderat ipsam.

V. 119. cod. Lincoln., unus Medic., Giess. et margo Bersm.: *Haec tantum.*

121. *Adducitur. Adducere* h. l. non significare *ad turpia ducere,* quod placuisse Burmanno videtur, qui non semel turpia vidit, ubi casta Ovidius loquitur, satis declarant sequentia. Nec magis in simili loco Fast. III, 483.

Ausus es ante oculos *adducta* pellice nostros
Tam bene compositum sollicitare torum.

cum Burmanno de turpi commercio, de *ducendo ad turpia,* cogitandum. Leid.: *deducitur.*

123. *Non sinis.* Put. a man. sec.: *Num sinis.*

124. *Adspicienda.* Cod. Scriv.: *conspicienda*; Douzae: *inspicienda.* Non sinis averti eam a me, via secreta et aversa duci in domum; sed mediam etc.

126. *Fortunam vultus.* Vulgo [et sic etiam Put. a m. pr., Goth. 1., Helmst., Schol. cod. Trev., aliquot Heinsii cum edd. Nauger., (Mic.: *tegenda*), et Bersm.]:

Fortunam vultus fassa tegendo suos.

Idem habent Guelf. 2. et alii Heinsiani, nisi quod pro *fassa* exhibent *falsa,* et alii ab ea l. hoc solo discrepant, quod pro

Ingreditur late lato spectabilis auro,
  Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras;

fassa habent *fessa*, Dunelm. eo, quod *suam* exhibet pro *suos*. Unus Vatic., Ciof., Guelf. 1., 4. et multi Heinsiani :

Fortunam vultum fassa tegendo suum.

Eandem l. exhibent alii Heinsiani, nisi quod *suam* habent pro *suum*, et Guelf. 3., qui tamen aperto errore: *Fortuna— suam*, et Trev., qui *vultu— suam*. Multi Heinsiani: *Fortunam vultu fassa tegente suam*; nisi quod unus Heinsii et edd. Venn. 1487. et 1492. et Vinc. pro *suam* habent *suo*. Put. a man. sec.: *Fortunam vultu falso tegente suam*. Alter Ment. apud Heinsium: *vultu falsa tegere suam*. Unus Ambros.: *vultu dissimulante suam*. Douzae cod.: *vultus fassa tegente manu*. —— „V. D. pridem observarunt unicum hunc Nasonis locum esse, ubi postrema in gerundio corripiatur, quam nec apud alium quemquam Augusti saeculi poetarum uspiam correptam exstare; cum in loco quidem Tibulli III, 6, 3., quem olim ut alterum citabant huius rei exemplum:

Aufer et ipse meum pariter medicando dolorem.

lectione non minus ad sententiam, quam ad metrum inepta, aliter legendum esse, satis iam inter eruditos constet, quamvis de vera l. forte nondum constet. Vid. Broukh. et Heyn. ad eum locum, et Huschk. Exempla vero e Senecae Trag. iambis a Gronovio prolata ad Oedip. 942., et certe posterioris sunt aetatis et minorem etiam ideo vim habent, quia fabularum scriptores apud Latinos minus semper ad metri leges adstricti fuerunt. Hoc vero unicum e nostro petendum exemplum uti consentientibus in vulgata lectione libris scriptis aliquod momentum habere posset, ita mire dissentientibus iisdem nullum prorsus habere potest. Heinsio legendum videbatur: *Fortunam vultu fassa rigente suam*. Sed hoc merito carpsit Auctor Elect. Eton., *vultum rigentem* seu rigidum magis dici durum, severum, quam deiectum ac squalidum notans. Quam tamen ipse potiorem iudicavit Paulli Melissi coniecturam: *Fortunam vultu fassa tacente suam*, eam vicissim merito repudiat Burmannus, quia nihil de verbis praecesserit. Burmanno placebat *pudente* vel *tremente suam*, quod certe maiorem habet veri speciem (prius sane; sed posterius ne minimam quidem; utrumque autem nimis longe recedit a literarum ductibus scripturae codicum. *L.*). Sed nisi forte nimium nobismet ipsi blandimur, aliquanto propius ad plurimorum codd. ductus, eorum dico, in quibus scriptum *fortunam v. f. tegente suam*, emendandum nos censuimus *decente*, ut sensus sit: Fassa fortunam suam vultu eam decente, i. e. deiecto vel tecto, vel certe moesto. Conf. Trist. I, 3, 4. Nimirum illud ipsum, quod saepe tegi vultum a moerentibus noverat, olim, credo, librariorum aliquem in-

Dat vultum populo sublimis ab Hercule victo:
Oechaliam vivo stare parente putes.

duxit, ut pro *decente* nobis *tegente* daret, quod deinde alius in *tegendo* mutarit. (?)" Lenn. Eandem scripturam sequutus est Iahn. Sed *decente* gravitate caret, nec satis aptum, qui in hoc loco constituendo respici maxime debet, versui 129. *Dat vultum populo*, q. e. exhibet, adspiciendum praebet. Francius coniecit *timente*, peius etiam, quam Burmanni *tremente*, nec melius Wagner *dolente*; pessime Withof: *rigante sinum*. Parum verisimilis est coniectura Heusingerorum: *cultu f. decente suam*, propter v. 129.; infelix Bentleius, ut in Ovidio quidem emendando semper, qui coniecit: *cultu fassa tegensve suam*. Werfer l. l. p. 530.: *Fortunae vultum fassa iacente suo*, argutius et audacius; audacius etiam et parum elegans Wakefield. ad Sophocl. Trachin. 367.: *Fortunae vultus veste tegente suos*. Hand in censura iam saepe laudata: *vultum fassa tegente sinu*. Numerus codicum variantium, si compares cum numero eorum, qui exhibent *tegendo*, certe est perexiguus; quare firmante eam lectionem, ut videtur, versu 129. *Dat vultum populo*, q. e., *praebet adspiciendum*, memor etiam poetae nostri libertatis in omnibus sermonis partibus, et statim post Ovidii aetatem syllabam *do* gerundii corripi coeptam esse, veram eam esse censeo, et in hunc locum transferre velim, quod alia occasione ad Horatium olim dixit Gesnerus: „Si semel tantum observata damnamus, ilicet quantam partem Latinitatis abolebimus." Vid. ad Epist. V, 8., X, 10., XV, 32. *Vultum* numero sing. cum iisdem longe plurimis codd. firmante eodem versu 129. Sin autem pro *suam*, quod plurimi codd. exhibent, malis *suum*, non equidem valde repugnabo.

127. *Lato.* Libri veteres *lato*, non *multo*, ut est in nonnullis vett. edd., et recte. Pers. Sat. IV, 44. *Sed lato balteus auro Praetegit*, quod ex illo Maronis V, 312. adumbratum:

— lato quam circumplectitur auro
Balteus.

Iuv. Sat. VI, 482., X, 27. Heins. Vid. etiam Metam. VI, 567. Voces autem *Ingreditur* et *late* securitatem et fastum, quae minime captas decent, significant. Ita Hor. Sat. II, 3, 183. *Latus ut in circo spatiere*, cum quo loco compara Epod. IV, 7. et Cic. Catil. II, 10., et vid. Bentl. ad Hor. Sat. l. l., qui tamen h. l. *late* cum *spectabilis* coniungit. Pessime; sic enim sententia elegantissima privaretur notione. Conf. Pont. II, 2, 81., Met. VI, 165., VII, 705.

129. *Sublimis ab Hercule v. Sublime sub Hercule victo* constanter scripti (et edd. Venn.), nisi quod alter Mentel. et Erfurt.: *sublimis ab Hercule victo*. Sed *sublime sub* cur reiiciamus, nihil caussae est. Sic *sublime ferri* Lucret. pro *in sublime* et *sublime volare*; *sublime micare* Germanico in Arataeis; et Avieno: *sublime erigi*. Multus

Forsitan et, pulsa Aetolide Deianira,
  Nomine deposito pellicis uxor erit;
Eurytidosque Ioles atque insani Alcidae
  Turpia famosus corpora iunget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
  Et iacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, sed me sine crimine amasti;
  Ne pigeat, pugnae bis tibi causa fui:

est hac in voce Sil. It. III, 232., XI, 275., XIV, 330., XV, 155., XVII, 253. Conf. Virg. Georg. III, 108. *Heins.* Burmannus tamen nescit, an non rectius scribatur *sublimis ab*; *ab* autem pro *ob, propter,* laudans de eo usu Gronov. ad Senec. de Clem. I, 20., et Liv. III, 61. Atque eandem lectionem longe praeferendam censet ad h. l. Lennep, quum non appareat, quid sit *sub Hercule victo.* Iahn cum edd. Nauger., Vinc., Mic., Bersm.: *sublimis, ut Hercule victo Oechaliam etc.* Vera est vulgata: *sub Hercule victo,* quae et gravior est et Ovidiani videtur moris, qui eiusmodi sarcasmos adamat, sc. ut Herculem victorem simul etiam victum repraesentet. *Sub Hercule* est *sub ductu Herculis,* ut Metam. VII, 5. de Argonautis: *Multaque perpessi claro sub Iasone.* Sensus est: Vultum populo sublime dat, praebet sub Hercule victore, quem ipsa vicissim vicit: putes, patrem eius non occisum, nec patriam eius eversam. His iam scriptis in mentem venit, non ipso Hercule duce Iolen esse Trachina ingressam, ut manifestum est ex Sophoclis Trachin. et in hac Epistola a v. 143. satis apparet. Quare unice vera videtur *sublimis ab Hercule victo: Oechaliam stare etc.* — *Stare.* Vid. ad Epist. I, 3. Sed quomodo ex *ab* fieri potuit *sub?* *E sublimis sab.* Vid. ad Epist. I, 24.

131. *Forsitan et, pulsa.* Put. et Guelf. 2.: *et pulsa,* ubi reliqui *expulsa.* Recte. Met. II, 525.

Cur non et pulsa ducat Iunone?

Fast. III, 559. *Pellitur Anna domo.* Trist. II, 414.

Pulsus Aristides non tamen urbe
  sua est.

Conf. Prop. III, 15. *Heins.* Douza malebat, ut est in Guelf. 1.: *Forsan et expulsa.* De re conf. Epist. XII, 134. Sophocl. Trach. *Αἰτωλὶς γυνή.*

133. *Eurytidosque Ioles atque.* Veteres plerique *que* non agnoscunt, quod est in duobus meis (etiam Goth. 1. et Erfurt.), qui *Euritidosque.* Pro *atque* Put. (Trev.) aliique: *et.* Sequenti versu rectius scripti plerique: *iunget,* quam *iungit*; quia *uxor erit* praecessit. *Heins.* Pro *famosus* nonnulli Heinsii codices, etiam Erf., Guelf. 2., Trev., Helmst., Giess.: *formosus;* sed *famosus* est Hymen ab infami, turpi, illo connubio. Amar et Iahn quoque: *famosus.*

Notandi etiam spondei et gravis incessus versus, quibus repraesentare poeta gravitatem rei voluisse videtur.

Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
  Truncaque limosa tempora mersit aqua;
Semivir occubuit in letifero Eveno
  Nessus, et infecit sanguis equinus aquas. — — —

135. *Frigusque.* Put.: *frigidosque.*

139. *Achelous.* Achelous, fluvius, qui et idem Deianiram amabat, propter eius possessionem cum Hercule luctans ad extremum, postquam varias iam induerat formas, in bovem mutatus altero cornu privatus est. Sophocl. Trachin. init., Metam. IX, 1. sqq., Apollod. II., Hyg. F. 31., Serv. ad Virg. Georg. I, 9. et Aen. VIII, 300.

Ripis in udis. Ripis Achelous in imis Put., sed pro *imis* aliud quid a prima manu scriptum fuisse videbatur. Argent. et Mentel.: *ripis in udis,* cui alludit etiam Farnesianus unus, qui *ripis in undis* (uti etiam Trev.) habet. In ripa enim Achelous fluminis, non in ipso flumine cum Hercule est luctatus. HEINSIUS. Ubi igitur quoque cornua sua legere, colligere, debebat fracta et amissa, quod quum librarii ignorarent, facili mutatione *rapidis undis* substituerunt. Met. IX, 97.

— vultus Achelous agrestes
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.

141. *Semivir — letifero Eveno.* Quum Hercules cum uxore ad Evenum, Aetoliae fluvium, *nimbis hiemalibus auctum* venisset, Deianiram Nesso, Centauro, credidit transferendam, qui cum in medio flumine vim ei inferre pararet, ab Hercule sagitta sanguine hydrae Lernaeae tincta occisus est. Nessus moriens exceptum sanguinem *mixtum Lernaei tabe veneni* Deianirae tradidit *velut irritamen amoris.* Quo Deianira, ut Herculis animum ab Ioles amore averteret, vestem unxit ad Herculemque misit, qui vi illius veneni brevi exspiravit. Metam. IX, 100. sqq., Soph. Trachin. 555. sqq., Eurip. Hippol. 545., Diod. Sic. IV., Apollod. II., Hyg. F. 34. et 36. Vid. Gier. et Iahn ad Metam. l. l.

De scriptura huius loci Heinsius: In edd. Naug., Vinc., Mic. et Bersm.: *vi lerniferoque veneno,* sed illud *vi* a correctoribus est, pro quo libri omnes antiqui *in;* sed etiam ridiculum *lerniferum venenum;* cur enim non dixit *Lernaeum?* Scripti nonnulli (etiam Trev. et Erfurt.):

Semivir occubuit Lernaei tabe veneni.

vel *traiectus terga sagitta;* sed et hic interpolatores agnosco; alii: *in letiferoque veneno,* idque aliquanto rectius, ut Naugerius quoque et Ciofanus observant. Alter Mentel.: *in Lernaeoque veneno*; Put. a sec. m.: *in lerniferoque veneno,* sed a prima: *in letifero veneno.* Miror Scaligerum, Salmasium, alios, qui ante nos eo codice usi sunt, non vidisse veram l., quae minima mutatione est in promptu, si scribas:

Semifer occubuit in letifero Eveno.

Semifer enim, quod est in IV scriptis praestat *semiviro;* quamvis Barth. in Claudian. p. 500. et 827. vocem *semifer* Latio ex-

Sed quid ego haec refero? Scribenti nuntia venit
  Fama, virum tunicae tabe perire meae.
Hei mihi, quid feci? Quo me furor egit amantem?
  Impia quid dubitas Deianira mori?
An tuus in media coniux lacerabitur Oeta;
  Tu sceleris tanti causa superstes eris?

turbandam censet cum Iano Douza. De *Eveno* confirmant sequentia: *et infecit sanguis equinus aquas.* Etsi alii Nessum in Eveno non occubuisse dicant, sed vulneratum solummodo fuisse; quos inter et Ov. Met. IX. et in Trachiniis Sophocles. Vib. Sequester: *Evenus Calydoniae, ubi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit.* Lucan. VI, 366. et 391. Neminem autem poeseos utcunque peritum hiatus offendat iste *letifero Eveno,* qui meminerit istorum Virg. Aen. III, 211. *Insulae Ionio in magnô* (ubi vid. Heyn.) et similium. Noster hac ipsa Epist. v. 87.: *cupressifero Erymantho,* et 133.: *insani Alcidae,* quibus fulciendis *que* inculcabant plerumque insciti librarii. *Heins.* Lectio Heinsii *in letifero Eveno* certe firmatur sequentibus: *et infecit — aquas,* quae vix intelligi possent, certe obscurius et minus ex copia Ovidii dicta essent, nisi Evenus fluvius ante commemoratus esset. Apta etiam Eveni commemoratio, cum in superiori disticho Achelous fluvius commemoratus sit; nec denique dicitur *occumbere in veneno. Letifer* Evenus ab ea re, quae tum in eo fiebat, quo nihil apud poetas frequentius. Vid. v. 134. Lectio *Lernaei tabe veneni* fluxisse videtur e Metam. IX, 130. Cod. Scriv.: *in lauriferoque veneno,*

144. *Tunicae tabe. Tabe* reponatur ex melioribus pro *labe,* quomodo etiam peccatum Ep. XXI, 60. Senec. de Herc. Med. 640.

> Praebuit saevis sua membra flammis
> Tabe consumtus gemina prioris
> Munere nuptae.

Idem Herc. Oet. 716. et 520.

> Tabemque fluentis vulneris dextra excipit.

Heins.

Trev., Helmst., Guelf. 2. et 4., Goth. 2., Dresd. et Erf. cum vett. edd.: *labe.*

145. *Quo.* Reg. cod.: *Quis. Quo* est: ad quam stultum consilium.

146. *Impia quid dubitas.* In repetitione huius versus imitatus esse videtur Catulli Epithal. Pel. 328. sqq.

> Currite ducentes subtemina, currite fusi.

et

> Incipe Maenalios mecum mea tibia versus

Virgilii (Ecl. VIII.), qui in ea re secutus videtur Theocritum. Eandem Ovidius adhibuit Amor. I, 6, 24. sqq.

147. *Oeta.* In Oeta monte inter Locros et Thessaliam Hercules tandem exspiravit et rogo combustus est. Vid. auctt. laud. Hinc *Hercules Oetaeus,* et *Herculea Oeta* Lucan. III, 178.

148. *Causa.* Caussam se sceleris dicit, quia Herculi tunicam Nessi sanguine illitam mi-

Et quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar? — Coniugii mors mea pignus erit.
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
Impia quid dubitas Deianira mori?
Heu devota domus! Solio sedet Agrios alto;
Oenea desertum nuda senecta premit;
Exsulat ignotis Tydeus germanus in oris;
Alter fatali vivus in igne fuit;

serat. *Viva superstes*, quod Put. et multi alii Heinsiani et potior pars meorum exhibent, glossema est vocis *superstes*.

149. *Et quid.* (Libri prope omnes: *Et quid.*) *Ei quid* Put. Lege *Si quid. Mors mihi pignus* libri quidam pro *mors mea*. HEINS.

Utrumque in Burmanniana editione exstat. Sed unice vera est: *Et quid* et *mors mea*, quam Iahn scite revocavit. Sensus v. 149. est deliberantis. *Et quid — Credar?* ad quae ipsa sibi statim respondet: Mors mea (non *mihi*) pignus, argumentum erit coniugii mei, Herculis me coniugem esse. Illud *Et* v. 149. egregie facit ad suspensum et deliberantem animum significandum.

151. *Sororem*, animo tibi non dissimilem. Vid. Met. IX, 149. De Meleagro vid. ad Epist. IV, 99. et Metam. VIII, 270. sqq., ibique interpretes. *Cognosces.* Iust. XIV, 6. *Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere.* Conf. Epist. VI, 123.

153. *Solio sedet Agrios alto.* Scripti Heinsii plerique: *acrior*; alii: *altior*, *aptior*, *artior*; Put.: *acrios*, quod Heinsius recte dicit esse *Agrios*, atque eam lectionem iam ante Heinsium coniecerat Micyllus. Vulgo: *acrior*. Vid. var. l. Fuit autem *Agrius* frater Oenei, patris Deianirae (Hom. Iliad. XIV, 115., Apollod. I.), qui Oeneo expulso Aetoliae regnum occupavit. Hyg. F. 172. 175., Ant. Liber. c. 37. Thersitae patrem facit Tzetz. Chil. VIII, 151. 153.

154. *Nuda.* Ita libri veteres, non *longa* ut ed. Nauger.; et recte. Sic *egenam* alibi et *inopem* vocat senectam. Iuven. S. VII, 35.

— tunc seque suamque
Terpsichoren odit facunda et
nuda senectus.
HEINS.

155. *Tydeus.* Tydeus, quum fratrem Menalippum, secundum alios auctores avunculi filios, occidisset, Argis exsulavit, ubi Adrastus rex ei filiam suam Deiphilen uxorem dedit. Hyg. F. 69., Apollodor. III., Hom. Iliad. XIV, 119., Diod. Sic. IV., Stat. Theb. I.

„Cur vero *ignotas* vocat *oras*? Scribe *Inachiis.*" HEINS. Sed Deianirae ignotae poterant esse, nec illa scire poterat, quo abiisset; vel *ignotae orae* pro *peregrinis*. BURM. Posterius rectum est, et ex commoto animi statu Deianirae.

156. *Alter fatali.* Althaea post partum Maleagri a Parcis sti-

Exegit ferrum sua per praecordia mater.
Impia quid dubitas Deianira mori?
Deprecor hoc unum per iura sacerrima lecti,
Ne videar fatis insidiata tuis.
Nessus ut est avidum percussus arundine pectus,
„Hic“ dixit „vires sanguis amoris habet.“
Illita Nesseo misi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deianira mori?
Iamque vale, seniorque pater germanaque Gorge
Et patria et patriae frater ademte tuae;

pitem acceperat, quo combusto Meleager moreretur, quem, cum de fratrum caede irata filio esset, in rogum, quo cadavera illorum comburerentur, iniecit. Quo facto Meleager et ipse, licet absens, vivus igne consumtus est. Althaea, cum facti poeniteret, se ipsa ferro interfecit. Apollod. I., Hyg. F. 174., Metam. VIII, 445. sqq., Fast. III, 305. Conf. Nicand. ap. Ant. II. Alter Mentel.: *missus in igne fuit*; Franc. coniecit: *tostus in igne fuit.* Douza: *vivus in igne fluit* (?); Oudendorp. et Ruhnken.: *stipes in igne fuit;* Heinsius: *vivus in igne perit;* Gruner: *vivus in igne cinis.* Sed vere ad hunc locum Amar: „Quid magis poeticum, inquit, magisve historiae consentaneum, modo quis eam sibi in animum revocet, quam dicere *vivum in igne fuisse,* quum, licet absens, sensim ipse combureretur, prout fatalem stipitem flamma *fatalis* consumeret?

> Inscius atque absens flamma Meleagros in illa
> Uritur, et caecis torreri viscera sentit
> Ignibus.

Metam. VIII, 515.“ Quod autem non dixit *perit* pro *fuit,* saepe poeta res notas magis quasi innuit, quam explicate exponit. Vid. Epist. VIII, 67. sqq.

160. *Fatis insidiata tuis.* Sic Trev. a m. pr., Helmst., Guelf. 3., Erf. et IV Heinsiani (Erf. tamen: *invidiosa*), atque ita recte Heinsius primus dedit. Sex Heins. et Put.: *titulis ins. tuis*; tres: *toris i. tuis;* duo: *tuis ins. toris*; sex eiusdem Heinsii: *nostris ins. toris.* Vulgo cum priscis edd.: *thalamis ins. tuis.*

161. *Avidum,* sc. *mei.*

163. *Nesseo. Lernaeo* malebat Heinsius, qui vv. 161. et 162. satis refutatur. Conf. Senec. Herc. Oet. 716. et 527.

166. *Ademte tuae. Tuae* libri veteres maiori ex parte cum Puteaneo. *Heins.* Etiam potior pars meorum. Recte. Qui patria tua carere cogeris, patriae tuae ademtus es. Quod in multis vett. libb. est: *meae,* adspernatur loci ratio.

165 *Gorge.* Deianirae soror, quae nupsit Andremoni, ex quo Oxylum suscepit, quo duce Heraclidae Peloponnesum recuperare tentarunt. Pausan. III, 5., VII, 1., Apollodor. II. *Amar.*

Et tu lux oculis hodierna novissima nostris,
Virque, — sed o possis! — et puer Hylle, vale.

167. *Et tu.* Sic scripti praeter Argent., in quo: *Nec non lux.* Heins. Vel qui ultro animam proiiciunt, non sine quodam desiderii sensu novissime salutant. Eurip. Alc.

Φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ φίλον.

168. *Sed o possis.* Nonnulli Heins.: *Sed hoc possis. Hyllus* Herculis ex Deianira filius. Hyg. F.162., Apoll.II., Herod.VII,204.



EPISTOLA X.

ARIADNE THESEO.

Minos, Cretensium rex, ob Androgeum filium ab Atheniensibus crudeliter interfectum post acria bella tributum iis imposuit, ut quotannis septem pueros et totidem virgines Cretam mitterent, a Minotauro, Pasiphaës e tauro filio, monstro horrendo, quod in labyrintho inclusum erat, devorandos. Qua patriae suae calamitate atque ignominia motus tandem Theseus, Aegei, Atheniensium regis, et Aethrae filius, voluntarie sorti se obiecit et cum fatalibus illis pueris atque puellis in Cretam navigavit. Ibi cum advenisset, Ariadna, Minois et Pasiphaës filia, eius amore capta est, quae consilium ei dedit, quomodo labyrinthum evaderet, dato filo, quo ad ostium alligato reditum dirigeret. Minotauro itaque interfecto et omni periculo superato Theseus cum Ariadna et Phaedra, sorore eius, Creta profectus in insulam Naxum pervenit ibique Ariadnen dormientem clam reliquit. Ariadna igitur quum expergefacta a Theseo proditam se atque desertam sentiret, primo amissi amici dolore hanc ei scribit Epistolam. Plut. in Thes., Catull. Carm. 64., *Hyg. F.* 14., 43., 270., *Apollod. III., Diod. Sic. IV. c.* 4. *Conf. Hom. Odyss. XI,* 320., *Ovid. Fast. III,* 460. *sqq., Metam. VIII,* 132.

Mitius inveni quam te genus omne ferarum;
　Credita non ulli quam tibi peius eram.
Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto,
　Unde tuam sine me vela tulere ratem;

Priscae edd. (quaedam, non omnes) et codices nonnulli hanc Epistolam sic ordiuntur:

Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theseu,
　Vivit, et haec aequa mente tulisse velis.

Eiusdem nempe farinae cum iis, quae hic illic iam ante dedimus. *Heins.* Hi versus putidi sunt neque quidquam Ovidianae facilitatis atque elegantiae habentes. *Mic.*

2. *Non ulli.* Non ulli hominum (non, ut Micyllus putabat, *ferarum*) maiori meae perniciei credi potuissem. Initium hoc oratio est vehementissime commoti et irati animi, quod non perspiciebat Francius, qui hoc distichon suppositum existimabat.

3. *Quae.* Reg. et XVIII alii: *Quam.* Vid. ad Epist. I, 1. *Burm.* Septem et quidem meliores ex XI meis: *Quae.*

Ex illo — litore. Secundum alios auctores in Dia insula

In quo me somnusque meus male prodidit et tu,
Per facinus somnis insidiate meis.
Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, et tectae fronde queruntur aves:
Incertum vigilans, a somno languida, movi
Thesea prensuras semisopita manus;

Ariadnen reliquerat Theseus, Apollon. Rh. IV, 434., secundum alios in Naxo, Plut. Thes. 20., Diod. Sic. IV.; sed hos facile conciliat Plinius, qui (H. N. IV, 12.) Naxum antiquitus nomen *Diae* habuisse testatur. Vid. etiam Diod. Sic. IV, 4. Conf. Heyn. ad Apollodor. III., Koeler ad Catull. 64, 52.

5. *Prodidit.* Vid. ad Epist. I, 40.

6. *Per facinus.* Edd. Naug., Vinc., Col., Mic. et Bersm.: *Pro facinus*; sed *per facinus* scripti duobus exceptis. In Ib. 566.

Per facinus soror est cui sua facta parens.

Remed. A. 62.; Fast. II, 630.

Et quicunque suas per scelus auget opes.

Heins.

Sic *per vim, per dolum, per officium,* alia.

7. *Tempus erat.* Tam copiosam primi mane descriptionem, quamvis per se elegantissima sit, in hoc statu et affectu ab Ariadne vix exspectes; sed in talibus sibi multum et suo iure poetae indulgent. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. IV, 6. Conf. Meierotto de rebus ad auctt. class. pertinent., et Gierig ad Metam. III, 150.

8. *Queruntur,* ut saepe noster pro *canunt,* de quo infra ad Epist. XVIII, 82.

9. *Incertum vigilans,* dubie, non certe, non plane vigilans, inter vigilandum, quod nostri dicunt, et dormiendum. *A somno languida* illud *incertum vigilans* exponit. De scriptura, scripti omnes et edd. Venn. (aliae male habent *an somno*): *a somno;* praeter Ment. alterum, in quo est *e somno,* quod etiam in sec. editione sua dedit Mitscherlich. Verum *a somno* probum est, neque valet, ut Burmannus volebat, *post* sed *per somnum.* De qua locutione vid. ad Epist. V, 152. Stat. Theb. V, 122.

Turbidus incertumque oculis vigilantibus.

Horat. Sat. II, 5, 100. *certum vigilans.* De illo neutrius generis usu conf. Virg. Ecl. III, 63., Aen. X, 272.

10. *Thesea prensuras semisopita.* Veteres edd. et mss. constanter *semisopita*, quae vox olim quoque exstabat Amor. I, 14, 20. Sed eam scripturam reiecerunt Egnatius, Heins., Burm., alii, quia verbum *sopire* primam syllabam producat, ut Epist. XII, 171., XIV, 69.; et hoc loco ex coniectura, quod illo Amorum loco quidam codices habent, receperunt *semisupina.* Lectionis *sopita* errorem Heinsius ortum dicit e veteri scriptura *sopina.* Addo, quod *semisupina* etiam aptius ad sensum videtur, quod imaginem expergiscentis et statim brachia ad amicum amplectendum exten-

Nullus erat: referoque manus iterumque retento,
  Perque torum moveo brachia; nullus erat.
Excussere metus somnum: conterrita surgo,
  Membraque sunt viduo praecipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis,
  Utque erat a somno turbida, rapta coma est.

dentis puellae et perfectiorem reddit et iucundiorem, et novam quoque sententiae addit notionem. Sed tamen ego cum Micyllo et Naugerio censeo retinendam lectionem librorum *semisopita*; nam et alia inveniuntur, in quibus compositi quantitas primitivo non respondeat. Sic ex. c. vocis *itum* a verbo *ire* priorem constat corripi (Metam. I, 138.), et Metam. I, 37. est:

Iussit et ambitae circumdare litora terrae.

Conf. Met. XV, 287. Atque quod magis mirum est, Epist. IV, 67. rursus:

Tempore, quo nobis inita est Cerealis Eleusis.

Vid. omnino ad Epist. IX, 126. et locos, qui ibi laudantur.

Pro *prensuras*, ut est in quibusdam libris, mallem cum primis editionibus et XXVII codd. *pressuras*, quod melius amori et ardori Ariadnes convenire videtur; quae non apprehendere modo, sed arctissimo amplexu invadere statim a somno Thesea suum volebat. Ita sexcenties *premere* apud poetas. *Prensura* tamen est Fast. V, 476. *Burm.* Ex undecim meis quinque, Trev., Guelf. 3., Dresd., Goth. 1., 2., multi praeterea Heinsiani cum edd. Naug., Bas., Vinc., Col., Micyll., Bersm.: *prensuras*. Quam facile autem e vetere eam vocem scribendi ratione varietas *pressuras* oriri potuerit, nemo non videt, qui eam scribendi rationem cognovit. Atque ut aperte loquar, licet inde appareat, quam ego prae Burmanno inops sim, mihi ne unicum quidem vocis *premere* sic simpliciter pro *amplecti* positae in promptu est exemplum. Burmann. dedit: *pressuras*. Cod. Sarrav. pro var. lect.: *semisepulta*.

11. *Retento.* Satis aptum verbum, ut *tentare, pertentare* in simili re. Vid. ad Phaedr. III, 10. et ad Petron. c. 13. et 78. Sed in Moreti et Ambr. erat *retendo*, quod Heinsio non displicebat; verum *retento* est *iterum iterumque tactu exploro*, an in parte tori Theseus esset. *Burm.*

12. Farnes. exhibet *iacto* pro *moveo*. Male. Nam *moveo* elegantissime naturam manu tentantis exponit.

15. *Adductis.* Graphice. *Ad pectora ductis*, recte interpretante Schol. cod. Trev. Vid. Epist. I, 36.

16. *Rapta.* Margo Bersmanni et Goth. 2.: *rupta*, ut Epist. III, 15., quod Heinsius rectius putat. Eadem diversitas est Amor. I, 7, 49. et Epist. VI, 27. Vid. quae notavimus ad Petron. 111. Et puto distinguenda semper haec duo verba esse: *rumpuntur* capilli in luctu, planctu

Luna fuit: specto, si quid nisi litora cernam:
  Quod videant oculi, nil nisi litus habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro;
  Alta puellares tardat arena pedes.
Interea toto clamanti litore „Theseu"
  Reddebant nomen concava saxa tuum;
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat:
  Ipse locus miserae ferre volebat opem.
Mons fuit, apparent frutices in vertice rari;
  Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis:
Adscendo — vires animus dabat — atque ita late
  Aequora prospectu metior alta meo.
Inde ego — nam ventis quoque sum crudelibus usa —
  Vidi praecipiti carbasa tenta Noto.

et similibus, *rapiuntur* in iurgio, vel cum aetate deficiunt. Vid. Art. A. III, 161. 570. *Turbida* vero hic est *turbata,* ut recte Douza cepit. Sic Amor. III, 14, 33.

Cur plus quam somno turbatos esse capillos.

BURM.

Burmannus iusto subtilius distinguere videtur inter *rapta* et *rupta coma*. *Rapta* magis vehementiam doloris significat, et quis in eo genere liberior est Ovidio? Quare codices sequendi erunt. Vid. Amor. I, 7, 49. De locutione *a somno turbida* vid. ad Epist. V, 152.

17. *Specto* valet *speculor* et plus est, quam, quae sequuntur, *cerno, video.*

18. *Litus habent. Erat* tres scripti, ut (unde haec varietas fluxit *L.*) Epist. XIII, 22.

Et quod spectarem, nil nisi pontus erat.

19. *Sine ordine.* Temere.

21. Cod. Dun. et Rel.: *clamavi.*

23. Paullo argutius, quam pro hoc affectu.

25. Conf. Catull. 64, 126. Virg. Aen. I, 118.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

26. *Hinc scopulus.* Excerpta Iur., cum aliis nonnullis Heinsii (item Dun. et maior pars meorum *L.*): *Hinc;* Vossian.: *Huic;* quatuor Heinsii, Erf., Goth. 2., Rel., Trev.: *Hic.* Olim edebatur *Nunc.* Nos recepimus *Hinc scopulus;* non enim Ariadne mutatam ab eo tempore montis conditionem vult innuere, sed ex monte partem, instar scopuli, eminuisse in mare, ut Fast. V, 150. *Pendet* vero eleganter, quia inferiori parte adesus aquis super aequor pendere videbatur. *BURM. Raucus,* raucum sonum edens; Metam. XI, 783.

— et e scopulo, quem rauca subederat unda,
Se dedit in pontum.

Ceterum egregie horridam loci naturam ac feritatem poeta descripsit.

Aut vidi, aut etiam, cum me vidisse putarem,
  Frigidior glacie semianimisque fui;
Nec languere diu patitur dolor: excitor illo,
  Excitor et summa Thesea voce voco.
„Quo fugis?“ exclamo; „scelerate revertere Theseu;
  „Flecte ratem: numerum non habet illa suum.“

27. *Dabat.* Nonnulli Heinsii: *facit.*

29. *Crudelibus.* Vid. infra vss. 111—116. In uno Moreti et margine Bersmanni est *crudelius.* Vid. ad Epist. XVI, 245. *Ventis uti* est etiam Trist. I, 2, 73., Art. A. II, 337. Conf. Senec. Med. 311.

30. *Tenta.* Sic Put. et alii nonnulli. *Heins.* Mei praeter Guelf. 3. omnes cum veteribus edd.: *tensa;* sed verum videtur *tenta;* in talibus enim librarii saepissime sequuntur consuetudinem suae aetatis, et novimus formam *tensus* fere serioris Latinitatis esse; optimum autem saeculum uti forma *tentus,* quo etiam ipse usus est Naso Metam. VI, 243. *Tendere* hac coniunctione Val. Flacc. IV, 422., Virg. Aen. III, 268.

Tendunt vela Noti.

31. *Aut vidi, aut etiam.* Put.: *Aut vidi a..... iam quae me vidisse putarem;* tres alii Heinsii et duo Leodd.: *Aut vidi, aut fuerant, quae me vidisse putarem,* et ita Schot. Observ. II, 53. e duobus mss. Alii Heinsii aliter. Multi Heinsii codd. et praeter duos mei omnes pro vulgata *aut certe* exhibent *aut etiam,* quod verum censeo. Paullo curiosius, ut mihi videtur, cum utroque Heusingero Iahn scripsit: *Ut vidi, aut;* quum eiusmodi mutationes constructionis frequentes, atque in elegantiis poeticae orationis ponendae esse videantur. Virg. Aen. VI, 454.

Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.

ubi Heyn. notat eandem locutionem esse Apollon. Rh. IV, 1479. Met. 9, 37. *captat, Aut captasse putat;* Met. VIII, 513.; Metam. XI, 478.

Aut minus, aut certe medium non amplius aequor
Puppe secabatur.

Multi Heinsii codd. cum edd. Naug., Vinc. et Col.: *putavi.* Iahn etiam *aut certe* pro *aut etiam.*

32. *Semianimis.* *Semianimis* Guelf. omnes pro vulgato *semanimis.* Ita *semiadopertus, semihomo* et similia in optimis quibusque codicibus scribuntur. *Fr. Heusinger.* Sic etiam Trev. et vett. edd. Virgilius quoque constanter: *semianimis.*

35. Mimesis. Conf. Virg. Aen. IV, 594., IX, 37.

36. *Numerum.* Locutio haec quidem in alia re saepius occurrit, ut Pont. II, 8, 3.

Utque suum munus numerum, quem debet, haberet.

Sed hic maxime proprie posita videtur, ut Cic. Verr. V, 51. *Si suum numerum naves haberent.* *Burm.* *Numerum suum non habet* (hat seine volle Reisegesellschaft nicht); deest enim Ariadne.

Haec ego: quod voci deerat, plangore replebam:
  Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
  Iactatae late signa dedere manus;
Candidaque imposui longae velamina virgae,
  Scilicet oblitos admonitura mei.

37. *Haec ego: quod. Haec* Put. et XII alii. Distingue *Haec ego: quod.* Sulpic. in Satira:

Haec ego: tum paucis dea me dignatur et infit.

Vid. Epist. XIV, 67., Amor. II, 5, 33.; Remed. A. 39.

Haec ego: movit Amor gemmatas aureus alas.

Similiter: *Quid ego haec?* de quo ad Epist. XV, 207. *Heins.* Lectio *Hoc ego,* quae in longe plurimis libris exstat, eo orta videtur, quod olim inter *ego* et *quod* non distinguebatur. Vid. var. lectt.

38. *Verbera cum verbis.* Iterum parum opportune poeta indulget lusui verborum. De lusu illo conf. Cic. Disput. Tusc. III, 27. 64.

39. *Ut saltem.* Iun.: *haec saltem.*

40. *Iactatae late.* Cod. Douzae: *iactantes;* certe *Iactatae late* non placet. *Burm.* Frequens est apud Ovidium aliosque scriptores syllabarum eundem sonum habentium concursus. Ex. c. Metam. IV, 521. *nudis, Melicerta, lacertis*; Epist. I, 3. *Troia iacet.* Vid. Gier. et Iahn ad Metam. I, 298., X, 3., IV, 322., et qui ibi multi laudantur grammatici. Verum distinguendum est inter exempla vocum cognatarum, quale *viri virtus,* vel illud Cic. Senect. c. 21. *praeclara rara,* et qualia sunt h. loco et Epist. I, 3. Illa enim in elegantiis orationis ponenda videntur propter vim, quam sermoni conciliat soni similitudo; haec autem scriptorum imputarim vel negligentiae vel talium rerum incuriae; neque tamen, quamvis cum vera elegantia pugnare videantur, valde putem urgenda. Vix enim mihi persuadere possum, Latinos lectores, nec ipsos quidem elegantissimos, ita curiose egisse in poetis suis censendis, ut a multis nostri aevi grammaticis factum videmus, qui saepe animo a rebus, sententiis et imaginibus poeticis prorsus averso nihil nisi singulas voces earumque sonum spectare et quasi syllabas ponderare ac rimari videntur. Hoc dico, talia etiam optimis poetis imprudenter excidere et lectorem, si totum carmen spectat et se in poetae sensus ac sententias insinuat, minime offendere. Vide doctam de ea re notam Huschkii ad Tibull. I, 4, 6. et Burm. Sec. ad Prop. I, 7, 23. Conf. tamen Iuven. Sat. X, 122. ibique Rupert. Vid. infra v. 71.

41. *Velamina.* In animo poeta habuisse videtur tegumentum capitis, de quo conf. Metam. IV, 101. *Becher.*

42. *Admonitura.* Gronovian.: *ammonumenta.*

44. *Torpuerant,* sc. ut lacrimae erumpere non possent.

Iamque oculis ereptus eras; tum denique flevi:
Torpuerant molles ante dolore genae.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Postquam desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha deo;
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi,
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos,
Sed non acceptos exhibiturus erat;
Et tua, quae possum, pro te vestigia tango,
Strataque, quae membris intepuere tuis.
Incumbo, lacrimisque toro manante profusis
„Pressimus" exclamo „te duo, redde duos:

Torpor autem signum extremi doloris. Stat. Silv. II, 1, 146.

— et iam frigentia lumina torpent.

45. Rel.: *quam te;* Dunelm.: *me mala.*

46. *Desierant. Desieram* Put. et V alii. *Heins.* Nos antiquam l. reduximus, quam magis poeticam putamus, et poscit praecedens *facerent.* Conf. Metam. VI, 680. Ita passim *lingua* et *os* et alia membra id facere dicuntur, quod nos per ea facere solemus. Vid. infra v. 120. *Burm.* Ceterum et hoc loco parum opportunae argutiae.

48. *Ogygio.* Ogygius dicitur Bacchus, quia Thebis maxime colebatur et ex Semele, Cadmi filia, natus erat. Vid. Spanheim. ad Callim. Hymn. in Iov. 14., Apollod. II. Conf. Sophocl. Oed. Tyr. v. 211., Lucan. I, 675., Stat. Theb. V, 518. *Ogygius* enim pro *Thebanus* ab Ogyge, antiquissimo Thebarum rege et earum conditore. Varr. de R. R. III. init., Pausan. Boeot., Augustin. de Civ. Dei XVIII, 8. De comparatione vid. Epist. IV, 47. et XIII, 33. Deinde v. 50. parum opportunum acumen habet. Vid. Epist. XVIII, 130.

53. *Quae possum.* Burmannus ex Argent. et Iureti Excerptis induxit: *qua possum,* quod etiam nonnulli ex meis exhibent. Vid. var. l. Sed cum potiore parte librorum optimorum omnino legendum *quae possum,* solemni Ovidio locutione. *Et pro te, quae* (una tui) *possum* (tangere licet), *tua vestigia strataque .... tango.* Art. A. II, 633.

Corpora si nequeunt, quae possunt, nomina tangunt.

ubi Burmannus similiter induxit *qua.* Vid. omnino ad Epist. VIII, 5., XIII, 41. Immo *qua possum,* si accurate inspicias, vix satis idoneum sensum habet.

55. *Incumbo.* Cod. Douzae, Lincoln. et Basil.: *Incumboque toro lacrimis m. p.*

56. *Redde duos.* Legerem *duo,* ut esset figura plenior. *Ciof.* Nullum dubium, quin veteres

„Venimus huc ambo; cur non discedimus ambo?
„Perfide, pars nostri, lectule, maior ubi est?“
Quid faciam? Quo sola ferar? Vacat insula cultu:
Non hominum video, non ego facta boum.
Omne latus terrae cingit mare; navita nusquam,
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi ventosque ratemque:
Quid sequar? Accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per aequora labar;
Temperet ut ventos Aeolus: exsul ero.
Non ego te, Crete centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Iovi:

ita locuti fuerint. Vide plena manu exempla adnumerantem Gronov. ad Liv. XXXV, 21. Sed contra scriptos libros talia intrudere nobis religio est. *Burm.*

59. *Quo sola ferar. Quo sola* meliores (alii *Qua*). Epist. XII, 209. *Quo feret ira, sequar.* Stat. Theb. XII, 149. *Quo miserae, quo fertis iter?* *Heins.* *Cultu,* colentium manu et opera. Epist. XII, 18.

Ut caderet cultu cultor ab ipse suo. *Burm.*

Cic. Tusc. Disp. I, 20. (Regiones) *omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantes.*

60. *Non hominum. Τὰ ἔργα,* hoc est *opera,* intellige per *facta,* hoc est agriculturam, quam per *τὰ ἔργα* Graeci designabant. Iisdem *γῆς ἐργασία* agricultura et *ἐργάζεσθαι* agrum colere et *ἐργάται* agrum colentes. Hinc Hesiodus Georgica sua *ἔργα καὶ ἡμέραι* inscripsit. *Heins.* Conf. Callim. Hymn. Dian. 156. Ex Homerico Odyss. X, 98. haustum est:

Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ᾽ ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα. *Burm.*

Ἔργα βοῶν Hesiod. 46. Ceterum notanda est positio pronominis, quae saepe apud Ovid. recurrit. Trist. III, 12, 39.

Sive tamen Graia scierit, sive ille Latina
Voce loqui.

61. *Nusquam. Τὸ est* meliores non agnoscunt. *Heins.* Et melius abest, ab oratione nimirum concitata.

63. *Finge.* Alio modo *esto, fac, pone, ut.* *Ciof.*

65. *Pacata. Placata* Lovan., solemni permutatione. Vid. ad Metam. XIII, 440. et XV, 723., ubi similis diversitas. *Labi* vero eleganter pro *navigare* poni docuit Broukhus. ad Propert. II, 20, 18. *Burm.*

66. *Aeolus.* De Aeolo, deo ventorum, omnia pervulgata vel ex Virg. Aen. I. et Hom. Odyss. X. Conf. Metam. XIV, 224. sqq. et Gierig ad Metam. IV, 221. Heinsius ex corrupta scriptura Puteanei *Eulos* legendum putabat *Aeolos,* ut Metam. XIV, 223.

Aeolon ille refert Tusco regnare profundo.

Sed vid. ad Epist. IX, 94.

67. *Digesta.* Vid. ad Epist.

Nam pater et tellus iusto regnata parenti
Prodita sunt facto, nomina cara, meo;
Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quae regerent passus, pro duce fila dedi;
Cum mihi dicebas „Per ego ipsa pericula iuro,
„Te fore, dum nostrum vivat uterque, meam."

IX, 94. Innuit autem pervulgatum illud Homericum ἑκατόμπολις. Odyss. XIX, 174., Iliad. II, 649., ubi vid. Eustath. Vid. etiam Virg. A. III, 106., Strab. X. et Meursii Cret. I, 5.

68. *Iovi.* Vid. ad Epist. IV, 163.

69. *Nam pater.* Put. et alter Moreti: *At pater;* vetustior eiusdem: *Et pater. Parente* etiam Put. a man. sec. et V alii cum vulg. Nihil muto. Hor. Od. II, 6.

— et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Burm.

Virg. A. III, 14. *Iustum* autem Minoëm appellat, quia ob iustitiae famam inferorum iudex factus traditur. Hom. Od. XI, 569. Sed confundit poeta Minoëm I. et II. Vid. ad Epist. IV. et conf. Both. ad Phaedr. IV, 6, 19.

70. *Facto.* Sc. cum tibi fila dedi. Voss.: *pacto. Nomina bina* etiam Francof. *Burm.* De re et sententia huius loci conf. Met. VIII, 114.

71. *Victor.* Sic Put. et duo alii et ed. Naug. Superato scilicet Minotauro. Reliqui libri: *victus. Heins. Tecti* illius *recurvi,* h. e. labyrinthi descriptio est Metam. VIII, 158. sqq., ubi vid. Gierig., Virg. A. V, 588. et VI, 25., ubi vid. Heyn. Conf. et Catull. 64, 115., Plin. H. N. XXXVI, 13., Diod. S. IV., Apollod. III., Hyg. F. 40. *Tecta curva* de eodem labyrintho dixit Epist. IV, 60. Auctore Virgilio (Aen. VI, 28.) Daedalus, aedificator labyrinthi, Theseo filum dedit; sed aptius huius loci rationi Ovidius ipsam Ariadnen dedisse fingit.

73. *Cum mihi dicebas.* Eleganter et magna cum vi haec *Cum mihi dicebas* facto illi v. 71. et 72. exposito adiunguntur, eadem sententiae conformatione. Nam l.: *Cum mihi* tuentur praestantiores Heinsii et fere omnes veteres edd. et ex meis codd. Dresd., IV Guelf., Helmst., Giess., Trev. Vulgo: *Tu mihi.* Cod. Douzae et Erf. hic et v. 71. *Tunc*; pro *ipsa* Gron.: *ista,* quod malebat Burmannus. *Per ego ipsa.* Eleganter Latini in precandi et obsecrandi formulis inter praepositionem *per* et casum, quem regit, aliud vocabulum interponunt, inprimis voculas *ego, vos,* in quo imitantur Graecos, qui πρὸς a casu suo distinguunt interposito nomine. Nam pronomen vim addit orationi. Ita Ruhnken. ad Terent. Andr. III, 3, 6., qui etiam plura attulit exempla.

74. *Vivat.* Vulgo: *vivet.* Scribendum: *vivat;* sic iubet linguae ratio et fortasse etiam maior pars codicum; nam ex undecim meis octo habent *vivat.*

Vivimus, et non sum, Theseu, tua! Si modo vivit
Femina, periuri fraude sepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava;
Esset, quam dederas, morte soluta fides.
Nunc ego non tantum, quae sum passura, recordor,
Sed quaecumque potest ulla relicta pati.
Occurrunt animo pereundi mille figurae;
Morsque minus poenae, quam mora mortis, habet.
Iam iam venturos aut hac aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.
Forsitan et fulvos tellus alit ista leones.
Quis scit, an haec saevas tigridas insula habet?

75. *Vivit. Vivis* codices magno numero, ut se ipsam alloquatur. Ἐμφατικώτερον ad affectus concitandos. Burm. Idem nuper dedit Iahn. Vulgata *vivit*, quae est in veteribus edd. et plurimis codd., recte habet, et sententia est generalis, quo oppositio illa *femina viri* aperte ducit; et sententias generales Ovidius, ut saepe dictum est, in deliciis habet. Vid. ad Epist. XIV, 24.

76. *Fraude sepulta*. Palat. et aliquot alii Heinsiani habent *soluta* et sequenti pentametro *sepulta fides;* Moreti unus et Vossian. cum edd. Venn., Mic., et Bersm. utrobique *sepulta*. Burmannus l. *soluta* convenientiorem putat, quia mori quidem fraude Thesei Ariadne in sola insula relicta, sed sepulturam a nemine sperare potuisset (!!!). *Vivit* et *sepulta* sibi opponuntur. Ceterum nihil frequentius est, quam versuum sese excipientium verba ita commutari. Recte autem ad h. l. monet Ch. F. Becher, qui hanc Epistolam egregie illustravit et interpretatus in singulari libello, qui inscribitur: *Ovids zehnte Heroide, Ariadne an Theseus, mit Einleit. u. Anmerk. Goerliz* 1796., usum verbi *sepelire* in translationibus late patere, laudans Cic. Tusc. II, 13. *sepeliendus dolor*, et Burm. ad Prop. III, 13, 9. et ad Petron. Fragm. 676. Illustre Ovidii exemplum vidimus supra Epist. VII, 92. *Sepulta*, prorsus perdita.

77. *Fratrem*, Minotaurum. *Mactasses*, mactare debuisses, debebas, *hättest abschlachten sollen.* Vid. infra v. 112. et Epist. XII, 15.

79. *Recordor*. Animo obversantur, cogito, ut hoc verbo de futuris rebus usus est Iust. V, 7. et XI, 5.

85. *Alit*. Burmannus cum Heinsio e Put. et Sarrav. dederunt *alat*. Indicativus recte habet. Vid. ad Epist. IV, 53. et conf. not. ad III, 40.

86. *Tigridas insula habet*. Libri hoc loco non ita vehementer variant, ut putabat Lennep. Namque hoc uno po-

Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quis vetat et gladios per latus ire meum?

tissimum discrepant, quod vulgata est: *insula tigres habet;* codd.: *tigridas* vel *tigrides* (quod certe est corruptum *tigridas*) *insula habet*: in reliquis et indicativo omnes consentiunt, nisi quod Moreti exhibet: *tigres insula saeva ferat*, et Ment.: *saevas fert quoque terra tigres*; in quibus nemo non interpolatoris manum agnoscit; et Puteaneus pro *an saevas* exhibet *an et haec* omisso *saevas*, quod nullius est momenti. Cum igitur vulgatam non ferat ratio metri neque codices tueantur, omnino sequendi sunt libri manu exarati. Indicativus autem in oratione obliqua, qua vulgo ponitur coniunctivus, recte habet et innumeris firmatur exemplis. Vid., quae certatim cumularunt viri docti, Goerenz ad Cic. Acad. II, 15. 46., Gernhard et Beier ad Offic. I, 7. 23. et I, 26. 90., Heusinger ad Off. II, 5. 4., Matthiae ad Cic. pro Rosc. Am. 23., Ruhnken. ad Rut. Lup. p. 98. et ad Terent. p. 95. et 117. ed. Schop., Wopkens Lectt. Tull. II. p. 145., Hess. ad Tacit. Germ. 45., Burm. ad Lucan. I, 126., Iahn ad Hor. Sat. II, 3, 163., Bentlei. ad Hor. Epist. I, 3, 30., Schrader ad Musae. p. 238. sqq., Gesner ad Claudian. VIII, 267., Oudendorp. ad Caes. de Bello Civ. II, 32., Drakenb. ad Liv. III, 2., Heusinger ad Mallium de metris, Iahn et Gier. ad Ov. Metam. X, 637., Voss. ad Virg. Georg. I, 56. Quibus quidem exemplis licet plura admixta sint, in quibus oratio obliqua non est, sed ubi ex alacritate orationis vel familiaris orationis consuetudine duae interrogationes in directa, quam dicunt, oratione coniunctae et iuxta positae sunt (de quo usu vid. Lindemann. ad Plaut. Captiv. V, 2, 11); plurima tamen hanc observationem indicativi satis superque defendunt. Propertius in eo genere audacius agit, ut qui utrumque modum in hac ratione sententiae saepe coniungat. II, 16, 29., I, 2, 9., III, 7, 29., III, 18, 18. et multis aliis locis. Conf. Epist. IX, 87., XV, 4., XVI, 78. Plura, quae ad hunc usum loquendi pertinent, contulimus, quia eum multi Ovidii interpretes non satis perspectum habuerunt, qui dici non potest quomodo se torserint, ut ab hoc vitio, ut ipsi quidem opinabantur, hunc locum purgarent et Ovidium corrigerent. Auctor Electori. Etonens. coniiciebat: *an et saevam tigrida Dia ferat;* Heins.: *et saeva tigride Dia vacet*, vel: *saevis tigrisin illa vacet*; Lennep: *et saevas tigridas illa ferat*; Van Bergen et Ant. de Rooy: *tigridas insula alat;* Medenb. Wakker in superiore versu legendum putabat *habet* et hoc v. *alat*. In enumeratione autem ferarum, propter quam hoc distichon Amari et Lennepio displicebat, ego, si ulla alia in re, ipsius Ovidii rationem atque ingenium agnosco.

87. *Expellere phocas.* Poetice pro e mari in terram exire.

Tantum ne religer dura captiva catena;
Neve traham serva grandia pensa manu;
Cui pater est Minos, cui mater filia Phoebi,
Quodque magis memini, quae tibi pacta fui.
Si mare, si terras porrectaque litora vidi;
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
Coelum restabat: timeo simulacra deorum.
Destituor rapidis praeda cibusque feris.

Phocas autem praecipue pro monstris marinis Ovidius commemorat etiam Metam. I, 300., II, 267. — Plurimi codd. (etiam Eton.) et edd.: *magnos*; sed Manil. V, 661. *securas phocas* dixit, et Virg. G. III, 543. *insolitas phocas.* Heins. Virg. G. IV, 432.: *diversae phocae.* Vocabulo *expellere* autem innuit poeta naturam phocarum, de qua Plin. H. N. IX, 7. *Et vituli marini, quos vocant phocas, spirant et dormiunt in terra.*

88. *Quis vetat.* (Codd. et vett. edd. omnes: *Quis vetat.*) Reponi debet vel contra codices: *Quid vetat.* Eadem formula est Amor. III, 7, 35., Art. A. III, 525., Fast. II, 423., III, 11. Neque aliter Horatius et reliqui optimae Latinitatis auctores. Sic etiam *quid prohibet* dicebant potius, quam *quis.* Heins. Sed quid vetat eodem sensu dici *quis vetat?* Certe nec analogia obstat, et Ovidius sic locutus est Art. A. III, 93. Codd. Monac. et Victor.: *Quid vetat.*

90. *Grandia.* Pro servitio poeta ponit notiones, quae servarum durissimam conditionem designant; hinc illud *grandia.* Eodem modo *graviora pensa* Propert. IV, 7, 37. et *iniqua* III, 13, 15., ubi vid. Burmann. Conf. not. ad Epist. IX, 78. Ad sensum et totum locum conf. Horat. Od. III, 27, 63. et Catull. 64, 160., qui ibi melius heroicae aetatis rationem expressit.

91. Pasiphaë fuit Phoebi ex Perseide filia. Apollod. III. ibique Heyn., Hyg. F. 40.

92. *Quodque magis memini,* quodque magis in animo habeo, maiorem etiam mihi dignitatem addit, et ob quod minus etiam tam indigna me pati decet. *Pacta* passive, ut permulta alia participia verborum depon. Vid. Ducker. ad Liv. XLIV, 30. Conf. Epist. II, 4. Cod. Douzae: *nupta fui;* edit. princ.: *Quoque.*

93. *Vidi.* Perfect. de re, quae saepe fit ac durat. Amor. I, 9, 5., I, 10, 27., Virg. Georg. I, 330. 331., Aen. II, 12. ibique Heyn. Vid. etiam Wopkens Lectt. Tull. 238. et Walch. ad Tacit. Agric. p. 104.

95. *Simulacra deorum.* Burmanno ad h. l. nescio quid spurii et non Ovidiani sonare videtur hic versus, quem a sciolo quodam ex centonibus aliunde consutum et, ut saepe alibi, confictum putat, et loco motum genuinum versum, qui sequenti pentametro aptius cohaereat, eumque continuisse hunc sensum existimat: *Sive deserta*

Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis:
Externos didici laesa timere viros.

est et incolis vacua, destituor praeda feris: sive colunt viri, diffidimus illis. Burmanni sententiam probans Withofius in Annot. ad Funebr. Laudationem Simmermanni p. 32. illum tamen genuinum versum non alibi, quam *sub omnium ipsius vulgati versus literarum ductibus latere certum se* dicit; videri autem Ovidium unice sic scripsisse: *Seu nihil hic exstat timidae succurrere dignum.* Sed, ut vere dixit Schraderus (Emendat. 10. p. 186.), nemo sibi persuadere poterit, librarios e verbis *Seu nihil hic exstat etc.* finxisse: *Coelum restabat: timeo simulacra deorum.* Equidem versum quidem 95. melius explicari posse puto, si in illo non tam ad iter Daedali, cui certe nihil cum *deorum simulacris* (utcumque tandem accipiatur haec phrasis) commune fuit, quam ad ipsam Ariadnes historiam respexisse auctorem censeamus. Burmanno enim verba illa *Coelum restabat* ita accipienti, ac si, quemadmodum Daedalus (Art. A. II, 37.), Ariadne quoque de coelesti itinere sive fuga per coelum sibi paranda cogitaverit, merito obiicias, non modo nihil esse in proxime antecedentibus, quod eo ducere videatur, sed et locum eum de fuga supra iam occupatum esse v. 61. sqq. Hic quidem in recensendis suis varii generis periculis ac timendi caussis Ariadnen versari manifestum est. Proxime praecessit: *Multa mihi terrae, multa minantur aquae.* Itaque sequentis huius versus haec esse sententia videtur: Restabat, ut et coelum mihi minaretur: ecce timorem quoque deorum mihi simulacra incutiunt. Ad deorum autem simulacra quod attinet, viderit forte iam tum Ariadne aliqua in parte insulae volitantem *Iacchum Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,* sed e longinquo (?), sed per umbras nemoris et omnino sic viderit, ut quae luce dubia vel *sub noctis obscurum* homines vident aut videre sibi fingunt simulacra (?). Iam enim certe ibi Bacchus aderat, *Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore*; adeo quidem, ut, si Demophoonti fides habenda (Epist. Sab. II, 51.), ille *cedere* Theseum *coniuge dilecta sibi iusserit:* etsi clara luce (?) conspiciendum post scriptam demum hanc Epistolam Ariadnae praebuit se Bacchus. At vero, quamvis ita nexus inter v. 93. et 94. satis declaratus esse videatur, nullum tamen adhuc apparere fateor inter eundem et proxime sequentem *Destituor etc.*, et omnino verum esse sentio, quod Burmannus ait, totius loci sensum et nexum hunc esse debere: Sive loca haec deserta sunt et incolis vacua, destituor praeda feris; sive colunt habitantque viri, diffidimus illis. Nullum tamen versum loco motum, sed potius duo temere invectos fuisse arbitror; Ovidium autem sic dedisse: 93. 96. 97. 98. Ut sit sensus quidem ille, quem Burmannus

Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis;

voluit; initio autem *Si* positum pro *sive,* quemadmodum saepe apud nostrum (vid. Burm. ad Amor. II, 7, 7., Epist. Pont. IV, 1, 3., et 8, 17.); *destituor* vero pro destitutam me sentio, intelligo, colligo, quemadmodum ex eodem aspectu litoris collegit Ariadne ap. Catull. 64, 184. Illam autem Ovidii mentem haud satis forte in legendo assecutus quidam, ad secundum versum, quasi pro varia l. sui nobis hunc ingenii foetum: *Multa mihi terrae, multa minantur aquae,* tamquam melius proxime antecedenti versui responsurum margini adscripsit, unde, cum postea in textum venisset, atque ita post pentametrum alter esset pentameter sine hexametro, excidisse hunc ratus librariorum aliquis, pro Ovidiano, quem repraesentare non poterat, suum nobis illum venditavit: *Coelum restabat: t. s. d.* — Auct. Elect. Eton. ut hunc ita seq. versum eiiciendum putabat, in versu vero 93. corrigendum *desertaque litora tango.* Lennep. *Simulacra deorum* innuere videntur Bacchum cum comitatu suo; nihil enim in his carminibus frequentius, quam Heroides ita alludere et significare res, quas postea evenisse novimus. Vid. ad Epist. XIII, 93. 94. Nexus autem orationis v. 94. et 95. non urgendus est, uti nec urgendus v. 88. 89. 90., quum omnia haec commoto cum animo dicta esse videantur. Vid. ad Epist. IV, 163. Neque tam prorsus disruptam seriem sententiarum putem, si ab iis, quae in coelo timeat, quasi abripiatur vel transeat ad pericula, quibus in insula vere exposita est, exponenda. Quod autem de origine huius distichi dixit Lenn., refutat omnium librorum in hac scriptura sine ulla varietate consensus. Gronov.: *simulacra ferarum.* Cod. Argent., item Guelf. 1. et 3.: *rabidis,* quod paullo gravius est; sed sequendi sunt vetusti libri. Vid. Met. II, 716., Iuven. S. 15, 163.; et *rapidis,* q. e. rapacibus, iuxta *praeda* non inconveniens est.

99. *Androgeos.* Sic edd. Naug., Bas., Vinc., Col., Mic. et Bersm. Vulgo cum codd.: *Androgeus.* Ceterum est prorsus e natura et sensu dolentis, quidquid, etiamsi per se bonum quid sit, ad malum praesens contulit aut eius caussa fuit, exsecrari. Vid. Epist. I, 5., XII, 7., Cat. 64, 171., Virg. A. IV, 675., quae attulit ad h. l. Becher. — *Facta luisses. Fata tulisset* Put.; alii cum vett. edd.: *fata luisses* vel *tulisses.* Sed nihil muto. Stat. Theb. I. *Facta luant Thebae.* XII. *Aut nece facta luent.* Heins.

100. *Funeribus tuis,* sc. filiorum et filiarum tuarum, quos annuum tributum mittere debebas. *Cecropi* a Cecrope, antiquissimo Athenarum rege. Apollod. III. Conf. Diod. Sic. I, 28. De forma adi. *Cecropis* pro *Cecropia* (v. 125.) vid. ad Epist. II, 6., III, 71., XVI, 31.

102. *Ardua,* in altum sublata. Vid. supra v. 15. Ceterum hoc distichon memorabile propter

Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
  Ardua parte virum dextera, parte bovem;
Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem,
  Fila per adductas saepe recepta manus.
Non equidem miror, si stat victoria tecum,
  Strataque Cretaeam bellua tinxit humum:
Non poterant figi praecordia ferrea cornu;
  Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti;
  Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes.

verba confusa, vel certe disiecta: *tua, ardua, dextera.* Sed vid. Epist. XI, 89. 90. Art. A. II, 24.

> Semibovemque virum, semivirumque bovem.

104. *Recepta.* Heinsius ex Metam. VIII, 173.

> Ianua difficilis filo est inventa relecto.

et Fast. III, 462.

> Quae dedit ingrato fila legenda viro.

Propert. IV, 4.

> Cum patuit lecto stamine torta via —

coniiciebat *relecta.* Vera l. est *saepe recepta;* nam *saepe* cum *recepta* coniungendum; quae egregie actionem laxatum filum ad se ducentis ac revolventis (Hyg. F. 42.) describit. *Adductas,* ad se tractas. Vid. v. 15.

105. *Stat victoria tecum* etiam in soluta oratione dicitur; Liv. V, 38., XXVI, 41.; hinc de imagine poetica et Victoria persona non cogitandum.

106. *Tinxit humum.* Sic multi ex scriptis Heinsii, quibus accedunt codd. Palat. apud Gruter., Goth. 1., unus Leod. et Trev. Alter Leod. et plures ex meis: *tinget.* Put. et alii nonnulli Heinsiani: *stravit,* h. e. operuit, texit, quod tuetur Burmannus, laudans Hor. Od. IV, 14, 32., Virg. A. VIII, 719., Lucret. I, 274., Stat. IX, 263., quodque etiam firmare videntur tres Heinsiani et Guelf. 1., qui habent *texit,* et Ment. 2. et duo alii Heinsiani, qui exhibent *pressit.* Ego Ovidianum puto *tinxit,* quod copiosius dictum videtur et certe etiam gravius, ut quo ipsa monstri caedes diserte declaretur; offendit praeterea et maxime duplex verbi *sternere* in eodem versu significatio, et in locis illis omnibus a Burmanno allatis addita res, qua solum tegatur; quanquam hoc quidem parvi puto esse momenti.

107. *Non poterant — cornu. Non poterant vulnerari tua praecordia ferrea cornu* (*cornu* propria significatione; nam semibos Minotaurus erat); *quamvis enim te* (thorace) *non tegeres, pectore tamen* (ferreo illo tuo) *tutus* (munitus) *eras.* De cornu Minotauri Stat. Theb. XII, 670.

> Alternasque manus circum et nodosa ligantem
> Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.

Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
  At semel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque crudeles, venti, nimiumque parati,
  Flaminaque in lacrimas officiosa meas;
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit,
  Et data poscenti, nomen inane, fides!

Cod. Douzae et tres alii Heins.: *Ut tua non tegeres pectora.*

109. *Illic.* Quidam codd. cum vett. edd. utroque loco *illuc*, sed castigatiores *illic*. HEINS.

110. *Habes.* Cod. Trev.: *habet.* Sed vera est vulgata, quae cum Crispino explicanda: Illic, in illo pectore tuo tute Theseum habes, geris, qui duritie ipsos silices vincat, superet. Nonnulli codd.: *silicem.* Ceterum saepe sic duri homines describuntur a poetis; Epist. II, 137., VII, 37., Adamantis duritiem et omnino, quod veteres de eius lapidis natura cognitum habebant, exponit Plin. H. N. XXXVII, 4.

111. *Crudeles somni, quid.* Cod. Gronov., Mor. et Excerpta Gallicana, etiam ed. Naug. et margo Bersm.: *qui*, non contemnenda scriptura, quae miram sententiae efficit concinnitatem: *Crudeles* (estis) *somni, qui me.....; Vos quoque crudeles* (estis), *venti,....; Dextera* (est) *crudelis, quae.....* V. 113. in plurimis edd. pessima est interpunctio: Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati. Corrigendum: *Vos quoque crudeles,* venti, nimiumque parati. Similis locus Epist. ex Pont. I, 2, 31.

Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
  Quae.......
Vos quoque felices, quarum.......

Sed etiam vulgata bona.

112. *At semel.* Goth. 2.: *Aut semel.* Mitscherlich dedit: *Aut simul,* vix satis apto sensu et repugnantibus libris. Sana, si quidquam aliud, vulgata; est enim sese corrigentis: *At* (sed quid dico hoc?) *semel* (einmal für allemal) *et quidem* (quod illud *semel* exponit) *aeterna nocte* (mortis somno) *premenda fui, fuissem, eram* (non temporario somno). Vid. omnino Epist. XII, 13. *Semel* hoc sensu est Epist. V, 104. *Premenda* autem poetice et exquisite; surgit enim poetis nox, incubat, urguet et *premit.* Conf. Art. A. III, 647., Hor. Od. I, 4, 16. ibique Mitscherl. De constructione *fui* pro *fuissem, eram,* Epist. XVI, 138., Trist. IV, 10, 80., Met. II, 608., Cic. pro Milone c. 11., de Nat. Deor. III, 31., Liv. II, 38. Iahn post *fui* signum exclamandi induxit, item Epist. XII. 1. 1., cuius vim atque necessitatem equidem videre non possum. Unus Moreti cod.: *tenenda.*

115. *Dextera.* Cod. Trev. pro var. l. exhibet, quod Heinsius coniiciebat: *Dextraque.* Sed nihil mutandum tam propter codd., quam propter vim, quam asyndeton illud hoc loco habet.

116. Et fides crudelis.

118. *Una tribus,* paullo argutius.

119. *Ergo.* Dolentis est. Vid. ad Epist. XVIII, 183.

In me iurarunt somnus ventusque fidesque;
  Prodita sum causis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo;
  Nec, mea qui digitis lumina condat, erit?
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras;
  Nec positos artus unguet amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinae?
  Haec sunt officiis digna sepulcra meis?
Ibis Cecropios portus, patriaque receptus
  Cum steteris turbae celsus in ore tuae,

120. *Digitis.* Burmannus e codicibus Scriverii et Palatino et tribus edd. (?) dedit: *digitus* pro vulgata: *digitis*, sed caussam mutandi nullam attulit, nisi quod e Trist. IV, 3, 44. ostendit ita dici, et ex v. 122. et 44. huius Epist. firmavit, omnino recte dici, membrum aliquod facere id, quod nos membro vel per membrum faciamus, de qua re nemo dubitabat. Fortasse erit, qui Burmanni lectionem sequendam putet propter vss. 119. et 122. Scilicet: *Nec lacrimas matris videbo....? Nec digitus erit....? Nec amica manus unguet....?* Sed equidem nihil mutabo. De re vid. ad Epist. I, 120., et vid. Trist. III, 3, 37. seqq.

121. *Peregrinas,* non patrias.

122. *Unguet.* Cod. Leid.: *tanget;* Sarr., Scriv. et alii: *iunget.* Sed de unctione omnia protrita; Enn.:

Tarquini corpus bona femina
      lavit et unxit.

Vid. Fast. IV, 853., Pont. I, 9, 47. et passim. *Burm.* *Positos,* iacentes, mortuos. Vid. Heyn. ad Tibull. III, 2, 26. Exempla collegit Heinsius ad Amor. III, 3, 40.

123. *Ossa superstabunt.* Ossa *super* anastrophe. *Ciof.* Sed cur non compositum *superstare?* Stat. Theb. II, 715.

Corpora tunc atque arma simul
      cumulata superstans
Incipit.

et XI, 564., ubi vid. Barth. Iungi etiam hoc verbum dativo docuit Drakenb. ad Sil. XIII, 300. (Conf. Metam. XI, 552. *L.*) Sic *superincumbens* Epist. XI, 51. *Burm.* Locus gravitatem accipit a religione veterum, qua inhumatum relinqui summum dedecus habebatur, et manibus ante humationem aditus ad inferos erat praeclusus. Res vel ex Hom. Iliad. IX, 66. et XXIII, 69. al. satis nota. Vid. Heyn. ad Virg. Aen. VI, 159. et 360., Mitscherl. ad Horat. Od. I, 28. Et volucres marinae illae dictae videntur cum respectu ad illud Graecorum: *οἰωνοῖσι ἑλώρια γενέσθαι.* Conf. Art. A. III, 35. 36.

125. *Cecropios portus.* Verbum motus sine praepositione, ut saepe, Epist. VI, 5., Metam. III, 462., Virg. A. VI, 638., III, 254., Eclog. I, 65. Vid. Rudim. Gramm. Lat. Vol. II, p. 284. ed. Stallb. Conf. Epist. XVIII, 157.

126. *Turbae celsus in ore tuae.*

Et bene narrabis letum taurique virique,
  Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
  Non ego sum titulis surripienda tuis.

Vulgata: *turbae—honore,* quae ferri non potest; nam quod quidam voluerunt, *celsus honore* esse *sublimis, superbus honore,* sc. honore eo, quem turba tua tibi habet, praestat, non patitur loci ratio. Burmannus dedit: *urbis celsus in arce tuae.* Ac de arce Athenarum poetae passim. Vid. locos a Bentleio congestos ad Hor. Od. I, 7, 5. Sed ea l. non satis firmata est auctoritate codicum; nam codd. octo Heinsiani habent: *turbae celsus in arce,* quod nullum sensum habet; totidem, etiam Put., Trev., Guelf. 1., 3.: *turbae celsus in ore* (Put. *in aure*); quinque Heinsiani: *turbae celsus in orbe,* unus: *in urbe;* unus Put. a m. s. et fortasse etiam Goth. II. et Erfurt.: *urbis in arce.* Hinc ego cum Heinsio et Iahno verum puto: *turbae celsus in ore tuae. Turba* pro corona, congregata multitudine saepe reperitur. Cicero *coronam* et *turbam* coniungit pro Flacco c. 28. *Steteris,* sc., concionabundus. Totus autem locus colorem duxisse videtur a more Romanorum, quo post recuperatam victoriam et res in bello feliciter gestas, ii qui triumphi honorem peterent, prius senatu in templum Bellonae evocato res a se praeclare gestas exponere solebant. Lectio *urbis in arce* nec ad sensum sufficere videtur, ut quae magis *spectaturo* (Epist. VII, 20.), quam *narraturo* conveniat. Si qui narraturus est, melius stare in ore coronae, *turbae,* multitudinis dicitur; quanquam hoc non valde urguendum videtur.

127. *Narrabis.* Burmannus primus dedit *narraris;* sed codices et veteres edd. praeter Naug. et Vinc.: *narrabis,* quod non video, cur non retineamus; in transitione enim a futuro exacto ad simpl. nemo haerebit. *Und wenn du dann vor dem Angesicht der Menge stehst und — — — — erzählst...; so erzähle auch — — —. Bene,* nihil quod ad laudem tuam conferre possit, praetermittens.

128. *Per dubias vias,* h. e. dubiis viis, ut Met. II, 130.

129. *Sola.* Communiter legitur *solam;* sed mihi legendum videtur *sola,* ut cum tellure iungatur, sitque *sola tellure* dictum pro *solitaria* sive *in solitudine,* ut apud Terent. *in solas terras,* alibi. MICYLL. Scribe *sola.* Catull. c. 1. de Ariadne:

Desertam in sola miseram se
  cernit arena.

Sic *loca sola* et *sola rura* Fast. I, 398. et passim, et Virgilio *soli montes, sola antra, sola saxa;* Prop. *solae silvae.* HEINS. Ac profecto, si *solam* scribitur, illud *tellure* nimis *solum* relinquitur. Vulgatam si tuearis, ad *tellure* in animo addendum *aliqua:* me quoque narrato in tellure aliqua *solam,* ab omnibus desertam, reliquisse.

130. *Surripienda.* Ironice. *Ti-*

Nec pater est Aegeus, nec tu Pittheidos Aethrae
Filius: auctores saxa fretumque tui.
Di facerent, ut me summa de puppe videres:
Movisset vultus moesta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente
Haerentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.
Adspice demissos lugentis more capillos,
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulsae segetes aquilonibus, horret,
Literaque articulo pressa tremente labat.

tulis, ut Epist. IX, 1. Vatic.: *suscipienda*, et in margine: *excipienda*.

131. *Aegeus, nec tu.* Non humano tu sanguine genitus es, ut sensum humanum habeas; sed saxis et freto. Vid. supra ad v. 110.

133. *De puppe.* Iun.: *de rupe*. *De puppe* satis firmatur v. 135. Nunc quoque, quum de puppe ipsis oculis adspicere non possis, qua potes, adspice mente. Sequitur egregia descriptio.

134. *Movisset*, ad modum Graeci aoristi dictum est. Conf. Ep. XI, 10.

136. *Haerentem.* In extrema rupis parte versus mare, te, stantem. Eleganter.

136. *Vaga pulsat aqua.* Metam. I, 42. *Pro ripis litora pulsant.* CIOF.

137. *Lugentis more.* Burmannus e IV Heinsii codd. dedit: *lugentis in ore*, quod intelligi possit: Adspice capillos demissos, sparsos (ubi?) in ore meo, lugentis, ut Lennepii coniectura *in ora* non sit opus. Sed Ovidii scriptura est vulgata eaque omnium fere veterum librorum: *lugentis more*, h. e. more capillorum *lugentis* (quae luget mortem cari alicuius). Firmatur ea lectio iis, quae sequuntur, *sicut ab imbre* et *ut impulsae*. Locutio autem ea, qua sic ipsa persona ponitur pro re ad personam pertinente, saepissime reperitur. Iuv. Sat. VII, 74. *Sermo Isaeo promptior*, ubi vid. Weber; Cic. de Orat. I, 44. 197.; vid. Heusing. ad Cic. de Off. I, 22. 7. Graecis item solemnis usus loquendi, ut ibidem Heusinger docuit allato Plat. Phaedr. 279. Amor. III, 9, 51—54.

Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas;
Cumque tuis (*pro tuorum*) sua iunxerunt Nemesisque priorque
Oscula —.

138. *Lacrimis.* Praepositio primo loco omissa, ut saepe. Horat. Od. III, 25, 2., ubi vid. Bentlei., conf. Epist. V, 111. De *gravis ab imbre* vid. ad Epist. V, 152., quibus adde Amor. II, 15, 14. *laxus ab arte.*

139. Comparationem hanc saepe usurpat Ovidius, Epist. XIV, 39., Met. IV, 135., Art. A. I, 553.

Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro:
  Debita sit facto gratia nulla meo;
Sed nec poena quidem: si non ego causa salutis,
  Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,
  Infelix tendo trans freta longa manus;
Hos tibi, qui superant, ostendo moesta capillos;
  Per lacrimas oro, quas tua facta movent:

140. *Pressa.* Impressa cerae labat, tremente manu scripta ipsa quoque inaequalibus lineis et ductibus tremere videtur.

141. *Adoro.* Reg.: *adortor*, quod est *adhortor*. *Adoro* positum pro simplici *oro*, ut *adamo* (sed ita, ut intendat. *L.*). Vid. Passerat. et Broukh. ad Prop. I, 4, 27., Barth. Advers. XXXII, 13. Scriv. codex: *male cessat.* Vid. ad Fast. II, 380. *Burm.*

143. *Sed nec.* Put. et V alii: *Sed ne*; Moreti unus: *Sed neque. Sed nec,* sed etiam non. Conf. Epist. V, 83. *Quidem* non coniungendum cum *nec,* sed gravius effert illud *poena,* ut Graecum *γέ.*

144. *Tu mihi.* Praecessit: si non *ego* tibi causa sum salutis. Hinc Iahno non assentior, qui veterum edd. lectionem *tu sis* potiorem ordinem dicit. Cum vi *tu mihi* iuxta posita sunt.

147. *Qui superant.* Qui restant, supersunt. Vid vers. 16. *Ostendo.* Quomodo absenti tam longe Theseo *ostendere* poterat capillos? Puto *obtendo. Obtendere* vero, ut modo *tendere,* positum pro *porrigere, praetendere,* ut solebant supplices. Vid. Heins. ad Sil. III, 613. *Burm.* Nonne idem obiici potest de verbo *obtendo*? et supra dixit *adspice.* Sed hoc argutari est.

149. *Vento.* Sic libri editi et scripti. Burmannus, quia nec in Thesei nec in Ariadnes potestate fuerit, ventum vertere, vel cum uno Basileensi scribendum *velo* putabat, (et sic vere dedit) vel, ut Gronovianus pro var. l. habet, *cursu.* Sed, quid obstat, quominus interpretemur: *Et si vel ubi primum ventus versus, secundus, erit, diversus ab eo* (v. 30. 113. 114.), *quo nunc ab hac insula, in qua me reliquisti, avcheris, relabere, redi;* nec de Ariadne nec de Theseo ventum vertente, quod sane ridiculum erat, ut quibus in Aeoli regnum invadere nec potis nec fas esset, cogitantes. Unus Moreti: *flexoque.*

150. *Feres.* Alter Mentel. et tres alii Heinsiani: *leges,* quo eodem ducit unus Mediceus, in quo est *lege;* quam scripturam Heinsius primus recepit. Ac de ossilegio omnia nota. Vid. Kirchmann de Fun., Serv. ad Virg. A. XI, 210. Conf. Amor. III, 6., Tibull. III, 2., Propert. IV, 1, 27. Sed Ovidii scriptura est, quae est eadem, praeter illos quinque, omnium vett. librorum, *feres.* Et si prius occidero, quam huc veneris,

Flecte ratem, Theseu, versoque relabere vento;
Si prius occidero, tu tamen ossa feres.

vivam tecum abducere non poteris; tamen ossa saltem mea tecum auferes ex fera hac terra in cultiorem et humaniorem, ut humana inter ossa quiescant.

Trist. III, 3, 65.

Ossa tamen facito parva referantur in urna:
Sic ego non etiam mortuus exsul ero.



EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO.

Canace, filia Aeoli, cum Macareo fratre nefando indulsit amori ex eoque puerum peperit; qui quum clam extra regiam ad educandum mitteretur, vagitu suo se avo prodidit. Aeolus filiae scelere cognito infantem feris iussit obiici, et Canacae gladium misit, quo ipsa pro meritis uteretur. Canace igitur cum iam moritura esset, Macareo, qui aufugerat, hanc scribit Epistolam. — Hyg. F. 238., 242. *et* 243., *Schol. ad Aristoph. Nub.* 1374. *et ad Ran.* 873., *Fragm. Euripid. apud Barnes. p.* 444. *ed. Cantabrig.* 1694., *Dionys. Halic. Art. Rhet. c.* 11.

Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
  Oblitus a dominae caede libellus erit.
Dextra tenet calamum, strictum tenet altera ferrum,
  Et iacet in gremio charta soluta meo:

Edd. Micylli et Bersmanni et multi codd. Heinsii cum excerptis Puteani ordiuntur hanc Epistolam sic:

> Aeolis Aeolidae, quam non habet ipsa, salutem
> Mittit, et armata verba notata manu —

nisi quod quidam libri v. 1. pro *ipsa* habent *illa,* et *scripta notata* vel *verba legenda* pro *verba notata.* Sed esse abruptum hoc exordium *Si qua tamen etc.* ad summam Canaces animi perturbationem declarandam efficacissimum adversus Douzam patrem et Scaligerum, alios, qui principium huius Epistolae deesse existimarunt, bene docuit Burmannus Sec. ad Propertii illa IV, 3, 3.

> Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
> Haec erit a lacrimis facta litura meis —

quae Nasonem hoc loco imitatum esse putat Lennep. Addo, unde tam insolitam constructionem in plurimis libris ortam esse accipiamus, nisi ab ipso Ovidio ita scriptum putemus. Tantum enim abest, ut librarii talia ausi esse videantur, ut contra, sicubi insolita coniunctio sit, ac forma sententiae a vulgari consuetudine loquendi aliquantum deflectat, saepe de suo addidisse et communem usum dicendi induxisse, iure insimulentur. De *tamen* nullo vocabulo praecedente, cui vulgo subiici soleat, vid. Gronov. ad Liv. XXIII, 19. Sensus est: Si quae tamen epistolae partes errabunt, haud facile legi poterunt, propter caecas lituras, a dominae caede scriptum foedatum putabis.

3. Vid. ad Epist. VII, 184.

4. *Soluta,* i. e. evoluta, ex more veterum expressum, quo convolvi charta solebat. Conf.

Haec est Aeolidos fratri scribentis imago;
  Sic videor duro posse placere patri.
Ipse necis cuperem nostrae spectator adesset,
  Auctorisque oculis exigeretur opus;
Ut ferus est multoque suis truculentior Euris,
  Spectasset siccis vulnera nostra genis.
Scilicet est aliquid, cum saevis vivere ventis:
  Ingenio populi convenit ille sui.
Ille Noto Zephyroque et Sithonio Aquiloni
  Imperat et pennis, Eure proterve, tuis.
Imperat heu ventis, tumidae non imperat irae,
  Possidet et vitiis regna minora suis.
Quid iuvat, admotam per avorum nomina coelo
  Inter cognatos posse referre Iovem?

Iuv. Sat. XIII, 116. *Heins.* Male nonnulli libri: *notata.*

5. *Aeolidos.* Serv. ad Aen. I, 75. scribit, Macareum et Canacem non huius Aeoli, qui ventorum rex fuisse perhibetur, sed alterius Aeoli filios fuisse. Cuius opinionem quam facile in hac Epistola Ovidius convincat, nemo non videt. Hyg. F. 238. *Ciof.* Vid. Lennepii notam ad calcem huius Epistolae.

6. *Duro.* Cod. Douzae: *diro.* Sed *durus* proprium epitheton patris apud Terent. saepius et alios. *Burm.*

7. *Adesset.* Quinque Heins. codd.: *adesses.* Male; de patre enim sermo est, ut docent sequentia. Virg. A. X, 443.

— cuperem ipse parens spectator adesset.

8. *Exigeretur,* perficeretur. Metam. XV, 871.

Iamque opus exegi.

Idem Horat. Od. III, 30, 1.

10. *Spectasset.* Recentiores editiones fere omnes cum edd. Naug., Bas., al.: *spectaret;* sed codd. omnes praeter Trev. et Erf.: *spectasset,* quod non movendum; est enim ἀοριστικῶς positum, ut saepe. Vid. Epist. X, 134. Put.: *spectat sed.*

13. *Sithonio.* Threicio. Vid. ad Epist II, 6. Elisio negligitur, ut Epist. IX, 87., ubi vid. annot. Versu praecedente *populus* est *populus ventorum.*

14. *Proterve. Petulans, impotens,* itaque *rapide.* Vid. Hor. Od. I, 26, 2., ibique Mitscherl.

16. Iterum argutatur poeta suo more, et luxuriat oratio.

17. *Quid iuvat, admotam etc.* Planus sensus est, non figuratus, ut commentator existimavit; est enim ordo: quid iuvat, me per nomina avorum admotam coelo, hoc est, coelestibus coniunctam et affinem, posse inter cognatos Iovem referre? Hoc autem eo pertinet, quod primus Aeolus Hellenis filius fuit, Hellen Iovis. Quare per avorum seriem et ipsa ad Iovem genus suum referebat. *Micyll.* Conf. ad v. 5. Ceterum et hic

Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu?
O utinam, Macareu, quae nos commisit in unum,
Venisset leto serior hora meo!
Cur unquam plus me frater, quam frater, amasti,
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui, qualemque audire solebam,
Nescio quem sensi corde tepente deum.

manifestam imitationem esse Propertii IV, 11, 11. sqq.

Quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
Profuit? — — — —
Num minus immites habui, Cornelia, Parcas?

observavit ad eum locum Scaliger.

19. *Num minus.* (Olim edebatur *non minus.*) Lege *Num minus?* interrogative. MICYLL. *Non minus* scripti plerique, praeter Puteaneum, qui recte *Num minus*; Ep. XVII, 230.

Pulsa est Aesonia num minus illa domo?

Epist. XVIII, 174.

Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?
Num minus haec nobis tam brevis obstat aqua?

Fast. I, 526.

Num minus hic toto est altior orbe cinis?

Fast. III, 6.

Num minus ingenuis artibus illa vacat?

Trist. I, 2, 74.; Trist. II, 106.

Praeda fuit canibus num minus ille suis?

Trist. V, 6, 28.

Loca plura adscripsi, quod ea in vulgatis editionibus, ut plurimum, mendosa circumferantur. Prop. II, 22., IV. Eleg. ult.; Auctor Eleg. in Obit. Maecen.:

Num minus urbis erat custos et Caesaris hospes?
HEINS.

Num etiam maior pars codd. meorum cum edd. Naug., Vinc., Mic. et Bersm.

20. *Non mea tela* quid sit, satis apparet ex illo *feminea manu.* Alii interpretati sunt: a patre ad me interficiendam data.

21. *Commisit.* Sic Vatic. CIOF. Edd. Ald., Bas. et seqq.: *coniunxit.* Contra mss. Vid. ad Met. IV, 369. BURM.

24. *Quod.* Conf. Epist. VIII, 41., XIX, 91., Met. VIII, 881., XII, 502., Liv. XXX, 30.

25. *Qualemque,* sc. potentem.

26. *Corde tepente.* Haec l. nimis languida visa Schrodero in Obss. Misc. Vol. VI. Tom. III. p. 532., qui inde *tremente* vel *repente* emendandum censebat. Sed amoris sui primordia describit Canace: *Ipsa quoque incalui — Nescio quem sensi c. t. deum:* nec aliter locutus est Horat. Od. I, 4. in fine:

Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.
LENN.

Vid. ibi Mitscherl.

27. *Adduxerat.* Ratio ita legendum persuadet (?). CIOF.

Fugerat ore color, macies adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos;
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis;
Et gemitum nullo laesa dolore dabam.
Nec, cur haec facerem, poteram mihi reddere causam;
Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo praesensit anili;
Prima mihi nutrix „Aeoli," dixit „amas."
Erubui, gremioque pudor deiecit ocellos:
Haec satis in tacita signa fatentis erant.

Vera lectio est. Frustra codd.: *abduxerat*, et edd. quaedam: *obduxerat*. Virg. Georg. III, 483.

— ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus.

ubi etiam codd.: *abduxerat*. Metam. III, 397. *Adduxitque cutem macies*. BURM. Ex undecim meis nonnisi unus: *obduxerat*, septem: *adduxerat*, unde coniicere licet de Heinsianis; *adduxerat* etiam edd. Venn., Naug. et margo Bersm. Iahn dedit: *obduxerat*. Epist. XXI, 215. *Concidimus macie*. Eodem fere modo dicitur *adducere frontem*, de quo vid. Wernsdorf. ad Poet. Lat. Min. T. IV. p. 260. Ceterum compar. cum hoc loco Trist. III, 8, 28.

28. *Ora coacta*. Errat Burmannus, *coacta ora* censens esse *contracta, adducta*, ut *adduxerat artus* in v. praecedenti, *minora per maciem facta*, quemadmodum dicatur *virus coactum, tempestas coacta*, al. *Coacta* h. l. nihil aliud est, quam *compulsa, invita*, quo posteriore usus est Ovid. Epist. XVI, 226.

Crescit et invito lentus in ore cibus.

Et certe etiam elegantius dicitur: *Sumebant ora minimos cibos et eos ipsos non sine fastidio et nausea*, *invita*, quam: *Sumebant ora contracta, minora facta, minimos cibos*. Amor. I, 8, 83.

Quin etiam discant oculi lacrimare coacti.

Vid. Pont. I, 5, 10., Iuvenal. S. XIII, 133., ibique Rupert.

29. *Annua*. Instar anni. Vid. Epist. XVIII, 25. et Burm. ad Lotich. p. 510.

31. *Haec facerem*. Put. et multi alii Heins.: *haec*, vulgo: *hoc*. — Nulli secundus noster in secretioribus animi praesertim feminae sensibus exprimendis. Nihil hic, quod non decenter, pudice et exquisita verborum elegantia efferatur. AMAR.

33. *Praesensit*. Douza legebat *persensit*. Male. *Anili*, ut talia longa experientia edocta.

35. *Gremio*, pro vulgari verborum coniunctione *in gremium*, qui usus dativi apud poetas quidem, inprimis apud Virgilium frequentissimus est. Virg. Aen. XI, 192.

It coelo clamorque virum clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Coniiciunt igni.

Iamque tumescebant vitiati pondera ventris,
  Aegraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix
  Attulit, audaci supposuitque manu,
Ut penitus nostris — hoc te celavimus unum —
  Visceribus crescens excuteretur onus!
Ah nimium vivax admotis restitit infans
  Artibus, et tecto tutus ab hoste fuit.

Aen. I, 6., ubi vid. annot. Servii. Vid. etiam Schrader ad Musae. v. 298. Conf. Ovid. Metam. VII, 578.

37. 38. *Pigraque furtivum m. g. o.*, quod in suis codicum Lov. et Hafn. excerptis legi prodidit Burm. Secund. ad Propert. IV, 1, 99., ex ipso illo Propertii loco:

> Idem ego, cum Cinarae traheret Lucina dolores,
> Et facerent uteri pondera lenta moram —

forte praeferendum scripsit vulgatae:

> Aegraque f. m. g. o.

Sed loci non sunt similes. Illic quidem de muliere iamiam parturiente sermo est; cuius haud incongrue *lenta uteri pondera* dicuntur, quae non cito nec facile in lucem ederentur; hic vero de ea muliere, cui primum tumescere incipiebant ea pondera; de quibus adeo per abortum excutiendis adhuc cogitasse nutricem in seqq. videmus. Neque tamen *Pigraque* damnaverim, cum de tardiore gravidae incessu minusque illi ad officia sua promptis membris commode explicari queat. Sed et alterum, quod plures habent codices, aeque bonum est hoc sensu. Quare servandum duxi. Quod vero Burmanni, Patruus et Secundus, in versu 37. potius legendum censuerunt:

> Iamque tumescebam vitiati pondere ventris —

in eo summorum virorum elegantiam desidero. Est enim illud, meo quidem sensu, languidum et vix supra prosam. *Lenn.*

Adde concinnitatem sententiarum: *pondera tumescebant* et *onus gravabat*. Moreti cod.: *pondere*.

39. 40. Decorum confidentis nutricis optime exprimit et simplicis puellae ingenium ostendit. *Ciof.*

40. *Supposuit.* Id est: clam admovit, non, (?) ut commentator, per inferiores partes immisit. *Micyll.*

42. *Visceribus crescens.* Pal. et Leid.: *Visceribus nostris*, et Francof: *exueretur*; Fast. I, 623.

> Neve daret partus, ictu temeraria caeco
> Visceribus crescens excutiebat onus.
> *Burm.*

De re conf. Amor. II, 13.

43. *Ah. At* vere legendum docti viri coniecerunt. *Ciof. Ah*, quod dolentis est, rectum esse docent, quae sequuntur, in quibus vitae periculum in partu et propter eundem partum

Iam novies erat orta soror pulcherrima Phoebi,
Denaque luciferos Luna movebat equos;
Nescia quae faceret subitos mihi causa dolores,
Et rudis ad partus, et nova miles eram;
Nec tenui vocem: „Quid“ ait „tua crimina prodis?“
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? Gemitus dolor edere cogit;
Sed timor et nutrix et pudor ipse vetant.
Contineo gemitus elapsaque verba reprendo,
Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.

excitatam patris iram et infantis fortunam exponit.

44. *Tecto tutus.* (Libri plerique cum vulg.: *tectus tutus.*) Lego *tecto tutus ab hoste* cum Put. (et sic etiam est in Erf., Dresd., Goth. 1., Giess. *L.*), ut et vitetur eiusdem soni in iunctis vocabulis odiosa repetitio, et sensui consulatur. *Tectus* enim *hostis* est ipsa mater vel nutrix, quae non aperta vi, sed clam herbis et medicaminibus excutere foetum tentabat; vel *hostis* sit ipsum medicamen noxium, ut explicat Micyllus, quod clam per membra serpebat, ut *ictum caecum* dixit in Fast. l. c.; neque refert, quod *ab hoste* singulariter dixit, cum *hostem* dicat metaphorice, quidquid adversum illi et infestum fuit. *Burm.* Vera est interpretatio Micylli.

46. *Denaque — movebat. Movebat* libri vett. uno consensu et recte. Vid. Epist. IV, 160. Val. Flacc.:

— movet en gelidos Latonia currus.

Metam. VI, 48., XIV, 228., Amor. I, 2, 26. *Movere* quoque currus dixit de Sole Germanicus in Fragm. a Grotio edito p. 19.; *movere carinam* Ovid. Epist. XIII, 101. Nec pro *dena Luna* reponendum *plena,* uti Gronov. Obss. IV. c. 15. videbatur, nec cum Scaligeri libro et Put. et aliis nonnullis *nona,* quod Scaliger probavit. Nota illa:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Vid. Fast. II, 175. et 447., III, 124., V, 534., Metam. VIII, 500., Senec. Theb. 535. (Vid. Gronov. ad Liv. XXIX, 3. et Buenemann. ad Lactant. Carm. de Phoen. 27., quos laudat Gierig ad Met. l. l. *Lunares* scilicet *menses,* quales ante I. Caes. computabantur, ut monet Donat. ad Terentii Adelph. III, 4, 29. Conf. Gier. ad Fast. I, 35. *L.*) Sed quemadmodum *quini* et *deni calculi* pro *decem* et *quinque* dicuntur, ita Lunam *denam* pro *decimam* dici posse erat ostendendum. *Heins.* Plin. H. N. XXXIII. c. 4. *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte.* Duae Venn., Bersm. ed. et marg. Micylli: *vehebat.* De *luciferos* vid. ad Epist. XX, 192.

50. *Pressit.* Conf. Met. I, 207. Gron.: *clausit.*

Mors erat ante oculos, et opem Lucina negabat,
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat;
Cum superincumbens scissa tunicaque comaque
Pressa refovisti pectora nostra tuis;
Et mihi „Vive soror, soror o carissima“ dixti,
„Vive, nec unius corpore perde duos:
„Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es;
„Illius, de quo mater, et uxor eris.“
Mortua — crede mihi — tamen ad tua verba revixi,
Et positum est uteri crimen onusque mei.

53. *Contineo.* Sic tres Heinsiani (etiam Goth. 2. et pro var. l. Trev. et Erf., et edd. Vinc., Col. et margo Bersm.) pro vulgata: *Continuo.* Recepimus hanc l., quam et Aldus expressit; nam idem est, quod *reprimo,* exire non patior. Vid. Vavass. de Vi et usu quorundam verb. p. 112. Ita *vocem, risum, dolorem continere* et similia passim. *Reprendo* vero elegans, quasi poeniteret et iam dicta retrahere vellet; ut Terent. Adelph. IV, 4. *reprehendi me.* Ita *tempus reprehendere* Phaedr. V, 8.; quare frustra hic codd.: *retento, repono, recondo, rependo. Combibere* vero eleganter et audacter fere pro *exsorbere,* ut Ios. Iscan. Bell. Troi. II, 153. *Et lacrimas bibit ipse suas.* Senec. Cons. ad Marc. c. 1. *Clam fundere lacrimas et gemitus devorare. Exsorbere labellis fletum* Iuven. Sat. VI, 276. Burm.

Conf. Art. A. II, 326.

56. *Si morerer. Si moriar* multi; Put. et unus meus: *si morior.* Heins.

57. *Scissa.* Vestes scindere, disrumpere apud vett. signum summi luctus, de qua re vid. Ferrar. de Re vest. I, 3, 18. Conf. Met. IV, 546.

59. *Dixti. Aisti* Put. et Argent.; multi *disti.* Heins.

60. Conf. Epist. XIX, 149.

61. *Fratri etc.* Vetus l. in Put. erasa erat, pro qua repositum, ut etiam quidam Heinsiani et Victor. exhibent: *germano nupta futura es,* quod ex glossemate ortum videtur.

62. *Illius, de quo mater, et u. e. Mater et* Put. et plerique alii cum priscis edd. Lego cum Leid.: *Illius, es de quo mater, et u. e.* Heins. Ego cum Heusingero, Amaro et Iahno recipiendam putavi veterem l.; sic enim etiam maior pars meorum, Giess., Helmst., IV Guelf., margo Bersm., edd. Venn., al. Glossator supra *mater* adscripsit *es* (ut vere est in Guelf. 1.) et inde orta varietas. *Es* noli desiderare. Conf. Pont. III, 1, 48., Metam. II, 168., VIII, 255. *Illius* vid. Epist. XVIII, 107. et passim. Vulg.: *Illius, de quo mater es, uxor eris.*

64. *Et positum.* Balliolensis: *Depositumque,* ut Phaedr. I, 18.

Quid tibi grataris? Media sedet Aeolus aula;
  Crimina sunt oculis surripienda patris.
Frondibus infantem ramisque albentis olivae
  Et levibus vittis sedula celat anus;
Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba;
  Dat populus sacris, dat pater ipse viam.
Iam prope limen erat; patrias vagitus ad aures
  Venit, et indicio proditur ille suo.

Onus naturae melius quo deponeret —

ubi vid. quae notavimus; et ita Graecos uti v. ἀποτίθημι docuit H. Steph. ad Callim. Hym. in Iov. 15. et in Dian. 25. *Burm.*

67. *Frondibus. Frugibus,* quod ex Put. recepit Heinsius, cum antea *frondibus* legeretur, ipse de mola salsa iubet accipi. Sed nescio an far tostum et sale sparsum res fuerit ad occultandum infantem minus idonea. Quidni *fruges* intelligamus *spicas? Serta spicea* deae Cereri offerri solita. Vid. Metam. X, 433., Tib. I, 1, 16. Ceterum vix dubito, quin totus hic locus ex Eurip. Aeolo fuerit adumbratus. *Lenn. Frugibus* exhibet etiam Scal., Erf. et Victor. Sed omnino cum Iahno revocandum est *frondibus*; non enim apparet, cur potius cum paucissimis illis scribamus *frugibus,* quam cum reliquis plurimis et vett. edd. *frondibus,* in hac praesertim, quae *fruges* innuantur, obscuritate. Nam propter *tautologiam* verborum *frondibus* et *ramis* cum Heinsio hanc scripturam suspectam habere, vetat tum omnino harum vocum diversa vis atque significatio et, de qua saepe iam diximus, copia Ovidii, tum loci, quales sunt Metam. IV, 745.

Percepitque novum ramis et fronde rigorem —

et 637.

Arboreae frondes, auro radiante virentes,
Ex auro ramos etc. —

ibid. I, 550.

In frondem crines, in ramos brachia crescunt.

Vid. Epist. XV, 151., Fast. II, 25. 26. Virg. Georg. II, 55.

Nunc altae frondes et rami matris opacant.

Eandem l. tuetur Werf. l. l. p. 554. et Heusinger, qui recte ait: *Est quasi dixeris ramis frondentibus olivae,* laudans Virg. A. VII, 751. Neque in coniunctione verborum *frondibus, ramis, levibus vittis* haerendum. Fast. IV, 737.

Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis,
  Et tegat ornatas longa corona fores.

Quanquam *vittae* h. l. non videntur esse coronae, sed infulae laneae, quibus rami oleagini in sacris circumvolvebantur, quo ducit etiam illud *levibus.* Vid. Heyn. ad Virg. A. VIII, 128. et supra ad Epist. VII, 100. Ceterum elegantissima est (67—70.) sacra simulantis aniculae imago.

70. *Dat populus.* Lov.: *Dant populi*; alter Ment. et Francof.: *Dant populus.*

Eripit infantem mentitaque sacra revelat
  Aeolus; insana regia voce sonat.
Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura,
  Ut quatitur tepido fraxina virga Noto;
Sic mea vibrari pallentia membra videres:
  Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit, et nostrum vulgat clamore pudorem,
  Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil praeter lacrimas pudibunda profudi:
  Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Iamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
  Iusserat in solis destituique locis:

72. *Proditur ille.* Mss. Heinsii (?): *ipse*, quod probat Heinsius et nuper dederunt Heusinger et Iahn. Mihi placet vulgata *ille*, quam veteres edd. et mei codd. praeter Guelf. 1. et Helmst. (?) omnes, unde coniicere licet de Heinsianis, tuentur, eaque optimum habet sensum. Vid. Epist. II, 20.

74. *Insana — sonat.* Bas.: *tonat*, quod probant Burmannus et Lennep, ut irae regiae convenientius. Sed vid. ad Epist. XIX, 81. *Insana*, insanientis, furentis Aeoli.

76. *Tepido.* Recte. Vid. Amor. I, 4, 12., 7, 56., II, 8, 20., II, 11, 10. ex mss. Conf. Pont. IV, 10, 43.

At Notus adverso tepidum qui spirat ab axe.

Alii *trepido*; vid. quae noto ad Met. III, 125.; Gronov.: *rapido*, ut Fast. III, 588.; Lovan. et III alii *tremulo*. Heins. Ad sensum quidem aptius, et concinnius videtur *trepido*, qui trepidare, tremere facit, quod etiam egregie respondet vocibus *tenui* et *tremulum* versus praecedentis. Conf. tamen Epist. XIV, 40. *Tepidus* autem *Notus*, quia spirat a meridie. *Fraxina* pro *fraxinea* rarissima forma. Vid. ad Epist. XVIII, 2.

77. *Pallentia.* Heinsio et Schlichtenhorstio scribendum videbatur: *pallentis*, ut Epist. V, 45.; sed ad sensum aptissima est l. *pallentia* et ποιητικωτέρα. Unus Reg.: *Sic mihi vibrari.*

78. *Imposito.* Burmannus Sec. ad Prop. II, 22, 35. sententiae loci aptius fore putabat:

Quassus ab adtonito pectore lectus erat.

Sed cur h. l. a vulgata l. recedamus, caussam ego nullam video. Sensus est: Adeo quatiebar tremore, ut simul etiam inde quateretur lectus, in quo iacebam, aliis verbis, cui *impositum* meum corpus erat. Lenn. Vid. Amor. III, 14, 26. Nonnulli codd. Heins.: *Pressus*; Gron.: *pectore.*

79. *Pudorem,* dedecus.

80. *A misero.* Francius malebat: *a miserae*, quod minime opus est. Subaudi e. v. praecedente *nostro.*

82. *Gelido—metu.* Put. et alter Mor.: *gelida — manu.*

Vagitus dedit ille miser — sensisse putares —
  Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credis, germane, fuisse; —
  Nam potes ex animo colligere ipse tuo —
Cum mea me coram silvas inimicus in altas
  Viscera montanis ferret edenda lupis?
Exierat thalamo; tunc demum pectora plangi
  Contigit, inque meas unguibus ire genas.
Interea patrius vultu moerente satelles
  Venit, et indignos edidit ore sonos:
„Aeolus hunc ensem mittit tibi“, — tradidit ensem —
  „Et iubet ex merito scire, quid iste velit.“

83. *Canibusque avibusque.* Vid. ad Epist. X, 123.

85. *Vagitus etc.* Eodem modo Fast. II, 405.

Vagierunt clamore pari; sentire putares.

87. *Credis.* Loco l. Burmannianae *credas* Iahn recte revocavit *credis* cum veteribus libris, quo ducit etiam versus sequens: *Quid credis? namque potes ex te ipso colligere.* Vid. ad Epist. IX, 29., III, 40., XX, 46. Versu seq. Mic. et margo Bersm.: *Tu* loco *Nam;* Farnes.: *concipere.*

91. *Plangi.* Put., alter Moreti cum Erfurt. (Dresd., Goth. 1., Giess.): *plangi,* pro reliquorum libb. lectione *planxi.* Probe. Strozzae: *plango.* Nonnulli: *denique;* ut Epist. XII, 105. — Epist. XV, 113.

— nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.
Heins.

De sententia conf. Epist. X, 43.

92. *Genas. Comas* excerpta Gallic. et plurimi alii. Utrumque defendi potest. Amor. III, 6.

Ungue notata comas, ungue notata genas.

Claudian. in Eutrop. 19. *Secat ungue genas;* Stat. Theb. X, 812.; et Achill. I, 7. *Orabat laniata genas,* ubi quidam codd.: *comas.* Eadem varietas est Epist. V, 72. et Claudian. Rapt. III, 177., Sil. III, 560. Val. Flacc. III, 313. *laceras comas.* *Heins.* *Genas* praeferrem, quia rectius dicitur *ire unguibus in genas,* quam *in comas.* Vid. ad Epist. V, 72. *Burm.*

93. *Interea etc.* Nullus dubito, quin omnia haec Ovidius sumserit e tragoedia, quam Euripides, Ἐρωτικὸς ἀνήρ, ut vocat Plutarch. apud Stob., *Aeolum* inscripserat, cuius fragmenta ad nos pervenerunt, apud Barnes. p. 444.; et amplissime illustrata sunt a Valkenaer. Bis meminit Comicus, Nub. 1374. et Ran. 874. *Amar.* Vid. Lenn. ad v. 5. in fine huius Epist.

94. *Edidit ore.* Unus Medic. et Helmstad.: *prodidit.* Versu superiore Put.: *patruus.*

95. *Aeolus etc.* Leid.: *Aeolus hunc, dixit, per me tibi tradidit ensem.*

99. *Donas.* Apostrophe et exclamatio dolentis simul et

Scimus, et utemur violento fortiter ense;
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenaee, maritas,
Et fuge turbato tecta nefanda pede;
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
Ut meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices Parca meliore sorores;
Admissi memores sed tamen este mei.

indignantis. *Crof.* Dubitat Burmannus, an Latine dicatur *connubia donare muneribus*, aut sit pro Ovidiana elegantia. *Munere donare aliquem* dicitur. Virg. A. V, 282.

Sergestum Aeneas promisso munere donat.

Quidni igitur etiam *mea connubia, me nuptam muneribus donare?* Quod autem ipse proposuit *dotas*, paullo ieiunius dictum videtur, contra *donas* aptissime; ut post generaliora *his m.* — — *donas* sequantur specialia *Hac dote.* Eodem modo verbum *donas* frustra tentavit Burmann. Art. A. II, 261.

101. *Tolle procul decepte.* H. e., abi hinc, Hymenaee decepte, i. e., qui tanquam ad felices nuptias veneras cum tuis, h. e. nuptialibus ac felicibus taedis, et succedant Erinnyes cum atris et feralibus facibus, quia hic circa mortem et funus laboramus, non circa nuptias aut res felices. *Burm.* *Tolle precor* Mentel. 1. *Heins.* De Hymenaeo et Erinn. conf. Epist. XXI, 157.

103. *Atrae.* Mallem *atras,* ut *infaustas* dixit Epist. VI, 46., *nigras* Stat. Theb. IV, 133., *atras* Virg. A. X, 77. et Lucan. II, 301. *Furias* tamen ipsas *μελαίνας* vocat Aesch. Agam. 470., quo alludit Cic. in Vatin. 13. *Burm.* Probum est *atrae. Atras* autem Furias dici, non opus erat exemplis docere, cùm omnia, quae inferorum sunt, *atra, nigra* appellentur.

105. *Parca meliore,* h. e. fato meliore; Parcae enim fata hominis, *mortalia fila,* ut Ov. Epist. XII, 3. canit, ducebant vel nebant. Similiter Prop. III, 19, 25.

At vos, innuptae, felicius urite taedas.

Palat.: *pacto meliore. Meliore,* feliciore, magis fausto. Val. Flacc. II, 152., VI, 84. Senec. Theb. 25. *melior fortuna.*

106. *Admissi. Amissae memores* Guelf. 1., Put. et alii quidam codd. Heins., probante Gronovio ad Senec. Med. 555., sive quod ei displicebant repetitiones istae v. 106. *Admissi memores etc.,* v. 107. *Quid puer admisit etc.,* v. 110. *Ah miser admisso etc.,* sive quod melius cohaerere censebat: *Nubite felices P. m. s.*; *sed* (quamvis ipsae felices) *tamen este memores amissae mei,* quam: *Nubite felices etc.; sed* (ut sitis felices) *ta-*

Quid puer admisit tam paucis editus horis?
Quo laesit facto vix bene natus avum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur:
Ah miser admisso plectitur ille meo!
Nate, dolor matris, rapidarum praeda ferarum,
Hei mihi, natali dilacerate tuo;
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris,
Haec tibi prima dies, haec tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrimis perfundere iustis;
In tua non tonsas ferre sepulcra comas;
Non superincubui, non oscula frigida carpsi;
Diripiunt avidae viscera nostra ferae.
Ipsa quoque infantis cum vulnere prosequar umbras,
Nec mater fuero dicta, nec orba diu.

men este memores admissi mei, in quo paene molestum est illud *tamen*. At fatendum, a l. *admissi mei* prorsus pendere sequentem illam, tenerrimi affectus plenam, exclamationem: *Quid puer admisit*, et hinc vulgatam etiam tuitus est Schroder in Obss. Misc. Vol. VI. T. III. p. 534. *Lenn.* De particc. *sed tamen* sic liberius, tertio loco, positis conf. Epist. XVII, 184.

107. *Quid puer admisit.* Tralatitia declamatorum et poetarum in excitanda misericordia sententia, de qua vid. Lutatium et Barth. ad Stat. Theb. II, 305. Et hic quoque Moreti cod.: *proditus*, quo verbo saepe noster de partu utitur. *Burm.* Hi versus et qui sequuntur ad v. usque 124. ex animo vere materno effluunt, nullo apparatu, ambitione nulla infucati; et quod apud Nasonem rarius, nullus hic poetae locus; totum mater occupat. — Conf. Lucan. Pharsal. II, 108. *Amar.*

111. *Rapidarum.* Et hic *rabidarum* Pal. et pauci alii Heins. (vid. var. l.); alii Heins.: *trepidarum.* Vid. ad Epist. X, 96. Mox *dilacerande* malebat Broukhus. Male, ut docent, quae statim sequuntur.

116. *Non tonsas.* Construe: *Non licuit tondere comas et* (tonsas) *ferre in tua sepulcra.* Mos autem *capillos* in rogum mortuorum ferendi vel ex Homero notus est (Il. XXIII, 141. sqq.). Conf. Metam. XIII, 427. et vid. Burm. ad Propert. I, 7, 21. et Kirchmann. de Re Funebr. Rom. II, 15.

117. *Carpsi.* Argent.: *fixi*; alii Heinsiani: *sumsi*; alii: *iunxi.* Ad sensum omnia non mala, et usu probata. Vid. Heins. ad Epiced. Drus. 95. Plurimi tamen codd. cum vett. edd.: *carpsi.*

119. *Infantis umbras.* Heinsius ad Epist. IX, 86. ex optimis, ut ipse quidem dicit, codd. scripsit, quod nunc vulgo edi-

Tu tamen, o frustra miserae sperate sorori,
Sparsa, precor, nati collige membra tui;
Et refer ad matrem socioque impone sepulcro,
Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.
Vive memor nostri, lacrimasque in vulnera funde,
Neve reformida corpus amantis amans.

tur: *infantes umbras*, loco veteris scripturae: *infantis umbras*, scriptoresque ita loqui multis ostendit exemplis. Sed quod ita dici potest, non satis caussae nobis esse debet, cur hoc quoque loco vel invitis omnibus libb. ita scribendum esse putemus. Quare cum Iahno revocavi *infantis*, quod aptius etiam est ad *mater* versus sequentis. Ceterum eam locutionem Heinsius in deliciis habebat, ideoque non semel sanam et vetustatis auctoritate probatam scripturam sollicitavit. Vid. ad Epist. VII, 145. et Heins. ad Metam. IX, 803. *Prosequar* Put. et alii meliores Heins. et maior pars meorum (vid. var. l.), quod est *sequar*, *comitabor*, ut Epist. XVII, 245., Amor. I, 4, 62. (vid. Bentl. ad Hor. Sat. I, 9, 16.), et inprimis de funeribus usurpatur. Trist. I, 7, 14., Senec. Epist. 30., Apulei. saepius. *Cum vulnere*, sc. mihi illato. Douzae cod.: *infaustas*.

122. *Nati.* Cur Heusinger contra codd. dederit *gnati*, equidem non video. *Sparsa*, sc. a feris. V. 83. 90. 118.

124. *Quamlibet arcta*, ut Trist. III, 3, 65.

Ossa tamen facito parva referantur in urna.

Eodem modo iam apud Homerum Achilles eadem, qua Patroclus amicus, urna componi cupit. Iliad. XXIII, 243.

125. *In vulnera funde.* Vulgata et multi codd.: *in funere*; margo Bersm. et edd. Vinc. et Col.: *in funera*; Put. et multi alii ab Heinsio inspecti, et e meis Trev., Erf., Goth. 1. et 2. et Guelf. 3.: *in vulnere*; Excerpta Douzae, Guelf. 4. et Giess.: *in vulnera*. Sed *in funere* et *in funera* glossae videntur serioris manus; nam versus sequens *Neve reformida corpus a. a.* poscere videtur aut *in vulnere* aut *in vulnera*. Iam exempla constructionis verbi *fundere* cum *in* et ablat., quamvis ita componantur participia *fusus* et *effusus*, sunt rarissima. Quare cum Heinsio scripsimus *in vulnera*, ut nunc etiam legitur Metam. XIII, 490., quanquam sing. *in vulnere* et hoc loco et illo Metam. aptissimus est; propterea quod illic saepius et h. l. v. 119. *vulnus* numero sing. praecessit. *In vulnera* autem dictum est cum vi pro *in funus*, ut mors sibi ipsi propter amorem fratris illata innuatur. Imago autem illa fundendi lacrimas in vulnera passim. Met. IV, 140., Pont. IV, 11, 4., Lucan. VIII, 727., IX, 55., Stat. Theb. VIII, 654., III, 131., Art. A. III, 744., al., quos locos laudavit Heinsius. Heusinger et Iahn: *in vulnere*.

Tu, rogo, proiectae nimium mandata sororis
Perfice; mandatis perfruar ipsa patris.

128. *Mandatis perfruar.* Naug. in quibusdam vett. libris legebat: *mandatum persequar;* idem exhibet liber Scaligeri, Gron. et a m. sec. (nam vetus l. erat erasa) Put. et interpretatio Planudis; Helmst. et margo Bersm., quod illam scripturam confirmat: *prosequar;* reliqui omnes cum vulgata et vett. edd.: *mandatis perfruar.* De hoc loco Van Lennep haec habet: „Assentior Heinsio, totum hoc distichon adulterinum censenti. Quippe et friget post antecedentia illa: *Vive memor nostri etc.* et colorem dictionis habet minime Ovidianum. *Perfer mandata,* quo significatu ponitur h. l., ne Latinum quidem puto. Nam in Plinii loco H. N. XVIII, 3.: *ut perferam Senatus populique Romani mandata,* non est, ut Burm. ad h. l. volebat, *perferam* dictum pro *exsequar,* sed vulgari sensu pro *ut ad te perferam accepta a Senatu mandata.* Probabilius certe, ut in cod. Gottorp. exstat, utque Schlichtenhorst coniecerat, pro *Perfer* legeretur hic *Perfice,* sicut etiam in pentam. pro *mandatis perfruar,* quod et per se insolens et hic etiam multo magis est incommodum, quia *frui* ad secundas res pertinet, e codd. Naug., Put., Gron. melius legeretur *mandatum persequar:* quod tamen ipsum quin librario, quamvis non inepto, debeatur, equidem nullus dubito. Erat enim in Put. totum distichon a sec. m., priscae lectionis vestigiis penitus sublatis.“ — *Perfice* et nos cum Schlichtenhorstio, Heusing. et cod. Gottorp., quod etiam pro glossa exstat in cod. Trev., verum censemus, et lectionem vulgatam et reliquorum librorum: *mandata perfer,* antiquissimis iam temporibus a librariis, qui non intellecto loci sensu de vulgari illo *mandata perferre alicui* cogitarent, esse novatam. Quanquam erit fortasse, qui illud *perfer* esse putet pro *sustine, vince animum, ut perficias,* et respicere ad illud *mandatis perfruar.* Nam illud *mandatis perfruar* minime urgendum, quod sarcastice, ut vocant, dictum est, et a poeta e Graeco more dicendi ad Latinos videtur esse translatum. Eodem enim modo locutus est Hom. Il. XX, 258.

Γευσόμεθ' ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.

et Sophocl. in Trachin. v. 1095.

Ἄλλων τε μόχθων μυρίων ἐγευσάμην.

Atque eam scripturam praeter librorum plurimorum auctoritatem etiam confirmare illud videtur, quod probabilius est, insolentiorem vocem magis usitatae, quod saepe factum constat, per librarios locum suum concedere debuisse. Pluralis autem *mandatis* respondet plurali *mandata* versus praecedentis. Atque ita meo quidem sensui distichon hoc, quod ad sententiam convenientissimum ac prope necessarium est, quum sine eo Epistola fine careat aptaque conclusione, ne ad verba quidem quod attinet, ab elegantia atque ratione Ovidii abhorrere videtur. Ne-

que omnino tam prompte aliquid pro supposito ac falso iudicare licet; quid enim veteribus scriptis fiat, si codicum et edd. consensum ita vocare in suspicionem velimus? Conf. Epist. VIII, 106. *Dilectae nimium*, quod e Guelf. 1. dedit C. Heusinger, certe glossema est.

Lennepii annotatio ad Epist. XI, 5.

Cum tres a veteribus memorentur Aeoli, primus Hellenis filius, alter Hippota, superioris Aeoli nepote, genitus, tertius Neptuno ortus et Arne, Aeoli Hippotadae filia (vid. Diod. Sic. IV, 67. et Eustath. ad Hom. Od. X. p. 1644.), quaeritur, quemnam ex his parentem, Aeolis etiam hic vocata, Canace habuerit. Diserte quidem inter Aeoli, Thessaliae regis, Hellene prognati, filias ab Apollodoro I, 7, 3. 4. recenseri etiam Canacen videmus: at non item inter eiusdem filios Macareum. Porro illam Canacen Neptuno quinque filios peperisse idem auctor §. 4. scribit. Conf. et Callim. H. in Cer. 100. Itaque apud nostrum h. l. potius altera induci videtur, eaque iunior. Nam remota, non proxima ab Iove origo indicatur in huius Ep. v. 17. et 18.

> Quid iuvat admotam per avorum nomina coelo
> Inter cognatos posse referre Iovem?

Atqui primi illius Aeoli filia non per longam valde avorum seriem admota coelo, sed ipsa erat tertia ab Iove, cuius filius ferebatur Hellen, Aeoli pater. Vid. Apollod. et Eustath. locis l. Quod vero nostrae Canaces patrem eundem ventorum regem Ovidius in h. Ep. facit, illum vero regem ventorum *Hippotaden*, Homeri exemplo in Od. X, 2., diserte idem vocat Met. XI, 431., XIV, 223. et alibi (etsi numquam in h. Ep.), illud non statim rem expeditam reddit. Nam Hippotades aeque dici potest Hippotae pronepos ac filius, ut Aeacides aeque Pyrrhus audit ac Peleus. Nec sane ab omnibus auctoribus eidem Aeolo defertur regnum ventorum. Diod. Sic. loco c. tertium Aeolum, Arne et Neptuno genitum, maris Tyrrheni insulas, Aeolidas de nomine suo dictas, occupasse urbemque ibi Liparen exstruxisse scribit. Idem vero, lib. V. c. 7., tamquam sui oblitus, *Αἴολον τὸν Ἱππότε*, Hippotae filium, Liparae appulsum, Cyanen, Liparo rege insulae prognatam, uxorem

duxisse et postea regnum insulae obtinuisse tradit; hunc vero esse, ad quem venerit Ulixes. Ventorum regem *Αἴολον Ἱππότεω παῖδα κλυτὸν* vocat etiam Apollonius Rh. IV, 778., nec de alio cogitavit Tzetzes ad Lycophr. 738. Contra ad tertium Aeolum, pronepotem Hippotae, Ulixem venisse Eustathio teste l. c. Asclepiades (Myrleanus, ut videtur, *ἐν τῷ ὑπομνήματι τῆς Ὀδυσσείας*, vid. Etymol. M. in voce *ὀρναῖος*) tradiderat. Servius autem, ad Virg. Aen. I, 52. post Aeoli mentionem factam, *poetae quidem*, inquit, *hunc ventorum esse regem fingunt. Hippotae, sive Iovis, sive Neptuni filium:* (Iovis filium nemo, ut puto, tradiderat, sed, filio Iovis, Hellene ortum nonnulli.) *Qui, cum immineret bellum, quo Tyrrhenus, Lipari frater, Peloponnesum vastare proposuisset, missus ab Agamemnone, ut freta tueretur, pervenit ad Liparum, qui supra dictas insulas regebat imperio, factaque amicitia Cyanam filiam eius in matrimonio sumsit, et Strongylam insulam, in qua maneret, accepit.* Idem vero Servius ad Aen. I, 75. *Canacen et Macareum, in se invicem turpissimos fratres, non huius, sed alterius Aeoli filios* fuisse, narrari perhibet. Diodorus quoque V. c. 8. Aeoli, Cyanes mariti, sex numero filios recensens, nullum in his locum tribuit Macareo. Hunc vero Aeoli (sed cuius?) et Amphitheae, non Cyanes filium prodiderat Sostratus, secundo rerum Tyrrhenicarum, memoratus a Pseudoplutarcho *Περὶ παραλλήλων Ἑλληνικῶν* 28. et Stobaeo Serm. LXII. p. 404. *Αἴολος* (ita quidem Pseudoplut.) *τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν βασιλεύς, ἔσχεν ἐξ Ἀμφιθέας θυγατέρας ἕξ, καὶ ἴσους ἄῤῥενας. Μακαρεὺς δὲ ὁ νεώτατος* (*πρεσβύτατος* dicitur Stobaeo) *ἔρωτι ἔφθειρε μίαν·* (diserte Canacen nominat Stobaeus) *ἡ δὲ παιδίον ἐκύησεν· ἐμπεσοῦσα δὲ καὶ ξίφους πεμφθέντος ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ἄνομον κρίνασα, ἑαυτὴν διεχρήσατο, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Μακαρεύς· ὡς Σώστρατος ἐν δευτέρῳ Τυῤῥηνικῶν.* Hinc restitue, quae de puerperio et morte Canaces ex eodem auctore adnotata a Stobaeo temporum iniuria interciderunt. Verba autem illa *ξίφους π. ὑ. τ. π. ἄνομον κρίνασα* recte expressisse videtur Beroaldus ad Sueton. Ner. c. 21. hoc modo: *Pater itaque filiae mittit ensem, quo accepto illa rem flagitiosam intelligens etc.*, conspirantibus Ovidianis h. Epist. v. 95. et seqq. In numero liberorum Aeoli consentientem cum Homero Sostratum videmus, quod eo magis notandum, quoniam in reli-

qua historia non eum, sed alios (eosdem, ut videtur, quos Ovidius) auctores sequitur. Nam apud Homerum quidem ipse Aeolus filias suas uxores dedisse filiis narratur, Od. X, 5., etsi id ipsum occasionem praebuisse alteri illi traditioni de incestu potest, nescio an primum ab Euripide vulgatae, cuius hoc argumento tragoedia fuit, Aeolus, haud semel illa ab Aristophane notata (vid. eius Nubes 1374., Ranas 874. et utroque loco Scholia): quam et Latine conversam fuisse verosimile est ex Suetonii Nerone loco c. et Ovidio II. Trist. 384. Haec Euripidis tragoedia si exstaret, etiam de genere et parentibus Canaces aliquanto, quam nunc, certiora teneremus. Fuit et Antiphanis fabula *Aeolus*, unde fragmenta protulit Athenaeus X. p. 444. et XI. p. 552. *Lenn.* Vid. annot. ad Epist. X, 69. et Gierig. ad Ovid. Metam. VIII, 120.



EPISTOLA XII.

MEDEA IASONI.

Quum Iason cum reliquis Argonautis Colchida attigisset, aureum vellus ablaturus, a Medea, Aeetae Colchorum regis filia, amatus est, quae pacto coniugio veneficiis eum adiuvit, ut iussam praedam consequeretur. Qua potitus cum ea clam aufugit. Quum autem Aeetes fugientes insequeretur, Medea Absyrtum fratrem, quem secum abduxerat, occidit membraque eius dispersit, quo patrem reliquias filii legentem moraretur; atque ita incolumes in Thessaliam pervenerunt. Sed postea Iason Creusae vel Glaucae, Creontis Corinthiorum regis filiae, amore captus est Colchamque, ut illam uxorem duceret, repudiavit. Cum igitur nova sponsa iam deduceretur, Medea Iasonis domo cessit et primo statim repudii dolore atque ira hanc ei scripsit Epistolam. — Apollod. I., Hygin. F. 21—25., Euripid. et Senec. in Med., Diod. Sic. IV., Ael. Var. Hist. V, 21., Apollon. Rh. et Val. Flacc. Argonaut.

At tibi Colchorum, memini, regina vacavi,
 Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.

1. Initio huius Epistolae rursus audiamus ingenia correctorum:

> Exul, inops, contemta novo Medea marito
> Dicit: an a (ed. Bersm. et Mic. *et an*) regnis tempora nulla vacant?

Et hactenus quidem utcunque erant ferendi, nunc nimis impudenter ineptiunt. Praeterea *At tibi* Put. cum aliis nonnullis (etiam nonnulli e meis et edd. Venn., Mic. et Bersm. *L.*) pro vulgata *Ut tibi.* Optime. Ita enim indignantes aut mirantes exordiebantur plerumque. Amor. III, 7, 1.

> At non formosa est, at non bene culta puella;
> At puto non votis saepe petita meis?

In Metam. saepe, ut VIII, 279., X, 725., XII, 367., Fast. II, 395., Horat. Epod. 5., ubi vid. Torrent., Virg. Aen. II, 535., ubi Servius notat, principium esse increpationi aptum. Propert. II, 17, 1. Ita et Graeci indignantes ab ἀλλὰ incipiebant. *Heins.* De particula *at* hac significatione vid. Ruhnk. Dict. in Terent. Andr. IV, 1, 42. et quos ille laudat, Donat. ad eundem locum et Gronov. ad Iustin. XIV, 4. *At tibi, licet Colhorum regina essem, inservii, operam tibi meam praestiti, vacavi.*

2. *Ars mea,* sc. magica, veneficia mea.

3. *Fata. Facta* Put. et alii nonnulli. Frustra. At Scaligeri

Tunc, quae dispensant mortalia fata, sorores
  Debuerant fusos evoluisse meos;
Tunc potui Medea mori bene: quidquid ab illo
  Produxi vitae tempore, poena fuit.
Hei mihi, cur unquam, iuvenilibus acta lacertis,
  Phryxeam petiit Pelias arbor ovem?

Excerpta cum multis nostris *fila*; quod verum est. Eleg. in Obit. Maecen.:

> Nestoris annosi vixisses saecula, si me
> Dispensata tibi stamina nente forent.

De filis Parcarum res protrita. Epist. Sab. I, 39., Virg. Aen. X, 814., Metam. II, 654., Epist. XV, 82., Sil. Ital. IV, 28. al. *Heins.*

Vera est lectio, a Iahno revocata, *fata,* quae in plurimis exstat codd., et veteribus edd., et aptior est sententiae, novam quippe adiungens notionem. Conf. omnino Epist. XV, 81. 82. *Evolvere* ex sententiae ratione interpretatur Forcellinus: *volvere usquedum omni filo spolientur*, quod proprie fere idem est, quod *devolvere* sc. *fila fusis,* pro quo poeta dicit *fusos,* ut Virg. Cir. 446. De eadem re est Metam. II, 654. *resolvere; dissolvere* Tibull. I, 7, 2.; Virg. Georg. IV, 349. *devolvere*. *Sorores* pro Parcis passim, Epist. XV, 81.; quae fuere tres Clotho, Lachesis, Atropos, de quarum munere vid. Hesiod. Theog. 217. 904., Scut. Herc. 258., Hom. Il. XX, 128., XXIV, 209., Hyg. F. 171., Apollod. I. Vid. Manso Versuch über mythol. Gegenstände p. 491. sqq.

5. *Bene,* sine culpa, honeste.

6. *Vitae. Vitam* Put. et alii multi. Nil muto. *Heins.*

7. *Hei mihi.* Ex Euripidis Medea haec sunt, v. 1. sqq.

> *Εἴθ᾽ ὤφελ᾽ Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος,*
> *Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας Συμπληγάδας,*
> *Μήδ᾽ ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε*
> *Τμηθεῖσα πεύκη, μήδ᾽ ἐρετμῶσαι χέρας*
> *Ἀνδρῶν ἀρίστων etc.* Mic.

Quae verbatim Ennius in suam fabulam transtulit. Vid. Auctor ad Herenn. II, 22. et Priscian. de Versibus Comicis p. 1325. 15. Eundem locum in suum usum convertit Phaedr. IV, 6. Ita pleraque Latina carmina e Graecis fontibus manarunt, aut certe colorem duxerunt. Sed Ovidius plerumque imitari solet libere et ingeniose, non, ut alii, serviliter ac ieiune.

8. *Pelias arbor,* h. e. arbor montis Pelii; nam *Argo* navis e ligno in Thessaliae, quae Iasonis patria fuit (Diod. Sic. IV, 4.), monte Pelio (de quo vid. Plin. H. N. IV, 8.) caeso fabricata erat. *Phryxeam,* quam Phryxus in Colchidem attulerat. Hyg. F. 2. et 3. *Ovem* intellige *vellus*; aries enim ipse (nam *ovis* hoc loco nomen generis est) inter sidera translatus erat. Hyg. Poet. Astron. II, 20. Conf. F. 133.

9. *Magnetida Argo. Magnetis*

Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argo;
  Turbaque Phasiacam Graia bibistis aquam?
Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli,
  Et decor, et linguae gratia ficta tuae? —
At semel in nostras quoniam nova puppis arenas
  Venerat, audaces attuleratque viros;

i. q. *Pelias* v. 8. *Magnetes* enim, unde adiectivum fem. gen. *Magnetis*, sunt incolae Magnesiae, quae est regio annexa Thessaliae. Plin. H. N. IV, 9. *Argon* omnes fere codd., et edd. Venn. et Mic. pro vulg.: *Argo*, quae quidem forma nescio quid Graecum prae se fert, quod noster in nominibus propriis adamat. Vid. ad Epist. VII, 7. et VI, 65. Ceterum poeta, ut saepe, doctrinam suam ostentat.

10. *Phasiacam*. Phasis est fluvius Colchidis, qui se in Pontum Euxinum effundit. Vid. ad Epist. VI, 103. *Turbam* recte dicit Argonautas; magnus enim fuit Argonautarum numerus. Hyg. F. 14., Apollod. I., Val. Flacc. I, 353. Vid. Gruber Wörterbuch der Mythol. Vol. I. p. 390. sqq.

13. *At*. Lectio *Aut*, quam Heinsius e Put. et pluribus aliis suis codd. et edd. Bas., Mic. et Bersm. recepit, et eadem ferri potest (vid. Epist. XX, 53.); sed tamen vulgata non mutanda. Coniungendus autem hic versus videtur cum vv. 7—10.; ut versus 11. et 12. intelligatur ex libertate poetae quasi adiectos esse ad sensum primarium versuum 7–10., ad quem v. 13. redeat; ut sensus sit: *Nunquam in Colchida venire debuisset* (nam interrogatio esse potest pro negatione); *at, quoniam semel venerat; isset etc.* (*doch, weil er einmal gekommen war, hätte er gehen sollen etc.*). Vid. ad Epist. X, 112. De hac significatione plusquamperfecti coni., ubi nos dicimus *müssen, können, sollen*, protrita res est. Metam. XV, 99. et 637.

Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses,
Et pete nunc propiore loco.

Epist. X, 77. 112., Ruhnk. ad Terent. Phorm. II, 1, 67. Werfer l. l. p. 557. locum transposuit, sic.: 7. 8. 9. 10. 13. 14. 11. 12. — 15. 16. paullo audacius, propter librorum nimirum in vulgata scriptura consensum. —

Nova. Vel revera *nova*, vel admiranda. Ciof. Poetae nostro revera *nova* est, id quod firmat v. 23., Epist. XVI, 345., Trist. III, 9, 18., Pont. III, 1, 1., Amor. I, 15, 21. et inprimis Metam. VI, 720. 721.

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
Per mare non motum prima petiere carina —

et Amor. II, 11, 2. Eodem ducit illud *audaces* versus sequentis. Conf. tamen Plin. H. N. VII, 56., Diod. Sic. IV, 41. et Winkelm. Hist. Art. p. 23. ed. Vienn. et Tzetz. in Lycophr. v. 883.

15. Vid. infra v. 39. et Metam. VII, 98. sqq., ubi eadem res

Isset anhelatos non praemedicatus in ignes
  Immemor Aesonides, oraque adunca boum;
Semina iecisset, totidem sumsisset et hostes,
  Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
Quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset!
  Demta forent capiti quam mala multa meo!
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
  Hac fruar; haec de te gaudia sola feram.

pluribus narratur. Conf. Apollon. III, 1298. *Praemedicatus*, sc. *herbis incantatis.* Met. I. I. 98. 116. Conf. infra v. 97. Mei codd. omnes et edd. Venn., Col., Mic., Bersm., etiam interpretatio Graeca Planudis tuentur *praemeditatus*, quae l. ferri non potest, et orta videtur ex ductuum literarum *c* et *t* apud veteres similitudine.

16. *Immemor*, non a me doctus. Pro *adunca* cod. Goth. sec. *adusta*, quod fluxisse videtur e v. 44.

17. *Semina iecisset, totidem sumsisset et hostes.* Put.: *Semina sensisset, totidemque et semina et hostes.* Sed *sensisset* a m. sec., veteri l. extrita; opinor *sevisset* fuisse. Deinde *seminat hostes* altera manu erat correctum. Helmstad. pro diversa l.: *totidem quot semina et hostes*; melioris notae plerique: *Semina sensisset totidem, quod seminat hostes.* Simpliciter rescribo: *Semina iecisset, totidem iecisset et hostes.* Supra posterius *sevisset* glossa fuit adscripta *quot semina,* quae in Puteanei codicis contextum postea irrepsit. *Iacere* pro *serere* Fast. II, 662. et 519., Met. V, 485. Posset et legi: *Semina sevisset, totidem sevisset et hostes*, vel: *Semina quot iaceret, totidem sensisset et hostes.* HEINS. Mihi placet, ut dedit Heinsius: *Semina iecisset, totidem sensisset et hostes. Sentire* autem illos dicimus, a quibus clades et damnum accipimus. Vid. Epist. IX, 46. et ad Petron. c. 139. (Vid. ad Epist. VI, 154.) BURM. Plurimi codd. (vid. var. l.) et veteres edd. cum vulgata:

Semina iecisset, totidem sumsisset et hostes —

quam l. infestare non licebat, et Iahn recte revocavit, et confirmatur eadem sequentibus: *Ut caderet etc.*, quae parum apta essent ad *sensisset. Sumere* autem esse verbum militare et in certaminibus solemne, docet Casaub. ad Sueton. Caes. c. 40. Conf. in Sallust. Fragm. c. 34. et Petron. c. 122., Freinsheim. Indic. in Flor. et Ernest. indic. in Ciceronem. De re conf. Metam. VII, 121. Nimirum partem dentium serpentis illius, quem Cadmus interfecerat (Hyg. F. 178., Metam. III. init.), Aeetae dederat Minerva. Apollon. III, 1183., Apollod. I., Tzetz. in Lycophr. p. 36.

18. *Ut.* Heusinger dedit *Et;* sine iusta caussa. Vid. ad Epist. XIX, 67.

21. Ingeniosa ad narrationem, quae iam sequitur, transitio.

Iussus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intrasti patriae regna beata meae.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est;
Quam pater est illi, tam mihi dives erat:
Hic Ephyren bimarem; Scythia tenus ille nivosa
Omne tenet, Ponti qua plaga laeva iacet.
Accipit hospitio iuvenes Aeeta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graia toros.

25. *Medea fui. Fuit* Putean. cum aliis quibusdam. Male. Vid. v. 5. et ad Epist. I, 84. *Nova nupta,* Creusa.

27. *Ephyren bimarem. Ephyre* antiquissimum nomen Corinthi. Vellei. Pat. I., Plin. H. N. IV, 4. Conf. Hyg. F. 275. —

Quidam: *Scythiam tenet ille nivosam,* vel *Scythiae nivosae;* Scriv.: *Scythia tenus ille nivosa Omne latus.* Quid si sit: *Scythiae tenet ille nivosae Omne latus,* vel: *Hic Ephyrae bimaris, Scythiae tenet ille nivosae Omne latus?* Epist. X, 61.; Stat. Silv. IV. ad Marcell. v. 63. *Istrum latus* pro *Istria;* Iuvenal. VIII, 117. *Illyrici latus.* Sed hoc l. *latus* subintelligi praestat, (nihil subaudiendum; est enim neutrum pro substantivo, ut saepe. *L.*) et nihil temere mutandum. Claudian.:

> Omne quod Oceanum fontemque interiacet Istri.
> *Heins.*

Nos antiquam l. reduximus. Omne tenet usque ad nivosam Scythiam, quousque patet aditus. *Tenere* est verbum regium, ut etiam *late tenere,* vid. ad Petron. c. 82. Pro *iacet* v. 28. Heinsius coniecerat *patet.* Sed nihil opus. Val. Flacc. IV, 221. *in laevum pontus iacet;* et ita millies poetae et geographi. *Burm.*

29. *Aeeta.* Latina terminatione, ut Metam. VII, 170.; infra v. 51. est *Aeetes. Pelasgi* vetustum nomen Graecorum. — *Excipit,* quod in edd. Venn., Bas., Mic. et Bersm. est, in nullis Heinsii (neque meis) codicibus exstat, probabat Francius ex Epist. XVI, 127. Sed nihil muto. Liv. XXIX, 2. *hospitio acciperet,* ubi vid. Gronov. *Hospitio accipere* est apud Plaut. Amphitr. I, 1, 8.

> Ita peregre adveniens hospitio publicitus accipiar.

Ibid. v. 140., Rudent. II, 4, 4. Vid. Acidal. ad Vellei. II, 77. Duo Moreti: *Suscipit. Burm.* Et hoc loco plurimi codd. et edd. Nauger., Bas., Vinc. et Col. addidere *pater,* ut bisyllabum *Aeta* facerent, quod trisyllabum est, ut v. 51. Alii habent *Oëta,* quod montis nomen est. Sed Put. et alii nonnulli ex melioribus illud *pater* non agnoscunt. Vid. ad Epist. VI, 103.

30. *Corpora Graia,* h. e. Graeci. *Pictos* est acu *pictos,* ut Met. VI, 23., vel variis coloribus ac figuris intextis. Pro *corpora Graia* Gottorph.: *pectora Graia;* *Graia turba* Vatic.; *Graia iuventa* unus Moreti. Sed elegantiorem esse vulgatam et

Tunc ego te vidi; tunc coepi scire quid esses;
Illa fuit mentis prima ruina meae.
Et vidi et perii, nec notis ignibus arsi;
Ardet ut ad magnos pinea taeda deos.
Et formosus eras, et me mea fata trahebant:
Abstulerant oculi lumina nostra tui.

sic passim poetas locutos esse, recte observat Burmannus, laudans Val. Flacc. II, 633. *primaeva corpora.*

31. *Quid esses.* Sic codices magna ex parte (alii, etiam edd. Naug., Vinc., Mic., Bersm. cum vulg.: *quis esses*), quod sequor. Pont. I, 7.

Certe ego cum primum potui sentire quid essem.

Sic Iuvenal. III, 74., Hor. Sat. I, 6, 55., Trist. III, 8, 38., IV, 1, 99. *Burm.* Conf. Trist. III, 11, 25. et vid. Burmann. ad Phaedr. V, 10, 9. et Heindorf ad Hor. Sat. I, 6, 55. Si apud poetas verba subtilius percensere liceret, fortasse rectius videretur *quis esses*; nam *quid*, h. e. *qualis* esset (Heind. l. l.), post demum non sine malo suo cognovit. Sed non licet, et in ea re sola audienda auctoritas vetustatis.

33. *Et vidi et perii.* Sic scripti; sed perperam. Scribe: *Ut vidi, ut perii.* Hom. Il. XIX, 16.

Ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος.

Theocrit. 3, 41.

.... ἁ δ' Ἀταλάντα
Ὡς ἴδεν, ὥς ἐμάνη, ὥς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.

Hinc illa Virg. Eclog. VIII, 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Heins.

Eandem lectionem iam prius probabat Egnatius. Sed itane omnium librorum lectionem contemnamus ac pro nihilo putemus, ut locus Homero aut Virgilio assimiletur? Omnino retinendum *Et vidi et perii,* quod prorsus est ex more Ovidii, nempe ut verbum aut cum aut sine partic. *et* sic repetatur, quomodo h. l. *et vidi* post verbum *vidi* versus praecedentis. Epist. V, 43.

Flesti discedens — — — —
— — — — — —
Et flesti et nostros *vidisti* flentis ocellos.

Ibidem v. 154.

— auxilium tu mihi ferre *potes.*
Et potes et merui.

Epist. XV, 162. 163., Fast. II, 307.; Met. III, 610.

Nil ibi quod posset credi mortale videbam.
Et sensi et dixi sociis: quod etc.

Fast. V, 528.

Coniugio, *dixi,* sola fruere meo.
Et dixi et servo —.

Vid. ad Epist. XIII, 89. Conf. Epist. XVII, 177.

34. *Pinea taeda.* Quinque scripti Heinsii: *punica. Ad deos,* ad aras et statuas deorum. De taedarum in sacris usu, taedis lustralibus, vid. Heyn. ad Tibull. I, 2, 61., Potter Archaeolog. T. I. L. II. c. 4., Burm. ad Val. Flacc. V, 349. et interpretes, quos laudat Ruperti ad Iuv. Sat. II, 158. et Iacob ad Luciani Alex. p. 89. De

Perfide, sensisti: quis enim bene celat amorem?
  Eminet indicio prodita flamma suo.
Dixerat interea tibi rex, ut dura ferorum
  Insolito premeres vomere colla boum.
Martis erant tauri, plus quam per cornua saevi,
  Quorum terribilis spiritus ignis erat;

comparatione hac compara Met. III, 372.

38. *Eminet.* Oudendorpio Ruhnkenioque pro *Eminet* legendum videbatur *Emicat*, quia proprium hoc verbum de flamma subito erumpente. Ego alterum verius puto ob antecedentia et sententiarum nexum. Ecquis, inquit, amorem bene celet! Eminet (apparet) eius flamma suo ipsa prodita indicio. Cic. pro Rosc. Amer. c. 41. extr. *Quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet.* Adde nostr. Fast. III, 250. LENN.

39. *Dixerat interea tibi rex.* Sic libri vetusti ad unum omnes et scripti et typis expressi, nisi quod unus Put. exhibet: *Dicitur interea tibi rex*, ex qua varietate Heinsius, quod nunc vulgo editur, coniecit: *Dicitur interea tibi lex*, atque ita recte dici, locis Met. VII, 7., XIII, 702., VI, 137., Epist. XV, 81. aliisque permultis firmavit. Sed ante omnia quaerendum erit, an l. librorum retineri commode possit et ad sententiam apta sit. Quod mihi omnino videtur, et firmatur v. 51., ubi eadem verba redeunt. Scilicet versu 39. Medea incipit exponere leges Iasoni a patre Aeeta datas his verbis: *Dixerat interea tibi rex*, quas postquam exposuit, v. 51. finit, quomodo incepit: *Dixerat Aeetes*, solemni poetarum more. In plusquamperfecto autem illo pro perf. ne haereas, adest locus simillimus Metam. V, 600.

Quo properas? iterum rauco mihi *dixerat* ore.

Vid. etiam Metam. III, 380. et ad Epist. XIV, 72. Conf. Epist. I, 33—36., XX, 16.

40. *Vomere. Pondere* Barber., quod nescio an rectius; *vomer* enim et aratrum *premi* centies a poetis dicitur, non *premere*. Vid. ad Val. Flacc. VII, 63. Sed *pondus* est hic iugum; ut alibi:

— pressique iugo gemuere iuvenci.

Vid. v. 94. BURM. Si de bove recte dicitur *sub vomere gemere, anhelare*, Fast. II, 295.

Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus —

sub vomere fumare, Virg. Georg. III, 515., quidni recte dicatur *premere bovem vomere*; *ego premo vomere bovem, et bos anhelat sub vomere*? Et sic Ovidius etiam alio est loco locutus, Art. A. I, 19.

Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro.

41. 42. Et hoc distichon Heinsio non Ovidianae videbatur esse venae. Ego tamen servandum duxi, quia, nisi praecedente versu 42., satis intelligi versus 44. non potest; tum et amoto illo durius ad

Aere pedes solidi, praetentaque naribus aera;
  Nigra per afflatus haec quoque facta suos.
Semina praeterea, populos genitura, iuberis
  Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent natis secum tua corpora telis:
  Illa est agricolae messis iniqua suo.
Lumina custodis, succumbere nescia somno,
  Ultimus est aliqua decipere arte labor.
Dixerat Aeetes; moesti consurgitis omnes,
  Mensaque purpureos deserit alta toros.

v. 43. subaudiendum erit: *Quorum erant* (*aere pedes solidi*). LENN. Addo, et plane ineptum esset, si poeta, minora saevitiae quasi instrumenta (v. 43.) commemoraret, eam autem rem, per quam maxime ac praecipue saevi essent, scilicet quod ignem ore spirarent, conticeret, aut obiter tantum et oblique significaret.

43. *Aera.* Scriv. et Palat.: *ora.* Male. Apollon. III, 230.

Καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε· χάλκεια δὲ σφέων
Ἦν στόματ', ἐκ δὲ πυρὸς δεινὸν σέλας ἀμπνείεσκον.
HEINS.

Praetenta, praefixa, est a geographis et rei militaris scriptoribus sumtum verbum. Vid. Vales. ad Amm. Marcellin. XIV, 2. et interpp. ad Sil. Ital. XVI, 253. *BURM.* De tauris illis, qui munus erant Vulcani, vid. Diod. Sic. IV, 4., Apollod. I., Hyg. F. 22.

46. *Devota.* Exitio destinata. Pro *lata* male quidam Heinsii: *laeta.* Campus enim ille longis annis horridus dicitur Val. Flacc. VII, 62. *BURM.* Et quid codices? Unus Reg. et alter Heinsii: *larga.*

47. *Natis secum* cum omnibus codd. scriptis et vett. edd. recte dedit Iahn pro vulgata a Burmanno: *secum natis.*

48. *Illa est.* Vetustae edd. et vulg.: *Illa erat;* scripti: *est.* Gronov.: *messis amara.*

49. *Custodis.* Draconis, qui vellus aureum in luco Martis ex arbore suspensum servabat. Apollon. IV, 100., Epist. VI, 13., Metam. I. I. Conf. Diod. Sic., Apollod. et Hyg. l. l.

52. *Mensaque — toros.* Plane ex more veterum expressum est *deserit mensa toros,* quo mensae cum epulis convivis apponebantur et auferebantur; nec mihi poetica illa locutio displicet *mensa deserit toros* pro *mensa removetur, aufertur a toris,* quae durior videbatur Burmanno. Sed eidem Burmanno non placet, quod *mensa* dicatur *alta,* cum non multum supra toros mensae eminuerint, si non fuerint saepe inferiores. Tibull. II, 5, 99.

At sibi quisque dapes, et festas exstruit *alte*
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

Moreti cod.: *desinit.*

Quam tibi tunc longe regnum dotale Creusae,
Et socer, et magni nata Creontis erant?
Tristis abis; oculis abeuntem prosequor udis;
Et dixit tenui murmure lingua „Vale."
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum,
Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces segetesque nefandae,
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est; ipsum timor auget amorem.
Mane erat, et thalamo cara recepta soror,

53. *Quam tibi tunc.* Postquam Medea exposuit, quomodo in regnum Aeetae Iason venerit, forma sua ipsius animum ceperit, et qui ei impositi sint a patre labores, inter narrandum exclamat: *Quam tibi tunc longe etc.* Heinsius et eius sectatores cum aliquot libris novarunt: *Quam tibi nunc;* sine idonea caussa. Eodem modo particula *tunc* Ovidio restituenda est Met. I, 321., ubi Burmannus ex uno cod. Cantabr. recepit *nunc.* Iidem codd. Heinsii et e meis Trev., Guelf. 1. a m. pr., Goth. 1., Giess.: *erant* pro reliquorum codd. et vett. edd. lectione *erat.* Utrumque bene. Sed pluralem tamen, quia nomina *et socer et nata* arctius et quasi in unum coniuncta sunt, puto praeferendum. De regno dotali conf. Epist. IV, 16.

53. *Creusae.* Glaucen vocat Apollod. et Diod. Siculus. *Ciof.* Etiam Hyg. F. 25. De quo discrimine nominis vid. Palmer. Exercitat. p. 370.

55. *Prosequor. Persequor* sex. Sed nil muto. Vid. Ep. V, 55. *Burm.*

57. *Ut positum tetigi.* Desumta haec omnia ex Apollon. Rh. III, 673. sqq. *Amar.*

58. *Acta est. Tracta est* malebat Franc. et Burmannus Sec. ad Propert. IV, 1, 96. Epist. XIX, 33.

Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora.

Virg. Aen. VI, 513., Amor. II, 2, 3. Pro *per lacrimas* Bas. *in lacrimis. Per lacrimas,* sic Amor. II, 15, 90. *per suspiria noctem trahere.*

59. 60. Vid. Epist. IX, 37. 38. *Taurique truces* cum Burmanno dedimus e duobus Medic. et Guelf. 3. et 4. pro vulg.: *taurique meos,* ut et *tauri* suum adiectivum habeat, quemadmodum *segetes* et *anguis;* tum sic etiam maiore cum vi in versu sequente sequitur *Ante meos oculos.* Vid. infra ad v. 79.

62. *Thalamo — soror.* Chalciope, quae furentem iam Medeam sororem precibus consiliisque adduxit, ut ope sua Iasonem iuvaret. Apollon. III, 717. Conf. Val. Flacc. VI, 477. *Amar.*

Ceterum cur *Chalciope* Argonautis faverit, in promptu caussa est, quod filii eius quatuor ex Phryxo geniti in illorum essent numero. Hyg. F. 111. Vix dubitabit de hac coniectura, qui Apollonium ea o-

Disiectamque comas adversaque in ora iacentem
 Invenit, et lacrimis omnia plena meis;
Orat opem Minyis. Petit altera, et altera habebat:
 Aesonio iuveni, quod rogat illa, damus.

mnia copiose atque eleganter narrantem consulet L. III., ubi is Medeam acerbe plorantem inducit, nec minus et Chalciopen. *Heins.* Conf. Hyg. F. 21.

63. *Adversaque in ora. Aversa* vulg. cum Burmanno retinui, quamvis *adversa* multi codd. exhibeant, et l. hanc unice probet Nodellius Not. Crit. c. 4. p. 95., ubi „Pronam, inquit, iacuisse constat ex Apollon. Rh. III, 655.

Λέκτροισι πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἱλιχθεῖσα.

Sed inde *adversa* quin scribendum sit, quis dubitabit? praecipue cum ne intelligi quidem possit, quomodo *in aversa ora* iacere quis queat.“ Equidem, uti pronam iacuisse non negem, quin et illud facile Nodellio largiar, homines, quando *in ora,* sive ut Iuvenal. III, 280. dixit, *in faciem cubent,* semper etiam *in adversa ora, in adversam faciem* cubare, ita propter hoc ipsum valde otiosum hic esse epitheton *τὸ adversa* puto. Nam dixisse sufficiebat *in ora.* Verum enimvero ubi quis, ita animo affectus, ut Medea, sub visentis ipsum in lecto recubantem amici vel propinqui accessum prae pudore statim *in ora* se coniecit, recte dicitur, me iudice, eum alter invenire *in aversa* (ab se) *iacentem ora.* Ceterum aliud tempus l. c. Apollon. describit, aliud h. l. Ovidius. *Lenn.* Sed totus locus nihil continet, quo suspicari nobis liceat, pudore aliquo adductam Medeam sese a sorore intrante avertisse; sed sensus postulat notionem, qua tristitia declaretur, non pudor, quia *τὸ a. in o. i.* inter media luctus signa *disiectamque comas* et *lacrimis omnia plena* interponitur, cui unum aptissimum est *adversa in ora iacentem.* Quod autem sic illud *adversa* otiosum dicit Lennep, huic rei iterum dico, praesertim apud Ovidium, parum tribuendum esse momenti. Mei omnes *adversaque.* Ceterum constructio *iacere in ora* uti nec ceteris Latinis poetis inusitata est, ita etiam apud Graecos reperitur. Hom. Il. XXIV, 10.

Ἄλλοτ᾽ ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος — —.

Conf. Metam. I, 720.

64. *Minyis.* Cur Argonautae *Minyae* appellentur, ambigitur. Apollonio (I.) et Hygino (F. 14.) auctoribus, quia Iason cum aliis e gente Minyarum fuit. Eustath. ad Odyss. XI. ipsam Iolcon coloniam Minyarum fuisse tradit, Strabonem sine dubio secutus L. IX. Vid. Ottf. Müller Geschichte Hellen. Stämme T. I. 258. sqq. coll. p. 248. Meziriac. l. l. T. II. p. 57.

65. *Petit altera, altera habebat.* Vulgo cum vett. edd.: *habebit,* nullo satis idoneo sensu. Nobis haec videtur poetae mens fuisse: Cum duae sorores essent, ita fortuna comparatum fuit, ut, quam una peteret Minyis, altera praebere posset,

Est nemus et piceis et frondibus ilicis atrum;
Vix illuc radiis solis adire licet;
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianae;
Aurea barbarica stat dea facta manu.
Nostin', an exciderunt mecum loca? Venimus illuc;
Orsus es infido sic prior ore loqui:

opem. Sed sic cum pluribus codd. rescribendum erat: *habebat:* quod fecimus. De Latinitate ne dubites; similiter *auxilium habere* dicitur *Augusti vultus* apud nostrum ex Pont. II, 8, 54. Nodellio placebat nonnullorum codicum Heinsii lectio *et alter habebit;* modo *at* scribatur pro *et:* ut sententia sit: Roganti Chalciopae Argonautis auxilium promisisse Medeam opem suam, per speciem quidem et caussam, ac si filiorum sororis ipsam misereret, re autem vera Iasonis caussa id fecisse, seu illi dedisse. In cuius praesidium laudat Apoll. Rh. III, 64. sqq. et 710. sqq. Fateor ita summum esse dicti acumen. Id unum quaeri possit, utrum ad talem sententiam requireretur in pentam. *sibi, suis,* vel simile quid. Debet enim sensus esse: Damus Aesonio iuveni, quod illa suorum caussa petiverat. Sed nec eo ducit hexameter, ubi soror tantum dicitur opem petivisse Minyis. *Lenn.*

Certe recta est scriptura et interpretatio Lennepii, quae non parum firmatur versu sequenti, in quo illud (*nos*) *damus* respondet vocibus *altera habebat, quod rogat illa* vocibus *altera petit* et *orat opem,* et *Aesonio iuveni* voci *Minyis.* Quam parum concinne autem sit *altera habebit,* si cum hac interpretatione comparetur, nemo non videt. Ac receptam l. tuentur codd. Trev., Erf., Goth. 2., Guelf. 1. a m. sec. et multi Heinsiani. Put. et Gottorph.: *petit alter et alter habebit.* Heusinger sic dedit et interpunxit:

— petit altera, et altera: Habebit.

ut *habebit* sit vox promittentis. Parum eleganter.

67. *Nemus.* Hoc nemus descripsit Ovidius Met. VII, 74., ubi vid. Gierig.

68. *Illuc.* Moreti: *illud,* quod probante Francio Burmannus dedit. Vetusti libri: *illic* vel cum vulg. *illuc;* ac Iahn recte revocavit *illuc.*

69. *Fuerantque diu.* Sic multi codd., quod admittendum videtur. Delubra enim a vetustate venerationem praecipue mutuabantur. Tacitus: *Nemus religione patrum et prisca formidine sacrum;* Ovid. Fast. IV, 649. Plena eius rei poetarum ubique scripta. Malo tamen *fueruntque diu. Heins.* Aptius certe perfect., sed tempora apud Ovidium mutare haud tutum est, tanta eius est in hac re licentia. Vid. supr. v. 46. Plurimi codd.: *fuerant certe.*

70. *Barbarica.* Sc. e vetusta aetate, qua ars sculpendi non-

„Ius tibi et arbitrium nostrae fortuna salutis
„Tradidit, inque tua est vitaque morsque manu.
„Perdere posse sat est, si quem iuvat ista potestas;
„Sed tibi servatus gloria maior ero.
„Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
„Per genus et numen cuncta videntis avi;

dum exculta erat; apte ad verba: *fuerantque diu.*

71. *Nostin', an exciderunt?* Vulg.: *Nescio, an exciderint.* In Put.: *Nostin'* a pr. m. fuisse videtur et *an exciderunt* (idem exhibent Guelf. 4. et margo Bersm.); unus Medic.: *Nostis;* alii quinque: *Noscis; Noscis, an exciderant* Helmst.; nam quod multi ex vulgatis habent: *Nescis, an exciderint,* repugnat metro. *Nostin'* eleganter. Sic *viden', scin', vin'* et similia pro *videsne, scisne, visne* apud veteres. *Censen'* habes apud Persium; *viden'* apud Catull., Virg., Stat.; nam comici assidui sunt in his. *Exciderunt* legendum iam monuimus ad Ep. VII, 166., licet plurimi codices et edd. exhibeant *exciderint* vel *exciderant. Venimus illuc* praeterea est in melioribus, etiam in edd. Venn., Mic., Bersm., non, ut in vulgata et paucis codd. est: *ambo.* Sequenti versu quoque *Ausus es* vulg. et edd. Bas., Vinc., Col., Mic., Bersm. et nonnulli codices pro *Orsus es.* HEINS. Vid. ad Val. Flacc. V, 595. BURM. Conf. Epist. II, 105.

72. *Prior ore. Ille* Francof. Fast. I, 100.

Edidit hos nobis ore priore sonos.

73. *Ius tibi etc.* Ex Apollon. Rh. sumtum III, 1007. Sic quoque Val. Flacc. VII, 418. AMAR.

74. *Inque tua est. Est* nos cum Iahno e plurimis veteribus libris revocavimus, quod Heinsius primus praesidio quinque librorum omisit.

75. *Ista potestas. Ipsa* Put. et alii plerique (etiam mei omnes et edd. Venn. et Bas. L.). Idem Put. cum Lovaniensi *iuvet.* Amor. III, 4.

— ipsa potestas
Semina nequitiae languidiora facit.

HEINS.

Iuvat rectum est; non enim dubitat, nec dubitare Medea debebat, vere *aliquem, aliquos ea potestate delectari. Si quem* enim accipiendum pro *quem.* Caes. B. G. VII, 29. *Errant, si qui in bello omnes secundos rerum proventus exspectant.* Plura eius usus loquendi exempla congessit Ramshorn. Gr. Lat. §. 160. 2, 2. Vid. ad Epist. III, 40. et IX, 29. Sed *ipsa* h. l. nullum sensum habet. Quare cum Amaro et Iahno dedi: *ista.* Sententia est: Solo τῷ *perdere posse* contentus esse solet is, quem *potestas* haec (ista, haud invidenda) delectat: verum tibi insuper *maiori laudi* erit, si me serves.

78. *Per genus et numen. Nomen* Put. Vid. ad Epist. II, 50. Nil tamen muto. HEINS. *Avi,* Phoebi, nam Aeetes erat filius Phoebi et Perseidos. Hom. Odyss. X, 135. sqq., Apollod.

„Per triplices vultus arcanaque sacra Dianae,
„Et si forte aliquos gens habet ista deos:
„O virgo, miserere mei, miserere meorum;
„Effice me meritis tempus in omne tuum!
„Quod si forte virum non dedignare Pelasgum; —
„Sed mihi tam faciles unde meosque deos? —
„Spiritus ante meus tenues vanescat in auras,
„Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.

1. Medea igitur e genere magarum erat; nam Circe erat Aeetae soror.

79. *Per triplices vultus.* Heinsius in Put. et duobus Ambrosianis reperiebat *triplicis*, quod cum concinnius putaret, in textum induxit. Ego contra lectionem *triplices*, ut maiorem habet auctoritatem codicum, ita etiam concinniorem censeo; ut utrumque et *vultus* et *sacra* suum appositum habeat. Burmannus coniiciebat *triplices cultus*, ad doctrinam suam, ut videtur, ostentandam; nam in tam perspicua ac sana sententia coniectura minime erat opus. Virg. A. IV, 511. *Tria virginis ora Dianae.* De re est nota Gierigii ad Metam. VII, 94.: Hecate τριπρόσωπος, τρίμορφος, τρισσοκάρηνος, *triformis, tergemina etc.*, vel quia triplex caput, equi, canis, leonis habebat (Orph. Argonaut. 974.), vel quia in triviis colebatur statuis tricipitibus. Ovid. Fast. I, 141. In coelo, in terra, apud inferos versabatur, eademque erat et Luna et Diana et Proserpina. Vid. Cerda et Heyn. ad Virg. Aen. IV, 511. *Arcana*, mystica, nocturna.

80. *Et si forte aliquos.* Malim: *Et si forte alios.* Supervacaneum enim erat dubitare, *si quos deos haberent* Colchi, cum iam Dianae mentionem fecisset, et infra addat:

> Et dea, marmorea cuius in aede sumus —

illud autem procedit, si roget, ecquos alios praeter Dianam habeat. *Mic.* Margo Bersm.: *alios.* Apparet, unde, quod nunc post Heinsium vulgo editur, *alios,* ortum suum traxerit. Nos cum Heusingero et Iahno revocavimus antiquam l.: *aliquos. Aliquos* enim est *alios quoscunque.* Iovem autem et Dianam quasi domestica nominat Medeae numina, quorum prior erat eius avus; alterius ipsa Medea erat sacerdos (Gier. ad Metam. VII, 74.). Recte igitur Iason addit: *Et si gens ista aliquos deos habet.* De *aliquis* pro *alius quis* Terent. Heaut. I, 1, 17.

> — quin te in fundo conspicer
> Fodere aut arare aut aliquid facere.

Ubi vid. Ruhnken. Vid. etiam Oudendorp. ad Suet. Tib. c. 47. et Bremi ad Cic. de Fato c. 14., Metam. XIII, 323., Cic. Parad. 5, 1., Tusc. Disp. IV. c. 7. §. 16., Gesner in thesaur. et Ernesti Clav. Cic., et supra ad Epist. III, 122.

„Conscia sit Iuno, sacris praefecta maritis,
„Et dea, marmorea cuius in aede sumus!"
Haec animum — et quota pars haec sunt? — movere puellae
Simplicis, et dextrae dextera iuncta meae.
Vidi etiam lacrimas: an pars est fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.

83. Si me hominem Graecum non indignum existimas, quem virum tuum habeas, prius moriar, quam tuo coniugio alteram praeferam. Apollon. III. idem:

Ἡμέτερον δὲ λέχος θαλάμοις ἐνὶ κουριδίοισι
Πορσανέεις· οὐδ' ἄμμε διακρινέει φιλότητος
Ἄλλο, πάρος θάνατόν γε μεμορμένον ἀμφικαλύψαι.

Conf. Apollod. I. *Ciof.*

84. *Meosque deos.* Vulgo: *deosque meos,* quod eodem redire putat Micyllus. — *Meosque deos* Put. et alii multi; quod Salmasio ad Histor. Aug. probatum. Libri multi: *unde putabo deos?* vel: *unde deos habeam?* et similia, quae interpolatorum figmenta. Hor. Sat. II, 5, 102.

— Unde mihi tam fortem tamque fidelem?

II, 7, 116.

Unde mihi lapidem? quorsum est opus? unde sagittas?

Senec. Herc. Fur. 296., Iuvenal. XIV, 56. *Heins.* Vid Gronov. ad Senecae l. l. et eiusdem Diatrib. in Stat. Silv. I, 9., Heindorf ad Hor. Sat. II, 5, 102. Sensum loci bene vidit Micyllus: *Unde mihi sperem tam faciles deos et tam meos,* h. e. *mihi deditos, faventes?* Conf. Epist. XVIII, 3., Metam. IV, 373. et XV, 821.

85. *Tenues vanescat in auras.* Conf. Epist. I, 79. Heusinger e Guelf. 1.: *vanescet,* ut Epist. V, 30.

87. *Sit.* Argent.: *scit.* Propert. III, 19, 20.

— Iuno sacris quae praesidet alma maritis.

Et sic Iuno passim apud scriptores rebus nuptialibus praeest. Virg. A. IV, 59., Pindar. Nem. 10, 31. Vid. ad Epist. II, 41. De *maritis* pro maritalibus, coniugalibus, Epist. II, 41., XI, 101., XVI, 283., Propert. III, 19, 16. et IV, 3., Liv. XXVII. c. 31.

89. *Et quota pars haec sunt?* Sic Put. et Scaligeri. Alii plerique: *quota pars possunt movisse* vel *movere* (et sic vulgata); tres cum edd. Bas., Vinc., Col.: *possent;* duo: *poterant.* Placet Puteanea l. Sic Pont. II, 10.

Et quota pars haec sunt rerum, quas vidimus una?

Heins.

Gryph. et alii ita distinguunt:

Haec animum (et quota pars possent?) movere puellae.

Burm.

Vat., Ciof., nonnulli ex meis, ed. Naug. et margo Vinc., Col., Bersm.: *pars horum.*

91. *An pars est fraudis in illis?* Veteres edd. praeter Bas.: *an et est pars fraudis in illis?* Parum eleganter. Scripti: *pars est.* Heinsius autem cum codice Lincoln.: *an pars et frau-*

Iungis et aeripedes inadusto corpore tauros,
  Et solidam iusso vomere findis humum;
Arva venenatis pro semine dentibus imples,
  Nascitur, et gladios scutaque miles habet.
Ipsa ego, quae dederam medicamina, pallida sedi,
  Cum vidi subitos arma tenere viros;
Donec terrigenae — facinus miserabile! — fratres
  Inter se strictas conseruere manus.

dis; non male, si construi liceret: *an et in illis pars fraudis.* Conf. Epist. II, 51. 52. Sed vulgata sana est.

93. *Iungis et aeripedes.* Tò *et* abest a Gronov. Scribe: *Iungis aëripedes.* *Heins.* Vid. ad Epist. VI, 32. *Inadusto corpore.* Idem Metam. VII, 115. Conf. Val. Flacc. VI, 63. 98. 578. Cod. Douzae: *pectore.* Ceterum nos post versum 92., post quem Jahn semicolo distinxit, cum vulgatis libris punctum posuimus, quia a versu 93. nova quasi narratio incipit. Quod si autem ita constituta scriptura atque sententia haereas in positione illius *et*, memento, Ovidium in hoc genere paullo liberiorem esse, et compara Epist. XIX, 151.

94. *Et solidam. Insolitam* Gronov., ut supra 40. Erat enim ille ager, ut vidimus, longis annis incultus et horridus. Met. VII, 119. Pro *iusso vomere* est in Leidensi: *presso.* Pro *findis* in Reg. et VI aliis, etiam in edd. Bas., Vinc., Col. et marg. Bersm.: *scindis;* parum refert. Vid. Epist. XVII, 139., Claud. in Eutrop. I, 112. *Burm.* *Et solidam* satis firmitatis habet a codd., ac pro eadem l. afferri omnia ea possunt, quae pro *Insolitam* attulit Burmannus. *Findis* autem, quam *scindis,* multo melius est, quod de *duris, solidis* rebus proprie dicitur.

96. *Habet.* Sic Put. et VII alii Heinsiani, et plures e meis (vid. var. L.); reliqui cum vulgata et vett. edd.: *habens.*

97. *Ipsa etc.* Lucan. IV, 555.

> Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
> Expavit Medea nefas.

Conf. Metam. VII, 134.

99. *Facinus miserabile.* Ex praesenti animi statu a Medea dictum puta.

100. *Inter se strictas.* Vulg.: *In se constrictas.* Put.: *Inter constrictas;* Strozzae liber: *Inter se constrictas;* novem alii (etiam plurimi ex meis. *L.*): *Inter se strictas,* quod verum est. *Heins.* Amor. I, 6, 14.

> Non timeo strictas in mea fata manus.

Manus strictae dicuntur ut *enses, gladii stricti.* Vid. Bentl. ad Hor. Od. I, 6, 18. — *Conseruere manus* se.

> — gravem medios silicem iaculatus in hostes,
> A se depulsum Martem convertit in hostes —

ut est in Metam. VII, 139.

Pervigil ecce draco, squamis crepitantibus horrens,
Sibilat, et torto pectore verrit humum.
Dotis opes ubi erant? ubi erat tibi regia coniux,
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Illa ego, quae tibi sum nunc denique barbara facta,
Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens,
Flammea subduxi medicato lumina somno;
Et tibi, quae raperes, vellera tuta dedi.
Proditus est genitor; regnum patriamque reliqui;
Munus in exsilio quolibet esse tuli.

101. *Pervigil.* Ita Met. VII, 149. et Maximian. in Elegiis:

Pervigil observat non sua poma draco.

Tres tamen scripti: *Serpens ecce vigil;* unus Vatic.: *Insomnis serpens;* Put.: *Insopor ecce vigil;* Erf. pro var. l.: *Insopor ecce draco.* HEINS.

102. *Verrit. Vertit* Oxon. et III alii; *versat* Excerpta Puteani et unus Heinsianus; unus Heinsii: *vastat. Verrit* bene, quod saepe de vehementi motu super aliquam rem dicitur, velut de motu ventorum, remorum, caudarum ferocium animalium, ut leonum et similium.

103. *Dotis opes ubi erant?* Vulgo:

Dotis opes ubi erant, ubi erat tua regia coniux?

Tibi regia coniux scripti plerique; *ubi tunc et regia* unus Palat.; duo Medic.: *Dotis opes ubi tunc.* Puto scribendum:

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia coniux?

vel: *ubi nunc.* Tibull. II, 3.

Delos ubi nunc Phoebe tua est? ubi Delphica Pytho?

Vid. ad Epist. IV, 150. HEINS. Ingeniosa et ad sententiam optima est haec scriptura Heinsii, quam etiam recentiores editores plerique secuti sunt, immo melior, quam l. vulgata; sed receptam omnes fere vetusti libri tuentur. Et facile apparet, unde ea varietas orta sit.

104. *Distinet.* Trev. a m. pr., Dresd., Goth. 2., Guelf. 2., 4. et edd. Venn. Vinc. et Col.: *detinet*; Helmst.: *desinet*; Goth. 1. et Guelf. 3.: *destinet*; Erf. et Guelf. 1. et a m. sec. Trev.: *destinat,* quomodo etiam vetustiores Heinsii; Giess.: *separat.* Vid. ad Epist. VIII, 69.

106. *Nocens,* scelerata, venefica.

107. *Medicato,* medicaminibus excitato.

108. *Raperes.* Unus Heinsii cod.: *referas. Raperes* bene et eleganter dictum, ut cum respectu ad vigilem illum, qui vellus servabat, draconem. Hinc etiam apte illud *tuta,* h. e. sine noxa; nam Medic. unus: *fulva.*

110. *Quolibet.* Vix video, qualis sensus in emendatione Heinsii:

Et minus exilio quidlibet esse tuli.

Ego puto legendum:

Munus in exsilio quolibet esse tuli.

Credidi me felicem etiam, si relicta patria et regnis, quae prodideram, exsul essem; licet

Virginitas facta est peregrini praeda latronis;
  Optima cum cara matre relicta soror.
At non te fugiens sine me, germane, reliqui:
  Deficit hoc uno litera nostra loco.
Quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra.
  Sic ego, sed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui — quid enim post illa timerem? —
  Credere me pelago femina, iamque nocens.
Numen ubi est? ubi di? Meritas subeamus in alto,
  Tu fraudis poenas, credulitatis ego.

exsilium esset miserum et infelix, beneficium tamen erat, quia tecum fore me semper fingebam. *Quo licet* erat in duobus scriptis et editione princ. et in margine Gryphii. Sic eleganter utuntur illo *quolibet* et *quocunque* Propert. I, 8, 4., Suet. Caes. c. 66. Vid. ad Epist. IV, 98. Seneca in Medea v. 492.

Poenam putavi, munus, ut video, est fuga.

Conf. Metam. IX, 181. Hubertinus (sic enim plurimi scripti [vid. var. l.], etiam ed. Nauger., margo Bersm. et Mic. *L.*): *quod licet esse tuli.* Beneficium putavi, quod licet esse in exsilio. *Burm.* *Quodlibet* sc. *munus*, ut Amar et Iahn nuper cum vulgata dederunt, significat *munus sive magnum sive parvum*, quod minus convenire sententiae videtur. Quare, quum nec *quod licet* ferri possit, cum Burmanno scripsi *quolibet*, quod exhibet codex Trev. *Tuli*, duxi.

113. *Germane.* Nam fratrem Absyrtum Medea cum Iasone fugiens secum duxit, et quum pater eam insequeretur, membratim discerptum circumquaque disiecit, quo patrem colligendis membris occupatum retardaret. Rem ipse describit Ovidius Trist. III, 9. Conf. Hyg. F. 23., ubi res aliter narratur. Conf. Ibid. 437., et Cic. de Nat. D. III. c. 26., Apollod. I. Multi Heinsii codd., etiam Helmst., Guelf. 2., et edd. Venn., Bas., Mic. et Bersm.: *At te non.*

116. *Sic ego, sed tecum.* Quidam scripti et editi: *Sic ego, sic tecum*, quasi ad Absyrtum esset oratio; sed respiciunt illa Iasonem. Quare recte: *Sic ego fui dilaceranda, sed simul cum Iasone perfido.* Amor. III, 14, 40.

Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim.

Vid. Epist. XIII, 72. *Burm.* De tempore verbi vid. ad Epist. X, 12.

117. *Extimui*, sc. tunc, cum ea patrassem.

118. *Iamque nocens.* *Tamque* est in Francof., quod ut elegantius recepi, nempe quia veteres nusquam praesentiorem vindictam divinam credebant, quam in mari et aqua, si scelerati se iis crederent, ut mille poetarum loci ostendunt. Vid. Hor. Od. III, 2, 28. (ibi Mitscherl.). *Burm.*

120. *Credulitatis.* Verum qui-

Compressos utinam Symplegades elisissent,
 Nostraque adhaererent ossibus ossa tuis;
Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos, —
 Debuit ingratis Scylla nocere viris —

dem est, quod Werfer l. l. p. 551. scribit, vocem *credulitatis* languere videri, quum maximis sese Medea obstrinxisset flagitiis, patrem prodidisset, regnum patriamque suam reliquisset, pudorem peregrino latroni prostituisset, et, quod nefandissimum, fratrem suum obtruncasset. Sed tamen, quominus eo auctore e cod. Monac. scribere audeam *impietatis*, obstant et veterum librorum in l. *credulitatis* consensus et praecedens *fraudis*, quod apte respondet voci *credulitatis*; ac nimia eius *credulitas* prima omnium illorum flagitiorum fuerat caussa. Vid. v. 132. Victor., Erf., Trev. et ed. Ven. 1487.: *crudelitatis*.

121. *Compressos etc.* Indignatus Iupiter propter Absyrti necem ingentem Argonautis immisit tempestatem; propter quam ita diu errarunt, ut Libyae, Galliae, Sardiniae et Hetruriae litora praeterierint. Acceperant autem Iovis iram prius desituram non esse, quam in Ausoniam profecti Absyrti necis a Circe expiati fuissent. Apollod. I. (Vid. Hom. Od. XII, 69., Orph. Argon. 1246.) Atque idcirco poeta Scyllae et Charybdis hoc loco meminit. *Ciof.* *Complexos* duo Medicei. Vid. Epist. IV, 139. *Heins.* Recte; nam tempestiva hic mentio complexuum in tam infausto coniugio; ut voveat se in mediis amplexibus fuisse elisam inter Symplegadas. *Burm.* Recte Iahn restituit *compressos*, cum codd. et vet. editionibus. Cic. de Harusp. c. 25. *Ista serpens compressa atque illisa morietur.* *Symplegades* duae sunt insulae vel potius scopuli in Ponto apud os Bosphori Thracii, quae et Cyaneae et *Planctae* dictae sunt. Poetae fabulati sunt, olim eas mobiles fuisse et inter se concurrisse, unde συμπληγάδες, συνδρομάδες, συνορμάδες dicebantur. Pomp. Mel. II., Plin. H. N. IV, 13. et VI, 12., Hom. Odyss. XII, 73., Apoll. Rhod. II, 317. Locos Lat. poetarum de ea re collegit Heinsius ad Metam. VII, 63.

123. *Scylla*, qua pleni sunt poetae, promontorium est in litore Calabriae. Fabula Scyllam primum fuisse virginem (Metam. XIII, 734.) tradit, eamque, cum Glaucus, deus marinus, eius amore captus esset (ibid. 900. et XIV, 18.), a Circe in monstrum marinum esse mutatam. Met. XIV, 52.

 Illa feris atram canibus succingitur alvum,
 Virginis ora gerens —

ut est in Met. XIII, 732. Vid. Hom. Odyss. XII, 55., Virg. A. III, 424. et ad illos locos Metam. Iahni et Gierigii annot. et quos laudant, inprimis Heyn. ad Virg. Eclog. Exc. 4., Fischer ad Palaeph. 21. et Kindervater ad Cic. de N. Deor. I, 38., Apollod. I., Hyg. F. 125.

125. *Quaeque etc.* Sc. Charyb-

Quaeque vomit fluctus totidem totidemque resorbet,
Nos quoque Trinacriae supposuisset aquae!
Sospes ad Haemonias victorque reverteris urbes;
Ponitur ad patrios aurea lana deos.
Quid referam Peliae natas, pietate nocentes,
Caesaque virginea membra paterna manu?
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es, — o iusto desunt sua verba dolori —
Ausus es „Aesonia“ dicere „cede domo!“

dis, vortex in freto Siculo prope Messanam. Traditur meretrix fuisse, quae amatores suos bonis spoliabat, et cum aliquando boves Herculis furto abegisset, a Iove fulmine icta in illud mare praecipitata esse, ubi (monstrum horrendum) adhuc priscae voracitatis signa praefert, naves absorbendo. Sic Serv. ad Virg. Aen. III, 420. Vid. Hom. XII., Fischer, Kindervater, Heyn., Apollod. et Hyg. l. l. — Pro *resorbet* in Moreti cod. est: *recillet,* quod Burmannus quale sit negat exputare posse. Bene Ruhnkenius latere in eo vidit verbum *recellit,* h. e., in profundum retrahit. Vid. Fest. in v., Gronov. ad Liv. XXIV, 34. et Obss. I, 7. Sed *resorbet* rectum est et saepe de Charybde usurpatur. Amor. II, 16, 26., Virg. Aen. III, 421., Sil. It. XIV, 255. al.

127. *Haemonias.* Thessalicas, ab Haemo monte, qui Thraciam a parte septentrionali claudit. Plin. H. N. IV, 11. Pro *urbes* Hafn.: *arces.*

128. *Ponitur.* Figitur, suspenditur, tanquam donum. Vid. ad Epist. I, 26. Quinque Heins.: *aurea praeda;* tres cum Excerptis Douzae: *barbara praeda;* Argent.: *barbara lana.* Ficta haec omnia ex Epist. I, 26.

129. *Peliae natas.* Impulit Medea filias Peliae, ut patrem necarent, cum promisisset, se ei iuventutem redditturam, arieteque in agnum mutato fidem promissis fecisset. Unde eleganter *nocentes pietate.* Vid. Metam. VII, 297. Conf. Diod. Sic. IV., Hyg. F. 42. Aliter rem narrat Pausan. VIII, 11. et Apollod. I., ubi vid. Heyn.

131. *Alii.* Sarrav.: *aliae.*

132. Expressit Ovidium Senec. Med. 280.

Toties nocens sum facta, sed nunquam mihi.

Antea dixerat: *illi Pelias, non nobis iacet.* Burm. De constructione, Trist. II, 10.

Acceptum refero versibus, esse nocens.

Conf. Metam. XIII, 142., Art. Am. I, 3, 45. et vid. de hac re Zumpt., Ramsh. in gramm., Vechner. Hellenol. I. c. 32., Voss. de Construct. c. 10., Serv. ad Virg. Aen. II, 377.

134. *Cede domo.* Formula repudii apud Romanos. Vid. Quintil. Decl. p. 258. *Heins.* Vulgares tamen formulae re-

Iussa domo cessi, natis comitata duobus,
Et, qui me sequitur semper, amore tui.
Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant;
Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba:
Pertimui, nec adhuc tantum scelus esse putabam;
Sed tamen in toto pectore frigus erat.

pudii erant: *Res tuas tibi habeto*; *Res tuas tibi agito.* Vid. Paul. in Digest. L. XXIV. Conf. tamen Brisson. de Leg. Iul. de Adult. et Forn. L. VIII. Obss. I. 19. et VIII. 26.

135. *Natis—duobus.* Sc. Mermero et Pherete. Apollod. I. in fine, Hyg. F. 25.

136. *Tui.* Iahn post *tui* commate et post v. 140. puncto posito sequentia: *Ut subito etc.* coniunxit cum vv. 135. 136. Mihi restituenda est visa antiqua interpunctio; ut sententia h. v. claudatur et a v. 137. ad copiosius enarrandum, quomodo nova nupta in domum Iasonis deducta sit, abripiatur.

137. *Ut subito.* Sic et Catullus prima syllaba *Hymen* produxit in eo versu *Hymen o Hymenaee*, quod imitatus Graecos fecit; nam et Theocr. Epithal. Hel.

Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Ego tamen libentius correpta legerem, sed nusquam aliter inveni. Quidam (edd. Bas., Vinc., Col., Mic., Bersm.) legunt: *At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures.* NAUGER. Vulgatam recte probant Ciofanus et Heinsius; non uno enim in loco Ovidium in rebus metricis Graeca et singularia cupide vidimus secutum. Vid. ad Epist. IX, 87., X, 10., XIV, 73., XV, 57., VII, 97.

138. *Lampades.* Faces nuptiales h. l. dicantur an pensiles lychnuchi, quibus domus festa illuminabatur, quis, qui locum diligenter legit, cum Burmanno quaeret? Pont. III, 3, 60., Val. Flacc. VIII, 228.

139. *Effudit.* Heinsius e Put. et VI aliis primus scripsit, quod etiam Guelf. 3. exhibet, *effundit*, pro reliquorum codicum omnium et veterum editionum lectione *effudit.* Sed ea res solis libris decernenda; quanquam erit fortasse, qui *effundit* praeferendum putet; quia *micant* in tempore praes. proxime praecesserit.

140. *Tuba.* Ex suae aetatis et Romanorum moribus expressum, quibus ut *tibia* in rebus laetis, sic *tuba* in funeribus adhibebatur. Propert. II, 6, 12.

Tibia, funesta tristior illa tuba.

Amor. II, 6, 6., Hor. Sat. I, 6, 42., Virg. A. XI, 192., Aul. Gell. Noct. Att. XX, 2. Conf. Serv. ad Aen. V, 140. et Kirchmann de Fun. Rom. II, 5. Pro *funerea* iidem codd. (v. 139.) Heinsii et nonnulli e meis et vett. edd.: *funesta.*

142. *Toto pectore.* Cod. Trev.: *in toto corpore,* quod in Spe-

Turba ruunt, et „Hymen!" clamant, „Hymenaee!" frequentant:
  Quo propior vox est, hoc mihi peius erat.
Diversi flebant servi lacrimasque tegebant:
  Quis vellet tanti nuntius esse mali?

cim. meo rectius esse censui, quum eum, qui perhorresceret, pertimesceret, melius *frigere corpore* aut *toto corpore* dici putarem, quam *pectore* aut *toto pectore*. Nunc aliter sentio. Cic. Tusc. Disp. IV. c. 22. *Hectorem toto pectore trementem.* Metam. IX, 582.

> — pavet obsessum glaciali frigore pectus.

Fast. I, 98.

> Et gelidum subito frigore pectus erat.

Vid. Pont. III, 3, 12., Epist. I, 22., XV, 112., XIX, 192., et ibi not.

143. *Hymenaee! frequentant.* Vulgaris l. habet: *Hymenaea frequentant.* Quam qui defendunt, *Hymenaea* alii pluralem faciunt, ut sit adiective positum pro *Hymenaea sacra* sive *solemnia*, perinde ut *nuptialia sacra* dicuntur; alii autem singularem, ut sit pro *Hymenaeon* positum. Altera l. eorum est, qui *Hymenaee* voc. legunt. Neque facile dixerim, utra potior sit, quando (ut nunc quidem in vulgatis edd. habetur) utriusque exempla reperiuntur. Art. A. I, 563.

> Pars Hymenaea canunt, pars Evoe, Evoe clamant.

Ep. XIV, 27. Nisi quod posterior l. grammatice defendi melius potest, eoque et doctis quibusdam magis probatur. Sed tamen et illud non obscurum, poetas veteres plus auribus aliquando, quam grammaticorum praeceptis ac regulis dedisse. *Micyll.* In locis illis a Micyllo laudatis utrisque, certe Epist. XIV, 27. legendum est *Hymenaee.* Et hoc l. omnino scribendum *Hymenaee* vel invitis libris, quam lectionem et sententiae natura et concinnitas postulare videtur: *Hymen, clamant, Hymenaee, clamitant*; nam *frequentant* valet *clamant, clamitant, ingeminant, repetunt*, et voces *Hymen, Hymenaee* sic saepe reperiuntur coniunctae, ut apud Catullum et apud Graecos, quos et Catullus et Ovidius in hoc imitati videntur. Atque si *Hymenaea* positum esset pro *Hymenaea solemnia, sacra,* illud *frequentant* nullo esset sensu; nec denique dicitur *Hymenaea* pro *Hymenaeon,* quod putabat Micyllus. Conf. Epist. XIV, 27. Cantûs autem in deductione iam Homeri temporibus solemnes fuisse docet locus Iliad. XVIII, 493. Vid. Boettiger Aldobr. Hochz. p. 73.

144. *Vox est. Vox haec* Put. et Gottorph. Duo alii: *haec vox. Heins.* Sed κακόφωνον hoc est (praesertim sequente *hoc*); quare retineo *est. Peius erat,* ut Petron. c. 54. *Pessime mihi erat. Burm.* Vid. etiam Catull. 38, 1., Terent. Adelph. IV, 5, 21.

145. *Diversi* est ab oculis meis se avertentes, alius alio, ut ita passim *diversus orbis, diversae terrae* et similia poetis

Me quoque, quidquid erat, potius nescire iuvabat;
 Sed tanquam scirem, mens mea tristis erat;
Cum minor e pueris iussus studioque videndi
 Constitit ad geminae limina prima foris:

dicuntur. Val. Flacc. III, 387., VI, 581., VII, 577., Virg. A. XI, 855.; Liv. IX, 2. *Diversi, alius alio, abiere,* et sic ille saepe et alii, ubi in diversas partes abire aliquos inducunt. Vid. Broukh. ad Prop. III, 2, 33. *Burm.*

146. *Quis — mali?* Sophocl. Antig.

Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Ciof.

148. *Mens mea. Mens mihi* praeter Basiliensem, unde Burmannus Ovidianum magis ac poeticum illud putans recepit, etiam Trevirensis et Helmst. tuentur; verum in hac re omnino audiendi sunt veteres libri, qui illis tribus exceptis habent *mea.* Vid. Epist. XVI, 168. et infra ad v. 203. huius Epist.

149. *Iussus studioque videndi.* Multi codd. Heins. cum vulg. (etiam edd. Venn., Vinc. et Col. et e meis codd. Dresd. et Erf.): *iussu;* tres: *visus;* duo (et pro var. l. Trev.): *visu;* duo (et pro var. l. Trev.): *lusu;* unus: *missus;* Gronov.: *cursu.* E quibus *visu, visus, cursu* prorsus inepta sunt. Heinsius novam l. proposuit *casu,* et mutari voluit *studione* pro vulgato *studioque:* paullo audacius. Burmanni coniectura: *iussus studione videndi* non erat opus, quum nihil impediat, quominus utraque caussa simul impulsus puer matrem abire iusserit, atque eandem ob caussam nec Haudii novatio *studiove* probanda. Idem dico de illo *ne* in scripturis a Lennepio propositis. Quod autem Lennep volebat: *lusus studione videndi,* ut sit *studio lusus et videndi,* certe durius est constructione, nec illud *lusu,* quod pro altera scriptura proposuit, quamvis olim impense placeret, nunc probare possum, quum non satis hoc loco pateat, quomodo puer hoc rescierit, nec, quod gravissimum est, multum firmitatis habeat a codicibus. *Cursus* (ut sit genit.), quae est altera Weicherti coniectura, nihili est; melior altera: *iussu studiove videndi,* licet illud *ve* non probaverim propter caussam supra allatam. Probabilior est scriptura: *iussu studioque* videndi, quam, ut iam dictum est, multi Heinsii codices et e meis Erf. et Dresd. cum edd. Venn., Vinc. et Col. exhibent. Sed vera certe est: *iussus studioque videndi,* quae et simplicitate sententiae commendatur, et unice tam vetustate quam virorum doctorum auctoritate confirmatur, ut quam praeter Dresd. et Erfurt. mei omnes atque, ut inde iure coniicitur, plurimi Heinsiani et inde a Ciofano praestantiores quoque editiones tueantur. Ad illud autem, quod Lennep quaerit: „Ecquis hic iussisse fingatur, rem celantibus domesticis, nec ipsa matre, quid illud esset, vehementer scire cupiente,“ respon-

„Hinc mihi, mater, abi: pompam pater“ inquit „Iason
„Ducit, et adiunctos aureus urget equos.“
Protinus abscissa planxi mea pectora veste,
Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediae suadebat in agmina turbae,
Sertaque compositis demere rapta comis.
Vix me continui, quin sic laniata capillos
Clamarem „Meus est,“ iniiceremque manus.
Laese pater, gaude; Colchi, gaudete relicti;
Inferias, umbrae fratris, habete mei!

deri potest: licet domestici noluerint ipsi tanti mali nuntii esse, nihil tamen obstare, quominus, ea ut sciret, maxime cupierint, ut acerbissimo eam dolori ac molestiae tam triste spectaculum ipsis oculis adspiciendi subducerent. Sensus est: *Cum minor e pueris iussus* (sc. a domesticis) *et* (simul etiam, ut puerulus) *studio videndi constitit ad prima limina et* (*cum vidit patrem et pompam*, sic interpretatur, ut mihi videtur, recte Schol. cod. Trev.) *ait:* „*Mater, abi ab hoc loco*; *pater etc.*: non enim verba *Hinc mihi abi* cum Lennepio intelligenda puto: *foras abi, ut videas*, cui interpretationi obstat et ratio sententiae visque verbi *abi*, et sane etiam illud *iussus*. V. 150. Hafn.: *ad dominae*.

151. *Hinc*. Ed. princ.: *Huic;* unus Vatic.: *Qui mihi*. Heinsius et Burm. e IV codicibus receperunt: *Hic*. Sed vulgatam mutandi caussa nulla apparet.

152. *Ducit*. Quae apud Heinsium et Burmannum exstat l.: *Ducet*, ex uno Puteaneo fluxit. Recte Iahn revocavit l.: *Ducit*, quam veteres libri flagitant et sententia. Non enim patrem pompam ducturum dicit puer, sed iamiam ducere, et sequitur, quod illi viri non satis attendisse videntur, *urget*. — *Aureus*. Explicat Crispinus, aureis vestibus ornatus. Ego de curru malim capere. *Burm.* Ego cum Crispino de aureo cultu, ut Epist. XVI, 35. et Art. A. I, 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

Nam si *aureos currus* significare poeta vult, ita dicit:

Ibis in *auratis* aureus ipse *rotis*.

(Amor. I, 2, 47.)

157. *Sic laniata*. Puto: *quin dilaniata*. Amor. III, 9.

Venit inornatis dilaniata comis.
Heins.

Intellige: *quin, laniata comas, sic clamarem. Iniiceremque manus*, possessionem apprehenderem. Verbum est iuris, ut Epist. VIII, 16., ubi vid. annot.

160. *Inferias—habete*. Habete, accipite; nam *inferiae* hoc l., ut saepe, fere sunt pro victimis, piaculis, quibus animae occisorum placabantur. Fast. V, 422.

Inferias tacitis manibus illa dabunt.

Vid. Horat. Od. II, 1, 28.

Deseror, amissis regno patriaque domoque,
Coniuge, qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui taurosque furentes,
Unum non potui perdomuisse virum;
Quaeque feros repuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus herbaeque artesque relinquunt;
Nil dea, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies; noctes vigilantur amarae,
Nec tenero miseram pectore somnus habet.

162. *Qui nobis.* Idem fere Andromache apud Hom. Il. VI, 429., Tecmessa apud Soph. in Aiace, et Eurip. Med. v. 797. sqq., Epist. III, 52.

163. *Serpentes.* Intellige unum illum draconem, de quo vid. v. 60. De plurali illo vid. ad Epist. IX, 37.

165. *Repuli. Pepuli* bene duo Medicei et pro var. l. Sarrav., quomodo etiam Scaliger in ora codicis sui castigarat, et ego in vetusta editione Lugduni edita reperi. Excerpta Iureti et Puteani cum aliis nonnullis: *rapui*; tres: *domui*; vulg.: *repuli.* Sic Claud. Rapt. III.

Scilicet haec caris pepulit te Delia silvis.

Conf. in Ruf. II, 252. *Heins.* *Pepulit* post Heinsium scripserunt omnes. Mihi recta videtur olim vulgata l. *repulit*; nam *repellere* est irruentem retro pellere, reiicere, quod recte dicitur de halitu igneo boum, qui Iasonem invadebat, atque eam l. confirmant et veteres edd. et plurimi codd.; ac nescio quid invenusti habet *pellere ignes.*

166. *Flammas,* sc. amorem.

168. *Nil dea.* H. e., nihil, neque ipsa dea Hecate, neque eius sacra (veneficia) agunt sive efficiunt. *Micyll.*

170. *Nec tenero etc.*

Nec teneram misero pectore somnus habet.

Sic Puteaneus et ceteri castigatiores magno numero. Quinque: *Nec tenero miseram pectore,* quod eodem redit. Scribe:

Nec tener ah miserae pectora somnus habet.

Tener somnus, ut Art. A. II, 546., Stat. Theb. I, 388. *Somnus habet pectora,* ut Met. VIII, 84., VII, 329., Virg. A. III, 147. et VIII, 27. Eodem modo dicitur *pectora habet durities, frigus, languor, terror, sudor, torpor,* al. Trist. I, 7, 42., III, 11, 4., Fast. II, 754., III, 288., Virg. A. XI, 327., Ov. Art. A. II, 318., Fast. IV, 846., Epist. XIX, 192., Pont. I, 2, 30. Vetus editio et duo scripti:

Nec tacitam misero pectore somnus habet.

Unus Ambros.:

Nec teneram misero pectore somnus alit.

Tres: *Tacito miseram.* Vulgo:

Quae me non possum, potui sopire draconem;
Utilior cuivis quam mihi cura mea est.
Quos ego servavi, pellex amplectitur artus,
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et, stultae dum te iactare maritae
Quaeris et iniustis auribus apta loqui,
In faciem moresque meos nova crimina fingis.
Rideat et vitiis laeta sit illa meis.
Rideat et Tyrio iaceat sublimis in ostro:
Flebit, et ardores vincet adusta meos!

> Nec tener in misero pectore somnus adest.
> *Heins.*

Trev., Erf.: *tenero miseram — habet;* Helmst., Guelf. 1., 2. et 4., Goth. 1. et 2., Dresd.: *teneram misero — habet.* In lectione *habet* pro vulg. *adest* codices fere consentiunt; mei certe, Giess. excepto, omnes ita exhibent. Unum igitur adhuc quaeritur, cum plurimis libris legendum sit *teneram misero,* an *tenero miseram,* quorum posterius, quum satis magnam auctoritatem librorum habeat et sententiae bonitate commendetur, cum Iahno praeferendum putavi.

171. *Quae me non possum.* Duo libri: *Quae me non potui.* Sic Epist. XIII, 19.

> Ut te non poteram, poteram tua vela videre.
> *Heins.*

Sed illo loco de statu et re praeterita agitur, hic autem de praesenti.

175. *Iactare,* ostentare te vis et talia dicere, quae illi placeant.

176. *Iniustis,* intell. pronis ad credendum, quaecunque in me maledicta conieceris; *iniustis* igitur fere est contra uxorem tuam praeoccupatis.

177. *Fingis.* Bene *fingas* Put.; sequentia confirmant. *Heins.* *Forsitan* in hac sententiae ratione et indicativo iungitur et coni. Vid. ad Epist. IV, 53.; quare ego nihil mutem. Vid. ad Epist. I, 77. et ad Sabini Epist. I, 127. Coniunctivis autem, qui sequuntur, *videat, sedeat,* nihil efficitur pro l. *fingas,* qui sunt hoc loco concedentis et quidem cum vi atque acerbitate.

179. *Tyrio iaceat — in ostro.* Variant mss. Leid.: *niteat,* Scriv.: *sedeat.* Sed vulgata non sollicitanda. *Iacere* eodem modo legitur Senec. Agam. 877. et Thyest. 898., Stat. Silv. IV. Conviv. Domit., Metam. IX, 237. *Heins.* Recte; nam inepte hic Crispinus explicat *in solio sedens;* agitur enim de epulis: quis etiam *iacet* in solio? Si *sedeat* recepisset, tolerabilior fuisset explicatio; ut Epist. IX, 153. *Burm.* Ego vocem *iaceat* h. l. de sessione in universum dictum putem, de qua verbi significatione vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 6, 122. coll. I, 4, 133. et Bentlei. ad Hor. Sat.

Dum ferrum flammaeque aderunt succusque veneni,
  Hostis Medeae nullus inultus erit.
Quod si forte preces praecordia ferrea tangunt;
  Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi saepe fuisti,
  Nec moror ante tuos procubuisse pedes.

I, 6, 126. De *ostro* (purpura) *Tyrio* omnia pervulgata.

180. *Adusta.* Fateor *adusta* lenius hic quam pro re. Sed contra summam vim habet adiectum *vincet.* Itaque Burmannum Sec. ad Propert. IV. 11, 39. e plurimis scriptis (?) ac primis edd. (?) *sentiet usta* praeferentem non sequor. Est etiam aliis locis *aduro* pro simplici *uro.* Vid. Epist. IV, 33., Horat. Od. I, 27, 14., Epod. 5, 24. Etsi non audiendus Forcellin. in Lex. ad v., quando, propria vi vocis esse pro *valde* seu *penitus uro*, tradit. Proprie enim praepositio *ad*, hoc quidem in verbo, significationem non, ut ille vult, auget, sed minuit. Lenn. Sed Metam. VIII, 204.

> Icare, ait, moneo; ne, si demissior ibis,
> Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.

Virg. Georg. I, 92.

> Ne tenues pluviae *rapidive potentia* solis
> *Acrior* aut Boreae penetrabile frigus *adurat.*

In his tamen locis *aduro* valere videtur *valde, penitus uro*, quam verbi vim etiam hic locus requirit. Atque eandem vim huic voci esse puto in loco illo Horatii Epod. atque item in Od. I, 27, 14., ubi eam postulare videtur illud *domat.* Cod. Voss.: *sanciat.* De re ac sententia loci, respicere videtur ea, quae narrat Apollod. I. in fin. postea ab ea esse facta. Namque Medea Creusae peplum veneno infectum misit, quem simulac illa induit, valido igne correpta conflagravit. Vid. ad Epist. XIII, 93.

182. *Hostis — inultus.* Vid. ad Epist. V, 8.

184. *Verba minora meis*, h. e., humilia et qualia supplices facere solent, quae animum generosum et regalem dedeceant. Micyll. Ad sensum conf. Art. A. II, 548., Epist. XIX, 98., Epist. XI, 16.; Propert. IV, 9, 32.

> Et iacit ante fores verba minora deo.

Cum quo loco conf. Art. A. II, 376. Et ita *magna dicta* Val. Flacc. V, 600. et VII, 555.; *maxima verba* Prop. II, 19, 71.; *magna loqui* Hor. Sat. I, 3, 12.

185. *Tam tibi sum supplex.* Vulg.: *Nam t. s. s., quod tu m. s. f. Quam tu mihi* Put. Scribendum e cod. Leid.:

> Tam tibi sum supplex, quam tu mihi saepe fuisti.
> Heins.

Et sic etiam exhibent Dresd., Goth. 2., et Giess. *Quam tu* pro *quod tu* etiam Goth. 1. et Guelf. 3.

187. *Vilis.* Prop. I, 2, 25.

Si tibi sum vilis; communes respice natos:
  Saeviet in partus dira noverca meos.
Et nimium similes tibi sunt, et imagine tangor,
  Et, quoties video, lumina nostra madent.
Per superos oro; per avitae lumina flammae;
  Per meritum et natos, pignora nostra, duos:
Redde torum, pro quo tot res insana reliqui;
  Adde fidem dictis, auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque,
  Utque tua serpens victa quiescat ope;
Te peto, quem merui, quem nobis ipse dedisti;
  Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quaeris? Campo numeravimus illo,
  Qui tibi, laturo vellus, arandus erat.

Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis.

188. *Meos.* Put.: *manus.*

189. *Et nimium etc.* Eleganter illud *et* ter repetitur. Supra v. 35.

Et formosus eras, et me mea fata trahebant.

Metam. VIII, 216.

Et movet ipse suas, et nati respicit alas.

Vid. Epist. XVII, 179—184.

191. *Lumina.* Modo praecessit *lumina*; quare fortasse a Nasone scriptum fuerit, quod in Venn., Ald. priore, Bas., Mic. et Bersm. edd. et in uno Regio est, *numina,* ut supra v. 78. *Per genus et numen.* BURM. Nihil agit Burmannus talia exagitans, ut iam saepe dictum est.

192. *Pignora nostra, duos. Pignora cara* duo scripti. Auson. Parental.:

Liquisti natos, pignora nostra, duos.

In aliis (etiam in edd. Ven. 1492., Bas., Vinc., Col., Mic. et Bersm.): *tuos,* quod verbis *nostra pignora* videtur opponi, et profecto Senec. Med. 478. *tuorum* agnoscere videtur:

Per spes *tuorum* liberum et certum larem —

nisi *duorum* illic legendum. HEINS.

Senecae ille locus nihil facit ad huius loci scripturam constituendam. Legendum cum longe plurimis codd.: *duos,* atque intelligendum: *Per natos nostros duos, pignora nostra,* nostri amoris, coniugii.

193. *Torum,* ius tori, coniugium.

194. *Fidem dictis. Pactis* malebat Heinsius; sed perperam. Terent. Adelph. *Dictum inter nos fuit,* et ita noster saepe. Vid. Met. IV, 95. Regius male *exiliumque.* Senec. Med. 482. *Redde supplici felix vicem.* BURM.

196. *Quiescat,* dormiat. V. 101.

197. *Te,* te ipsum peto.

199. *Dos ubi sit, quaeris?* Ego

Aureus ille aries, villo spectabilis aureo,
Dos mea, „Quam“ dicam si tibi „redde“, neges:
Dos mea tu sospes; dos est mea Graia iuventus.
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.
Quod vivis, quod habes nuptam socerumque potentem,
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.
Quos equidem actutum... Sed quid praedicere poenam
Attinet? Ingentes parturit ira minas.
Quo feret ira, sequar: facti fortasse pigebit;
Et piget infido consuluisse viro.

malui per interrogationem legere: *Dos ubi sit, quaeris?* Vulgo *quaeris* affirmat. Cod. Mor.: *quaeras* (Dun.: *si quaeras*); *numeramus in illo* scripti plerique (etiam cum Dun. plures e meis), quod etiamsi Gronov. Obss. IV, 20. placet, ego vitiosum puto; nec rectius est, quod IV Heinsii codd. exhibent, *numeremus in illo*; loquitur enim Medea de dote, quam Iason iam possidet, accepit, ut patet sequentibus.

200. *Laturo*, pro ablaturo. Vid. ad Epist. XX, 48.

202. *Dicam si.* Conf. Epist. III, 111. et XVII, 136.

203. *Dos mea tu sospes.* Sen. Med. 489.

Hac dote nupsi, redde fugienti sua.

Dos mihi hic Hafn., et superiori versu Ball.

204. *Confer opes*, sc. cum his meis, hac dote. *Sisyphias* autem dicit, quia Creon, Creusae pater, erat Sisyphi filius, et contumeliose dicit, quia Sisyphus fuit latrociniis insignis, de cuius poenis apud inferos pleni sunt poetae. Met. IV, 460.

Aut petis aut urgues ruiturum, Sisyphe, saxum —

ubi vid. interpp. Eadem cum acerbitate atque contumelia Aiax Ulixen *Sisyphium* vocat Metam. XIII, 32., ubi vid. not. Gierig. Conf. Sophocl. Philoct. v. 384. et 417. et Ai. v. 190.

206. *Hoc ipsum.* Trist. V, 9, 20.

Hoc quoque, quod memores possumus esse, tuum est.

207. *Quos equidem actutum*, sc. ulciscar; est enim aposiopesis, ut Virgilianum illud:

Quos ego... Sed motos praestat componere fluctus.

Vid. Epist. XX, 51. Male Baumgarten-Crus. dedit *quod.*

208. *Parturit.* Eleganter. Ita apud Senec. Med. 25. *Parta iam, parta ultio est.* Burm. Innuit autem vindictam, quam cepit Creusam et filios suos ex Iasone occidendo. Apollod. I., Hyg. F. 25.

211. *Viderit.* De usu illo τοῦ *viderit*, qui frequens apud Ovidium est, vid. ad Pont. II, 2, 11. et ad Petron. LXI. et LXXXVII. Burm. Vid. Art. A. II, 371. et Metam. IX, 519., ubi apposite ad hunc locum explicandum Gierig: „Vox eorum, inquit, qui curam et iu-

Viderit ista deus, qui nunc mea pectora versat;
Nescio quid certe mens mea maius agit.

dicium alicuius rei alteri relinquunt." Vid. Ruhnken. ad Terent. Adelph. III, 3, 83.; Heins. ad Pont. I, 2, 9. Put.: *videris*. Deus autem est *Cupido*. Lectionem *ista* frustra suspectam habuit Werfer l. l. p. 559., qui scribi vult *ipse*. *Ista* respicit v. 209.

212. *Agit*. *Alit* rescribebat Francius, ut respiciatur *parturit*. Sic Terent. Andr. 1, 5. *Aliquid monstri alunt*. Sed nihil opus est. Senec. Med. 46.

Tremenda coelo pariter ac terris mala
Mens intus agitat.

Agit est, ut saepe, *molitur*, et multo hic significantius est, quam *alit*. In Puteaneo a manu sec. et VIII aliis Heinsii erat *agat*. Male. *Maius* est *terribile quid*, vel *tremendum*, ut Senec. l. l.



☞ De insolentioribus ac singularibus dictionibus et vocibus, item de fabulis, nominibus propriis et rebus, quae in ipsis commentariis non tanguntur aut explicantur, videndi sunt Indices.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Lentissimae in hoc libro typis describendo fuerunt operae; nam duodeviginti iam abhinc mensibus manuscriptum librario traditum est, quamvis ne nunc quidem totus liber, sed prius tantum eius volumen prodeat. Cuius morae caussas, quum aliis scire inutile sit, afferre non attinet. Sed quum, ut in praefatione dictum est, per hoc tempus studia nostra Ovidii non cessarint, factum est, ut nonnulla, quae ad singulos locos magis illustrandos conferant, item pauca, quae in commentario a me omissa sint aut peccata, invenerim atque notarim. Quae hoc loco adiicienda putavi. Quod autem ea non in altera parte, ut fere fieri solet, et in fine libri proposui, in caussa illud est, quod, alteri parti quae addam, non sunt, neque intra hos tres menses, quibus ea in publicum mittetur, futura esse puto.

Epist. I. ad annot. ad v. 1. adde: Vid. Sanct. Minerv. IV. c. 4. in v. *litera* et in v. *tabella*.

— in annot. ad v. 10. post verba *ut Metam. IV*, 275. adde: Vid. Salmas. ad Vopisci Aurelian. c. 46., Io. Ciampin. Veter. Monum. Part. c. 13. p. 104. et Wernsdorf. ad Poet. L. minores T. IV. p. 494. Conf. Metam. IV, 275. et Senec. Ep. 90.

— de scriptura v. 16. vid. annot. ad Sab. Epist. I, 16.

— ad v. 24. post verba *in aquas vertere* adde: Trist. V, 12, 68.

. . . . . in cineres ars mea versa foret.

— ad v. 29. post verba *rerum aestimatores* adde: Conf. Metam. 704. et Fast. IV, 524.

— ad v. 87. adde: Duo codd. Heins.: *tenet*.

— ad annot. ad v. 95. adde: Eodem modo Ovidius Fast. II, 63. novavit *positor* et Amor. III, 1, 51. *vulgator* et id genus permulta passim.

Epist. I. ad v. 103. adde: Quidam codd. Heins.: *Hoc faciant.*

— ad v. 116. adde: Ceterum hic locus colorem duxisse a Propertio videtur, qui II, 7, 45. sic habet:

Visura et quamvis nunquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.

Epist. II. ad annot. ad v. 5. adde: De sententia conf. omnino Metam. VII, 530.

— ad annot. ad v. 9. adde: Lincoln. et sex alii Heins.: *quae tarde;* Voss.: *tarde quoque.*

— in annot. ad v. 20. post verba *permulti codd.* adde: *Heinsii.*

— in annot. ad v. 89. inter verba *nova caussa* comma ponendum.

— in annot. ad v. 105. scribe V, 10, 1. loco V, 1.

— ad v. 120. adde: Voss.: *lata face.*

— in annot. ad v. 144. pro *morae rit* lege *mora erit,* vel potius *mora est.*

Epist. III. in annot. ad v. 4. post *Vid. Epist. V,* 74. adde: Atque ita docet ipse Ovidius Pont. III, 1, 158.

Interdum lacrimae pondera vocis habent.

— ad annot. ad v. 6. adde: Amor. II, 13, 27.

Si tamen in tanto fas *est* monuisse timore.

Conf. Trist. IV, 9, 1. et V, 2, 46.

— v. 18. *hostis* est Agamemnon, quo ducit etiam illud *prenderet.*

— in annot. ad v. 55. post verba *cum Burmanno* adde: ex Puteaneo codice.

— in annot. ad v. 67. loco *εἴγε δοκεῖ σοι* lege *εἰ δ᾽ οὖν,* et confer Trist. I, 2, 65. et Art. A. II, 597.

— ad annot. ad v. 105. adde: Sil. Ital. VI, 113. *Testor mea numina manes.*

— in annot. ad v. 118. post vocem *ferebatur* adde: Nam *Threiciam* non ideo vocari eam, quia Thrax ipse Achilles fuit, apparet ex Hom. Iliad. IX, 186.

Epist. IV. ad annot. ad v. 9. adde: Sed nunc alteram Burmanni interpretationem veram esse censeo, neque amplius, ut olim, de Latinitate dubito, quae ex vulgari vocis *sequi* significatione satis confirmatur; nec abhorret ea interpretatio a vernacula ratione dicendi: *In so fern man kann und es einem folgt* cet.

— in annot. ad v. 27. post vocem *invitat* adde: *quae.*

Epist. IV. in annot. ad v. 40. post vocem *studium* adde: Sed ita *iudicium* h. l. pro studio ponitur, ut ad propriam vim, quae est in iudicando, revocari possit. Vid. ad Epist. II, 77.

— in annot. ad v. 67. loco *Troezena* legendum *Troezene,* et ad v. 84. loco *Troezenae* lege *Troezene;* item ad v. 107. *Troezenis* loco *Troezenae.*

— in annot. ad v. 84. post verba *quodcunque agis* adde: Quodsi adhuc dubites, conf. Propert. II, 1, 15.

— ad annot. ad v. 105.: Immo intelligendus est *Isthmus Troezenis,* de quo diserte loquitur Pausan. in Corinth. II. Nec profecto poeta *hic Troezena colam,* nec vero *Pittheia regna* dixisset, si Isthmum Corinthiacum intellexisset.

— in annot. ad v. 157. post verbum *enuntiet* adde: Vid. ad Epist. XX, 125.

— ad annot. ad v. 159. adde: Vict.: *Quid sit.*

Epist. V. ad annot. ad v. 8. adde: Cod. chartac. Heinsii: *indigna.*

— in annot. ad v. 11. post vocem *habeat* adde: *et.*

— in annot. ad v. 152. pro *et nostro* legendum *dicitur et nostro.*

Epist. VI. ad annot. ad v. 3. adde: Unus Mor.: *incolumem.*

— ad annot. ad v. 30. adde: Immo intelligendum: „Vix, aegre, postquam iuravit, deos testes advocavit, credidi, fidem habui."

— annot. ad v. 63. velim sic refingi: *Cadentibus.* Sic cum vulg. omnes vett. edd. et longe plurimi codd., pro qua lectione Burmannus ex uno Gott. recepit *fluentibus,* quam scripturam codex quoque Trev. exhibet. Ac sane, propriam si vim vocis *cadentibus* spectes, naturae rei accommodatior videatur lectio *fluentibus.* Quominus tamen cum Burmanno ita scribendum putem, praeter auctoritatem illam librorum obstat poetarum in hoc genere libertas, et loci, qualis Trist. III, 5, 13.

Et lacrimas cernens in singula verba cadentes —

et ibid. I, 3, 18.

Imbre per indignas usque cadente genas.

— ad annot. ad v. 70. adde: Douz.: *a lacrimis.*

Epist. VI. in annot. ad v. 75—78. post verba *et concidat* adde: ut legitur in Put. et Reg.

— ad annot. ad v. 144. adde: Vid. ad Epist. XX, 93.

— velim post versum 163. puncto distinxissem, quo exsecratio illa gravissima et finis ille vere tragicus magis appareret.

Epist. VII. v. 23. Excerpta Sarr.: *incocto*.

— in annot. ad v. 53. post verba *satis firmata est* adde: et vid. Trist. V, 9, 5.

— in annot. ad v. 85. post vocem *narrabas* adde: Quidam Heins.: *narrabis*.

— ad annot. ad v. 189. adde: Reliqui libri cum vulg.: *primum*.

Epist. VIII. ad annot. ad v. 39. adde: Vat.: *concedit*.

— de consecutione temporum v. 90. vid. ad Epist. XVI, 278. et XV, 4.

— in annot. ad v. 110. pro *Seidl.*: *Quoque* lege *Seidl.*: *Quoque libet*.

Epist. IX. ad annot. ad v. 13. adde: Sarr.: *iudicibus*.

— in annot. ad v. 38. post verba *modo—servetur* adde: Met. VII, 413.

> Cerberon abstraxit, rabida qui concitus ira
> Implevit pariter ternis latratibus auras.

— ad annot. ad v. 95. adde: Put. a m. pr.: *elulabat*.

— v. 102. praestantiores: *non cultu* pro vulg.: *num cultu*. HEINS.

— ad annot. ad v. 120. adde: Conf. Propert. III, 1, 24. De illo *et*, ubi etiam *et praeterea* dici poterat, conf. Trist. IV, 6, 38.

— in annot. ad v. 167. post vocem *novissime* adde: lucem.

Epist. X. in annot. ad v. 10. post verba *qui ibi laudantur* adde: Et habet *sopor*, cum qua voce ea, de qua quaeritur, cognata est, priorem brevem.

— v. 31. Vid. Epist. XX, 178.

— in annot. ad v. 59. adde: Put.: *culto*.

— in annot. ad v. 66. pro *deo* lege *rege*.

— ad annot. ad v. 67. adde: Iun.: *disiecta*.

— ad annot. ad v. 85. adde: Douzae cod.: *parit*.

— in annot. ad v. 86. pro *Amari* lege *Amaro*.

Epist. X. in annot. ad v. 106. post verba *nonnulla Heins.* adde: cum vulg.

— ad annot. ad v. 111. adde: Unus Palat.: *cur.*

— in annot. ad v. 144. pro *Si non ego tibi causa sum salutis* lege *Si non ego (tibi) causa (sum) salutis.*

Imprudenti nescio quibus in locis exciderunt *subintelligere* loco *subaudire, patere in* pro *patere ex, non vero* pro *et non* vel simplici *non, Van Lennepii* pro *Lennepii,* bis *licet* cum indicativo, quae certe me non fugissent, si schedas typothetae corrigere mihi ipsi licuisset. Nunc hoc loco corrigo. *Cuiusvis est hominis errare; nullius nisi insipientis, perseverare in errore.* Cic.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES

ET

A. SABINI

EPISTOLAE.

E VETERUM LIBRORUM FIDE ET VIRORUM DOCTORUM ANNOTATIONIBUS RECENSUIT, VARIAS LECTIONES CODICUM ET NONNULLARUM EDITIONUM APPOSUIT, COMMENTARIIS, IN QUIBUS ETIAM ANNOTATIONES NICOLAI HEINSII, PETRI BURMANNI, DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP ALIORUMQUE VIRORUM DOCTORUM PARTIM INTEGRAE PARTIM EXPLETAE ATQUE EMENDATAE CONTINENTUR, INSTRUXIT, DE HIS CARMINIBUS PRAEFATUS EST ET INDICES ADDIDIT

VITUS LOERS

GLADBACENSIS.

Insunt variae lectiones XII codicum separatim excusae.

PARS II.

COLONIAE

APUD M. DUMONT-SCHAUBERG.

MDCCCXXX.

34

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

Quum ventis adversantibus Protesilaus cum ceteris Graeciae principibus ad bellum Troianum profecturis Aulide detineretur, Laodamia, uxor eius, somniis et nuntiato responso illo, eum, qui primus e classe Graeca in litus Troianum egressus esset, periturum, exterrita, hanc marito scripsit Epistolam. Hom. Iliad. II, 698. *sqq., Hyg. F.* 103., *Lucian. Dial. Acaci et Protes.*

Mittit et optat amans, quo mittitur, ire, salutem
Haemonis Haemonio Laodamia viro.

1. *Ire.* Delendum comma post *ire*; durior enim ratio Micylli, verborum ordinem hunc constituentis: *Amans Aemonis Laodamia mittit salutem viro Aemonio et optat eo ire, quo mittitur salus.* Nimirum sollicita erat Laodamia de salute viri, quam sollicitudinem etiam tota hac Epistola ostendit. Igitur Ovidiano more statim a principio veluti summam propositam habemus argumenti, dummodo simplicissime cum Crispino interpretemur: *et eam salutem cupit pervenire, quo mittitur.* Lenn. Quod *salutem* cum *ire* coniungendum censet Van Lennep, facile assentior, ut quod verborum constructio omnino postulet. Nam, ut a Micyllo propositam sententiam locus contineret, poetae omnino addendum erat *ipsam* vel *se*, nec sic satis planus esset sensus. Sed contra Lennepii sententiam retinendam puto interpunctionem veterem, sc. comma post *ire*, ut vox *salutem*, licet quod ad sensum etiam ad *ire* pertineat, tamen proxime iungatur voci *mittit*, nimirum propter dativum illum versus sequentis, qui regitur a verbo *mittit*, et sic fere locum construendum: *Mittit amans, et optat quo mittitur ire* (sc. salutem), *salutem Haemonio viro.* Veteres rectius totam sententiam non interpungebant. Qui vero illud *et optat amans quo mittitur ire,* ut paullo frigidius, non Ovidianum censent, refutantur et consensu librorum et vero etiam hoc loco Pont. III, 2, 1. et 2.

Quam legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere *perveniatque,* precor.

Conf. Epist. IV. init. *Haemonis Haemonio* pro *Aemonis Aemonio* dedimus cum Heusingero et Iahno ex nostris temporibus observata ratione scribendi. *Phylace,* ubi Prosesilaus regnavit, oppidum erat Thessaliae. Plin. H. N. IV, 9. Hinc *Haemonis Haemonio;* nam Thessaliae Haemonia nomen est ab

Aulide te fama est vento retinente morari:
Ah, me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis;
Illud erat saevis utile tempus aquis.
Oscula plura viro mandataque plura dedissem;
Et sunt, quae volui dicere multa tibi.
Raptus es hinc praeceps, et, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautae, non ego, ventus erat;
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti:
Solvor ab amplexu, Protesilaë, tuo;
Linguaque mandantis verba imperfecta reliquit;
Vix illud potui dicere triste Vale.

Haemone, Thessali patre. Plin. H. N. IV, 7., Strabo IX. p. 449.

3. *Aulide.* „In ipsis faucibus Euripi Aulis capaci nobilis portu“ (Plin. H. N. IV, 7.), ubi Graecorum classis, cum ad bellum Troianum proficisceretur, congregata (Iliad. II, 303.) et propter cervam Dianae ab Agamemnone occisam tempestatibus retenta est. Hyg. Fab. 98., Ov. Metam. XII, 24.

4. *Ah, me.* Pat. cum VIII aliis (et edd. Venn.): *A me,* fortasse recte. Vid. Epist. VIII, 110. *Burm.*: *Ah* rectum est, utpote in affectu dictum, qui vel ipsa interrogatione illa significatur; ex quo etiam explicanda vox illa *fugeres* pro *proficiscereris.*

5. *Tum.* Vett. edd., Guelf. 2. et Trev.: *Tunc,* quod nuper dedit Iahn, sine idonea, ut mihi videtur, caussa.

6. *Saevis utile — aquis.* Tempus aptum tempestatibus. Late patere apud Ovidium usum atque vim vocis *utilis,* iam supra dictum est. Epist. II, 129. De *saevis aquis* conf. Epist. VII, 73.

8. *Dicere multa.* Multi codd.: *multa;* sed magna librorum pars *plura,* quod arridet, ut superiorum sit repetitio. *Heins.* Et sic recentiores editiones, praeter Amari, omnes. Sed cum multi Heins. et mei plerique (vid. var. lectt.) et ed. Naug. cum vulgata habeant *multa,* mihi ea lectio, ut h. l. insolentior, non librariorum notae videtur.

12. *Solvor,* sc. invita, non ipsa me solvo. Ceterum contrario sensu dixit *necto* Epist. II, 141.

13. *Mandantis.* Multi codd. Heinsii: *mandatis* et *relinquit.* Placet *mandantis,* quod etiam Goth. 1. et Dresd. tuentur, ac prae illa lectione et simplicitate constructionis et Latinitate commendatur. Sed *reliquit,* pro quo Heinsius induxit *relinquit,* revocavimus, tum quia sic est in veteribus edd. et omnibus fere scriptis, tum quia statim sequitur *potuit;* quanquam posterius illud minoris est momenti. Vid. Epist. XIV, 37.

14. *Vix.* Conf. Epist. V, 52. — *Potuit.* Pro *potui* vulgatae lege

Incubuit Boreas arreptaque vela tetendit;
Iamque meus longe Protesilaus erat.
Dum potui spectare virum, spectare iuvabat,
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre;
Vela diu vultus detinuere meos.
At postquam nec te, nec vela fugacia vidi,
Et, quod spectarem, nil nisi pontus erat;
Lux quoque tecum abiit, tenebrisque exsanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.

e IV codd. *potuit.* Epist. XII, 56.

Et dixit tenui murmure lingua „Vale".

Vid. Epist. X, 46. et 120. *Burm.* *Potuit* exstat etiam in codd. Helmst., Giess., Goth. 1., Dresd., Erf. et vett. edd. Gron.: *valui.*

15. *Boreas.* Male omnino Ciofanus ad h. l.: „Boreas, inquit, pro quolibet vento propitio euntibus e Graecia in Phrygiam; alioqui Boreas contrarius est." Atqui non statim in Phrygiam Protesilaus, sed e portu quodam Thessaliae in Boeotiae portum Aulidem, ubi conventus indictus erat Graecorum classi, navigabat. Boreas igitur omnino secundus erat. Haec recte Lennepius.

Arreptaque. Put. et alii praestantiores (?) *abreptaque. Heins.* „Alios" illos iterum puto esse perpaucos, quum ex XI meis nonnisi tres eam scripturam tueantur. Neque tamen eam l. cum Werfero l. l. p. 559. sensu carere putem. Nam et sic capi potest, ut sit *cum vi afflata*, et ut sit appositum, quod dicitur, per *prolepsin: vela tetendit, ut statim abrepta essent.* Vid. v. 16. et infra v. 136. Neque praeterea quidquam obstat, quominus *abreptaque vela tetendit* accipiamus simpliciter: *et abripuit vela eaque tetendit.* Sed vera l. mihi videtur esse vulgata *arreptaque*, h. e. afflataque, in qua aptus ordo effectuum venti conspicitur: *incubuit, arripuit, tetendit. Arreptaque* ex XI meis tuentur Trev., Guelf. 3., Erf., Helmst., Giess.; tres, sc. Goth. 2., Guelf. 2. et 4. cum Iun., Douz. et Pal.: *ereptaque;* tres alii, sc. Dresd., Goth. 1. et Guelf. 1.: *abreptaque.* Bas.: *afflataque*, quod glossema est vocis *arreptaque. Incumbere* de violentia ventorum est etiam apud Virg. Aen. I, 84., ubi vid. Heyn. Vid. etiam Mitscherl. ad Hor. Od. I, 3, 31.

17. *Dum potui etc.* Conf. Epist. V, 55.

20. *Detinuere. Hielten fest, gefesselt.*

21. *Fugacia. Fugax*, Homericum φυξακινός, ad fugiendum pronus. Conf. Epist. XI, 43.

23. *Tenebrisque.* Heinsius e nonnullis scriptis dedit, quod etiam exhibent vetustissimae edd., *tenebris*, nos *tenebrisque*, quod cum vulg. tuentur plurima mss., et aptius est ad praecedentia *nec Et.* Conf. Epist.

Vix socer Iphiclus, vix me grandaevus Acastus,
  Vix mater gelida moesta refecit aqua.
Officium fecere pium, sed inutile nobis:
  Indignor miserae non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
  Pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est praebere capillos;
  Nec libet aurata corpora veste tegi.
Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
  Creditur, huc illuc, quo furor egit, eo.

IX, 135. De sententia, huc pertinet Plaut. Curcul. II, 3, 30. *Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt.* Trist. I, 3, 91.

Illa dolore mei tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.

Conf. Art. A. II, 88. *Succiduo* est *labante* vel, ut est Met. XIII, 477., *defecto.* Eodem modo *poplite succiduo* est Metam. X, 458. *Dicor;* nam ipsa, quid egisset, nesciebat.

25. *Iphiclus.* Protesilaus filius fuit Iphicli, regis Phylacae. Hom. Iliad. II, 695. Conf. Odyss. XV, 225. sqq. et XI, 286. sqq., Apollod. I.

Acastus pater Laodamiae. Dubitat Burmannus in Catalogo Argonautarum, quem Val. Flacci editioni praemisit, utrum hic idem sit Acastus cum Acasto Peliae filio et Iasonis socio, an sit ab eo diversus putandus. Vix enim iam Vopisco visus ille vitae tempus ad Troiana usque tempora producere potuisse. Sed patet ex Euripidis Troad. v. 1126. Acastum Peliae filium ultra etiam Troiani belli tempora vixisse. Adde, quod et hic patria Thessalus, et Thessalus quoque Laodamiae pater, unde ipsa Epistolae principio Aemonida se vocat. (Adde, quod, cum tempus itineris Argonautarum veteribus quoque incertum atque obscurum esset, poetis in ea re, modo intra probabilitatem se continerent, sua uti libertate licebat. Vid. ad Epist. I, 63. et II, 3. *L.*) LENN. Versu 26. Mor. et III alii Heins.: *membra.*

29. *Ut rediit animus.* Olim edebatur: *Utque animus rediit;* sed Heinsius e cod. Put. et VII aliis primus dedit: *Ut rediit animus.* Vid. ad Epist. VI, 31. et var. l. Ceterum mire sibi poeta indulsit in huius versus numeris: *rediit* (◡ ◡ –), *animus* (◡ ◡ –), *pariter* (◡ ◡ –), *rediere* (◡ ◡ –). Conf. tamen Art. A. III, 107.

30. *Momordit amor.* Virg. A. IV, 66. — — — *est mollis flamma medullas.* Vid. Ruhnk. ad Terent. Eun. 3, 1.

31. *Pectendos — capillos.* Vid. ad Epist. XXI, 89.

32. *Aurata.* Art. A. III, 131. *graves insuto vestibus auro*; conf. ibid. vss. 137. et 138. et Epist. XII, 152.

Conveniunt matres Phylaceides, et mihi clamant
„Indue regales, Laodamia, sinus!“
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes,
Bella sub Iliacis moenibus ille geret;

33. *Pampinea — hasta.* „Ut Bacchantes a Baccho aguntur, sic etc.“ *Pampinea hasta,* pampinis tecta, circumvoluta vel, ut est in Metam. III, 666., *velata,* quae est *thyrsus.* Eodem modo Virg. A. VII, 396. *pampineas hastas.* Conf. Metam. IV, 7. et XI, 27. et Virg. Ecl. 5, 31. Imago autem ea, qua a furore Bacchico correpti ab ipso deo feriri, tangi dicuntur, saepe reperitur. Amor. III, 15, 17.

Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus.

Conf. Amor. III, 1, 23., Trist. IV, 1, 42., Epist. X, 48. et IV, 47. Hinc Bacchus θύρσῳ δεινὸς in Epigr. 251, 2. Anal. Brunk. III, 201. *Bicorniger* dicitur, quia vinum animos addit atque, ut Festus ait, truces homines facit. Vid. Art. A. I, 237. sqq., Horat. Od. III, 21, 18. ibique Mitscherl. Conf. Epist. XV, 24.

34. *Quo.* Sic cum edd. Venn. multi e scriptis Heinsii et meis. Vid. var. l. Alii scripti et aliae vett. edd. cum vulg.: *qua.* Vid. Epist. IX, 145. et XII, 209. Conf. Epist. X, 19.

35. *Phylaceides. Phylleïdes* ab Heinsio cupidius admiratione vocabuli rarioris huc intrusum, quam verius, merito censuit Hemsterhus. ad Lucian. Dial. Mort. XXIII. Caussam quidem Heinsius reiectae ab se vulgatae etiam hanc attulit, quod primam in derivatis a Φυλάκη Ovidius alibi plerumque producat, geminato *l.* Sed ipsum illud „plerumque“ satis indicat, Heinsium non multum huic rationi tribuisse. Nec fugiebat virum in Ovidio versatissimum locus Trist. V, 14, 39.: *Ut vivat fama coniux Phylaceia.* Nimirum a Φυλάκη, quam urbem Phylacus condiderat, avus Protesilai, gentile est Φυλακεῖος, Ionice Φυλακήϊος, unde fem. Phylaceïa, et alterum gentile Φυλακεὺς, unde fem. Φυλακηΐς, quo usi Apollon. Rhod. I, 47. et Stat. Silv. V, 3, 272. et Ovidius hoc loco. Tertium gentile Φυλακήσιος habet Stephanus ad vocem Φυλάκη. Protesilaum autem *Phyllaciden* (apud Propert. I, 19, 7., Ovid. Art. A. II, 356., III, 17., Sabin. I, 67.) cum Burmanno in Argonautarum Catalogo ad v. *Iphiclus alter* et Hemsterhusio ad d. Luciani locum potius ab avo *Phylaco,* quam oppido *Phylace* vocatum putem, idque ob formam nominis patronymicam et non ob signatam ab Homero, Iliad. II, 700. et 935., primae syllabae quantitatem: neque enim alia haec in Φύλακος, quam est in Φυλάκη, cum natura brevis in utroque nomine etiam produci prima possit ob sequentem liquidam, sicut media in Ἀχιλεὺς, prima in ἔλαβεν. *Lenn.* Conf. not. ad Epist. XVI, 173.

36. *Sinus* pro veste, ut ab insigni vestis parte. Vid. For-

Ipsa comas pectar, galea caput ille premetur;
Ipsa novas vestes, dura vir arma feret?
Quo possum, squalore tuos imitata labores
Dicar, et haec belli tempora tristis agam.

cell. in v. Conf. Epist. V, 71.

37. *Saturatas*, h. e. valde, penitus imbutas, unde *satur color*, h. e. *plenus*, apud Plin. XXXVII. c. 10. Metam. XI, 166.

— — Tyrio saturata murice palla.

Scilicet cum indignatione. Bas. et pro var. l. Gron. et Goth. 2.: *lanas*. *Sub moenibus Iliacis* ad magnitudinem periculi significandam.

39. *Pectar*. Alter Mor. (etiam Dresd. et Guelf. 1.) *pectar* (nam vulgo libri exhibent *pectam*), eleganti Graecismo; confirmat v. 31. Hoc enim ancillarum officium, quae *ornatrices* hinc dictae. Art. A. I, 367. Stat. Achill. *pecti iubas*. Heins. Passivum *pectar* etiam confirmat pass. *premetur*. Quod autem de ancillarum officio attulit Heinsius, parvi est momenti, quum saepe id, quod per alios facimus, nos ipsos facere dicamus. Coniunctivos, qui vulgo leguntur, *gerat*, *prematur*, *ferat*, induxit Heinsius et quidem duos posteriores, ut ipse quidem refert, e nonnullis suis codd., praeeunte tamen Naugerio. Sed edd. Venn., al.: *geret*, et sic omnes fere codd. Vid. var. l. E meis fortasse unus Goth. 1.: *gerat*. Eaedem edd. et ex XI meis Trev., Giess., Guelf. 3. et 4., Goth. 2., Erf., Dresd.: *premetur*. *Ferat* plurimi (?) Heins., e meis soli Gothh. II et Trev.; reliqui codd. et edd. Venn., al. et vulg. vindicant futurum. Ego nescio, an futura cum Heusingeris recte revocentur ut insolentiora et firmata auctoritate vetustatis, cum praesertim etiam v. 42. futura pro responsione vel correctione sequantur. De Latinitate dictum est ad Epist. VI, 75. et VIII, 17. De figura orationis conf. Epist. VI, 133. 134.

40. *Vestes*. Wakefieldio Silv. Crit. Sect. CXXXIX. displicet repetitum *vestes*, unde mira prorsus correctione rescribendum h. l. censet: *Ipsa togas gestem*. Hoc si Rom. e more intelligendum sit, (quid enim Graecae mulieri cum togis?) erat sane, cur togata conspici Laodamia nollet, mulier bene nata et pudica. Vid. modo Hor. Serm. I, 2, 63. et 82., Mart. IV, 54, 6., Iuv. Sat. II, 70. (ubi vid. Rupert. et quos laudat). Lenn.

41. *Quo*. Put., Arg. et Ment.: *Qua*, e quibus Heinsius aliique, eum secuti, ita scripserunt. Idem exhibent e meis Goth. 2., Guelf. 1., 3. et ed. Naug., al. Restituendum est *Quo* cum longe maxima parte librorum mss. et edd.: *squalore, quo uno possum*. Trist. IV, 2, 57.

Haec ego submotus, qua (una, sola) possum, mente videbo.

IV, 10, 112.

Tristia, quo possum, carmine fata levo.

Vid. ad Epist. VIII, 5. et X,

Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
  Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Taenariae faciem culpasse maritae,
  Aut illi vellem displicuisse tuam.

53. Conf. Epist. V, 56. De usu hoc vocis *dicar* vid. ad Epist. II, 82. Palat.: *Quam.*

43. *Dux Pari.* Male legitur hic *Dux Pari*; neque enim convenit, ut irata *ducem* appellet Paridem. Et ex verbis Hom. Iliad. III, 39. apparet legendum esse: *Dyspari.* Dicit enim: Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε etc. *O male et infelix Pari.* Alludens igitur ad illa Homeri, facit iratam Laodamiam loqui de Paride contumeliose, sic: *O Dyspari,* i. e. *O male et infelix Pari.* Error autem facile natus est, vel ex ignoratione Graec. literarum, vel quod ypsilon putatum fuerit esse *u* nostrum et *s* litera conversa sit in *x*. *Hubertin.* Cod. Sarr. quoque: *Dispari,* et ed. Vinc.: Δύσπαρι. *Heins.* Sic et in uno Reg. et II edd. Venn. reperi; sed ego tam docte ac moleste Ovidium scripsisse vix puto, et cum *duces* passim a poetis heroas et reges dictos sciam, retineo vulgatam. De usu hoc *duces* vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 202. et 687., et ipse Ovidius Augustum et Tiberium hoc titulo insignire non dubitat, Art. A. III, 119., et Phaedr. II, 5. Tiberium *ducem* vocat. Vid. D. Heins. ad Fast. II, 139. et Fast. IV, 884. (Virg. Aen. VI, 348. *Dux Anchisiada.*) *Burm.* *Dyspari,* quod ex Hom. Iliad., ex Alcmanis loco apud Ursin. p. 66. et Luciani Dial. Mort. 19. reponendum h. l. censuerunt Hubert., Heins., Hemsterh., Bentl. (vid. hunc ad Lucan. III, 250.) quodque cod. habet Reg., cum in Sarr. sit *Dispari,* ipse recipere non sum ausus, molestiam dictionis in Latina, praesertim nostri, Epistola non de nihilo reprehendisse mihi visis Egnatio, Micyllo, ipso quoque Burmanno. Fieri tamen potest, ut vocabulum istud, usu frequentatum iam ab aliis et Rom. quasi civitate donatum, ita quoque Ovidius usurpare non sit veritus. Tragicos quidem Latinos, quorum fuerunt *Dulorestes* aliaque similia, etiam *Dysparis* haud cunctanter adoptasse facile mihi persuaderi patiar. Et vero illud *Dyspari* h. l. quodammodo appetere videri adiuncta, bene observatum est ab Hemsterhus. ad locum cit. Luciani T. I. p. 410. *Lenn.* Sane, si id statuas, poetam h. l. versum illum Homericum expressisse. Sin autem omnino, ut saepius, poetam rationem Homericam imitatum esse accipias, l. *Dux Pari* nihil prorsus habet, quod offendat; apud Homerum enim Heroes, hostis hostem, etiam si sese increpant, titulis suis se compellare solent. Iliad. XVII, 12. 34., XXII, 279., V, 277., XI, 430. Vid. ad Epist. I, 87. *Damno formose,* sc. quia eius pulcritudine capta Helena est. Gronov. pro var. l.: *virorum.*

45. *Taenariae,* Helenae, a Taenaro Laconiae monte et pro-

Tu, qui pro rapta nimium, Menelaë, laboras,
Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!
Dì, precor, a nobis omen removete sinistrum;
Et sua det reduci vir meus arma Iovi.
Sed timeo, quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis lacrimae sole madentis eunt.
Ilion et Tenedos Simoisque et Xanthus et Ide
Nomina sunt ipso paene timenda sono.
Nec rapere ausurus, nisi se defendere posset,
Hospes erat: vires noverat ille suas.

montorio. Plin. H. N. IV. c. 5. Senec. Herc. Fur. 662. Vid. ad Epist. VIII, 72.

48. *Flebilis,* qui fletur, lacrimarum caussa est. Amor. II, 1, 32., Hor. Od. I, 24, 9.

49. *Removete.* Pal., Reg. et Douzae Excerpta: *revocate.* *Omen.* Vid. infra v. 86.

50. *Et sua det etc.* Hom. Iliad. VII, 82. de Hectore, qui Aiacem interficere cupiebat:

Τεύχεα συλήσας οἴσω ποτὶ Ἴλιον ἱρὴν
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Vid. infra v. 144. Solebant milites, confecto bello, arma (et omnino, qui artem aliquam deponebant, eius artis instrumenta ad deos huius artis praesides) suspendere. (Conf. Lambin. ad Hor. Epist. I, 1, 5.) Vid. Trist. IV, 8, 22. CIOF. *Ut sua det* Excerpta Douzae. *Redux* est pro reducente, ut *Fortuna redux.* Sab. Epist. I, 78.

Iam reduci solvens debita vota Iovi.
BURM.

Vetus lapis apud Gruter. p. 22. n. 3. *Templum Iovi reduci.* Vid. Forcell. Lex.

51. *Quotiesque subit.* Cod. Vatic., vulgata et edd. Nauger., Vinc. et Col.: *quotiesque subit.* Reliqui libri fere omnes: *quoties subiit.* Sed ad sententiae bonitatem prius longe praeferendum. *Subire* simpliciter infra v. 123., Trist. I, 3, 1. Vid. ad Epist. XVIII, 62.

53. *Ide.* Sic scripti plerique loco *Ida,* ut est in nonnullis codd. Heins. et marg. Bersm. et edd. Venn., al. Vid. ad Epist. V, 73. *Ide* vel *Ida* mons et Cretae et Troadis, h. l. Troadis, de quo vid. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 20, 16. *Xanthus* et *Simois* fluvii agri Troiani, qui prope Troiam confluebant. Hom. Iliad. V, 774., Plin. H. N. V, 30. *Tenedos* parva insula maris Aegaei, agro Troiano vicina,

— dives opum, Priami dum regna manerent,

ut ait Virg. A. II, 21., ubi vid. Heyn. Conf. Gier. ad Metam. I, 516.

55. *Nisi se. Nisi eam* malebat Franc., ego malim *nisi si.* *BURM.* Ego *nisi se.*

57. *Spectabilis*, ut *amabilis,* dignus, qui spectetur.

Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes;
Classe virisque potens, per quae fera bella geruntur:
Et sequitur regni pars quota quemque sui?
His ego te victam, consors Ledaea gemellis,
Suspicor; haec Danais posse nocere puto.
Hectora nescio quem timeo: Paris Hectora dixit
Ferrea sanguinea bella movere manu.
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto:
Signatum memori pectore nomen habe.

58. *Phrygias—opes.* Art. A. III, 131.

Nec prodite graves insuto vestibus auro;
Per quas nos petitis, saepe fugatis opes.

Quique ferret. Intellige: *et is, qui ferret Phrygias* (magnas) *opes.*

59. *Per quae.* Malim *per quos;* ut viri, milites, intelligantur. Sed vid. Voss. op. Gramm., libr. de Construct. c. 4. *Heins.* Et Drakenb. ad Liv. I, 53.

60. *Quota quemque.* Put. pro var. l.: *quotacunque;* Sarrav.: *quotaquaeque* vel *quotaquamque*; *quotaquaeque* etiam multi alii ex scriptis. Art. A. III, 103.

Forma dei munus; forma quotaquaeque superbit.
Heins.

Recte. Ita Quint. Decl. 335. *Dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt. Quotamquamque partem habeo viventis? Burm.* Atque ita nunc vulgo legitur. Sed Iahn recte restituit cum plurimis codd. et vett. edd.: *quota quemque,* ut sit sententia generalis: *et quam parvulam partem quisque regni sui secum ducere solet?* Eodem ducit, quod poeta sententias generales, ut saepe iam diximus, in deliciis habet, et illud praesens, et quod, *quotaquaeque* si legas, desideratur obiectum. Immo *quotaquaeque* ferri non potest propter vv. 57. et 58.

61. *Consors* frequenter ab Ovidio usurpatur, et hoc latiore quidem significatu, sc. pro sorore, fratre, ab eo sine dubio novatum est. Vid. Met. XIII, 663., VIII, 444. Conf. Epist. III, 47. *Victam,* sc. quamvis nollet, ac resisteret.

63. *Nescio quem.* Vid. ad Epist. V, 127. Sed hoc loco, de quo quaeritur, decorum feminae affectat poeta, quo illa rerum externarum parum gnara est.

65. *Quisquis is est.* Hic versus argumento potest esse, Ovidium sibilum vel concursum literae *s* non ubique sedulo vitasse. Ceterum Dict. Cretensis ab Aenea occisum Protesilaum tradit. Vid. Schol. Hom. Iliad. II, 698. Sed noster sequi videtur eos auctores, qui ab Hectore eum occisum prodiderunt. Hyg. F. 103. Lov.: *si quis is est.*

68. *Hectoras,* qualis Hector. Eodem modo Cic. *Thucydidas.*

Hunc ubi vitaris, alios vitare memento,
  Et multos illic Hectoras esse puta;
Et facito, ut dicas, quoties pugnare parabis,
  „Parcere me iussit Laodamia sibi."
Si cadere Argolico fas est sub milite Troiam;
  Te quoque non ullum vulnus habente cadat.
Pugnet, et adversos tendat Menelaus in hostes,
  Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.

Caesari multos Marios inesse Suet. Caes. c. 1., ubi vid. Oudendorp. Notum illud Martial. 8, 56.

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.

69. *Et facito, ut dicas.* Heinsius ex uno Gron. primus dedit *facito dicas,* cum reliqui codd. et vett. edd. consentiant in *facito, ut dicas.* Ac prior illa scriptura sane magis est ex more Ovidii, apud quem nihil est illa circumlocutione frequentius. Epist. XX, 152. 203., II, 98., hac Epist. v. 144., Remed. A. 613., Fast. III, 343., Trist. IV, 1, 104., al. Ac vulgo eam statuunt observationem, ut *fac, facito* cum solo coni. ponatur tum, si fere circumlocutio imperativi sit, cum particula *ut,* si valet *rem institue, noli negligere, curam habe,* velut Terent. Adelph. V, 3, 59. Ego vero, ut verbum *fac* cum coni. sine particula *ut* nunquam pro mero poni imperativo existimo, sed semper et ubique propriam vim suam retinere et esse *curam habe, effice,* simil., vel, quod eodem redit, gravius iubere; sic prorsus nihil caussae video, cur hoc loco vett. libros sequendos non putem. Art. A. III, 681. 682. Ceterum egregie hic versus confirmat scripturam *narrabis* Epist. X, 127. — Burmannus, vituperans haec *facito, ut dicas,* „Si haec, inquit, praedicaret publice Protesilaus, ut ignavus et segnis ab aliis iure argueretur. Fortasse scripsit: *Et tacito* vel *tacite dicas.* Si *tacito* pro *tacite* veteres dixissent, illud praeferrem." Mire ac ridicule. Neque enim h. l. legitur *vociferare,* ut omnes audiant, neque *dic aliis,* nec, quod maius est, de virtutis fama mariti sui ita est sollicita Laodamia, atque hoc ipsum elegans est ac prorsus ex more atque ingenio feminae sincere ac vehementer amantis. Conf. v. 97. et seqq. et Epist. I, 4.

71. *Argolico.* Vid. ad Epist. I, 25.

72. *Cadat.* Sic legendum; est autem optandi verbum. *Ciof.* „Si fas est — — — — —; utinam quoque, te salvo et incolumi, cadat." Lov.: *Te quoque, sed nullum vulnus habente.*

74. Hic versus cum sequenti absunt a Put. et Lov.; sunt tamen Ovidiani, si quid video. Offendit fortasse delicatas aures illud *sibi* pro *illi* positum. Sed sic solent Latinitatis auctores. Martial. 5, 88.

Irruat et, causa quem vincit, vincat et armis.
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Causa tua est dispar: tu tantum vivere pugna
Inque pios dominae posse redire sinus.
Parcite, Dardanidae, de tot, precor, hostibus uni,
Ne meus ex illo corpore sanguis eat:
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Saevaque in oppositos pectora ferre viros;
Fortius ille potest multo, quam pugnat, amare:
Bella gerant alii; Protesilaus amet.

Profecit poto Mithridates saepe veneno,
Toxica ne possent saeva nocere sibi.

Vid. Barth. ad Rutil. Itiner. I, 290. Cic. apud Non. in *apud. Cuius etiam focum Cato ille noster, quum venerat ad se in Sabinos, visere solebat.* HEINS. Et mihi hi duo versus, quamvis etiam in codicibus, Trevirensi, Guelf. 1. et 3. desint, Ovidii esse videntur, ut talia acumina captantis, nec sine iis recte habent, neque intelligi satis possunt, quae sequuntur. Vid. ad Epist. XII, 41. Cod. Dun.: *Et rapiat P., quod P. a. s.*

75. *Causa quem vincit.* Quo iustiorem caussam habet. Ex iure dictum. Vid. ad Epist. XVI, 76.

76. *Hostibus etc.* Post hunc v. in Ox. haec legebantur:

Hostis et invadat thalamos Helenamque reducat,
Ictibus adversis poscat sua munera fortis.

In alio Moreti:

Ictibus adversis poscat sua munera fortis,
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
BURM.

77. *Est* in duobus codd. Heinsii non legitur. *Pugna vivere.* Vid ad XVII, 137.

78. *Sinus.* Cic. Philipp. II. c. 25.: *Venisti Brundisium, in sinum quidem et in complexum tuae mimulae.* Conf. Epist. XX, 48.

80. *Ne meus etc.* Hoc innuit: „Illius vulnera mea vulnera sunt, illius sanguis meus est;“ sed modo nimis quaesito.

83. *Quam pugnat, amare.* Vulg.: *qui pugnat amore,* et sic veteres edd. et plerique codd. Heinsii et mei. Vatic.: *cui pugnat amore.* Monac.: *quam pugnet amare.* Put.: *quam pugnat amare.* Burm. et Heins. ediderunt: *quum pugnat amore.* E quibus sententiae bonitate excellit lectio codicis Put., quam probatam etiam a Lennepio ad h. l. et ante illum a Iortino in Misc. Obss. Vol. II. T. I. 23. cum Iahno recepi. Sed tamen nescio, an etiam vulgata defendi possit, ut versus hic quasi opponatur vss. 81. et 82., et verba *bella gerant* versus 84. respiciant versum 83., et verba *Protesilaus amet* versus 81. et 82. In constructione verborum non haerendum. Trist. II, 554.

Nunc fateor, volui revocare, animusque ferebat;
Substitit auspicii lingua timore mali.
Cum foribus velles ad Troiam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.
Ut vidi, ingemui tacitoque in pectore dixi
„Signa reversuri sint, precor, ista viri!“

Quaeque gravis debet, verba cothurnus habet.

Fast. II, 62.

Nec satis est homines, obligat ille deos.

De re et sententia conf. Epist. XVII, 253. et, ut fontem huius locutionis aperiam, Hom. Iliad. V, 428.

Οὔ τοι, τέκνον ἐμόν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα·
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο,
Ταῦτα δ' Ἄρηϊ θοῷ καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.

Ceterum in re amatoria translationes a re bellica desumtas, si operae pretium est, multas e scriptoribus Graecis et Latinis inspicere, vid. Schrader ad Musae. de Her. et Leand. p. 126. Put.: *Protesilaos.*

85. *Nunc.* Sic scripti omnes, non *hunc,* ut vulg. et plurimae vett. edd. Metam. XIII, 189.

Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides.
Heins.

Nunc postulat loci ratio: „Nunc fateor, antehac (tum) tacui,“ et confirmat v. 91. *Animusque ferebat.* Conf. Metam. I, 1.

86. *Substitit.* Pro infausto enim omine accipi potuisset, si ipsa abeuntem et vale dicentem revocasset, retinere tentasset. Erant enim veteribus verba sic temere enuntiata ominosa. Unde etiam illae sententiae, qualis supra v. 48. et VII, 65. Pro *Substitit* Scriv. et quinque Heinsii: *Sed stetit.* Sed *subsistere* proprie de iis dicitur, quae iam in cursu versantur, ideoque apte ad h. locum et ad v. 86. Fast. I, 538.

Substitit in medio praescia lingua sono.

Conf. Epist. XV, 196. et Met. I, 207. et Epist. IV, 8. Scriptio autem *sed,* ut saepe, e glossa orta videtur; ac fere in iis, quae nostro inprimis propria sunt, posuerim huius partic. in hac ratione sententiae frequentem praetermissionem. Vid. v. 132.

88. *Offenso limine,* offendens in limine, quod maxime sinistrum *signum,* omen, apud veteres erat. Vid. Tibull. I, 3, 19., Amor. I, 12, 4., Trist. I, 3, 55., ubi vid. Burmann. Conf. Schulting. et Burm. ad Quint. Decl. I. p. 9. et Manut. ad Cic. ad Fam. IV, 14.

89. *Ut vidi, ingemui.* Et h. l. Heinsius formulam dicendi, quam ipse in deliciis habebat, pro vera Ovidii scriptura induxit. Nam quae nunc vulgo legitur: *Ut vidi, ut gemui,* in nullo reperitur codice, nisi quod VI Heinsii exhibent: *Ut vidi, gemui,* et unus Patav.: *Et vidi, et gemui;* reliqui cum vett. edd.: *Ut vidi, ingemui;* quod, cum optimum sensum

Haec tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaum Troada tangat humum.

praebeat, propter vetustatis auctoritatem revocari debet. Vid. ad Epist. XII, 33. *Ut vidi, ut gemui* praeterea etiam aliquid frigidi habere videtur. Verum ea de re alius fortasse sentiet aliter. Certe secundum exempla, quae Heinsius huius locutionis ad eam nostro loco vindicandam excitavit, Virg. Ecl. VIII, 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error —

Art. A. III, 729.

Ut patuit miserae iucundi nominis error;
Ut mens, ut rediit verus in ora color —

Theocrit. Idyll. III, 42.

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ᾽ ἔρωτα —

scribendum h. l. erat: *Ut vidi, ut gemui, ut tacito.* Receptam autem scripturam non abhorrere a more Ovidii, satis declarant exempla, qualia haec sunt: Epist. XVI, 133.

Ut vidi, *obstupui* praecordia*que* intima sensi
Attonitus curis intumuisse novis.

Metam. VII, 727.

Ut vidi, *obstupui* meditata*que* paene reliqui
Tentamenta fide.

In quibus locis prorsus eadem verborum compositio, iidemque prope numeri; nec quidquam praeterea ibi facilius erat mutatione *Ut vidi, ut stupui.*

90. Pal.: *recursuri.*

91. *Ne sis animosus i. a.* Ne nimium in bello tua virtute confidas, ne *fortis* esse velis. Alio sensu est Epist. VIII, 3. et Metam. VI, 206.

92. *Fac meus.* Voss. Excerpta: *Irritus in ventos fac timor omnis eat.* Conf. Epist. I, 79.

93. 94. Auson. e Graeco:

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao;
Nam primus Danaum bello obii Phrygio.
Audaci ingressus Sigeia litora saltu,
Captus Pellaei Lertiadae insidiis.
Qui ne Troianae premeret pede litora terrae,
Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum iam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen cum pater imposuit.

Et:

Protesilaë, tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quod Troiae prima futurus eras.

Huc etiam pertinet, quod scribit Hyg. F. 103. CIOF. Vid. Iliad. II, 697. Ovid. Trist. II, 404.

— — — — — Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum.

Eximiam autem habet locus laudem inventionis. Sed in eo genere Ovidius prope ubique divinus. Vid. Epist. XIX. a v. 191. et ad X, 95.

94. Veteres edd. et e meis Trev. a m. pr., Dresd., Goth. 2., Erf., Guelf. 2.: *tanget*; Trev. a m. sec., Guelf. 3. et Goth. 1.:

Infelix, quae prima virum lugebit ademtum!
  Dî faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
  Iamque fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi;
  Non est, quo properas, terra paterna tibi.
Cum venies, remoque move veloque carinam,
  Inque tuo celerem litore siste gradum.
Sive latet Phoebus, seu terris altior exstat;
  Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte venis.

tangit. Ac, licet et nos, recentiores editores sequuti, dederimus *tangat,* tamen usque repeto, nihil apud Ovidium incertius esse, quam mutare modos et tempora.

97. *Mille rates.* Etiam Met. XII, 7. *mille rates,* ubi recte Gierig: In numero navium, inquit, definiendo non erimus cum Ciofano anxii; noster more poetarum numerum indefinitum posuit *mille,* atque ita et alii poetae, etiam Liv. XLV, 27. Vid. Drakenb. et Ruperti ad Sil. III, 229., Heyn. ad Virg. A. II, 198., Barnes. ad Eurip. Androm. 106. Hom. habet 1185. Vulgo 1200 numerantur. Vid. Epist. VIII, 23. et ad eum locum Meziriac. l. l. p. 319.

98. *Iamque fatigatas,* nimirum remis aliorum.

100. *Properas.* Sic est in cod. Trev., Goth. 2., Dresd., atque eam l. flagitat sententia. *De nave novissimus exi; nam terra, in quam* (quo) *properas, tibi non est paterna* (non est patria tua), *sed hostilis.* Vulgata *properes* fere hunc habet sensum: *Non est tibi paterna terra, patria, quo properare possis;* ut Horat. Od. I, 14, 9.

— non tibi sunt integra lintea,
Non dî, quos iterum pressa voces malo.

Qui sensus huic loco non convenit, et sequentibus vss. 101. et 102. plane repugnat.

101. *Cum venies etc.* At cum reverteris in patriam. Ipsis numeris celeritatem et festinationem, quam marito praecipit, feliciter significat. Sic Metam. VIII, 216. de Daedali et Icari, eius filii, volatu:

Et movet ipse suas et nati respicit alas.

De verbo *venire* hoc l. vid. ad Epist. V, 57. et XIV, 46.

104. *Dolor — venis.* Vir doctus in Supplem. Actt. Lips. T. VI. Sect. 2. p. 80., ut haec cum praecedentibus cohaererent, legebat: *Tu mihi luce celer, tu mihi nocte veni.* H. e., sine mora veni, sive nocte veneris sive die. Sed quid tunc, recte quaerit Burmannus, praecedentibus et sequentibus faciet, quae docent ab his verbis, *sive latet Phoebus,* Laodamiam incipere narrare curas, quas absente marito agit, et cum mandata de itu et reditu absolvisset, nunc, ut maritum

Nocte tamen quam luce magis: nox grata puellis,
 Quarum suppositus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces coelibe somnos;
 Dum careo veris, gaudia falsa iuvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
 Cur venit a verbis multa querela tuis?
Excutior somno, simulacraque noctis adoro;
 Nulla caret fumo Thessalis ara meo:
Tura damus lacrimamque super, qua sparsa relucet,
 Ut solet affuso surgere flamma mero.

moveat, ne ea negligat, referre, non solum nocte se inquietari, sed etiam die; neque Latine dici, idem censet, *luce et nocte celerem venire,* et sapere vernaculum genus dicendi. Ipse Burmannus ita capit, ut idem Laodamia dicat, quod ipse Naso de se Trist. III, 3, 17.

Te loquor absentem, te vox mea nominat unam,
 Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.

Sed ea interpretatio, licet ad sensum recta sit, loci difficultatem non expedit, quae est in voce *venis.* Nimirum frequens est apud Ovidium et saepe paullo liberior huius verbi usus, ut fere sit pro *esse,* etiam tum, si sensus notionem veniendi vix admittat. Conf. Epist. XV, 51. H. l. tamen admittit: *Du kommst mir bei Tage, du kommst mir in der Nacht, mein Schmerz.*

105. 106. Suavis est pictura haec dormientis minus, quam somniantis puellae (?) et meditanti similis, capite *in lacertum* molliter inclinato (!). Nescio quis *mariti lacertum* intelligendum contendebat. Qui vero sic interpretatur, poetam se occidisse merito iactaverit. *AMAR.*

Et tamen ita locus capi omnino debet. Conf. Epist. XV, 127. 128., et sic Ovidius saepissime. De puellis vid. ad Epist. I, 3.

107. *Aucupor—somnos.* Cum cupiditate capto, (me trado somnis) in quibus voluptate tuae societatis atque consuetudinis perfrui mihi videor, ut patet e sequentibus. Conf. Epist. XV. l. l. a v. 124. Conf. omnino ex Pont. I, 2, 44. sqq. *Coelibe.* Conf. Epist. I, 7. ibique not.

111. *Simulacraque noctis,* quae visis nocturnis praesunt, ipsos deos noctis; an universe *simulacra functa sepulcris?* Posterius verum est (v. 109.); quamvis ad prius ducere videatur v. *adoro.* Conf. Epist. IX, 39. Tres Heinsii codd.: *Excitor e somno;* sed de subito per terrorem somniorum evigilante rectius dicitur *excutior.* Fast. I, 547. et IV, 555., Metam. IX, 694. Conf. Epist. X, 13.

112. *Thessalis.* Dicitur *Thessalius,* Thessalus, et in fem. Thessalis, quod est ἐθνικόν. Vid. ad Epist. II, 6.

113. *Lacrimamque super etc.* Vulgo: *lacrimasque super, quae*

Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
  Languida laetitia solvar ab ipsa mea?
Quando erit, ut lecto mecum bene iunctus in uno
  Militiae referas splendida facta tuae?
Quae mihi dum referes; quamvis audire iuvabit;
  Multa tamen capies oscula, multa dabis:

sparsa relucent, quam l. non ferunt sequentia. *Lacrimamque* III codd. Heins. et Scal. (etiam Guelf. 1., 3., Goth. 1., Helmst.). Sic δάκρυ pro δάκρυα saepe apud poetas Graecos. Deinde *quae sparsa relucet* veteres omnes, praeter Put., in quo *quaesa relucet*, et emendatum *quis ara relucet*, (et Goth. 1., qui exhibet *quam sparsa relucet*; Dresd. et Goth. 2.: *qua sp. relucent*; Erf., Guelf. 1., 3. et Trev. ut vulgata: *quae sp. relucent*. L.). Lego: *qua sparsa relucet*, *flamma* nimirum, quod sequitur. *Qua* subaudi *lacrima*. Lucan. II, 30.: *lacrimis sparsere deos*; Stat. Lacr. Etrusci: *Spargi lacrimis frigus amat*; Hor. Od. II, 6, 23., Epist. XVII, 190., Fast. I, 360., Art. A. I, 233. et 236. HEINS. *Lacrima* sing. n. est Virg. G. IV, 160. et alibi. Vid. ad Epist. I, 24. Scal. cod. etiam: *qui ora relucet*.

114. *Affuso*. *A fuso* multi scripti et edd. Venn., Bas., al. HEINS.

Etiam Douz., Guelf. 1., 2., Trev. et Giess.; alii *effuso*. Vid. var. l. De re vid. Epist. XIX, 151. et Prop. IV, 3, 60., ubi vid. interpp.

116. *Laetitia solvar*. Male *tristitia* Francof., Gronov. et VIII alii; quanquam apud Virg. A. II, 26.:

Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.

Sic *mero solvi* Petron. c. 138., *solvi gaudio* idem c. 91., et *adstricta dolore pectora* Art. A. I, 361. HEINS. Sed Burmannus vix Latinum putat *solvi a laetitia* pro *in laetitiam*; sed *solvi mero et gaudio* quidem dici, verum tunc subaudiri *a dolore* vel simile quid (?). Ipse praefert l. *tristitia*. Tu mecum illud *solvar a laetitia* accipe pro *solvar, per laetitiam*, et *solvar* accipe absolute pro *demoriar, deficiam*: *a laetitia mea* (per laetitiam m.) *languida solvar, resolvar, deficiam, diffluam*. Eadem enim est ratio, ac si pro *ira exaestuat* dicas *ira inflammatus exaestuat*. *Tristitia solvar*, quod volebat Burmannus, est *in tristitiam coniiciar, tristitia demoriar*. Vid. omnino Huschk. ad Tibull. I, 7, 40. et Burm. ad Prop. IV, 4, 79. et interpp. ad Petron. 131. Et confirmat l. *laetitia* etiam illud *languida*. Conf. Metam. XI, 648.

118. *Referas*. Conf. Epist. I, 30.

119. *Iuvabit*. Put. a pr. m.: *iuvant*. Lege: *iuvarit*. *N* et *RI* in eo cod. saepe confunduntur. HEINS. Sed *iuvarit* ego minime admiserim pro *iuverit*. Vid. nostram not. ad Petron. c. 16. *Quamvis* vero sexcenties indicativo noster et alii iun-

Semper in his apte narrantia verba resistunt;
Promtior est dulci lingua referre mora.
Sed cum Troia subit, subeunt ventique fretumque;
Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
Me movet: invitis ire paratis aquis.
Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis?
Ipse suam non praebet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? Vestras quisque redite domos!
Quo ruitis, Danai? Ventos audite vetantes:
Non subiti casus, numinis ista mora est.

gunt, ut Epist. VII, 29. et XIX, 58. *Burm.* Recte, et quid vett. libri?

120. *Capies.* Pro communi l. *rapies* septem libri vett.: *capies.* Optime, h. e. *accipies,* quod respondet τῷ *dabis.* Epist. Sapph.:

Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
Aptaque consueras accipere, apta dare.

Oscula non *rapiuntur* nisi ab invitis. Art. A. I, 667.

Tantum ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri possit dura fuisse, cave.

Heins.

Eandem l. tuitus est Schrod. Miscell. Obss. Vol. VII. T. II. p. 287. Erf. etiam: *capies.*

121. *Narrantia verba.* Scripti potiores cum priscis edd. (?) non, ut est in nonnullis et vulg.: *narrantis,* sed *narrantia.* Recte; sic Epist. XIX, 25. *amantia lumina,* Fast. VI, 113. *amantia verba,* Epist. XX, 33. *rogantia verba,* Epist. XIV, 13. *morientia ora.* Moreti: *narranti.* *Heins.* Dun. pro var. l.: *resistent.*

122. *Referre.* Sic plurimi. Margo Mic. et Bersm. cum III nostris: *lingua retenta mora.* Vid. supra v. 86. *Heins.* Eandem dedit Burmannus, laudans Amor. I, 7, 20. *pavido lingua retenta metu.* Sed nihil adest caussae, cur vulgata mutanda esse videatur. Amar et Iahn etiam: *referre.*

124. Conf. IX, 42. et XI, 61.

125. Vid. v. 3.

128. *Pelago vetante.* Conf. Epist. VII, 55.

129. *Suam,* quam aedificarat, ut dictum supra ad Epist. III, 151.

131. *Vetantes. Sonantes* Sarr.; IV alii: *tonantes,* quod elegans est, ut Epist. XIX, 81., ubi vid.; et modo praecessit *vetante.* *Burm.* *Vetantes* praeter codices firmatur etiam v. *audite* et versu sequente, et repetitio verbi *vetare* vim addit.

133. *Turpis,* famosa; *turpis* enim h. l. ad mores, non ad formam refertur. *Ciof.* Conf. Epist. V, 70.

Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?
Dum licet, Inachiae vertite vela rates!
Sed quid ego revoco haec? Omen revocantis abesto,
Blandaque compositas aura secundet aquas.
Troadas invideo, quae sic lacrimosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit.

134. *Inachiae*, a prisco et primo Argivorum rege, patre Ius, qui idem est fluvius Argolicae regionis, Oceani filius. Hyg. Praef.

135. *Sed quid ego revoco haec? O. r. a.* Nonnulli: *Sed quid ego revoco? laevum procul omen abesto*, vel *revoco haec*, et *saevum omen*, vel *haec revoco*; sic etiam Vict. et edd. Venn., qui libri exhibent:

— haec revoco? revocantis omen —.

Alii (etiam Dun. et Iur.): *Sed quid ago revocans? revocantis nomen abesto*, vel *omen*, ut Iur. cod., vel *omen revocantis*. Mediceus: *revocantibus omen abesto*. Put. a m. sec.: *Sed quid ego revoco? revocantis et omen abesto*. HEINS.

Heinsius coniecit: *Sed quid ego hos revoco? revocaminis*, vel *revocatibus, omen abesto*. Verum coniecturae nullum habere locum possunt, quum tot sint codicum lectiones ad sensum satis aptae. Plurimi autem codd. cum vulg. exhibent: *Sed quid ego revoco haec? Omen revocantis abesto*, aut: *Sed quid ego haec revoco? Omen revocantis abesto*, quorum posterius quum, certe apud Ovidium, non ferat ratio metrica, prius cum Micyllo et recentioribus editoribus verum puto. Nam in ultima syllaba vocis *ego* producta, in qua olim grammatici haerebant, et unde fortassis omnis haec varietas lectionis orta est, nunc non facile quis amplius haeret, postquam Drakenb. et Ruperti ad Sil. It. XVII, 357. ultimam syllabam huius vocis etiam ab antiquis poetis produci monuerunt et postquam accuratiori Ovidii studio cognitum est, etiam in ea parte hunc poetam singulari saepe libertate usum esse. Vid. ad Epist. IX, 126., X, 10. et XV, 32. Heusinger cum codicibus supra laudatis dedit: *Sed quid ago revocans? revocantis omen abesto*, quod iam ante probabat Hubertinus. Ceterum mali ominis habebatur, abeuntem aliquem ab itinere revocare aut retinere. Metam. II, 596.

136. *Compositas*, per πρόληψιν, qui usus dicendi apud Nasonem frequens est. Met. I, 272. et 303., al. Vid. supra ad v. 15.

137. *Troadas invideo.* Σολοικίζει vulgata lectio (quae est eadem veterum librorum *L.*): *Troadas invideo*; nam nihil ad rem facit, quod ex Tacito attulit Ciofanus L. I.: *Ne hostes quidem sepulturam invident*, ubi *hostibus* subaudiendum; multo minus Plauti loci a Gebhardo annotati, Bacch. IV, 4, 33. et Mostell. I, 3, 33.: *Unum inservire amantem*, ubi consulendi interpretes. Neque huc fa-

Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
  Imponet galeam barbaraque arma dabit.
Arma dabit, dumque arma dabit, simul oscula sumet,—
  Hoc genus officii dulce duobus erit, —
Producetque virum, dabit et mandata reverti;
  Et dicet „Referas ista fac arma Iovi!“

ciunt omnes illae locutiones, quas afferunt Sciopp. Parad. p. 29.: *ignoscere aliquem*, Passerat. ad Propert. p. 254.: *male loqui aliquem*, Salmas. ad Hist. Aug. p. 132. et Casaub. 109.: *nocere aliquem etc.*, similia; haec enim non in Nasonem conveniunt. Attiano et Pacuviano aevo valuisset haec locutio *Troadas invideo*; ex Attii Menalippo citat hunc versum Cic. Tusc. Disp. III, 9.:

> Quisnam florem liberum invidit meum?

Sed addit: *Male Latine videtur; sed praeclare Attius: ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori. Nos consuetudine prohibemur: poeta ius suum tenuit, et dixit audacius.* Frustra ergo grammatici recentiores tuentur hanc scripturam. Salmasius e Puteanei lectione: *Troas invideo*, τῷ *in* geminato feliciter, teste Gronovio in Observ. III. c. 3., reponebat: *Troasin invideo*, tertio casu Graeco plurali. Sic et in Tristibus idem V, 5, 43.

> Edidit haec mores illis heroisin aequos —

emendabat etiam vere; nam male vulgo *heroibus* legitur. Art. A. III, 672.

> Lemniasin gladios in mea fata dabo.

Sic corrigo, ubi vid. plura. Martian. Capell. III. p. 67. *Dativus et abl. pluralis, si is fuerint terminati, producuntur, ut doctis. — At si Graeca sit declinatio, in terminatur dativus, corripitur, ut Arcasin.* Apud Propert. I, 20, 12. 32. 34. habes *Dryasin, Hamadryasin.* Praeterea legendum cum Put.: *quae si lacrimosa suorum.* Vulgati: *sic.* Heins. Vid. L. Schneider Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 311. et Gronov. ad Tacit. Annal. I, 22. et Burm. ad Quint. IX, 3. Retinenda est l. omnium libb., quam nec ipse Cicero improbare videtur dicens: *Poeta ius suum* (q. e. poetarum) *tenuit, et dixit audacius;* et quoties Ovidius hoc ius suum tenuit et audacius dixit? Vid. ad Epist. I, 50. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. III. c. 3. Neque cum Heinsio movendum erat illud *sic*, repugnantibus et libris et sensu. *Sic*, ut *Ipsa* (v. 139. sqq.) *suis manibus etc.*

140. *Barbara.* Quidquid Troianorum est, Laodamiae *barbarum.* Conf. Epist. I, 26.

143. *Producetque virum,* h. e. comitabitur, et prosequetur extra domum, ut recte Hubertinus. Val. Flacc. V, 382., VI, 528.

> — qualis roseis it Lucifer alis,
> Quem Venus illustri gaudet producere coelo.

Vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 313. Ed. princeps: *educet.* Burm.

Ille ferens dominae mandata recentia secum
Pugnabit caute, respicietque domum.
Exuet haec reduci clypeum galeamque resolvet,
Excipietque suo corpora lassa sinu.
Nos sumus incertae; nos anxius omnia cogit,
Quae possunt fieri, facta putare timor.
Dum tamen arma geris diverso miles in orbe,
Quae referat vultus est mihi cera tuos.

144. *Referas*, et suspendas arma tua ad aram, in templo Iovis. Quod nunc vulgo editur, *face*, ab Heinsio inductum est. Veteres edd., praeter Nauger. et Vinc., et omnes fere codd. (vid. var. l.): *fac*, quod restitui. Plurimi libri porro (Dresd., IV Guelf., Erf. et edd. Venn., Bas., Mic. et Bersm.): *arma fac ista.*

146. *Respicietque.* Et animo obversabitur domus, uxor et liberi, rationemque eorum habebit. Conf. Epist. I, 113.

147. *Exuet haec reduci.* Sic Put. et ed. Ven. 1487. Vulg. *exuet et.* HEINS.

147. *Clypeum galeamque.* Multi codd. et edd. Venn., al.: *galeam clypeumque;* sed rectius *galeam* cum verbo *resolvent* proximo loco iungunt; illa enim aperiebatur et claudebatur. Stat. Theb. VIII, 163.

— qui fletus galeis cecidere solutis.

Hinc Antigone fratri suo armato apud eundem XI, 372.:

— — saltem ora trucesque
Solve genas, liceat vultus, fortasse supremum,
Noscere dilectos —

et hinc apud Claudian. Ruf. II, 258. legendum:

— — galeasque solutas
Humectat lacrimis —

et Bell. Gildon. 24.:

— — — laxata casside prodit
Canitiem.

BURM.

148. *Corpora.* Quatuor scripti: *pectora,* non, ut reliqui et vulgata, *corpora.* HEINS. *Pectora* hodie vulgo editur. Sed non video, cur invitis veteribus libris mutare debeamus. Vid. supra v. 78. Ceterum prope eadem coniugis de reduce marito sollicitae imago exstat apud Hom. Iliad. XVII, 207. 208. Vid. Epist. XV, 95. Edd. Venn.: *laxa.* Vid. var. l.

149. *Nos,* intellige: mulieres Graecae, quae tam procul a viris nostris absumus.

151. *Geris. Geres* Put. et VII alii pro vulg. *geris;* quidam: *geras.* HEINS. Vid. var. l.

152. *Est mihi cera.* Hyg. F. 104.: *Laodamia, Acasti filia, amisso coniuge cum tres horas consumsisset, quas a diis petierat, fletum et dolorem pati non potuit. Itaque fecit simulacrum cereum simile Protesilai coniugis, et in thalamo posuit sub simulatione sacrorum, et eum colere coepit.* Ioseph. Iscanus sive Devonius de Bello Troi. L. V., qui sub

Illi blanditias, illi tibi debita verba
  Dicimus; amplexus accipit illa meos.
Crede mihi, plus est, quam quod videatur, imago:
  Adde sonum cerae, Protesilaus erit.
Hanc specto teneoque sinu pro coniuge vero,
  Et, tanquam possit verba referre, queror.
Per reditus corpusque tuum, mea numina, iuro;
  Perque pares animi coniugiique faces;
Perque, quod ut videam canis albere capillis,
  Quod tecum possis ipse referre, caput:
Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris,
  Sive, quod heu timeo...., sive superstes eris.

Daretis Phrygii nomine circumfertur:

Haemonis absentem suspirat moesta maritum,
Et non sensuros vultus premit, oscula figens
Cerae, difficilesque deos in sua vota fatigans.

Conf. Euripid. Alcest. 348. *Burm.*

152. *Vultus tuos.* Tuam effigiem, imaginem. Trist. I, 7, 1.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus. *Ciof.*

153. *Debita.* De sententia conf. Prop. IV, 11, 83.

155. Crede mihi, in cera illa plus est, quam sola imago tua, quam quod solam imaginem tuam referat; nam si vocem haberet, verus Protesilaus esset.

156. *Adde sonum.* Venuste Anacreon 28, 33.

Ἀπέχει· βλέπω γὰρ αὐτήν·
Τάχα, κηρὲ, καὶ λαλήσεις.

Conf. Epist. XV, 24.

158. *Et, tanquam possit.* Malo rescribi: *Huic, tanquam possit. Heins.*

159. *Mea numina.* Vid. Addend. ad Part. I. et Epist. III, 105.

160. *Faces. Faces animi* videntur esse *amoris. Coniugii faces* passim a nostro commemorantur.

161. *Perque, quod ut.* Excerpta Gall.: *Perque quod videam.*

162. *Quod tecum possis.* Lego: *O tecum possis,* vel *Huc;* nam Vossianus: *Ut tecum. Heins. Ut* sensu optandi pro *utinam* XIX, 115. Vid. Ruhnk. Dictat. in Terent. Eun. II, 3, 20.

Ipse non vacat hic, quia virorum, qui bello ceciderant, cadavera in patriam ab aliis ferri solebant, ut notissimum; Laodamia autem optat, ut ipse salvus referat caput. *Burm.*

164. *Sive, quod heu timeo.* *Ἀποσιώπησις* aptissima, ne ex mortis mentione infaustum omen fiat. Vid. Victor. et Corrad. ad Cic. ad Att. VIII, 23. *Burm.*

Perperam. Est haec ἀποσιώπησις vehementioris expressio doloris, quae loci rationi aptissima;

Ultima mandato claudetur epistola parvo:
Sit tibi cura mei, sit tibi cura tui!

et verba *sive superstes eris* aeque poterant esse ominosa.

165. *Claudetur.* Edd. Venn. et al., etiam nonnulli codd. (vid. var. l.): *claudatur.* Conf. Epist. XX, 242.

166. *Sit tibi cura mei, sit.* In omnibus: *Sit tibi cura mei, sit t. c. t.* Ego libenter legerem: *Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.* NAUGER. *Si* utroque loco pro *sit* Put. Scribe *Si t. c. m., sit t. c. t.,* atque ita Reg. unus cum uno Med. HEINS. Vid. var. l. Vulgata non mutanda.



EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO. *)

Danaus, Beli, Aegypti regis, filius, quinquaginta habuit filias, quas Aegyptus frater quinquaginta filiis suis uxores poposcit. Sed Danaus quum ex oraculi responso compertum haberet, manibus se generi periturum, vel, ut alii narrant, quum fratris insidias metueret, filias primum petentibus denegavit Argosque cum filiabus aufugit. Quod cum illi aegre ferrent, cum exercitu Argos profecti sunt, ut Danaum obsidione premerent cogerentque, ut filias daret. Dedit ille eas, sed acceptis a patre gladiis prima nocte suum quaeque sponsum occidunt. Una Hypermnestra Lynceo pepercit eumque ad fugam permovit. Unde iratus pater in vincula eam coniecit gladiumque misit, quo se ipsa interficeret. In hoc igitur statu Hypermnestra Lynceo hanc scribit Epistolam. Pausan. II., Apollod. II., Hyg. F. 168., *Horat. Od. III,* 11, 25. *sqq. Conf. Zenob. Cen. II,* 6.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni;
Cetera nuptarum crimine turba iacet.
Clausa domo teneor gravibusque coërcita vinclis:
Est mihi supplicii causa, fuisse piam.

*) *Lynceo.* Vid. infra ad v. 123.

1. *Hypermnestra.* Cod. Strozz.: *Hypermnestre,* uti etiam infra v. 53., et ita in Epigrammate inedito inter schedas Heinsii de Aegypto et Danao:

Perfida nox Danai, dirarum caede sororum
Mitis Hypermnestre, perfida nox Danai.

Sed et similia nomina, licet in *a* exeant, ultimam saepe producunt apud nostrum, ut *Leda, Phaedra, Hybla,* al., quorum multa utroque modo efferuntur. *Electra* apud Prop. II, 11, 5. BURM. Vid. Bentl. ad Hor. Epod. 17, 17. et ad Sat. II, 5, 76., coll. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 5, 81., Burm. ad Anthol. Lat. T. I. p. 215. et T. II. p. 78., ad Prop. II, 11, 5., II, 13, 29., II, 23, 19., quos laudat Iahn ad Metam. XIII, 556. Vid. etiam Huschk. ad Tibull. I, 7, 61. et infra Epist. XV, 7. ibique not. et Epist. XVIII, 149. ibique not. De elliptica dictione *mittit* sine accus. rei vid. Drakenb. ad Liv. VIII. c. 25. et Gronov. ad Liv. XXXIV. c. 29.

3. *Domo.* Heinsii chartaceus: *domi. Durisque coërcita vinclis* etiam Gron. et III alii. Sic *durae catenae* Amor. I, 6, 47. BURM.

Domo, carcere. Vid. v. 84. Ceterum conf. Epist. VIII. init.

Quod manus extimuit iugulo demittere ferrum,
  Sum rea; laudarer, si scelus ausa forem.
Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti;
  Non piget immunes caedis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat,
  Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces;
Aut illo iugulet, quem non bene tradidit, ense,
  Ut, qua non cecidit vir nece, nupta cadam:

4. *Fuisse piam.* Si elegantias capio Nasonianas, scripserat ille *fuisse piae.* Sic Metam. VIII, 690.

— — — vobis immunibus huius
Esse mali dabitur —

et alia eiusdem notae, de quibus ad v. 64. plura dicentur. *Heins.*

Horat. l. l.

Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aevum.

5. *Demittere.* Scripti *dimittere.* *Heins.*

(Non omnes. Cod. enim Ratisb. et alii teste Werfero *demittere*; nec aliter nonnulli e meis. Vid. v. l. *L.*) Mea sententia rectius est *demittere.* Ferrum enim in iugulum iacentis et dormientis (v. 41. 42. 57.) descendens et vulnus inferens rectius *demitti* quam *dimitti* dicitur. Si ex manibus mitteretur, *dimitti* dicendum foret. *Burm.*

Vid. Metam. IV, 119., XII, 441. 491., XIII, 694. Eadem vox reddenda Ovidio est ex Pont. IV, 16, 51.:

Quid iuvat extinctos (iacentes, prostratos) ferrum demittere in artus?

Conf. I. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 8. De *demittere* cum dat. vid. ad Epist. XI, 35. et conf. Ep. XVI, 88.

7. *Esse ream.* Aeschyl. Prometh. 866.

— *δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται*
Κλύειν ἄναλκις μᾶλλον ἢ μιαίφονος.

9. 10. Hunc locum longius quidam referunt (et sic Egnatius et Ciofanus), videlicet, ut de eo igne accipiatur, quem nova nupta cum aqua e more nuptiali tangere solebat, de qua re Plutarch. in Problem. memorat. Sed ego haec non ita anxie perquirenda existimo, ignemque nuptialem simpliciter intelligo, ut sint *παραλλήλως* dicta *ignis* et *faces,* de quibus in sequenti v. dicitur. *Micyll.* Ego vero ignem arae intelligo, in qua, cum nuptiae celebrarentur, auspicandi caussa sacrificia fiebant. Vid. infra v. 26. et Brisson. de Ritu Nupt. p. 79. Conf. infra v. 26. Conf. Serv. ad Virg. Aen. IV, 104.

11. *Non bene.* Conf. Epist. XII, 5. Nonnullae vett. edd.: *iuguler.*

12. *Cadam* meliores cum vul-

Non tamen, ut dicant morientia „Poenitet“ ora,
  Efficiet. Non est, quam piget esse piam.
Poeniteat sceleris Danaum saevasque sorores:
  Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis,
  Et subitus dextrae praepedit ossa tremor.

gata; multi, etiam Naug.: *cadat*. Heins.
Vid. ad Epist. I, 84.

13. *Morientia ora*. Conf. Epist. XIII, 121.

14. *Non est, quam*. Scripti VI (etiam Monac.): *non sum*. Lego: *non es*. Vid. ad Epist. X, 75. Heins. In Leidensi erat: *cui piget*, etiam eleganter; *non es, cui*, i. e., in cuius gratiam, cuius caussa piget me esse piam (?). Burm. *Non es* etiamsi ferri posset, quod non potest, tamen nil aliud, nisi Heinsii inventio est. Longe plurimi codd. cum vulg.: *est*, quod rectum est et hunc optimum praebet sensum: *Non tamen his tormentis efficiet, ut dicam poenitet; nam* (universe loquitur) *pia non est ea, quam piget, poenitet, esse piam*. Et amat Naso sic generales sententias subiungere. Vid. V, 144., X, 75. 76. et IV, 34. ibique not. Vid. etiam Metam. VI, 438. et ad eum locum Bothii Vindic.

16. *Hic — eventus*. Sc. *poenitere*, poenitentia.

17. *Admonitu*. Cod. Iun.: *attonitu*; idem cod. Epist. IX, 135.: *mens fugit attonitu*. Ceterum ad sententiam conf. Epist. IX, 135.

18. *Praepedit ossa tremor*. Sic nostri constanter. Naug. *orsa* mavult ex suis; perperam. Quatuor libri: *concutit*, ut Epist. III, 82. Epist. V, 37. 38.

— — — — gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor —

quae e Virg. Aen. VI, 54. est imitatus:

— gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor.

Sen. Oed.:

Et ossa et artus gelidus invasit tremor.

Conf. Claud. Rapt. III, 152., Sil. V, 391. Male Gebhard. conatur mutare *praepedit* in *praecipit* in Crepund. I, 1. Plaut. Casin. III, 5, 17. *Timor praepedit dicta linguae*, et v. 59. item. Ovid. Trist. I, 3, 42.

Singultu medios praepediente sonos.

Heins.

Melius puto *orsa dextrae*, i. e. cogitata, nunc scribenda per dextram, quae modo inceperat chartae mandare, ut in Plauti illo *dicta praepedire*. *Orsa* vox Valerio Flacco et aliis, etiam Livio, familiaris. Burm. Ferri quoque potest, modo ne e nostra illud ratione dicendi aestimes, *ossa dextrae*, quod revocavimus; aptius enim ad *cor pavet* versus praecedentis et ad sequentia; mirum quoque videtur, Naugerii libros solos exhibere *orsa*, quum Heinsii et mei omnes, item veteres editiones constanter habeant *ossa*.

Quam tu caede putes fungi potuisse mariti,
  Scribere de facta non sibi caede timet.
Sed tamen experiar. Modo facta crepuscula terris,
  Ultima pars lucis primaque noctis erat;

Neque memini, me *orsa* hoc quidem sensu apud Ovidium legisse. *Ossa* autem de articulis manus esse accipiendum, nemo dubitat.

19. *Mariti.* Non recepimus contra scriptos correctionem *marita* ab Heinsio factam e libri Puteanei lectione *marito;* quia periculosum est sequi coniecturas, ubi aliter ratio et sensus constat. *Burm.* Recte vere, utinam illud constanter servasses!

Nexus est: „Quam tu putes, credas, manum potuisse patrare caedem mariti, illa timet scribere de caede non facta sibi, a se; tantum abest, ut ea fungi potuerit.“ Quem nexum quum minus perceptum habuerit I. Ulitius in Epistola ad Heinsium in Syllog. Epistol. Burmann. T. III. p. 716., sic refingi voluit hoc distichon:

> Quam ne caede putes fungi potuisse mariti,
> Scribere de facta nunc tibi caede timet.

Parum probabiliter. De dicendi modo *facta sibi* pro *a se* vid. ad Epist. VII, 97.

22. *Ultima pars lucis, primaque noctis.* Sic in plurimis codd. est. Put. cum VI aliis Heinsii:

> Ultima pars noctis, primaque lucis erat.

Idem exstat in codice Statii, Guelf. 3. et edd. Venn. et al., quam lectionem Heinsius recepit. Sed si voce *crepuscula* minus manifestum sit, tempus matutinum an vespertinum a poeta significetur, quanquam ea apud Ovidium fere constanter de vespertino dicitur; tamen ex iis, quae statim sequuntur, satis apparet, ubi totam rem narrat ab ipsa sponsarum ad celebrandas nuptias deductione, quae sub noctem fiebat. Conf. v. 78. Vera l. est vulgata, probata iam a Burmanno et Ciofano:

> Ultima pars lucis primaque noctis erat.

Conf. Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 308.

23. *Inachides.* Ab Inacho, unde genus ducebant Danaides; Inachus enim genuit Io, Io Epaphum, Epaphus Libyan, haec Belum, Belus Danaum et Aegyptum. Apollod. II. Conf. Aeschyl. Prometh. v. 882. sqq. et Suppl. 530., Pindar. Nem. 101. Vid. v. 85. sqq. huius Epistolae.

Pelasgi. Sic omnes edd. ante Burmannum. Quaerit Burmannus, quis ille *magnus Pelasgus,* nec acquiescendum sibi putat in expositione Heinsii ad Art. A. II, 421. de Danao rege Pelasgo, id est Pelasgorum sive Argivorum interpretati. Minime sane tolerabilis illa interpretatio. Praeterquam enim, quod *magni Pelasgi* sive *regis Pelasgi* appellatio vix videatur in eum congruere, qui populos antea *Pelasgos* dictos, ipse ex Aegypto advena,

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit ipse nurus.

veteri illo nomine quasi exuit, cum ab eo postea *Danai* fuerint dicti pro *Pelasgis*; certe et hoc interpretationi Heinsianae obstat, quod ex more veterum novae nuptae non in patris, sed in soceri vel mariti domum ducebantur, sicut etiam in sequenti versu diserte *nurus* excepisse *socer* dicitur. Magis et iure quidem Burmanno convenit cum iis, qui *magni Pelasgi tecta* de arce sive regia ab antiquo rege Pelasgo condita exposuerant, vetustioribus ferme interpretibus Heroidum, Volsco, Hubertino, Ascensio. Quippe Aeschylum si audias Suppl. v. 265. seqq. et 1023. (ed. Schütz.), rex ille, qui Danaum eiusque filias supplices excepit, ipse *Pelasgus* dicebatur; sin Apollodorum II., ille quidem Gelanor, at Pelasgus ex eadem Inachi stirpe rex antiquior. Conf. Spanhem. ad Callim. H. in Pall. 4. Itaque nihil obstat, quominus Argivorum regiam *magni Pelasgi tecta* merito vocaverit Ovidius. Haec pro l. *Pelasgi* attulit Lennepius, quamvis cum Burmanno e cod. Reg. et IV aliis Heins. dederit, sed parum probabiliter defenderit lectionem *tyranni*. Vid. Hyg. F. 145. et Dion. Halic. Ant. R. I, 17. Intelligenda igitur regia vetustissimi illius regis *Pelasgi*, quam tum *socer*, Aegyptus, a poeta fingitur occupasse. In quo singularis quaedam Ovidii conspicitur consuetudo et, quam fere ubique affectat, doctrina antiquitatis. Sic apud eundem legitur *arx Cadmeia* pro *Thebis*, *moenia Phoebi* vel *Neptuni* pro *Troia*, et similia passim. In *Pelasgum* etiam congruit illud *magni*, ut a quo gens ea nomen acceperit, quod voci *tyranni* parum conveniens est, uti nec ipsa vox *tyranni* ex Hypermnestrae persona de patre Lyncei apta videtur. (Conf. not. ad v. sequentem.) *Aegyptum* autem cum filiis Argos venisse, quamvis Hyg. F. 168. neget, auctor est non scholiastes modo Euripidis ad Hecub. 887., sed et ipse Euripides in Archelai prooemio apud Aristoph. in Ran. 1237. Eundem vero post caedem filiorum Aroën in Achaia fugisse, ipsum nomen Argorum exhorrentem, memoriae proditum a Pausan. VII, 21., unde vero simile fit, eum ipsius caedis tempore Argis fuisse; nam ex Aegypto in Peloponnesum fugisse vix credibile. Et si Argis fuisse non constaret, a poeta fingi potuisset ea, qua idem in fabula saepe usus est libertate (vid. ad Epist. I, 63.), et qua Aeschylus Supp. v. 265. et 1023. regem illum, qui Danaum eiusque filias supplices excepit, ipsum Pelasgum fuisse finxit. Quod enim G. Hermann in libello de Aeschyli Danaid. p. V. censuit, Pelasgum Aegypti absentis officio functum atque eam ob caussam *socerum*, quin vere esset, appellari, parum probabile est. Multae vett. edd. etiam: *sub magni tecta*.

24. *Ipse nurus*. De scriptura, quam ex uno Ambros. primum

Undique collucent praecinctae lampades auro;
Dantur in invitos impia tura focos;
Vulgus „Hymen, Hymenaee“ vocant: fugit ille vocantes;
Ipsa Iovis coniux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,

Heinsius recepit, fere cum Hermanno l. l. quaesierim: „Quis tam ineleganter loquutum credat Ovidium, ut, quum *sub tecta Pelasgi* dixisset, deinde *accipit aede* subiiceret?“ Iahn scripsit, ut est in Guelf. 3., 4., Helmst., Giess. et nonnullis Heinsii: *ille*, quod Graecum *ἐκεῖνος* esset, de quo dictum est ad Epist. II, 20. Mihi placet l. plurimorum codd. et omnium veterum edd., et ante Heinsium vulgata: *ipse*, quod eleganter et Ovidiano more voci *armatas* opponitur, et singulare soceri officium et securitatem significat. Excerpta Iur.: *inde*.

25. *Praecinctae.* Cinctae, inclusae. Conf. Epist. IV, 71.

26. *Invitos.* Inviti, nolentes foci dicuntur apposito a diis ad focos translato. Sic alibi *impia tura* pro *ab impiis oblata*. Cod. Barb.: *in antiquos*.

27. *Hymenaee. Hymenaea* hic et Epist. XII, 143. scripti fere omnes cum vulg., excepto Put. Perperam. Vid. ad Epist. XII, 143. *Heins.* *Hymenaee* etiam Erf. et Goth. 1. cum edd. Naug. et al. Pluralis *vocant* firmatur etiam voce *vocantes*. De *fugit ille* conf. Epist. XXI, 157. et XI, 101.

28. *Ipsa Iovis coniux.* Nam etiam Iuno vocabatur ad nuptias; unde et *pronuba Iuno* dicta. Vid. Epist. II, 41. Urbem autem Iunonis vocat Argos, ubi Iuno praecipue colebatur. (Vid. Horat. Od. I, 7, 8. ibique Mitscherl. Virg. A. I, 24. ibique interpp. *L.*) *Ciof.*
Urbe sua. Sequitur illos auctores Naso, qui hoc Argis factum esse narrant. Vid. Hyg. F. 168. et Schol. Aeschyl. Prometh. 852. Sed Libanius in Narrationibus ab Allatio editis c. 22. dicit, Danaum post hoc perpetratum facinus fugisse et in Peloponnesum advectum, potitum Argivo regno. *Burm.*

29. *Comitum clamore frequentes,* pro *non sine multo comitum clamore*, etsi paullo dictum est audacius, mihi tamen adhuc praeferendum videtur eruditorum virorum coniecturis, quibus huic loco medelam facere conati sunt, *c. c. frequenti,* quod Ulitius malebat in Cit. ad Heins. Epist., *sequente* vel *fremente,* quod Burm. coniiciebat ad h. l., prius etiam adstruere conatus ad Virg. Aen. IX, 466. Languet enim ita in fine collocatum participium (et concinnitas etiam perit, quae est in *dubii, frequentes, laeti. L.*). Nec si vera esset lectio *frequenti,* illum scriptorum libb. consensum videremus in exquisitiore *frequentes.* Est autem *frequens aliqua re* pro abundans, plenus, vel, ut Hubert. explicat,

In thalamos laeti, thalamos, sua busta, feruntur,
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Iamque cibo vinoque graves somnoque iacebant,
Securumque quies alta per Argos erat:
Circum me gemitus morientum audire videbar;
Et tamen audieram, quodque verebar, erat.
Sanguis abit, mentemque calor corpusque reliquit,
Inque novo iacui frigida facta toro.

densatus, stipatus, certe Ovidianum. Sic Epist. XVI, 54. *frequens piceis ilicibusque locus,* Met. VIII, 329. *silva frequens trabibus,* Met. IX, 106. *vorticibusque frequens amnis.* Lenn. Senec. Herc. Fur. *Frequens telis Lernaeis pharetra.* — *Dubii,* titubantes. Epist. Pont. IV, 3, 32. *dubius pes.* Cod. Gron.: *frementes;* unus Heins.: *comiti.*

30. *Flore novo madidas.* Unguentis madidas, stillantes. Vid. ad Epist. XV, 76. *Flore,* florida corona, serto, more sponsorum et sponsarum. Vid. Epist. XXI, 165.

31. *Thalamos.* Non sine caussa voci huic instat poeta, quia longe alia, quam solet, Lynceum et fratres in iis sors exspectabat. *Amar.*

31. *Feruntur* non est simpliciter *eunt,* sed e vocibus *mero dubii* explicandum.

32. *Funere digna.* In uno Moreti: *funera;* in Bas.: *funeribus corpore digna.*

34. *Securum — Argos.* „Graecanice *hoc Argos;* Latine *hi Argi*" ait Varro de Ling. Lat. VIII. c. 50. Conf. Horat. Od. I, 7, 9.

36. *Et tamen audieram.* Vulgo: *audieram.* Put.: *audibam;* in Ox. erat *auditu;* in Lov. uno *auditus,* in altero *auditum est;* in Scriv. *auditum,* quod ultimum praeferendum puto: licet *audibam* defendi aliorum verborum exemplo posset. Vid. Voss. de Analog. L. III. c. 34. Supra tamen dixit Epist. IX, 119. *Haec tamen audieram;* hic vero corrigit prius dicta: *audire videbar,* immo *erat auditum* sine dubio, quod verebar. *Burm.* Restituimus cum Iahno *audieram,* tum propter vetustatis auctoritatem, tum et magis etiam propter bonitatem sensus. Nec si vulgaris observatio imperfectum postularet, quod hic non postulat, neque tum facile mutarem, quum, ut saepe iam dictum est, nihil apud Ovidium periculosius sit, quam mutare tempora. Epist. XII, 39. et infra. v. 72. Met. IX, 781.

Visa dea est movisse suas, et
moverat, aras.

37. *Reliquit.* Plurimi Heins., etiam maior pars meorum cum vett. edd. et vulg.: *reliquit.* Nonnulli Heins. et unus et alter e meis (vid. v. 1.): *relinquit,* quam lectionem licet poscere videatur tempus praesens *abit,* tamen recipere non sum ausus. Metam. IV, 256.

At Clytien — — — — — —
— — — non amplius auctor
Lucis adit; Venerisque modum
sibi fecit in illa.

Ut leni Zephyro graciles vibrantur aristae;
Frigida populeas ut quatit aura comas:
Aut sic, aut etiam tremui magis. Ipse iacebas,
Quaeque tibi dederam vina, soporis erant.

Conf. Epist. XIII, 13. et vid. ibi not.

38. *Novo — frigida.* Lascivit iterum poetae ingenium in illis *in novo toro frigida iacui.*

39. *Ut leni Zephyro graciles v. a.* Vulg.: *Utque levi Zephyro.* Put. cum VII aliis: *Ut leni,* quomodo Amor. I, 7, 55. Idem cod. et alii nonnulli:

Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo.

Art. A. III, 693.

Lenibus impulsae Zephyris auraque salubri,
Tot generum frondes herbaque summa tremit.

(Conf. Virg. Georg. III, 199., Caes. B. G. IV, 28., V, 8., Quint. I. O. X, 7. *L.*) Comparationem mutuatus est ab Hom. Iliad. II, 147.

Ὡς δ᾽ ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπί τ᾽ ἠμύει ἀσταχύεσσιν —

nisi quod *λάβρον* hic *Zephyrum,* noster *lenem* vocat. *Heins.* Pro *graciles* Iun. et unus Ment., Eton., Helmst. et Guelf. 3.: *fragiles,* quae lectio Heinsio placet, qui ad eam firmandam attulit e Calpurn. Eclog. VI. *fragiles aristas,* e Priscian. de Ponderib. *fragilis arundo,* e Virg. Georg. I, 75. *fragiles calami* et *fragiles rami* ex eiusdem Eclog. VIII, 40., ex Ovidii Art. A. III, 691. *fragiles myricae* et ex Met. X, 93. *coryli fragiles.* Sed mihi his omnibus nondum probavit, hoc loco quoque ita legendum esse, quum lectio *gracilis* aptissima sit ad *leni Zephyro,* ad *vibrantur* et ad *aristae,* et saepe hac coniunctione reperiatur, velut Amor. I, 14, 23., Amor. loco supra laudato (I, 7, 55.), qui quidem locus hoc maioris etiam in hac re momenti est, quod etiam in reliquis huic nostro est simillimus, al. Pro *vibrantur* denique tres scripti Heinsii: *agitantur,* quod Burmanno Patr. magis arridebat laudatis Hor. Od. I, 9., II, 10., Ovid. Metam. VII, 586., Sil. It. VIII, 293.; quod etiam se praeferre dixit Burm. Sec. Anthol. Lat. T. II. p. 352. Sed recte Van Lennep: „Non vehementer repugnem, si ita plures habeant scripti. Cum vero in plerisque sit *vibrantur,* hoc cur altero commutem, caussam nullam video. Est enim etiam Art. A. I, 7, 55.

Ut leni Zephyro gracilis *vibratur* arundo.“

40. *Frigida aura* est Boreas. V. 41. illud *iacebas* cum vi dictum est.

42. *Quaeque tibi dederam vina, s. e.* Non damnarem vulgatam *dederant,* nisi libri meliores magno numero *dederam* agnoscerent. *Heins. Dederant* cum Heinsio non mutarem; est enim pro *data erant* a quocunque, et mali ominis esset, si a se data esse diceret. Ita solet noster indefinite loqui; Metam. I, 132.

Vela dabant ventis.

Excussere metum violenti iussa parentis:
  Erigor, et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquor: ter acutum sustulit ensem,
  Ter male sublato decidit ense manus.

Vid. Gronov. ad Senec. de Ira II, 12., Perizon. ad Sanctii Minerv. IV. c. 4. n. 39. et nos ad Quint. II, 16. In prima ed.:

Vinaque, quae dederant, signa soporis erant.

Fortasse:

— — — —, vina soporis erant.

Soporis erant est soporifera erant, succo aut herbis soporiferis admistis. *Burm.* Unice mihi placet l. *dederam*; nam ipsa omnia paraverat, ut sorores, ad maritum occidendum, etiam ensem attulerat, ut patet sequentibus. Iahn etiam: *dederam;* et sic cod. Dun. et mei prope omnes (vid. v. l.) et vett. edd. pleraeque.

43. *Violenti.* Mei codd. prope omnes et edd. Venn.: *violentia;* sed ea adiectivi forma abhorret a consuetudine huius poetae. Conf. Epist. X, 13.

45. *Falsa loquor. Loquar* Put., Gron. et Guelf. 3. Exempla sunt utriusque. Vid. Ep. XVI, 60., Fast. IV, 326., Metam. VII, 549. Verum exemplis in hac quaestione nihil efficitur. Restituendum puto *loquor,* quod mea quidem sententia etiam loci rationi convenientius; iam enim partem rei retulerat 43. 44.; atque de re, quae iam fit, et omnino in incitatiore oratione frequens est usus temporis praesentis pro futuro, et eadem est lectio omnium vett. edd. et tribus illis exceptis omnium quoque codicum.

Ter acutum. Videtur hoc observasse, ut *ter* posuerit, ubi frustra aliquid tentatum est. Ep. IV, 7, 8. Virg. Aen. II, 792.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra compressa manus effugit imago —

Et Hom. Iliad. XVIII, 155.

Τρὶς μέν μιν μετόπισθε ποδῶν λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ.

Ciof.

Sed reperitur etiam contrario sensu, velut Iliad. XVIII, 228. 229., Virg. Aen. I, 116. (vid. Forcell. in v.), igiturque magis ex ea poetarum observatione explicandum videtur, qua definite loqui student.

46. *Decidit ense manus.* (Vulg.: *decidit ense manus.*) *Concidit* ex scriptis non pauci; unus Pat.: *cecidit;* Put. mendose: *tetendit.* Emenda *recidit.* Est enim ambigua prima syllaba, ut Giphanius in Indice Lucretiano iam monuit. Remed. Am. 611.

Recidit, ut cupidos inter devenit amantes.

Sic veterrimus cod. Reg., nisi quod in illo *reccidit,* quomodo passim vetustiores libri constanter, tam apud nostrum, quam apud alios scriptores, ut et in *rettulit.* Met. VI, 212.

— vosque est postponere natis
Ausa suis; et me (quod in ipsam recidat) orbam
Dixit.

Met. X, 18. de Orco:

In quem recidimus, quidquid mortale creamur.

Admovi iugulo, — sine me tibi vera fateri —
Admovi iugulo tela paterna tuo.

Met. X, 180.

Recidit in solidam longo post tempore terram
Pondus.

Sic loci illi in praestantissimis libris scribuntur. Propert. IV, 8, 44.

Recidit inque suos mensa supina pedes.

Ita codices. Iuv. XII, 53.

— Tunc adversis urgentibus illuc
Recidit.

Plura ad Claudian. de bello Gildon. 44. de hoc verbo. *Heins.* De ancipiti syllaba *re* in verbis compositis, quae a consona incipiunt, vid. Burm. ad Amor. I, 7, 62. et quem laudat Lambin. ad Lucret. I, 857., Broukh. ad Prop. IV, 8, 44., Drakenb. ad Sil. I, 309., Scalig. ad Manil. I. p. 48. et ad Prop. II, 24. Conf. Iahn ad Metam. X, 18. Sed defendi potest l. *decidit,* ita ut notionem *re,* ut saepe (vid. ad Epist. I, 115. et conf. Epist. X, 150. et XIII, 101. et V, 57.), omissam intelligas. *Decidere* autem non addito loco *unde* et *quo* dicitur Metam. X, 10., atque eadem l. commendatur concinnitate: *dreimal hob sie auf* (sustulit), *dreimal fiel sie nieder* (decidit).

47. Editiones ante Heinsium: *At rursus monitis iussuque coacta parentis Admovi etc.,* quae vera esse lectio non potest; nam certe *parens* ibi non adfuit (vid. v. 71.). Illam vero alteram, quam Heinsianae et recentiores habent edd., unde nos etiam repraesentavimus: *Admovi iugulo* (*s. m. t. v. f.*) *Admovi iugulo etc.,* in Scaligeri quodam codice repertam D. Heinsius primum ut elegantiorem comprobavit: inde Puteanei aliorumque codd. nonnullorum auctoritate niti docuit N. Heinsius (eandem tuentur e meis Goth. 1., Guelf. 1. et 3. *L.*). Is vero, quod in Lincoln. pro uno duo invenisset disticha:

Admovi iugulo, — sine me tibi vera fateri —
Mente sequi dira iussa paterna volens.
Tandem, victa mei saeva formidine patris,
Audeo per iugulum tela movere tuum —

(e quibus sane manifestum, quousque in Ovidio interpolando librariorum audacia processerit), et haec tam putide invecta et omnino codicum h. l. variationem non ferens, eo tandem delapsus est, ut ne probatum quidem a patre suo distichon pro Ovidiano haberet, sed quidquid inter v. 46. et 49. medium intercederet, opus esse scioli pronuntiaret, qui superiora cum sequentibus minus cohaerere putasset. Cohaerebunt autem optime, inquit, si pro *Sed* reponas *Et*: *Ter male sublato recidit ense manus: Et timor et pietas etc.* At mihi quidem in recepto disticho nihil tantopere displicet, ut potius ad correctionem recurrere, quam illud admittere malim. Ipsa enim illa tautologia: *Non ego falsa loquar — sine me tibi vera fateri,* ex Hypermnestrae persona veritatem habet. Namque et falsa

Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis,
Castaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
„Saevus, Hypermnestra, pater est tibi: iussa parentis
„Effice; germanis sit comes iste suis.

loqui nolebat, et tamen etiam timebat, ne fatendo vera animum ab se mariti alienaret. *Lenn.*

Lennepio facile assentior, praeterquam quod ab *Non ego falsa loquor* et *sine me tibi vera fateri* ταυτολογίαν abesse putem. In priore enim illud tantum dixit, vera esse, quae diceret: *Non ego falsa loquor;* hoc autem loco, cum ad atrocissimam rei partem venisset, quasi veniam veritatem dicendi precatur: *Sine me tibi vera fateri.* Neque in reliquis, si eadem res saepius dicta sit, haerendum puto, in quibus elegans quaedam (Nasoni certe sic visa est) inest gradatio poetaeque huic inprimis in narrando propria subtilitas atque abundantia: *Ter acutum sustulit ensem* (sc. manus); *admovi iugulo; admovi iugulo tela paterna tuo.* Epist. XII, 133. 134.

Ausus es, — o iusto desunt sua verba dolori —
Ausus es „Aesonia" dicere „cede domo."

Qui locus etiam parenthesi illa aliquam cum hoc nostro habet similitudinem. Metam. VI, 280. sqq.

Pascere, crudelis, *nostro,* Latona, *dolore;*
Pascere, ait, *satiaque meo tua pectora luctu,*
Corque ferum satia, dixit —

quae mihi incorrupta et vera illius loci scriptura videtur. Conf. Metam. III, 551. 552., Epist. XVII, 17. 18., Metam. IX, 50. seqq. *Tela paterna,* quae pater ad te interficiendum mihi dederat.

50. *Mandatum — opus.* Conf. Epist. XI, 8.

51. Mirum est, ipsos quoque affectus eosque exprimendi rationem certum sequi morem atque consuetudinem. Sic veteres homines in luctu lacerabant vestimenta, genas laniabant, al.; heroes apud Homerum volvuntur in pulvere eodemque cooperiuntur, quae res a nostris moribus absunt. Alii hanc rationem ex diversitate ingenii ac naturae veterum populorum explicandam esse contendunt.

52. *Exiguo,* submisso, tenui, ut Epist. VII, 102.

53. Incerta, quid agat, Hypermnestra secum ipsa luctatur, quo in animi statu describendo felicissimum est poetae ingenium. Vid. Metam. VII, 9. ibique Gierig, et Metam. VIII, 113. Conf. Remed. Am. 600. et sqq.

55. *Femina sum et virgo.* Quinque libri illud *et* non agnoscunt. Venuste. *Heins.* Sed ego retinendam copulam puto, ut Epist. VII, 121. *bellis peregrina et femina tentor,* Quint. Decl. 338.

„Femina sum et virgo, natura mitis et annis:
„Non faciunt molles ad fera tela manus.
„Quin age, dumque iacet, fortes imitare sorores:
„Credibile est caesos omnibus esse viros.
„Si manus haec aliquam posset committere caedem,
„Morte foret dominae sanguinolenta suae.
„Quid meruere necem patruelia regna tenendo,
„Quae tamen externis danda forent generis?

femina es et anus. Burm. Ac verba *natura et annis,* quae sequuntur, verbis *femina et virgo* respondent eaque respiciunt.

56. *Non faciunt,* inutiles, haud idoneae sunt. Late patere verbi *facere* apud Nasonem usum, iam supra dictum est ad Epist. VI, 128. Multae vett. edd.: *fera bella.* Vid. v. l. et not. ad Epist. II, 39. Eaedem, nec melius, v. 57.: *dumque licet.* Vid. supra v. 33.

60. *Morte — suae,* h. e., me ipsam interficerem, neque superstes esse vellem tot fratrum caedi ac tanto sororum flagitio. Mor.: *domini — sui.* Vid. v. l.

61. *Quid meruere necem.* Sic ante Heinsium vulgabatur et sic exhibet maxima pars codicum et vett. edd. Alii scripti *Haud,* vel *An,* vel *Non;* Put.: *Quo,* quod Heinsius primus dedit, sed male defendit. Nam in omnibus locis, quos ad hanc scripturam confirmandam attulit, praeter Val. Flacc. I, 519. (ubi tamen cum omnibus libris restituendum: *Quid Minyae meruere queri*), *quo* sensu vulgari, *ad quid, wozu,* non *quare, wodurch,* intelligendum est. Quanquam ita recte dici, quamvis Werfer l. l. p. 541. adhibet, dubitari non potest; Trist. II, 67.

— — — — — — — nec quo,
Ut maior fiat, crescere possit, habet.

Conf. Metam. XIV, 722.

Certe aliquid laudare mei cogeris, eritque,
Quo tibi sim gratus.

Verum licet ita bene Latine dicatur et Heinsii lectio simplicior sit; restituenda videtur vulgata: *Quid meruere necem,* ad quam confirmandam faciunt etiam omnes illae variae lectiones: *Haud* (ut nonnulli Heinsii), *An* (ut alii Heins.), *Non* (ut item alii Heins. exhibent). *Quid* autem valet *quomodo, cur,* accusativo Graeco, quem male vocant, ut saepe, et ut Graecum *τί.* Ac sensus totius loci, qualem nos constituimus, hic est: „*Quid, quare* illi necem meruere eo, quod hoc coniugio in patruelis (patrui sui, patris mei, Danai) regni hereditatem venirent, quod tamen, si ipsi mariti facti non essent, *externis* generis dandum fuisset, quum ipse (Danaus) filios non habeat?“ *Tenendo,* quod occupaturi erant. Verba enim actionem significantia a Graecis et Latinis non de eo solum, qui rem perficit,

„Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsae;
„Quo mihi commisso non licet esse piam?
„Quid mihi cum ferro; quid bellica tela puellae? 65
„Aptior est digitis lana colusque meis."
Haec ego; dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.

sed saepe etiam de eo adhibentur, qui voluntatem, studium atque operam ad efficiendam rem affert, quamvis ea careat effectu. Vid. Casaubon. ad Suet. Caes. 29. et conf. Gronov. ad Liv. XXXVII, 17. Hoeufft. in Pericul. Crit. Rec. p. 64. loci interpunctionem hoc modo iuvandam putat: *Quo m. necem? p. r. tenendo? Quae t. e. d. f. generis!* Sed nihil coniectura est opus.

62. *Generis.* Monet ad h. l. Burmannus, praeter morem Ovidii esse, ut in trisyllabum exeat pentameter, cuius tamen rei aliquot occurrere fatetur exempla in Tristibus et Epp. ex Ponto I, 8, 40., III, 6, 46. Quod igitur aliquoties Ovidius in iis fecit operibus, certe semel potest in his Epp. fecisse. Et est sententia versus egregie ad h. l. accommodata. In lectione autem codicis Gron.: *Quae tamen externis regna tenenda forent* (praecessit *tenendo*), item in Moreti aliorumque duorum codd. Heins. lectione: *Quae tamen externis accipienda forent,* nihil video nisi hoc, voluisse librarios numerosiorem versum facere etiam cum damno sententiae. LENN.

63. *Finge etc.* Conf. Epist. VII, 75—77.

64. *Non licet esse piam. Esse piae* Put. Optime. Alterum minus elegans, et quo perraro optimae Latinitatis scriptores usi sint. Sic Heinsius, qui hunc usum loquendi multis exemplis illustravit, quae hic repetere non est opus, cum hic locus in vulgaribus libris grammaticis copiose sit tractatus. Ego vero, cum scriptura *esse piam* observatione et usu optimorum scriptorum probata sit (vid. Rudimann. Gramm. Lat. Vol. II. p. 15., Duker ad Liv. XLII, 36., Heindorf. ad Horat. Sat. I, 1, 19., Ramshorn Gramm. L. §. 168.), contra codd. novare non audeo; quum praesertim verisimilius sit, hanc a librariorum arbitrio in uno Puteaneo in illam, quam illam in omnibus codd. in hanc esse mutatam. Idem Heinsius dativum repugnantibus codicibus inducere volebat in simili loco Metam. I, 662., et supra v. 4. et item Eleg. de Nuce v. 107.

65. *Quid bellica tela puellae?* (Vulgo *Quid:*) *Quo* Put. et Argentinus. Recte. Vid. ad Epist. II, 53. HEINS. Ego malim *quid,* et hoc loco praecipue, propter repetitionem, quam noster inprimis amat. Vid. ad Epist. II, 53. et conf. Epist. VI, 47. et XV, 52.

67. *Sua verba,* h. e., quae lacrimas decent, i. e. querentia, ut passim Naso.

Dum petis amplexus sopitaque brachia iactas,
Paene manus telo saucia facta tua est.
Iamque patrem famulosque patris lucemque timebam;
Expulerant somnos haec mea dicta tuos:
„Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
„Nox tibi, ni properes, ista perennis erit.“

69. *Dum petis amplexus.* Puto *amplexu,* ut Metam. VI, 604.:

Oraque develat miserae pudibunda sorori,
Amplexuque petit.

Epist. Leandri: *Excipis amplexu.* Heins.

Lucan. VIII, 723.

— — — tenet ille ducem complexibus arctis.

Vid. nos ad Petron. c. 86. Ita in Fragm. Coelii apud Quint. IV, 2.: *Proximae cuiusque collum amplexu petebat.* Burm. Est sane, ubi verbum vocis sequentis literam *s* assumserit, ut dictum ad Epist. I. et alibi; verum h. l. quominus id factum putem, obstat omnium consensus librorum. Etiam orationi poeticae magis convenit *Dum petis amplexus.* Adde, quod in scriptura *Dum petis amplexu* desideratur, quod dicunt, obiectum; et Epist. XVI, 266.

Dum petit amplexus, Deianira, tuos.

Eodem ducit illud *brachia iactas,* h. e., palpando huc illuc moves, quod est expositio verborum *Dum petis amplexus.* De re conf. Epist. X, 9. et 10.

72. *Expulerant. Expulerunt* Put. Probe. Vid. ad Epist. VII, 166. Heins. Mira est, ut iam saepe ostendi, poetae huius in usu temporum praeteritorum licentia, ideoque in hac quoque re unice codices sequendos existimo. Metam. I, 137. sqq.

Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; *sed itum est* in viscera terrae;
Quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat; prodit bellum, quod pugnat utroque.

Cuius rei, si quam habeat insolentiam, exempla dabunt interpp. ad Grat. Cyn. 45., Burm. ad Val. Flacc. VI, 1. et ad Phaedr. p. 226., et Weichert. de Aliquot Locis Virg. et Val. Flacc. iniur. suspectis p. 86., quos laudat Iahn ad Metam. l. l. Conf. Virg. Aen. IV, 200. et Epist. XII, 39. Venn. et al. edd.: *mea verba.* Vid. v. l.

73. Secundum vulgarem quidem legem grammaticam penultima syllaba, litera *i,* patronymicorum, quae derivantur a nominibus in *us,* corripitur, et sic etiam Ovidius hoc ipsum nomen usurpavit Metam. IV, 463.

Assidue repetunt, quas perdant, Belides undas —

et similiter Met. X, 44. Sed hic usus non semper observatur; Virg. Aen. II, 82.

Belidae nomen Palamedis.

Stat. VI, 291. *Belidae fratres.* Ovid. in Ib. 505.

Quique Lycurgiden letavit.

Territus exsurgis: fugit omnis inertia somni.
  Adspicis in timida fortia tela manu.
Quaerenti causam „Dum nox sinit, effuge“ dixi:
  Dum nox atra sinit, tu fugis; ipsa moror.
Mane erat, et Danaus generos ex caede iacentes
  Dinumerat: summae criminis unus abes.
Fert male cognatae iacturam mortis in uno,
  Et queritur facti sanguinis esse parum.

Et sunt etiam alia, quae in his variant. Sic Naso infra v. 103. primam vocis *Io* corripuit et Metam. I, 588. produxit; de qua re vid. Heyn. ad Virg. l. l. et quem is laudat Ouwens Noct. Hagan. III, 23.

73. *Unus.* Sic et nos: *der Einzige.* Vid. ad Epist. XVII, 100.

74. *Ni properes. Ni properas meliores* (?). *Heins.* Et sic nunc vulgo editur. Verum Ovidius particulam nisi, sequente futuro, prope constanter, ac praecipue tum, si, ut hoc loco, eventus rei adhuc exspectatur, aut cum futuro construit aut cum coniunctivo; Epist. VIII, 102.

> Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.

Epist. IV, 1., Metam. III, 521., al. Neque tamen altera prorsus damnanda; Hor. Sat. II, 3, 151.

> Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.

Probat eandem l. Werfer l. l. p. 532. De sententia, Catullus:

> Nox est perpetua una dormienda.

Conf. Virg. Aen. XII, 309. et Epist. X, 112.; et Horat. de eadem re Od. III, 11, 37. sqq.

> Surge, quae dixit iuveni marito,
> Surge, ne longus tibi somnus, unde
> Non times, detur: socerum et scelestas
> Falle sorores.

Vid var. l.

76. *In timida. In tremula* Gron.

77. 78. Nescio, an hi versus ad sollicitum Hypermnestrae animum significandum melius sic constituantur:

> Quaerenti causam „Dum nox sinit, effuge, dixi;
> Dum nox atra sinit.“ Tu fugis; ipsa moror.

Conf. supra v. 47. et 48. Ceterum Hor. d. l. eodem modo:

> I, pedes quo te rapiunt et aurae,
> Dum favet nox et Venus; i secundo
> Omine.

79. *Ex Caede.* Pro vulgata *in caede* scripti fere omnes: *ex caede. Heins.* H. e. *a caede* vel *per caedem: die Gemordeten.*

81. *Cognatae etc.* „Quod unus e cognatis, generis, non esset mortuus, quod ipsi iactura, damnum erat.“

82. *Facti.* Vulg.: *factum.* Praestantiores omnes: *facti*; et ita Gronov. ad Liv. XXXII, 37. *Facere sanguinem*, ut *facere caedem*, apud Livium. Sic apud Lucan. III, 450. *Utque satis caesi nemoris. Heins.* Liv. II. c. 30. *Plusque ibi sanguinis, — — — quam in ipsa dimicatione factum*; IX. c. 13., XXXV. c. 51. Ita Graeci *αἷμα πράσσειν.* Eurip. Orest.

> *Κακῆς γυναικὸς, οὕνεχ' αἷμ' ἐπράξαμεν.*

Abstrahor a patriis pedibus, raptamque capillis —
Haec meruit pietas praemia — carcer habet.
Scilicet ex illo Iunonia permanet ira,
Quo bos ex homine est, ex bove facta dea.

Haec satis spero evincent, non opus esse cum viro docto in Supplement. Act. Lips. T. VI. Sect. II. legere *fusum sanguinis esse parum*. BURM. Vid. var. l.

83. *Abstrahor a p. pedibus.* Vulg.: *manibus.* Hafn. et Erfurt. Heinsii: *laribus.* Sed *pedibus,* quod exhibent praestantiores Heinsii et mei fere omnes cum edd. Venn. et aliis, certe verum est: „Quamvis supplex ad pedes patris prostrata, abstrahor." Vid. Epist. XVI, 270., IX, 82., IV, 153.

84. *Carcer.* Conf. supra v. 3.

85. Scaliger (qui strictos semper obelos habebat) vss. 85—119. huic loco alienos et alio referendos censebat. Sed frustra. Nihil enim iis convenientius aut aptius. Quod ut magis liqueat, adeantur Aeschyli Ἱκετίδες similis omnino argumenti, ubi etiam tota haec Ius fabula recensetur. HEINS. Vid. supra ad v. 23. —

Fuere, qui versum hunc et seqq., in quibus Ius in vaccam mutatae historia narratur, aliunde in hanc Ep. invectos, certe ab h. l. prorsus alienos esse statuerent; in his Ios. Scaliger et D. Heinsius ad h. l., item I. Ulitius in Ep. ad Heinsium laudata. Sed omnino illi perperam. Fuit haec communis veterum opinio, vindicare deos hominum invisorum sibi admissa non in liberis solum, sed in omni ipsorum posteritate. Testis inter alios Hor. Od. I, 28, 26. et III, 4, 1., ad quae loca vid. Mitsch. Hinc si cui calamitatem accidere viderent immerenti, eius caussam calamitatis altius plerumque repetebant ex vetere quodam alicuius dei vel deae in universam calamitosi illius gentem odio. Sed fecerunt hoc inprimis poetae, quibus talia commenta latissimum semper, in quem exspatiarentur, campum offerebant. Sic, ex. g., Venus ob detectum a Sole suum cum Marte concubitum omnem eius posteritatem infestare dicitur apud Senec. in Hippol. v. 124. sqq. Conf. et noster Epist. IV, 53. 54., Serv. ad Virg. Ecl. VI, 46. Sic passim a poetis ira Iunonis memoratur *In genus Electrae Dardaniamque domum,* ut est in Fast. VI, 42., suscepta illa ob raptum a Iove Ganymedem et iniquum ipsi Paridis iudicium. At vero similis ira Iunonis etiam posteritatem Ius vexabat ob huius cum Iove adulterium; ut mirum non sit, infortunia domus suae suumque ipsius casum reputantem Hypermnestram simul et harum omnium rerum caussam et originem, acerbissimum illud Iunonis in pellicem odium, tantis huius iam calamitatibus ostensam paullo hic enucleatius exponere (conf. Epist. VIII, 65.); (LENN.) cum praesertim tam idoneam ingenium et acumen ostentandi materiam contineret. L.

At satis est poenae teneram mugisse puellam,
  Nec modo formosam posse placere Iovi. —
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
  Cornuaque in patriis non sua vidit aquis;
Et conata queri mugitus edidit ore,
  Territaque est forma, territa voce sua.
Quid furis, infelix? Quid te miraris in unda?
  Quid numeras factos ad nova membra pedes?

86. Io innuit, filiam Inachi Argolidis fluvii, quam cum Iupiter amaret et, ut amorem uxori suae absconderet, in iuvencam transformasset, Iuno, hanc fraudem suspicata, dono sibi dari postulavit, et acceptae Argum custodem apposuit, quem Iupiter per Mercurium occidit. Qua re irata Iuno oestrum pellici immisit, cuius aculeis exagitata usque in Aegyptum fugit, ubi Iovis auxilio pristinam formam recuperavit, regique Osiridi nupsit et post mortem dea habita est, nomine Isidis. Vid. Met. I, 568. seqq. et 724. seqq., Val. Flacc. IV, 357., Hyg. F. 145., Aeschyl. Supplic. et Apollodor. II. De flumine vid. Pausan. Arcad. p. 611. coll., Strab. VIII. p. 370.

86. *Ex bove facta dea.* Reg.: *de bove,* quod et idem Latine dici Burmannus confirmat ex Amor. I, 10, 8., III, 12, 31., Iustin. VII. c. 2., Flor. II. c. 6. et Iuvenal. VII, 197. Idem versus legitur Fast. V, 620.

87. *At satis est.* Praestantiores *At.* Epist. XVIII, 141. Vulg.: *Ah.* HEINS. „At satis est poenae, illam sic affligi a Iunone; posteris igitur parcendum erat.“ Gron.: *mugire.* Male. Virg. Aen. X, 14.

88. *Modo formosam,* quae paullo ante formosa fuerat. Vid. supra v. 73.

89. *Liquidi parentis.* Eodem modo Nymphas in Ladone habitantes *liquidas sorores* vocat Metam. I, 704. Gron.: *Constitit.*

90. *Non sua,* non a natura ei data. Sic Metam. III, 203.

— — — — lacrimaeque per ora
Non sua fluxerunt.

Conf. Trist. III, 4, 24., Virg. Georg. II, 82., et sic passim.

91. *Et conata queri.* (Plurimi codd.: *Et conata queri* vel *loqui.*) Put.: *Conata eloqui.* Unus Reg. (et Guelf. 1.): *Conatoque queri,* quod verum est. Sic etiam Metam. I, 637. in hac eadem fabula est peccatum. Oscitantia librariorum loco corrumpendo utrique caussam haud dubie dedit, qui illud *que* geminare neglexerant. Epist. XVII, 194. HEINS. Verum recte Iahn revocavit: *Et conata queri,* quae est lectio codicum; nec elegans est: *Cornuaque, Conatoque, Territaque.* Neque probari potest scriptura edd. Venn., Vinc., al. et nonnullorum codd. (vid. var. l.): *Et conata loqui.*

93. *Quid furis, infelix? Q. t. m. i. unda?* Nonnulli scripti et edd. Naug. et Bersm.: *fugis;*

Ipsa Iovis magni pellex metuenda sorori
Fronde levas nimiam cespitibusque famem;
Fonte bibis spectasque tuam stupefacta figuram,
Et, te ne feriant quae geris arma, times;

plerique: *furis;* quo verbo designat οἰστρηλασίαν Ius a poetis tantopere decantatam. De *fuga* mox agitur. *In umbra* etiam Put. cum altero Mor. Recte; nam de *unda* iam dixerat. HEINS. Ego malim cum maxima parte librorum *in unda*, quamvis etiam IV Guelf. exhibeant *in umbra.* In repetitione autem illa haud multum ponendum esse momenti, iam saepe dictum est; sed ea e concitato narrantis animo et poetae consuetudine atque abundantia explicanda videtur; et redit idem etiam v. 97.; rem autem et imaginem poeticam si spectes, ea, etiamsi *in umbra* legas, tamen repetitur. Nec denique Metam. l. 1., ubi prope omnia huius loci redeunt, de *umbra* ulla reperitur mentio; et novis verbis et notionibus novaque coniunctione verborum repetitio fit et ita, ut sequens antecedente sit gravius atque efficacius: *Cornuaque in patriis non sua vidit aquis.— Quid te miraris in unda? Quid.........? Fonte bibis spectasque tuam stupefacta figuram, Et te ne feriant... times.* Eadem est ratio versus 101. et 103. *Per mare... curris..... Quid, Io, freta longa pererras.* Vid. Gierig ad Met. I, 313. Conf. annot. ad v. 47.

94. *Quid numeras* pedes bovis *quatuor,* membris novis (bovis) additos? De liberiore usu verbi *facere* vid. ad v. 82.

95. *Ipsa. Illa* Put. et V alii. Venuste. Metam. XII, 608.

— — — — Ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris.

Amor. III, 6, 39., 9, 5. Sic et *ille ego* passim. Mart. Capella V. *Pleonasmus est plus necessarium, cum verba quaedam dicimus, non enuntiandae rei necessaria, sed magnitudinis aemulandae, ut si dicas: Antonius ille, cum suffecerit nomen dixisse, ad amplitudinem adiicimus ille.* Vid. ad Trist. V, 7. HEINS. Vid. Manut. ad Cic. Fam. V, 12. et nos ad Val. Flacc. VIII, 16. et ad Petron. 126. BURM. Vid. supra ad Epist. II, 20. Sed ferri etiam potest, immo elegans hoc loco est, scriptura plurimorum vet. libr.: *Ipsa.* Ceterum recte locum interpretatus est et distinxit Oudend. ad Sueton. Caes. 49.: *Ipsa pellex metuenda* (sc. propter pulcritudinem) *sorori Iovis magni;* non enim Iovis erat *pellex,* sed Iunonis. Nam *pellex* fere dicitur uxoris, non mariti. Metam. X, 347.

Tuue eris et matris pellex, et adultera patris.

Conf. Metam. I, 726.

96. *Fronde levas.* Huc pertinet versus Calvi, antiqui poetae, in Io, quem laudat Serv. ad Virg. Eclog. 6, 47.

Ah virgo infelix herbis pasceris amaris.

De *fronde* pro pabulo data bubus vid. ad Phaedr. II, 8. BURM.

Quaeque modo, ut posses etiam Iove digna videri,
Dives eras, nuda nuda recumbis humo.
Per mare, per terras cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quae tibi causa fugae? Quid, Io, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? Eadem sequerisque fugisque:
Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in aequor
Exuit insanae pellicis ora bovi. —

Nimiam famem, insuetam et magnam, sc. vaccae.

97. Cod. Douz.: *spectasque novam.*

98. *Et, te ne. Te ne* meliores (nam vulg.: *ne te*), ut in illo Virg. Ecl. 10, 48.

— — — — ah te ne frigora laedant.
Heins.

Te ne etiam potior pars meorum (vid. var. l.) et ed. Naug. et al.

99. *Posses.* Heinsius in melioribus (?) codd. reperiebat *possis*, quod in textum recepit. Sed rariorem consecutionem temporum amplecti non audeo, ubi nonnulli codices et quaedam vetustae editiones vulgarem exhibent; quanquam *possis* ferri potest ex enallage temporum. Vid. Epist. VIII, 90., et inprimis XV, 4.; Epist. XVI, 278.

Hoc mihi (nam repeto), fore ut a coeleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.

Mei fere omnes: *possis.* Vid. var. l. Amar et Iahn: *posses.*

100. *Nuda nuda. Dura—humo,* aut *uda,* aut *gelida,* aut *solida* quidam scripti. Nil muta. Met. IV, 261.

Sedit humo nuda nudis incomta capillis.

Art. A. II, 238.

Frigidus et nuda saepe iacebis humo.
Heins.

Vid. etiam Obss. Miscell. T. VII. p. 289. Dun. etiam: *dura nuda*, sed pro v. l.: *uda nuda. Divitiae* quae illae sint, ex contextu facile apparet.

101. *Cognataque.* Vid. v. 89.

103. *Quid, Io, freta l. p.* An hic, ut in Ibi, primam syllabam huius vocis corripuit? an vero vox est exclamantis? *Egnat.* Est nomen. Lov.: *vel quid freta;* Moreti: *quae, dic, freta.* Vid. ad v. 73.

105. 106. En poetam suo more acumina captantem et argutantem!

105. *Inachi.* Vid. v. 89. „Cum ipsa vacca sis, fugiendo vaccam persequeris eam.“ Metam. IV, 460. *Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque.*

107. *Portus. Portas* Lov. Amor. II, 13, 10.

Per septem portus in maris exit aquas.

Ita laudat etiam Schol. Statii Theb. III, 383. *Burm.*

Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus
Auctor? Dant anni, quod querar, ecce mei.

Vulg.: *demissus in aequor;* praestantiores: *emissus.* Sed versum nimius spondeorum concursus languidiorem facit, idque praeter Nasonis morem. Opinor a Nasonis manu esse:

Ostia per septem Nilus dimissus in aequor.

Conf. Metam. V, 324., Amor. III, 6, 39. *Portibus* non video quis hic locus sit. *Heins.* De *portibus* recte Burmannus ad Amor. l. l.: „Omnia ostia fluviorum, inquit, pro portibus sunt, quia tuti ibi creduntur navigantes, postquam iactati fuere undis et ventis. Sic certe Servius ad illa Virg. Aen. VII, 201.

Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis.

Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis." Haec Burmannus. Recte; et dandum etiam aliquid poetae, cui quilibet aquae recessus fere pro portu esse potest. *Dimissus* omni caret auctoritate librorum. De septem ostiis Nili vid. Mela X. De spondeorum concursu, Metam. I, 548.

In frondem crines, in ramos brachia crescunt.

Conf. Epist. V, 43. et 45. Vid. Virg. Georg. II, 55. Ceterum de septemplici Nili ostio omnia pervulgata. Vid. Strabo XVII. p. 801., Plin. H. N. V, 10. Hinc Nilus *septemfluus* dicitur Metam. XV, 753. et *septemplex* ibid. V, 187. Gronov. pro var. l.: *diffusus.*

108. *Exuit insanae pellicis ora bovi.* Editiones ante Heinsium: *bovis,* et sic exhibent codices; sed Heinsius ex uno Lovan. dedit l. *bovi,* postea probatam a Burmanno, atque ita vulgo editur. Quam cum auctore Electorum Eton. Werfer l. l. p. 526. pro inversa structura accipit *pellici ora bovis,* et veram censet esse scripturam Nasonis. Sed nescit tamen idem, an vulgata *insanae pellicis ora bovis* hoc modo ferri possit: *exuit bovis ora insanae pellicis* (collatis quae de genitivis cum duplici relatione monuit Goerenz ad Cic. de Legg. p. 169., de quibus dictum est supra ad Epist. VII, 136.); ut genitivorum alter *insanae pellicis* designet eam, quae bovis ora habuit, alter *bovis* id animal, cuius ora pellex habuit (*zog aus die Rindsgestalt der rasenden Nebenbuhlerinn*). Lennep contra ita locum interpretatur, retenta Heinsii scriptura: „*Exuo* nonnunquam ponitur pro *nudo, detego, detractis involucris profero,* ut *hordea exuere de palea tegminibusque suis* dixit Naso de Medic. Fac. v. 54., *vagina ensem exuere* Martialis IX, 60. Latebant ora pellicis sub bove; operta erant superinducta bovis forma; sed ea tandem exuit, exseruit, tegmine liberata rursus in conspectum protulit Nilus: exuit autem ea bovi insanae, i. e. filiae Inachi sub figura bovis insanienti." Werfer primum hoc peccavit, quod *insanae* referebat ad *pellicis,* quod referri ad *bovi* aut *bovis* patet versu 93. Quae autem scripturae *bovis* ab eo proposita est interpretatio, mihi vix admitti posse videtur, non tam,

Bella pater patruusque gerunt, regnoque domoque
Pellimur: eiectos ultimus orbis habet.

quia, ut putabat Lennep, duplex ille genitivus minus sit Ovidianae elegantiae (vid. ad Epist. VII. l. l.), sed quia dativus desideratur: *Nilus exuit pellicis ora bovis* (cui?), qui hac loci ratione vix omitti poterat. De enallage hoc l. cogitari non potest. Vera videtur scriptura et interpretatio Lennepii: *Nilus exuit insanae bovi* (quid?) *pellicem,* pro quo hic *pellicis ora.* Et sic de eadem re ipse Ovidius Met. IV, 591.

Cadme, mane, teque his infelix exue monstris —

ubi *te* respondet verbis *ora pellicis* et *monstris* verbis *insanae bovi.* Heusinger hunc sensum loci probat, sed nescio qua audacia scripsit *insana bove. Exuere* cum dat. vid. Forcell. in h. v.

109. *Ultima quid referam? Ultima,* recte interpretante Lennepio, est remotissima, i. e. antiquissima, quemadmodum in noto Ciceronis loco pro Arch. poeta c. I. *pueritiae memoriam recordari ultimam,* et apud Virg. Aen. VII, 49. *tu sanguinis ultimus auctor;* et est venusta oppositio in vocibus *ultima, quorum cana senectus auctor est,* et *anni mei.* Sed pro *refero,* quod nunc vulgo editur, scribendum *referam* cum omnibus libris, quod quum bene defendit in censura iam saepe laudata Handius, ipsa eius verba Latine reddita apponam: „Cur cum Heinsio *Ultima quid refero?* scribendum, non satis apparet. Utrumque, et *quid refero?* et *quid referam?* bene Latine dicitur, sed diversa tamen sententia. In priori Hypermnestra se ipsa quasi vituperans interpellat, quasi frustra aut intempestive loqui videatur: *Sed quid ego de priscis temporibus loquor?* Contra in hoc dubitat, an narrare pergat et ad ea, quae iam dixit, alia adiungat, sese quasi revocat ab ulterius narrando: *Sed quid de priscis temporibus loquar?* h. e. *tacebo vetera.* Eadem est ratio locutionum *quid dico?* et *quid dicam?*" Sequuntur iam mala, quae ipsa viderit. *Auctor,* sc. *est,* q. e. narravit. Vid. Liv. IV, 13., X, 26. De *auctor* genere fem. vid. ad Epist. XV, 3.

111. *Bella.* Hyg. F. 168. Vid. Prooem. huius Epist.

112. *Eiectos.* (Veteres edd. et paucissimi cod. cum vulg.: *eiectas*), sed scripti fere omnes: *eiectos,* ut etiam de patre intelligatur. *Heins. Ultimum orbem* Aegyptum hic intelligit e veterum sententia Broukhus. ad Propert. II, 13, 40., et ita *extremum Nilum* Claudian. in Eutr. I, 36. dicit. Sed ex Aegypto profugus Danaus et eius filiae Argos venere, quos *ultimum orbem,* i. e. remotissimum a patria vocat Hypermnestra; ut ita aliae partes orbis *ultimae, extremae* dici solent ex affectu scribentis, qui patria pulsus in peregrinas et longe diversas defertur terras. *Burm.*

113. *Sceptroque.* Sic codd. Heinsii fere omnes, etiam mei. Pauci Heinsii cum edd. Venn., Vinc., al. et vulg.: *sceptrisque.*

Ille ferox solus solio sceptroque potitur;
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguissima restat;
Quique dati leto, quaeque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores:
Accipiat lacrimas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, poenae crucianda reservor.
Quid fiet sonti, cum rea laudis agar;
Et, consanguineae quondam centesima turbae,
Infelix uno fratre manente cadam?
At tu, si qua piae, Lynceu, tibi cura sororis,
Quaeque tibi tribui munera, dignus habes,

115. *Exiguissima.* Cic. Brut. c. 91. *Assiduissime mecum fuit Dionysius.* CIOF. De comparativo et superlativo huius generis adiectivorum vid. Priscian. III, 1. p. 107. 108. ed. Krehl., ubi ex antiquissimis scriptoribus, Catone, Graccho, Pacuvio exempla afferuntur. Amat autem Ovidius loqui ἀρχαικῶς. Conf. Epist. XIII, 137. et Pont. III, 1, 141. Pro *restat* Burmannus cum Heinsio e Gron. et IV aliis dedit *restas,* quod etiam unus et item alter e meis codd. habet. Male, ut in media illa narratione malorum suorum; certe non melius, quam l. reliquorum librorum omnium: *restat. Fratrum,* pro *fratrum patruelium.* Vid. ad Epist. VIII, 28.

117. *Mihi.* Gronov. et IV alii: *tibi.* Sed sua iam queritur mala; hinc *mihi* rectum. Conf. v. 114. et 117. Sed cur sorores sibi periisse dicit? Numquid quia certa eas poena sequatur, an quia tanto se flagitio maculaverint?

118. *Meas.* Pessime Heinsius coniecit, quod cod. Trev. exhibet: *suas. Ego fleo, mihi periere, accipiat igitur meas... non suas.* Sed quoties has delicias suas Heinsius Nasoni obtrusit?

120. *Quid fiet sonti. Fieret* septem; duo: *fiat*; utrumque (ad sensum) bene. HEINS. In *rea laudis* noster iterum argutatur; est autem: *cum ob factum laudabile rea iudicer, accuser.* Conf. Epist. XVI, 324.

121. *Centesima.* Vid. v. 117.

122. *Cadam,* ut a patre ad mortem destinata. Ceterum verissima haec interpunctio Iahno debetur; vulgo enim post *agar* interrogandi signum et post *cadam* punctum ponitur.

123. *Lynceu.* Pro *remanet,* ut vulgata exhibet loco *Lynceu,* primae edd. et scriptorum plurimi: *Line est.* In Put. *remanet* a m. s., prisca lectione erasa. Scribe *Lynceu,* et ita Herculan. cod. et ed. Naug. *Lynceus* enim Hypermnestrae maritus dictus, non *Linus.* Ita eum Pindarus appellat et Pausan. et Apollod. et Libanius in Diegematis, et Tzetzes in

Vel fer opem, vel dede neci, defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis;
Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa,
Sculptaque sint titulo nostra sepulcra brevi:
EXSUL HYPERMNESTRA, PRETIUM PIETATIS INIQUUM,
QUAM MORTEM FRATRI DEPULIT, IPSA TULIT.
Scribere plura libet; sed pondere lassa catenae
Est manus, et vires subtrahit ipse timor.

Chiliadibus, et Zenobius, Hyg., Servius et Schol. Statii non uno loco. Apud Scholiastem Germanici tamen et Horatii, Statii quoque uno in loco *Linus* mendose appellatur. Sidonius Apollin. Carm. 4.

Solus Hypermnestrae servatus munere Lynceus.
HEINS.

Sed malim addi *est,* quod est in omnibus libris:

At tu, si qua piae, Lynceu, est tibi cura sororis.

126. *Furtivis.* Quando palam rogo imponere haud tutum erit, furtim, furtivis, rogis adde. *Insuper adde.* Trist. II, 129.

Insuper accedunt, te non adimente, paternae
(Tanquam vita parum muneris esset) opes.

Vid. Gifan. Ind. Lucretii.

128. *Sculptaque.* Naug. dedit *Scriptaque.* Sed scripti nostri omnes (etiam mei) cum primis edd.: *Sculptaque.* Pari modo Avienus F. 14. de sepulcro:

Sculperet ut docili pollice saxa leo.

Horat. Sat. II, 3, 90. 91.

— — summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit.

At Tibull. I, 3, 54.

Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.

Sic *scriptum aurum* pro *insculptum* Iuven. S. VI, 205. Conf. Stat. Theb. VIII, 270., Silv. I, 3, 9. Vid. Bernart. et Gronov. ad Stat. Diatr. c. 42. et Elench. Antidiatribes p. 68. *HEINS.* *Scripta* probum est. Ita Sueton. Caes. c. 86. et August. c. 7., ita Isidor. XVI, 17., Curt. X. c. 1. Vid. Heins. ad Claudian. in Rufin. II, 342. Utebantur autem veteres etiam hoc vocabulo de pictura et sculptura. *BURM.* *Sculptaque* recte revocavit Iahn, quod confirmare videtur Horatii locus supra laudatus, unde plura huius Epistolae colorem duxisse videntur, et ubi est (Od. III, 11, 51.):

— et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

128. *Titulo.* Vid. ad Epist. II, 148.

129. *Pretium p. iniquum. Pretium* est vocabulum medium, ut nostrum *Lohn.* Fast. VI, 607.

Vadis, an exspectas pretium pietatis amarum?

132. *Timor,* scilicet ne pater aut famuli patris (v. 71.) scribenti superveniant. *Et,* et praeterea; conf. Epist. IX, 120.

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.

Sappho, Lesbia, egregia poetria lyrica, Phaonis, formosissimi Lesbi iuvenis, amore capta est. Is spreto eius amore in Siciliam abiit. Quod cum illa comperisset, aegerrime tulit constituitque a Leucate petra in mare se praecipitare, quo saltu alterum, qui sese praecipitasset, amore levari, alterum ad eundem inflammari credebant. In hoc igitur animi statu Phaoni hanc scripsit Epistolam.

Herodot. II. c. 135., *Plin. H. N. XXII. c.* 8., *Palaeph. de Incredib. Hist., Athenae. XIII. c.* 7., *Ael. Var. Hist. XII,* 19. *ibique Perizon., Suid. v. Sappho, F. Theoph. Welker: Sappho von einem herrschenden Vorurtheil befreit, et Ch. Fr. Neue: Sapphonis Mytil. Fragmenta.*

Ecquid, ubi adspecta est studiosae litera dextrae,
 Protinus est oculis cognita nostra tuis;

* Ab hac inde Epistola copiosiores erimus in similibus locis ac sententiis ex Ovidii carminibus afferendis et dictionibus vocabulisque Ovidianis notandis, quo institutam a nobis in III. capite Prooemii quaestionem, an hae Epistolae Ovidianae sint, persequamur atque absolvamus, et id, quod ibi statuimus, esse omnes ab hoc poeta conscriptas, magis etiam appareat.

Sapphus ad Phaonem Epistola in nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus nisi recentissimis apparet, neque hoc loco, sed ut plurimum reiecta ad calcem operis. In qua tamen emendanda usi sumus libro Bodleiano, tribus Lincoln., Scriv. (h. e. Guelf. 4.), Palatino, Reg., Sarrav., Mazariniano, quinque Mediceis, totidem meis, Patavino, Vatic., Farnes., Arondeliano, quorum omnium pars maior non in membranis, sed charta fuit exarata. Huius Epistolae optimo exemplari usus est Naugerius, cuius ope instructus multa feliciter castigavit. HEINS.

1. *Ecquid, ubi adspecta est.* Olim edebatur: *Numquid, ubi adspecta est,* et sic est in vett. libris. Heinsius e libro Maffei. scripsit *inspecta est,* et praeeunte Naugerio *Ecquid ut,* quod etiam (ex Naug.) exhibet editio Bas. Ac vocem *inspicere* Naso saepe ita usurpavit. Art. A. III, 471.

Inspice, quodque leges ex ipsis
 collige verbis.

Art. A. II, 396.; Fast. IV, 257.

An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde movetur opus?

Carminis Euboici fatalia verba sacerdos
Inspicit, inspectum tale fuisse refert.

Verum recta etiam, ac nescio an aptior huic loco scriptura prope omnium librorum: *adspecta,* h. e. *primo statim adspectu,* quam confirmare etiam videtur illud *Protinus,* igiturque eam cum Iahno revocavimus. De *Ecquid,* nihil haereo, quae vox Ovidio solemnis est; contra vox *numquid* apud eundem valde rara. Vid. infra v. 207. Trist. III, 3, 47., ut hodie quidem vulgatur:

Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente —

Metam. XII, 588.:

Ecquid, ut has iam casuras *adspicis* arces,
Ingemis? —

et, ut hoc loco, in ipso epistolarum initio Trist. V, 2, 1.:

Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola, palles? —

Pont. II, 10, 1.:

Ecquid ab impressae cognoscis imagine cerae,
Haec tibi Nasonem scribere verba, Macer?

Conf. Pont. I, 6, 1. Sed in tribus prioribus locis, ut hoc, de quo agitur, cum codd. et vett. edd. restituendum est *ubi,* quod multis quoque aliis in locis sine iusta caussa in *ut* mutavit Heinsius. Vid. ad Ep. IV, 24.

Studiosae explicant doctae, literis eruditae, quae tam docte et accurate scribit. Sed vellem simili exemplo hoc probari. Ego simpliciter capio *te amantis,* tibi studentis, ut sexcenties. *Burm.* Trist. IV, 10, 91.

— Ad vos studiosa revertor
Pectora, qui vitae quaeritis acta meae.

Studiosus pro *literarum studiosus* tamen legitur Trist. I, 2, 77.

3. *Auctoris. Auctor* genere fem. saepe reperitur, ut Fast. V, 192., atque eodem modo *sponsor, successor,* al. Vid. Scaliger ad Manil. V, 632. Conf. Epist. XVI, 114., XIV, 110. Sed hoc l. universe dictum est, ubi constanter genus usurpatur masc. Vid. ad Epist. V, 8.

Gud. 1. et 2.: *Saphos,* et Scriv.: *Sapphos,* atque eandem formam in Epistolae inscriptione quoque Gud. 2. et Scriv. sequuntur; nec incredibile est, in Aeoliae poetriae nomine flectendo terminationem Aeolicam ab Ovidio retentam esse. Sic Art. A. I, 27. cum alii codd., tum Gud.: *Clio Cliosque sorores.* Adde egregium in hanc rem testimonium Voss. Analog. II, 9. p. 707. et Epist. IX, 87. *Fr. Heusinger.* Sed certa desiderantur eius usus exempla. Vid. C. L. Schneider Gramm. Lat. Vol. I. P. II. p. 287. *Nisi legisses auctoris nomina Sapphus,* nimirum in ipsa Epistolae fronte: *Sappho Phaoni.*

4. *Movetur.* Ego Latiniorem puto lectionem Sarr. et Francof. codicis: *unde veniret,* quod et Francius coniecerat, qui tamen *moveret* (sic enim ante Burmannum vulgabatur) praeferebat. Iuv. Sat. X, 71.

Forsitan et, quare mea sint alterna, requiris,
  Carmina, cum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est: elegia flebile carmen;
  Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.

— verbosa et grandis epistola venit
A Capreis.

Ov. Amor. II, 18, 33.

Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit.
Burm.

In reliquis codd. et vett. edd. est: *unde movetur opus,* quod Iahn recte revocavit. De indicativo *movetur* autem, Cic. de N. D. II. c. 6. *Animum illum spirabilem, si quis quaerit, unde habemus, apparet.....* Vid. ad Epist. X, 86. et ad XVI, 78. Conf. Epist. Sab. I, 6. De consecutione temporum vid. not. ad Epist. XVI, 278. et G. T. A. Krügeri docta Dissertatio, quae inscribitur: *Von der Folge der Zeiten in der oratio obliqua. Unde* ad personas relatum vidimus supra Epist. IX, 54. Conf. Epist. II, 54. ibique not. De *opus movere,* conf. Amor. III, 1, 6., Art. A. I, 29., Fast. IV, 820. *Opus* autem hoc loco nomen generis est. *Breve.* Conf. Epist. XVIII, 174.

5. *Alterna carmina.* Elegos significat. Sic Fast. II, 121.

Dum canimus sacras alterno carmine nonas.

Trist. II, 229. *modos impares* dixit, Trist. III, 1, 11. *alternum versum:*

Clauda quod alterno subsidant carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit —

et mox ibid. III, 7, 10. *alternos pedes:*

Aptaque in alternos cogere verba pedes.
Ciof.

Requiris scripsimus cum vett. edd. et plurimis codd.; nam unus Med. et Francof. exhibent *requiras,* quod cum Heinsio Burmannus recepit. Vid. ad Epist. IV, 53.

6. *Lyricis.* Nam plurima huius poetriae carmina e genere lyrico fuerunt. Vid. Neue l. l.

7. *Elegia flebile carmen.* Ed. Naug. et, quae ab ea pendent, aliae: *elegi quoque,* in quo illud *quoque* sensu caret. *Elegi* ante Heinsium vulgata, ut verbum esset. Naugerius *elegia* (ut est in codd. Seidl. et Zwicc. et ed. Ven. 1487.) putabat vel potius *elegeia* cum *ei* diphthongo legi posse, ultima producta non solum ob sequentes consonantes, sed etiam ob praecedentem *ei* more Graecorum, unde sic exhibent ed. Mic. et Bersm., quamvis ipse probaret *elegi quoque.* Ciofanus autem e cod. Maff. *elegeïa* dedit, ut Amor. III, 1, 7. et III, 9, 3., ut nunc quidem ibi vulgari solet. Atque ea lectio ab omnibus probata est recentioribus editoribus. Nos scripsimus *elegīā, a* more Graecorum producta, Santenium ad Terent. Maurum 307. in hac quidem re secuti, cuius verba afferre iuvat: „*Elegia* in IV Ovidii locis nec alibi et apud neminem, ni fallor, alium scriptorem

Uror, ut indomitis ignem exercentibus Euris
  Fertilis accensis messibus ardet ager.

obvia (sed vid. Quint. I. O. X. c. 1. §. 58. et 93., I. c. 8. §. 6. *L.*) in recentioribus quidem edd. peperit *elegeïa*, quae forma cum mihi suspecta sit, in eius auctoritatem et originem inquirere iuvat. Primum dicam ne ullo quidem exstare in codice, nisi quod Ciof. e Maff. laudet *elegeïa* Epist. XV, 7. *Elegeia* habet ed. Lips. 1499. et Rom. 1500.; sed in cod. Datiano, nunc meo, est *et elegi*, in V Heinsii, in Guelf., Gron., ed. Iensoniana, Ven. 1486., Ald. 1502.: *elegi.* Naug. 1515. et Voscosiana 1555.: *elegi quoque.* D. Heins., Elzevir. 1629.: *elegeïa.* Margo codicis Gron. et Domitiana 1475.: *elegia.* — Amor. III, 1, 7.

Venit odoratos Elegeïa nexa capillos.

Elegeïa habet Naug. 1515. et recentissimi. *Elegeia* Iensoniana, Vic. 1480., Ven. 1486., Ald. 1502. *Elegia* Parrhasianus, quem solum Amorum in meis numero. — Amor. III, 9, 3.

Flebilis indiguos Elegeïa solve capillos.

Elegeïa Naug.; Ienson. et Ald. 1502.: *Elegeia.* At cod. Iun., duo Palat., meus Parrhas., ed. Vic. et Ven. 1486.: *Elegia.* — Remed. A. 379.

Blanda pharetratos elegeïa cantat Amores.

Elegeïa exhibent Aldus 1502. cum Naug., D. Heins. ceterisque. *Elegeiä* Iens. et Vic. At *elegia* Parrhas., Crevenn. Cavalcantis, uterque Leodd., Huydecoperianus cum Ven. 1486. Quibus variantibus considératis recte mihi videtur Domitius in Commentario ad Epist. XV. 1475. scripsisse, *elegeia* in aliis locis defendi et ratione syllabae non offendere. — — — Priscian. VII, 729, 36. *Omnis enim nominat. Latinus A terminalem corripit. Est tamen, quando servant eam productam, sed raro.* Dein p. 730. 8. et p. 731. 20. profert Stat. Theb. V, 41., qui more Graecorum

Nec facilis Nemea latas evolvere vires —

ubi nunc quidem *Nemee,* olim *Nemeae* vulgarunt. *Nemea* confirmat ipse Theb. II, 378., IV, 825. In *Argia* XII, 178. 255., licet more Rom. corripuisset V, 113., in *Malea* IV, 224., in *Pasithea* II, 286. Adde Voss. Art. II. c. 34. Ita Auson. Parent. 25.

Te quoque, Dryadia, matерteram —

19, 1.

Aemilia, vix nota mihi soror.

Ἐλεγεία producte scribitur ap. Suid. v. ἐλεγεῖον. Itaque Ovidius a consuetudine Graecorum, *a* purum saepe producentium, non magis in hac voce recessit, quam in *Amalthea* Fast. V, 115. cum Tibullo II, 5, 67., in *Rhea* Fast. IV, 201.; nec unquam ultimam in *elegia* corripuit, quod fecerunt postea more Lat. Stat. Silv. I, 2, 7., Martial. V, 31, 4., Auson. Parent. 7, 1., Serv. in Centim. p. 21. 8. — Sic ultimam in *Electra* produxit cum Graecis Cic. in Arat. 36., Prop. II, 11, 5. monente iam Puccio et Domitio, Ovid. Fast. IV,

Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Aetnae:
Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.

177. confirmante cod. Parrhas. et Relandino, in *Phaedra* Ov. Art. A. I, 511., Remed. 743., quanquam idem Art. A. I, 744. corripuit, in *Hypermnestra* Prop. IV, 7, 67. emendante Puccio, Ov. Her. XIV, 1., in *Megara* Senec. Herc. Fur. 203." Vid. ad Epist. XIV, 1. Non parum autem formam *Elegīa* loco *Elegeīa* confirmare illud videtur, quod Ovidius ne in ipsis quidem nominibus propriis Graecis, in quibus ceteroquin formas ac sonos Graecos non admodum fastidit, *ei* diphthongo utitur, sed constanter fere *ī* scribere consuevit, velut *Iphigenia, Arion,* al. De sensu, huc pertinet Amor. III, 9, 3.

Flebilis indignos Elegia solve capillos;
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Neque vero semper *ex vero* sc. ab ἒ ἒ λέγειν nomen gerebat; id quod Ovidius aliique elegorum scriptores docuerunt ipsa re, et Horatius verbis in Arte Poetica:

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.

Conf. Scaliger Art. Poet. p. 430. Usum elegorum autem antiquissimum, ut nimirum lamentationibus rebusque tristibus et lugubribus celebrandis adhiberetur, confirmant Didymus apud Etymol. p. 327. 3. et apud Ruhnk. ed. Callim. Fragm. 66., Acro ad Hor. l. l., Plotius p. 2624., Serv. in Centim. c. 9., Diomed. III. p. 82. 418., Proclus in Chrest. p. 7. 2. 5., Isid. I, 38. p. 853., Schott. ad Proclum l. l. p. 28. Conf. Franck. ad Callin.

8. *Non facit ad l. barbitos ulla.* De dictione *facere ad* vid. ad Epist. XIV, 56. *Barbitos* est instrumentum musicum, plures chordas habens, ad cuius sonum carmina lyrica canebantur. Vid. Etymolog. Magn. in v. Notum est Horatianum illud *Lesboum tendere barbiton.* Hinc pro ipsis carminibus lyricis. —

In veteribus est *illa;* sed et *ulla* recte. NAUG. Et melius meo quidem sensu et gravius. Margo Bersm. quoque: *illa.* Gud. 1. et 2., Scriv. et edd. Venn.: *barbiton.*

9. *Euris* proprie accipiendum videtur. Epist. XI, 9. *truculentior Euris.* Ceterum ab incendio messium et agrorum, quae quidem res nostra aetate, certe apud nos, minus nota est, veteres poetae saepius repetunt comparationes. Vid. Virg. Aen. II, 304., Ov. Met. VI, 455. UNOR. Conf. Epist. XVI, 10.

11. *Arva Phaon etc.* Phaonem significat diu in externa regione, quae remota, *diversa,* a Lesbo, versari; eam autem Siciliam esse ait, ubi est Aetna mons perpetuo incendio notus; qua occasione ad sui amoris ardorem alludit: *Me ca-*

Nec mihi, dispositis quae iungam carmina nervis,
  Proveniunt: vacuae carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades Methymniadesve puellae,
  Nec me Lesbiadum cetera turba iuvant.

lor etc. Celebrat, frequentat, et diu immoratur. *Ciof. Typhoidos* dicitur a Typhone vel Typhoeo gigante, qui cum Iove bellare ausus secundum Ovidium a fulmine ictus atque Sicilia insula et Aetna obrutus est. Vid. Metam. V, 348. et quos ibi laudat Gierig, Nicander ap. Ant. Lib. 28., Apollod. I., Hyg. F. 152. Conf. Metam. III, 305. De forma *Typhois* vid. ad Epist. II, 6. Scriv.: *celebret.*

12. *Igne tenet.* Alii ex suis notant: *coquit,* quod damnare Ciofanus non debuit; ego certe amplector. Metam. IX, 171. de Hercul. Oet.

— coquiturque ardente veneno.

Apposite Seneca et ad imitationem nostri satis manifeste Herc. Fur. v. 105.:

— acrior mentem excoquit,
Quam qui caminis ignis Aetnaeis furit —

et Herc. Oet.:

Non virus artus, nate, femineum coquit.

Virg. Aen. VII, 345.

Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.

Ennius apud Cic. de Senect.

O Tite, si quid ego adiuro curamve levasso,
Quae nunc te coquit.

Est autem familiaris poetis Latinis (utpote tam stupendo naturae miraculo vicinis) ab Aetnae ardore comparatio. Horat. Epod. 17., Senec. Hippol. 101. *Heins.* Plerique libri cum vulg.: *tenet,* quod etiam ad sensum melius est, utpote respondens illi *celebrat* versus praecedentis.

13. *Quae iungam,* quae ad lyrae sonum cantentur. Lectionem *quae iungam* exhibent ed. Naug. et margo Bersm. Vulgo: *iungam quae,* nisi quod Gud. 2.: *iungam per.*

14. *Proveniunt.* Trist. I, 1, 39.

Carmina proveniunt animo deducta sereno.

Vacuae mentis, non *meae,* quae amore occupata est.

15. *Nec me Pyrrhiades.* In edd. Venn., Ald. et Bas., etiam in codd. Gud. 2., Seidl., Zwicc., Wittiano et aliis Heinsianis: *Nec mihi Pierides subeunt Dryadesve* (cod. Gud. 2. et Witt.: *Dryadesque,* Gud. 1. et Guelf. 4.: *Naiadesque*) *puellae, Nec me Thespiadum* (Bas.: *Lesbiadum*) *cetera turba iuvat.* Quam l. viri dd. omnino reiecerunt; quanquam unum habuit defensorem ita ineptientem, ut *Pierides* explicaret furorem poeticum, *Dryades* relaxationem animi in silvis, *Thespiades* amicas. Altera est scriptura in edd. Bersm. et Mic.

Nec mihi Pyrino subeunt Dryadesve puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba iuvat —

probata ea ab Egnat. Racemat. c. 2. p. 1511. aliisque, nisi quod *Mnaisve* pro *Dryadesve* legunt. Conf. Sapph. Fragm. ap. Hephaest. p. 64. (37, 15.). Sed posterior l., ut

Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno;
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis,

monet Micyllus, hoc incommodi habet, ut generale nomen sive ἐπιλογικὸν statim post has duas personas ponatur, cum in sequentibus versibus etiam aliae eiusdem societatis personae singillatim referantur. Solitum autem, vel genus praecedere vel species in huiuscemodi enumeratione, neque alterum altero misceri, et obstat v. 19. „Hinc, idem Micyllus hoc l. monet, ad hanc inclinat animus:

Nec me Pyrrhiades Methymniadesque puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba iuvat —

quae l. aliquam rationem habet. Nam Pyrrha et Methymna civitates Lesbi sunt, et ad partes sive species apte genus ipsum ἐπιλογικῶς infertur.“ Atque ea scriptura nunc pro vulgata est, et sic habent edd. Naug., Vinc. et Bas., et confirmari ea videtur ipsa novitate formae verborum. Nam si quis adhuc cum Micyllo et Egnatio haereat in forma *Pyrrhiades*, in promptu est ea de re docta haec nota Lennepii: „Quaerit ad h. l. Egnatius, quomodo a *Pyrrhaeus* ac *Methymnaeus*, quae sunt possessiva a *Pyrrha* et *Methymna*, deduci patronymica *Pyrrhias* ac *Methymnias* potuerint. Et quaestionem eludunt potius quam solvunt, qui ceteroquin in lectione *Pyrrhiades Methymniadesque* retinenda valde, nec iniuria pugnant Micyllus aliique interpp. Scilicet ea patronymica non, ut existimabat Egnatius, a *Pyrrhaeus* et *Methymnaeus* deducuntur, sed a *Pyrrhius*, *Methymnius* ea ratione, qua ab Ἀχαιὸς patronymica ducuntur feminini generis, primo Ἀχαιὶς, deinde Ἀχαιϊάς; a Πελασγὸς Πελασγὶς, Πελασγιάς. Nam certe nihil obstat, quominus a Πυῤῥα duae formae fuerint patronymicae, Πυῤῥαῖος et Πύῤῥιος, ut a Θύμβρα sunt Θυμβραῖος et Θύμβριος: nec mirum, si a Μήθυμνα tam Μηθύμνιος in usu fuerit, quam Μηθυμναῖος, cum a Κάλυδνα teste Stephano de Urbibus in voce ὁ πολίτης Καλυδναῖος καὶ Καλύδνιος, unde Καλυδνὶς, Καλυδνιάς; ut a *Methymnius Methymnis*, *Methymnias*.“ Parrhas. e vett. codd.:

Nec mihi Pyrrhiades subeunt Meliaeque puellae.

16. *Iuvant* optimi codd. et edd. *Burm.*

17. *Anactorie. Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno* dedit Naugerius (sed idem Naug.: rectior, ait, fortasse sit vetus l. *Vilis Anactorie*). At primae edd. cum scriptis quibusdam: *Vilis Amatorie*, alii: *Amintorie* vel *Ametorie*. Lege *Anactorie* ex Maximo Tyrio Γύριννα καὶ Ἀτθὶς καὶ Ἀνακτορία, quod Bersmann. iam monuit. Pro *Cydno* scripti aliquot: *Cathno*, *Cydro*, *Credo*, *Clio* et similia. *Heins.* *Vilis.* Vid. Epist. III, 41.

18. *Atthis.* In versibus, quos Hephaestio ex Sapphone laudat, huius *Atthidis* mentio est his verbis:

Ἀτθὶς σοὶ δ᾽ ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο.
Ciof.

Atthidis meminit etiam Terent. Maur. de Metris p. 91.

Atque aliae centum, quas hic sine crimine amavi:
Improbe, multarum quod fuit, unus habes.
Est in te facies, sunt apti lusibus anni; —
O facies oculis insidiosa meis! —
Sume fidem et pharetram: fies manifestus Apollo;
Accedant capiti cornua: Bacchus eris.

> Aeolicum ex illa genuit doctissima Sappho,
> Cordi quando fuisse sibi canit Atthida parvam,
> Florea virginitas sua cum foret.
> *Burm.*

Conf. Suid. in v. *Sappho.*

19. *Quas hic.* Sic fere omnes scripti. Sed recte *nec* repositum. *Burm.* Non displiceret lectio *non sine crimine*, sed iterum ampliari iudicium postulo. *Egnat.* Edd. Naug., Bas. (margo Bas.: *hic*) et Col.: *quas non sine crimine amavi*, quae l. nunc fere pro vulgata est. Ego cum Welkero l. l. p. 123. revocavi *hic*, scil. in hac insula, patria mea, quod rectissime dicit, cum Phaon tam procul (v. 15.) abesset. Monstrum sententiae continet, quod nunc vulgo editur *non sine crimine amavi;* nihil enim absurdius cogitari potest, quam si Sappho, amantem ad amorem sui revocatura, ei narret, turpissimo aliquo scelere socias et amicas suas amasse. Lectio autem *non sine crimine* a grammaticis orta videtur, qui ita novarent propter famam illam, Sappho turpissimam consuetudinem habuisse cum puellis; quod figmentum esse serioris aevi et comoedorum, neque omnino ullam usquam τριβαδικῆς ἀσελγείας apud veteres Graecos mentionem reperiri, probabiliter ostendit Welker libro l. Conf., quem ille laudat, Max. Tyr. Diss. VIII. p. 94. ed. Dav. Vid. ad v. 201. et 171.

20. Amorem meum, qui olim multarum fuit, tu iam unus habes. Conf. Epist. XVI, 94.

21. *Lusibus*, iocis, amoribus.

22. *Oculis insidiosa.* Amor. II, 19, 19.

> Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos.

Vid. Amor. III, 11, 48. et Sabini Epist. III, 58. „Cum duo proposuerit iucunda in Phaone, alterum, quo magis alliciebatur, repetit et ingemiscendo auget.“ Ita Domitius Calderinus, antiquissimus huius Epistolae interpres, qui multa in hanc Epistolam scite ac docte commentatus est, et hanc Epistolam omnium pulcherrimam existimat, in quo iudicio assentientem habet Egnatium et alios. Conf., quae a nobis de ea disputata sunt in Prooemio.

23. *Fidem et pharetram.* De his Apollinis insignibus poetae passim. Vid. Horat. Od. I, 21, 25. 26. ibique Mitscherl. et quae supra notata sunt ad Epist. V, 139. De *cornibus* Bacchi vid. ad. Epist. XIII, 33. De sententiae forma conf. Epist. XIII, 156.

23. 24. Bersmannus notavit esse imitationem Prop. IV, 2, 31. 32. Scriv. et Seidl.: *et pha-*

Et Phoebus Daphnen, et Gnosida Bacchus amavit,
Nec norat lyricos illa vel illa modos;
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Iam canitur toto nomen in orbe meum;
Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque,
Laudis habet, quamvis grandius ille sonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formae damna rependo meae.

retras; prior etiam: *et eris manifestus*. Vid. ad Epist. V, 139.

25. *Et Phoebus Daphnen.* Daphnen, Penei filiam, Nympham formosissimam Apollo amabat; quae cum instantis eius amplexus fugeret, a patre, cuius opem implorabat, in laurum conversa est. Vid. Hyg. F. 203. et Metam. I, 452. ibique Gierig. De Bacchi amore Ariadnes vid. ad Epist. II, 79. *Gnosis* a *Gnoso* seu *Gnosso*, quae urbs est Cretae, in qua olim regia fuit Minois, patris Ariadnes. Conf. Art. A. I, 527. et III, 158.

26. *Nec norat.* Et tamen neutra carminibus apta erat. De *illa vel illa* vid. ad Epist. II, 148. De *Nec* conf. Epist. III, 22. et Bremi ad Sueton. p. 294. *Modi* autem sunt numeri, ad quos carmina cantantur. Vid. Art. A. III, 318. Conf. Fast. V, 386. Virg. Ecl. 9, 45.

— numeros memini, si verba tenerem.

27. *Pegasides* sunt Musae, quarum fons Hippocrene, quem Pegasus dicitur ictu pedis aperuisse. Vid. Metam. V, 262. ibique Gier. *Dictant.* Vid. Epist. XX, 29.

29. *Alcaeus.* Eadem, qua Sappho, natus patria Lesbo et idem carminibus lyricis celebratissimus. Cum Sapphone certavit, ut testatur Schol. Theocrit. Idyll. 7, 63.

30. *Grandius ille sonet.* Sic Horat. Od. II, 13, 24.

Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus
(vidimus);
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Hor. Od. IV, 9, 7. *Minaces Alcaei — Camoenae.* Vid. utroque loco Mitscherl.

Sonet. Reg. et unus Heins. et Gud. 1.: *sonat.* Vid. ad Epist. VII, 29.

Tonet pro *sonet* h. l. malle se scripsit Burm. Sec. ad Propert. III, 15. 40. Sed *te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro* etiam Horatius dixit Od. II, 13, 26. Deinde, retento *sonet,* aliquis est comparationi locus; nam *sonabant* quidem ambo, dulcius Sappho, grandius Alcaeus: sed admisso verbo *tonet* nulla amplius esse comparatio potest, siquidem Sappho certe prorsus non *tonabat.* Et omnino saepe nimius Burmannus Sec. in hoc verbo veteribus poetis obtrudendo, quibus *tonare* non tam solemne fuit ac nostris. *Lenn.* Vid. ad Epist. XIX, 81.

32. *Rependo.* Vid. Lennepii

Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum; placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriae fusca colore suae;
Et variis albae iunguntur saepe columbae;
Et niger a viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est; nulla futura tua est.

not. in calce huius Epistolae. Et de ipsa voce vid. ad Epist. III, 51.

33. *Sum brevis.* Olim insulse, ut ait Heinsius, legebatur, ut etiam Maff. et Vatic. exhibent:

Nec me despicias, si sum tibi corpore parva,
Mensuramque brevis nominis ipsa fero.

Quae nunc vulgatur l., Naugeriano debetur libro; atque ea praeter illius codicis auctoritatem etiam antithesi et argutiis illis *mensuramque nominis ipsa fero,* h. e., ego tanta sum, quam longe nomen meum pertinet, Ovidianam rationem prae se ferre videtur. Palat.: *si sum tam corpore parvo*; Lincoln.: *quia sum t. c. p.* De re conf. Max. Tyr. Diss. 24. c. 7.

35. *Candida si non sum.* *Μέλαιναν* eam dicit Max. Tyr. Diss. l. c.

36. *Andromede.* Apud Fulv. Ursin. p. 4. Illustr. Fem. Poemat. Philodemi Epigramma est:

Εἰ δ' ὀπικὴ καὶ χλωρὰ καὶ οὐκ ᾄδουσα τὰ Σαπφοῦς,
Καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἠράσατ' Ἀνδρομέδης.

Sic et Athenaeus l. c. 18. Andromeden a Sappho versibus notatam scribit. Inter puellas autem a Sappho amatas etiam Maximus Tyrius *Andromeden* quandam recenset; ut et ipsa Sappho in Fragmento apud Fulv. Urs. p. 10., ubi videtur aemulatione accendi, quod Atthis in Andromeden proclivior esset. HEINS. *Andromeda,* quam poeta h. l. significat, filia fuit Cephei (unde Cepheia), regis Aethiopum, quae quum ob matris superbiam, quae se Nereidas antecellere forma gloriabatur, a Nymphis scopulo alligata cetoque obiecta esset, a Perseo liberata et in matrimonium ducta, et postremo Minervae beneficio propter Persei merita inter astra collocata est. Vid. Metam. IV, 670. sqq., Apollod. II., Manil. V, 538. sqq., Hyg. F. 64., Astron. II, 11. et III, 10.

36. *Colore.* Lincoln.: *calore.*

38. *Viridi ave.* Psittacum intelligebat post Bersmannum Francius aliique, et recte. Amor. II, 6, 12. de psittaco mortuo:

Tu tamen ante alias, turtur amice, dole:
Plena fuit vobis omni concordia vita.

Est autem naturalis quaedam inter turtures et psittacos amicitia. Plin. Lib. X. c. 74. Conf. Turneb. Advers. XVIII, 6.

39. Si nulla futura tua est (nullam amabis), nisi quae forma te digna videatur; nullam

At me cum legeres, etiam formosa videbar:
  Unam iurabas usque decere loqui.
Cantabam, memini — meminerunt omnia amantes — ;
  Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Haec quoque laudabas, omnique a parte placebam;
  Sed tunc praecipue, cum fit Amoris opus.

unquam amabis. Pro *facie* Mazar. et Palat.: *facies*. Ven. 1486.: *Sed nisi.*

41. *At me cum legeres.* Lectio ab Heinsio Burmannoque e mss. restituta aliorumque comparatione locorum, Amor. II, 1, 5., Art. A. I. init., Trist. II, 370. (quibus adde Remed. Am. 71. 72.), abunde confirmata, ut poetica elegantia veterem editionum ante Heinsium lectionem: *At mea cum legeres,* haud parum superat, ita nihil ab ea differt sententia. At vero ipsi huic sententiae controversiam movet Medenb. Wakker Amoenit. Litterar. c. 13. p. 115.; quaerit enim, cur Phaoni legenti pulcra videretur Sappho. Praeterea non videre se scribit, qua ratione minor versus tum quadret. Scil., quod ad sententiam versus 41. attinet, Phaoni, Sapphus carmina legenti, propter horum pulcritudinem pulcra videbatur *ipsa* Sappho, sicuti *καλὴν* eandem Sappho dixit Socrates, *διὰ τὴν ὥραν τῶν μελῶν, καίτοι μικρὰν οὖσαν καὶ μέλαιναν,* iudice Maximo Tyrio Diss. 24. §. 7. Versus autem 42. ita cum antecedente quadrat, ut non minus sermonem suum audienti, quam carmen legenti, placuisse Phaoni se affirmet Sappho; quemadmodum in v. 43. et sq. cantum quoque suum eidem gratissimum fuisse demonstrat. Itaque propositam a Viro D. emendationem: *At, mea cum legerem, etiam f. v.*, ne sententiae quidem caussa recipiendam existimo. Sed nec *m* ante vocalem unquam a veteribus productam puto. Suspectum aliis etiam nominibus, ut Heynio, ita mihi distichon apud Tibull. I, 5, 33. (vid. ibi Huschk.). Apud Propert. vero II, 23, 101. pro *Haec eadem ante illam impune* proclive est, ex tribus Burmanni Sec. mss. reponere *Haec eadem ante illam iam impune,* quod nec ipse Burmannus improbavit. Mihi quidem omnino rationi repugnare videtur, ut origine brevem literam, atque adeo quidem brevem, ut hinc etiam subtrahi in metro coepta sit, aut Propertius aut huius aevi poetarum aliquis produxerit. Vid. Prisc. apud Putsch. p. 556. Lenn. Gud. 2.: *tibi iam formosa.* Sed recte habet *etiam*: „non solum mea carmina probabas, sed *etiam f. v.*" Conf. Epist. VI, 119.

42. *Unam.* Vid. ad Epist. I, 51.

43. *Meminerunt omnia a.* Conf. Epist. II, 7.

45. *Omnique a parte.* Mazar.: *omnique in parte;* Francof.: *omni tibi p.* Zwicc., Gud. 2. et edd. Venn.: *Hoc;* Gud. 1.: *Me quoque.*

46. *Tunc.* Heinsius dedit *tum,* et sic est in Gud. 1. Ed. Mic.: *nunc.*

Tunc te plus solito lascivia nostra iuvabat,
  Crebraque mobilitas aptaque verba ioco;
Et quod, ubi amborum fuerat confusa voluptas,
  Plurimus in lasso corpore languor erat.
Nunc tibi Sicelides veniunt nova praeda puellae.
  Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.
At vos erronem tellure remittite nostrum,
  Nisiades matres Nisiadesque nurus;

47. *Iuvabat. Iuvabant* Vat., Reg. et duo ex meis. *Heins.*

48. *Crebraque mobilitas.* Conf. Amor. III, 14, 25., quem locum attulimus in Prooem. c. III. Pro *verba ioco* quidem codd. Heinsii: *membra ioco;* alii cum marg. Bersm.: *verba loco,* quod damnat Gron. Obss. III, 21. contra Salmasium. *Verba iocis* Sarrav. et Linc.; *verba sono* Francof. *Iocus* h. l. est ipsum opus amoris. Art. A. II, 724.

> Et dulces gemitus aptaque verba ioco.

Fast. IV, 868.

> Poscite blanditias dignaque verba ioco —

qui versus prorsus eosdem habet numeros. De *verba* h. l. vid. Iuv. Sat. VI, 406.

49. *Et quod, ubi amborum.* Vat. et vulg.: *Atque ubi iam.* Ed. Naug. et cum ea Mic. et Bersm.: *Et quod, ubi.* Melius et rectius Maff. (etiam Gud. 1. et Scriv.): *At simul amb. Ciof.* Scripti nonnulli: *At simul* vel *Ac;* maiori tamen ex parte: *Atque ubi iam.* Lego *Quique, ubi iam.* Librarius *que* expresserat solummodo pro *quique.* Vid. ad Epist. XIV, 91. *Heins.* Iahn cum vett. illis edd. recte dedit *Et quod, ubi amb.* Sensum obscoenissimum explicat Art. A. II, 727.

> — — — — — — — tum plena voluptas,
> Cum pariter victi femina virque iacent.

Conf. omnino Remed. A. 413. Pal.: *consumta voluptas,* quod Burmannus collato Petron. c. 131. recepit. Sed Iahn recte revocavit *confusa* (vid. Art. A. II, 683.), quod miror Burmannum, qui alias turpissima quaeque cupide arripit atque defendit, expulisse. Construendum: „Tum te *lascivia*... et *mobilitas*.... et *quod*.... *languor erat,* iuvabat,“ quae constructio in omnibus scriptoribus obvia est.

51. *Sicelides.* Reg., Gud. 1. et 2., Scriv., Zwicc., a sec. m. Seidl. et ed. Ven. 1487.: *Sicilides,* et iidem, Scriv. excepto, mox: *Sicilis. Sicelides* est etiam in Metam. V, 412. et Virg. Ecl. IV.

52. *Quid mihi cum Lesbo?* Epist. VI, 47.

53. *At vos.* Vetus l. est: *O vos* (sic est in ed. Naug. et al.). Alii (Ven. 1487.): *Nec vos. Egnat.* Quidam (ven. 1502., Bas., al.):

> Nec vos erronem tellure admittite nostrum —

pro *ne recipite ad vos. Micyll.* Gud. 1.: *Ne vos.* Heinsii nonnulli:

Nec vos decipiant blandae mendacia linguae:
Quae dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos, —
Nam tua sum — vati consule, diva, tuae.

At vos errorem tellure remittite vestrum.

At remittite etiam vulg., quae recta videbitur, modo illud *tellure* cum vi pronunties.

Erronem. P. Nigidium planetas stellas *errones* appellasse testis est A. Gell. N. A. III. c. 10., et Horat. Sat. II, 7, 113.

— — — — teque ipsum vitas fugitivus et erro —

ubi Heindorf ex Ulpian. Dig. L. XXI. T. 1. Fr. 17. affert: *Erronem definit Labeo pusillum fugitivum esse, et ex diverso fugitivum magnum erronem esse; sed proprie erronem sic definimus, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, et temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit.* Conf. Dig. L. XLIX. T. 16. l. 4. §. 14. Vid. Tibull. II, 6, 6.

54. *Nisiades matres Nisiadesque nurus.* Et hic alii posteriore loco pro *Nisiades* legunt *Siceli-des.* Sed magis placet σχῆμα. Illud magis quaerendum, unde poeta *Nisiadas* hic vocet Siculas. Ego autem dubito, utrum de Megarensibus intelligere poeta voluerit. Nam et hi sub Aetna siti fuere, atque eorum, qui in Attica habitarunt, ἀπόγονοι atque coloni fuerunt, quod et Strabo, et item Thucyd. testatur VI. Cum enim eorum rex *Nisus* fuerit (Eurip. Herc. Fur. 954., Strabo IX.), poterant et ipsi et eorum coloni ac posteri *Nisiades* non incommode appellari. *Micyll.* Vid. Plin. III. c. 8. et Pomp. Mela II. c. 7., Serv. ad Virg. Ecl. I, 55. et ad Aen. III, 689. De Megaris Atticae et Siciliae vid. Burmanni Sec. Commentar. ad Numismata Sicula p. 490. Domitius legebat in exemplo suo *Nesiades,* quam vocem ille vel a *Neside* insula Campaniae (Plin. XIX. c. 8.) vel a *Nesia* regione circa Aetnam posse deduci statuebat. D'Orvillius ad Charitonem p. 541. *Nesiades* h. l. dictas Siculas existimavit, quod Sicilia per excellentiam vocata sit νῆσος et νᾶσος. Sed quid unius Domitiani coniectura est prae bonorum vett. librorum eaque optimo sensu scriptura, et poetae familiare est, in talibus doctrinam ostentare. Vid. ad Epist. XIV, 23. Nec Lennepio assentior, qui, sive *Nisiades* sive *Nesiades* vera lectio sit, eam vocem ab ipsa Sapphone mutuatum Ovidium censet, quum nihil talibus vocibus nostro magis sit proprium atque suum. Naug.: *Nisiades — Nisiadesque;* Gud. 1. et 2.: *Sicilides — Sicilidesque.* Vulg.: *Nisiades — Sicelidesque.*

55. *Nec.* Tres Heins.: *Neu;* Gud. 1.: *Ne.* Vid. ad Epist. XVI, 83.

57. *Tu quoque, quae montes.* Hanc veterem l. dicit Naugerius, et sic exhibent cod. Francof., Scriv., Gud. 1. et 2. et ed. Bersmanni. Vatic., Maff. et Heinsiani omnes cum vett.

An gravis inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibere meas.
Arsit inops frater victus meretricis amore,
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit;

edd. plerisque: *quae immites.* Quam l. probare videtur Ciofanus atque ita interpretatur, ut idcirco *immites Siculas* dicat Sappho, quod sibi viderentur amantem illum suum retinere contra sui ipsius voluntatem. Male. Nam satis benevole Sappho Siculas in quatuor superioribus versibus est allocuta. *Montes* rectum est, quod percommode poeta dixit, cum oratio conversa ad Venerem sit, quae in montibus, in Eryce (unde etiam *Erycina* vocata) et sedem et templum habebat. Art. A. II, 419.

Sed dea non patitur sic ad sua gaudia cogi,
Colle sub umbroso quam tenet altus Eryx.

Virg. A. V, 759.

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae.

Vid. P. Mela II, 7., Heyn. Excurs. II. ad Virg. A. V, 23. 24. et quos ille laudat. Spanhem. Dissert. de praestant. et usu Numism. VI, 577. ed. 1. et Vaillant in Gente Considia. Zwicc. et ed. Venet. 1487.: *immitis. Sicanus* h. l. primam corripit, ut Hor. Epod. 17, 32.; dactylus est apud Sil. It. XIV, 459. et X, 314; antibacchius apud Auson. XI, 46., uti *Sicania* paeon primus apud Virg. Vid. Iahn ad Metam. VI, 11., ubi plura de poetarum in hoc genere libertate docte disputantur. Vid. ad Epist. VII, 97. et XIV, 73.

58. *Vati tuae,* sc. quae canit amores.

59. *Tenorem.* Lincoln.: *laborem.* Male. Epist. III, 43.

An miseros tristis fortuna *tenaciter* urguet —

et Epist. VII, 112. *fati tenor* et Epist. XVI, 14. *tenor vitae.* Vid. Heins. ad Vellei. Pat. II, 45. Burm. De sententia vid. Epist. VII. l. l. et Epist. III, 43. 44.

61. *Ierant.* Simplex, ubi vulgo compositum usurpatur. Conf. Art. A. II, 663. Vid. ad Epist. I, 116. Seidl. a pr. m.: *ferant* aut *fuerant.* Vid. var. l.

62. *Lecta — ossa.* Vid. ad Epist. X, 150. *Ante diem,* ut nos *vor der oder seiner Zeit.* Metam. I, 148., Art. A. III, 739. *Parentem* autem ambiguum foret, si non exstaret poetriae Fragmentum 32., ubi ipsa matrem ut superstitem alloquitur.

63. *Victus. Vinctus* cod. Witt. Non male; sed Lincoln., Francof. et IV alii Heinsiani: *captus,* quod verius puto et meretriciis fallaciis et illecebris convenientius. Epist. XIX, 102.

Otia nescio qua pellice captus agas.

Amor. I, 8, 70. Similis diver-

Factus inops agili peragit freta caerula remo,
Quasque male amisit, nunc male quaerit opes;
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit:
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tanquam desint, quae me sine fine fatigent,
Accumulat curas filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis causa querelis:
Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce iacent collo sparsi sine lege capilli,
Nec premit articulos lucida gemma meos;
Veste tegor vili; nullum est in crinibus aurum;
Non Arabo noster rore capillus olet.

sitas Metam. XIV, 229. et Fast. II, 585. Vid. ad Remed. A. 34. Meretrix vero illa *Rhodopis* dicebatur, teste Herodoto II. c. 135., conserva Aesopi, Fabularum scriptoris, et a Charaxo magna pecunia redemta; unde possumus intelligere, cur fratrem ad inopiam delapsum hic Sappho dicat. Athenaeus vero XIII. c. 7. *Doricam* vocatam ait, et Herodotum confudisse cum alia *Rhodopide* censet; sed *Dorica* a patria potuit dici, et ab amatore *Rhodopis*; et ab hac *Rhodopide* proverbium manavit: πάνϑ' ὅμοῖα καὶ Ῥοδῶπις ἡ καλὴ, de quo vid. Schott. in Proverb. ex Vatic. Append. Centur. III. n. 67. Burm. Conf. Strabo XVII. p. 808., Suidas in v. Αἴσωπος et Ἰάδμων et Photii lexic. in Ῥοδώπιδος ἀνάϑημα. *Victus*, ut olim vulgabatur, et gravius dictum est et maiorem habet auctoritatem codicum.

64. *Turpi—pudore. Pudor* verbum μέσον. Vid. Epist. I, 96.

65. *Peragit freta.* Vid. ad Petron. 79. (Conf. de eadem locutione Barth. ad Stat. Theb. IV, 574.) Innuit vero piratam factum, et hinc addit *male quaerit opes*, h. e. turpi quaestu, non, ut Domitius, multis incommodis et labore; nisi remigem factum statuere velimus. Burm. *Peragit*, percurrit, pervagatur, ut Metam. XIII, 618.

— — — — — — — cum Sol
duodena peregit
Signa.

69. *Desint.* Seidl.: *desunt.*

70. *Filia parva,* Cleis. Suid. et Sapphus Fragm. 24. apud Max. Tyr. 24. et Fragm. 76. apud Hephaestionem.

71. *Ultima.* Conf. Epist. I, 96.

72. *Non suo,* h. e. adverso. Vid. Epist. XII, 84.

73. *Sparsi.* Libri veteres *sparsi* habent, non *positi*, ut est in edd. Venn., Ald. 1502. et al. Ciof.

Reg.: *passi.* Vulg.: *positi.* De re conf. Epist. XIII, 36. sqq.

75. *In crinibus aurum.* Vid. ad Epist. XXI, 89.

76. *Arabo—rore.* Nauger. et Francof. cod. cum vulgata:

Non Arabum noster dona capillus —.

Cui colar infelix aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum levibusque cor est violabile telis;
Et semper causa est, cur ego semper amem.

Edd. Micyll. et Bersm.: *Arabum rore. Arabo rore* Maff., Vatic., et sic Scaliger manu sua adscripserat, et sic nostri omnes, quod temere mutare nolim. Nam et Metam. V, 405. *olere* cum sexto casu coniunxit, ubi habes *olentia sulphure stagna,* quo nomine a Diomede grammatico notatur tanquam improprie locutus. At Val. Flacc. VIII. *olentes sulphure crines,* Martial. *oluere lares commessatore Lyaeo,* Prop. IV, 7, 32.; et ita *fragrare vino* et *vinum,* quod posterius est apud Solin. CXXXVII. *Rorem Sabaeum,* ut noster *Arabum rorem,* dixit Val. Fl. VI, 709. De *rore,* etiam Tib. III, 4, 28.

Stillabat Syrio myrtea rore coma.

Arabo rore quod dixit, eleganter factum. *Arabos* pro *Arabes* quoque Plautum usurpasse in Bacchid. et Poen., Virgilium in Aen. VII., Lucilium, Cinnam, Cassium in Epistolis, Charisius Sosipater observat. *Arabium bombycem* Prop. II, 3, 15. *Rore* igitur *Arabo* bene se habet, quem Sid. Apollinaris *guttas Arabicas* vocat in Paneg. Maioriani, et ante eum Apulei. Metam. II. dixit *capillum guttis Arabicis obunctum. Liquores Arabes* dixit Stat. Epiced. Glauciae et lacrimis Etrusci. HEINS. De forma *Arabus* vid. Servius et Pierius ad Virg. Aen. VII, 605. De *rore* vero *Arabo,* sive myrrha sive nardo sive alio odore vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. 38. BURM. Cod. Francof. etiam: *habet,* loco *olet.*

78. *Cultus.* Vid. Epist. XVI, 189.

79. *Molle meum etc.* In scriptura vulgata:

Molle meum levibus cor est violabile telis —

cor producitur, contra quam solet. Certe noster corripuit Trist. V, 8, 28., etiam Metam. V, 384.; Cicero etiam in interpretatione loci Homeri: *Ipse suum cor edens;* Martial. X, 15. et Auson. in Epigr. Quare a Nasonis manu opinor esse:

Molle mihi, levibusque cor est v. t. —

nisi quis mavult accedere Micyllo castiganti:

Molle meum levibusque cor est v. t.

HEINS.

Et sic est in cod. Francof. BURM. Werfer l. l. p. 503. e margine codicis Monac. pro *levibus* legi vult *teneris,* et pro *violabile penetrabile;* cum *tener* Amor, quaeque ad eum pertineant, *tenera* appellentur; *violabile* autem, nisi hoc loco, apud Ovidium nusquam legatur. Sed quod alatis Amoris telis aptius tribui appositum potest, quam *levibus?* Et sic ipse Ovidius etiam Metam. XII, 570. dixit. *Violabile* vero, quamvis apud Ovidium alibi non exstet, tamen verbum *violare* exstat (Met. V, 226. *nullo violabere ferro*); forma autem *violabile* analogia sa-

Sive ita nascenti legem dixere Sorores;
Et data sunt vitae fila severa meae:
Sive abeunt studia in mores, artisque magistra
Ingenium nobis molle Thalia facit.

tis probatur, nec abhorret ab usu optimi Latinitatis auctoris, Virgilii, qui Aen. II, 154. habet:

— — — — et non violabile vestrum
Testor numen.

Conf. ex Pont. III, 5, 45.; et quot sunt ab Ovidio verba novata! Ceterum idem dicit poeta de se ipso Trist. IV, 10, 65.

Molle Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi —

et Ep. ex Pont. I, 3, 32.

81. *Sive — Sorores.* Trist. V, 3, 25.

Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
Stamina bis genito bis cecinere tibi.

De re conf. Hom. Odyss. VII, 197. et Hesiod. Theog. v. 219. Pont. I, 8, 63. et Epist. XII. init.

82. *Et data sunt* scripti atque editi veteres. In edit. tamen Naug. legitur *Haec data*, quod propius accedit ad rectissime restitutam ab Heinsio l.: *Nec data* (ut est in Francof. et Seidl. *L.*). Nam *severa fila* hic dicuntur, quae alienam ab amoris fructu vitam eius facerent, ut saepenumero *severus* opponitur *molli*, voluptatibus et amoribus dedito. Sic Epist. XVIII, 63.; et Amor. II, 10, 15. 16.

Sed tamen hoc melius, quam si sine amore iacerem.
Hostibus eveniat vita severa meis.

Fluctuavit tamen ipse Heinsius in huius loci lectione constituenda, pro *data* postea legendum arbitratus *rata;* sed in Advers., quidem L. III. c. 17. *Et rata*, in notis vero ad h. l. *Nec rata:* quorum neutrum supra laudatae eius correctioni anteponam. *Lenn.* Bene habet vulgata: *Et data*, quae sic co-struenda atque intelligenda: „*Sive ita* (h. e. hanc) *legem nascenti dixere Parcae et* (sic) *severa, dura* (*ferrea* ut Metam. XV, 781.) *fila vitae meae dedere.* Atque ea loci interpretatio mihi prae reliquis insigniter placet; quum praesertim non is sit Sapphus amantis status, ut eum *iocosum, non severum* dicere potuerit, quem *severis* filis opponeret. Conf. vers. 59. et 60. huius Epist. et qui ei similes loci allati sunt in Prooem. cap. III. in eo loco, qui est de Epist. XV. Iahn cum Naugerio dedit *Haec data.*

83. *Artisque magistra.* Vett. ll. ante Heinsium:

Sive abeunt studia in mores artesque magistras;
Ingenium nobis molle Thalia facit —

nullo satis idoneo sensu. Dedit inde Heinsius:

Sive abeunt studia in mores artesque magistrae —

melius aliquanto, necdum tamen satis probabiliter. Durius enim *artesque magistrae* dicuntur *in mores abire.* Quod si

Quid mirum, si me primae lanuginis aetas
  Abstulit atque anni, quos vir amare potest?
Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam;
  Et faceres, sed te prima rapina tenet.

cum Burmanno *sunt* subaudias: *Sive abeunt s. i. m., artesque magistrae* (sunt), ea quidem multo etiam durior erit ratio. Sed rectissime ipse Heinsius, in adnotationis ad h. l. fine, posse tamen et legi ait *artisque magistra,* ut ad Thaliam referatur; quam unice veram l. ex Art. A. III, 540. recte confirmavit Burmannus, neque tamen, quod mireris, in textum recepit. Probavit illam et Schroder. in Obss. Misc. Vol. V. Tom. III. p. 74. *Lenn.* Eandem a Fr. Heusingero probatam Conradus Heusinger recepit. Iahn nuper Heinsianam coniecturam *artesque magistrae* revocavit. Verum, etiamsi in interpretatione, quam huius scripturae proposuit: „sive studia et artes, quae magistrae sunt, in mores abeunt", nihil haereas, quae tamen admodum dura est; tamen sic loco constituto et omnis illa perit concinnitas, quam locus, qualem nos cum hodie vulgata constituimus, et hoc distichon cum praecedente perquam elegantem habet, sc.: *Sive ita legem nascenti dixere Parcae* (sequitur huius expositio) *et mihi vitam severam dedere, sive studia in mores abeunt* (sequitur eius expositio) *et Musa* (studia haec) *nobis molle ingenium facit,* et vero versus 84. omni quoque caret coniunctione, quem tamen ab *sive* pendere manifestum est. Ego si quid affirmo, receptam scripturam Ovidianam esse omni pignore contendo.

84. *Facit.* Pro *facit* antiquae edd. et omnes fere scripti: *dedit.* Nauger. vero edidit *facit,* et sic Francof. et a m. sec. Witt. Caussam erroris dedisse videtur illud *dixere* et *data sunt* versuum praecedentium. Propert. II, 1, 4.

Ingenium nobis ipsa puella facit.

Conf. Epist. XX, 26. *Thalia* autem una e Musis, de quibus vid. Cic. N. Deor. III. c. 21., Serv. ad Aen. I, 12., ac proprie comoediae praeest. Auson. II. Idyll. ult.

Comica lascivo gaudet sermone Thalia.

Vid. infr. v. 108. Sed earum officia et munera confunduntur. Hinc et hoc loco pro *Musa.* Conf. Trist. IV, 10, 56. De Thalia vid. Heyn. ad Apollod. p. 344. et I. H. Voss. ad Virg. Eclog. 6, 2. Ad sensum vid. omnino Art. A. III, 545.

85. *Si me primae.* Heinsius de suo: *primae si me.*

86. *Atque anni etc.* Nam lanuginis aetas viris paederastis praecipue in deliciis fuit, hinc *in praetextatos amores* dixere. Vid. Koenig. ad Pers. V, 30. et Iuven. Sat. X, 308. ibique Ruperti. Conf. Metam. X, 83. *Abstulit.* Vid. ad Epist. VI, 131. et Epist. XII, 36.

87. *Pro Cephalo.* Vid. ad Epist. IV, 93.

89. *Conspiciat — conspicit.* Sic veteres libri, quod e solis codd.

Hunc si conspiciat, quae conspicit omnia, Phoebe;
  Iussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in coelum curru vexisset eburno;
  Sed videt et Marti posse placere suo.
O nec adhuc iuvenis nec iam puer, utilis aetas;
  O decus atque aevi gloria magna tui,
Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros:
  Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.
Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis:
  Adspice, quam sit in hoc multa litura loco.

Mon. et Scriv. in *conspicias* et *conspicis* mutare non audeo, quamvis mutarit Burmannus. Vid. ad Epist. X, 75.

90. *Erit.* Nonnulli Heins. et Scriv.: *eris.* A Luna iussus erit Phaon, continuare somnum, sicut Endymion, qui adamatus ab eadem in Latmio Cariae monte, ut eum dormientem oscularetur, consopitus et nondum experrectus esse dicitur. Cic. Tusc. Disp. I. c. 38. Conf. Plin. H. N. II, 9., Apollod. I., Hyg. F. 271. *Phoebe* apud Hesiodum Theog. 136. filia Urani et Terrae. In seriori fabula, postquam deus solis cum Apolline confusus cognomen Phoebi acceperat (Virg. Eclog. VI, 66.), cognomen factum est eius sororis, deae Lunae. Ita Voss. ad Virg. Georg. I, 431.

91. *Venus—eburno.* Nam Venus etiam pulcritudine iuvenis, Adonidis, capta est. Vid. Metam. X, 524., Hyg. F. 164., Fulgent. III, 8., Apollod. III.

92. *Marti suo,* amanti suo. Noti sunt Veneris et Martis amores vel ex Hom. Od. VIII, 293.

95. *Relabere.* Recte, cum respectu ad navigationem. Vid. Epist. X. v. penult.

96. *Verum ut amare sinas.* In Maff., Gud. 2. et quibusdam Heinsii: *sed ut amare sinas*; cod. Polit. et Zwicc. cum Ven. 1487.: *te ut amare sinas;* plerique Heins., Gud. 1. et ed. Ald. 1502.: *sed quod amare sinas;* Ven. 1486.: *sed quo*; Vatic.: *Non quod ames, oro, sed quod amare s.* Boni tamen libri teste Ciofano vulgatam tuentur: *verum ut amare sinas*; quam Heinsius paullo duriorem putabat, ideoque proponebat *me sed a. s.*, parum probabili coniectura.

Furorem illum, quo prosequebatur Sappho Phaonem, poeta egregie exprimit, sed caussam amabilitatis Plin. XXII. 8. refert ad radicem herbae candidae, quae *centumcapita* vocatur; de qua portentosum tradunt, *radicem eius alterutrius sexus similitudinem referre, raram inventu, sed si viris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc et Phaonem Lesbium dilectum a Sappho.* BURM.

97. *Obortis.* Zwicc., et Seidl. cum edd. Venn.: *abortis;* iidem libri v. 98. cum Gud. 1., 2. et ed. Ald. 1502.: *Adspice sit quan-*

Si tam certus eras hinc ire; modestius isses,
  Et modo dixisses „Lesbi puella, vale."
Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti;
  Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum iniuria; nec tu,
  Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem
  Ulla, nisi ut nolles immemor esse mei.

tum hoc. Vid. var. l. De *rorantur* vid. ad Epist. XIX, 124.

98. *Litura.* Vid. Epist. III, 3. et not. ad Ep. III, 4.

100. *Et modo.* Naug. edebat: *Si mihi.* Scripti nonnulli (et edd. Vinc. et Col.): *Si modo;* alii cum vulg.: *Et modo.* Bene. *Heins.*

Und mir nur sagen sollen, Lesbisches Mädchen, lebe wohl. Iahn cum Naug.: *Si mihi,* quod caret auctoritate librorum, et offendit illud duplex *si* in eadem sententia; quanquam posterius haud magni videtur esse momenti. *Lesbi puella.* „Haec erat appellatio sine ullo amoris indicio." Ita scite Domit. C.

101. *Oscula summa.* Sic plerique veteres (pauci cum Naug.: *oscula nostra*); sic *extrema oscula, suprema, ultima,* et *oscula prima* passim apud poetas. *Summa o.,* ut h. l. Trist. I, 3, 58. *Heins.* Iahn: *nostra. Tulisti.* Vid. supra ad v. 61.

102. *Quod,* sc. fugam, discessum tuum.

103. *Nec tu, Admoneat quod t., p. a. h.* Naug., codd. Zwicc., Seidl., Gud. 1., 2., cod. Goth. Tibulli et ed. Ven. 1487.: *nec te Admoneat, quod tu p. a. h.* Cod. Hand.: *Nec te Admoneat quod te; Nec te Admonui* Scriv., Vatic., Maff. et ed. Ciof., Venn. 1486. et 1492., Ald. 1502. et Bas. Multi codd. et edd. Vinc. et Col.: *nec te Admonuit, quod tu.* — *Pignus amantis* V libri. *Heins.* Nobis *Admoneat* placet et distinctione esse iuvandum locum putamus:

— — — — — — — nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

Nullum tecum pignus habes, quod te admoneat mei amantis. In alia l. sensum nullum video. Si oscula, si lacrimas discedens a me tulisses, ea tibi pignus essent, quod te admonere et in memoriam Sappho revocare posset; nunc tu nullum pignus habes, quod te admoneat; et recte Gronov. vim verbi *admonere* illustravit, quod voci oblivisci opponitur. Stat. Theb. IX, 439.

— — — — — nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus iam pridem oblite parentum
Liber?

Vid. Epist. III, 132., (conf. Epist. XIV, 17.) Remed. Am. 662., Metam. VI, 620. *Pignus* vero rectius, quam *munus,* quod Naug., XIX. codd. Heinsii (et Gothanus Tibulli) exhibent; quocunque enim fides fit, *pi-*

Per tibi, qui nunquam longe discedit, Amorem,
  Perque novem iuro, numina nostra, deas,
Cum mihi nescio quis „Fugiunt tua gaudia“ dixit,
  Nec me flere diu nec potuisse loqui.
Et lacrimae deerant oculis et verba palato;
  Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor imminuit, nec pectora plangi,
  Nec puduit scissis exululare comis;

gnus dicitur, ut Epist. IV, 100., Met. II, 38., VIII, 92. Sic Sil. VIII.

Ensem Dardanium quaesitum in
  pignus amoris.
Burm.

105. *Mandata dedissem.* Vid. Epist. XIII, 7.

107. *Discedit.* Alii omnes: *discedit.* Nos ex affectu optantis feminae illum modum substituimus, ac si dicat, qui ut nunquam discedat et abeat a me, opto. *Egnat.* *Discedat* veterum non pauci. Probe; est enim optantis. Trist. II, 155.

Per superos igitur, qui dent tibi
  longa, dabuntque
Tempora.

Conf. Amor. III, 11. *Heins.* Proba est l. plurimorum libr.: *discedit.* Vid. Epist. XII, 135. Zwicc.: *discessit.*

108. *Novem deas,* Musas, quae IX sunt, Iovis e Mnemosyne filiae, quarum princeps est Calliope. Hesiod. Theog. et Apollod. I. Pro *nostra* Maff.: *sancta,* quod est appositio. *Crof.*

111. *Verba palato.* *Lingua* cum vulg. veteres; alii: *verba. Heins.* Eamque l. Nauger. et codd. Maff. et Vatic. tuentur.

112. *Adstrictum etc.* Vid. ad Epist. XII, 142.

113. *Postquam se dolor imminuit.* [In edd. Venn., Ald. 1502., Bas., al.:

Postquam se dolor imminuit,
  mea pectora planxi.

(*Planxi* exhibent etiam codd. Gud. 1. et 2., Scriv., Zwicc. et Seidl.) Sed] alii legunt:

Postquam se dolor imminuit, ne-
  que (vel nec) pectora plangi,
Nec puduit etc.

Priorem l. approbat Egnatius; posterior elegantior est, nisi quod infinitivus *plangi* offendit, quem active poni magis referebat. *Micyll.* Iidem veteres: *invenit* (idem Arond., Gud. 1. et 2., Scriv.). Optime, ut Obss. II. c. 21. iam monuit Gronovius. Petron.: *Diu vocem neuter invenit,* et de Bello civili: *Quaerit se natura, nec invenit;* Stat. Theb. V.

— — postquam laxata dolori
Vox invenit iter.
Burm.

Dolor se invenit mihi non Ovidianae elegantiae videtur. De affectu compar. Epist. XIII, 22. sqq. et XI, 91. et XII, 153.

114. *Scissis* iidem libri veteres. Placet. *Crof.* Quidam Heinsiani, Zwicc., Seidl. et edd. Venn., Ald. 1502., aliae: *ruptis.*

115. *Ademti,* mortui. De Pont. I, 9, 41.

Non aliter, quam si nati pia mater ademti
 Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet et e nostro crescit moerore Charaxus
 Frater, et ante oculos itque reditque meos;
Utque pudenda mei videatur causa doloris,
 „Quid dolet haec? Certe filia vivit“ ait.
Non veniunt in idem pudor atque amor: omne videbat
 Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon; te somnia nostra reducunt,
 Somnia formoso candidiora die.
Illic te invenio, quanquam regionibus absis;
 Sed non longa satis gaudia somnus habet.

Iure igitur lacrimas Celso libamus ademto,
Cum fugerem, vivo quas dedit ipse mihi.
Ciof.

Vid. Ep. XIII, 95.

116. *Portet.* Quidam codd.: *Ferret.* Sed rectum est prius. Catull. Epithal. 83.

Funera Cecropide, nec funera portarentur.

Vid. Iuvenal. III, 32., X, 260. *Heins.*
In exstructos cod. Mer.; duo Heins.: *ad extremos*; Linc.: *ad exstinctos.*

117. *Crescit.* Eleganter. Paulin. ad Deum carm. 3.

Non obitu affligar cuiusquam aut funere crescam.

Glossar. ms. Vossianae biblioth.: *ovare, gaudere, crescere.* Est autem gaudio exsultare, et invidorum proprium. *Heins.* Senec. Epist. 34. *Cresco et exsulto et discussa senectute recalesco.* Vid. Forcell. in v. Ed. Ven. 1487. et cod. Seidl.: *Charaxes*; in codice tamen illo superscriptum est *Charaxus.* Vid. var. l.

118. *Itque reditque,* quod est illudentis.

119. „Et ut caussa doloris mei pudenda esse videatur, ait, etc.“ Reg.: *pudenda magis.*

120. *Filia* certe non est mortua. Egregie insultantis et illudentis naturam poeta expressit; quo pertinet etiam illud *haec.* Et respiciunt haec, ut recte monet Domit., vers. 115. et 116. Filiam autem Sappho habuit ex Cercola. Suid. Vid. notas Ursini ad Fragm. Sapphus p. 287. Meminit eius etiam Max. Tyr. *Heins.*

121. *Non veniunt.* *Αἰδὼς νόσφι πέλει τῆς Κύπριδος* Irenaeus Referendarius in Anal. Brunk. Tom. III. Epigr. 2. p. 10., ubi nostrum ante oculos habuisse potest (sane *potest* ac *vix potest. L.*). Conf. etiam Musae. v. 90. et Epist. IV, 154. *Lenn.* *Pudor* huius loci explicatur v. 114.

122. *Lacero — sinu* est i. q. *abscissa veste* Epist. XII, 153.

124. *Formoso.* *Formosa* cod. Merani, Zwicc., Seidl. et ed. Ven. 1487. Conf. Epist. XVI, 318.

Saepe tuos nostra cervice onerare lacertos;
  Saepe tuae videor supposuisse meos.
Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
  Aptaque consueras accipere, apta dare.
Blandior interdum verisque simillima verba
  Eloquor, et vigilant sensibus ora meis.
Ulteriora pudet narrare; sed omnia fiunt,
  Et iuvat, et sine te non licet esse mihi.
At cum se Titan ostendit et omnia secum;
  Tam cito me somnos destituisse queror.

127. *Lacertos.* Ad sententiam conf. Epist. XIII, 106.

129. *Committere linguae. Lingua* Francof.; non male. Coniuncta oscula per linguam indicat. Vid. Amor. II, 5, 24., ubi *nexa lingua oscula* et 60. *iuncta oscula,* ut etiam alibi, quae hic *commissa* dicit. Vid. Epist. II, 31. *Burm. Linguae* recte habet, neque quenquam huius rei et poeticae rationis gnarum puto oblocuturum. Ceterum Iahn de versibus 129. — 132. observat: „Hunc versuum ordinem, quem codd. Gud. 1., 2., Scriv., Seidl. et Zwicc. et edd. ante Heinsium tuentur, Heinsius tacite ita immutavit, ut prius distichon sequenti postponeret.“

130. *Aptaque,* bene iuncta, diu durantia, lasciva.

131. *Veris,* quae non sunt somniorum. Vid. ad Epist. XIX, 65.

132. Seidl.: *Eloquar. Sensibus,* animo meo. Vid. ad Epist. IX, 120.

133. *Ulteriora pudet narrare.* Libri manu exarati et editi: *Ulterius pudet hic. Ulteriora pudet narrare* recte e suis Nauger. Fast. V, 532.

— — — pudor est ulteriora loqui.

Art. A. III, 769. *Ulteriora pudet docuisse.* *Heins.* Vid. Epist. XIX, 63. 64.

134. *Et sine te non licet e. m.* Olim edebatur *non licet.* Quatuor Heins. et Monac.: *non libet,* quod Heinsius probabat. Cod. Francof.: *et sicca non licet esse mihi,* unde Burmannus, qui ubique nequitias venatur, coniiciebat sensu turpissimo *siccae.* Van Lennep praefert Hoeufftii coniecturam, Pericul. Critt. p. 278. (Recognit. p. 65.) legendum censentis: *Et iuvat et sine te sic libet esse mihi.* Parum eleganter. *Non libet* sensui admodum conveniens est, quod respondet voci *iuvat: Omnia iam fiunt* (quae ea sint, in aperto est), *et iuvat, nec libet* (et nolo) *te a me discedere.* Sed tamen tutius videtur cum reliquis libris, Amaro et Iahno scribere *non licet,* quae l. etiam voluptatis cupiditatem magis exprimere videtur.

135. *Et omnia secum,* sc. ostendit, aperit, illustrat. De Titane vid. ad Epist. VIII, 105.

Antra nemusque peto, tanquam nemus antraque prosint:
Conscia deliciis illa fuere meis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine iacente feror.

136. *Destituisse.* Vid. Epist. V, 78. Seidl: *somnum.*

138. *Meis.* Sic edd. plurimae et codd. Francof. (Gud. 2.) et VI alii. *Burm.* Reliqui codd.: *tuis,* quod verum si esset, valeret: quas tute mihi praebebas. Sed simplicius certe est *meis. Conscia.* Conf. Epist. XVIII, 105.

139. *Erichtho.* Erichtho Thessalica venefica sive maga fuit, cuius ope Pompeius, Magni filius, usus fuit ad exploranda belli fata. Lucan. VI, 507. Sed hic Ovidius pro generali nomine veneficarum posuisse videtur, speciem pro genere usurpando. *Micyll.* Quanquam vituperandum est, tam parum vel potius nullam rationem in hac lectione *Erichtho* haberi temporis, ut nomen recentissimum in Sapphus aetatem referatur, et cod. Palat. et Francof. I. exhibent: *Erinnis,* quod est *Erinnys,* et efficacior imago est: *quam Furiarum una, Erinnys, impulit;* tamen memor huius poetae in talibus libertatis vulgatam mutare non audeo, quam confirmare etiam illud *furialis* videtur.

140. *Impulit.* Scripti multi (etiam Gud. 1. et 2. et Scriv.) cum edd. Venn.: *Attulit,* unde *Attonat* olim fingebam, de quo verbo v. ad Metam. III, 532. Nunc *Abstulit* repono, propius insistens vestigiis scriptae lectionis. *Heins.* Ego coniecturae huic Heinsii minime assentiri possum, ut qui *impulit* multo gravioris significationis verbum putem, quam *abstulit:* et hic de furore, vel ei certe simili affectione agitur. Sic Val. Flacc. III, 265.

Ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyas, ubi impulsae iam se deus agmine matris
Abstulit.

Val. Flacc. IV, 32.

Hortator postquam furiis et voce nefanda
Impulit Oenides.

Et ita passim poetas loqui ipse Heinsius notavit ad eiusdem poetae III, 325. *totamque deus simul impulit urbem;* et de alia gravissima affectione, qua praecipites homines aguntur, ad Vellei. Pat. II, 33. Sequentia, *in collo crine iacente,* ut furiosae respondent (conf. Fast. IV, 318. ibique Gier.), et praecipue ita verbum *feror* egregie congruit: *ferri* enim impulsi furiis, et gravissima perturbatione mentis, proprie dicuntur. Hor. Sat. I, 4, 30.

Quin per mala praeceps
Fertur.

Virg. A. II, 498.

Fertur in arva furens.

Epist. VI, 70. et X, 59. Cic. pro Quinct. XI. *Id Sex. Naevius non faceret, qui usque eo fervet, ferturque avaritia.* Si quid mutandum vero hic esset, arrideret impense codicis Francof. lectio, in quo est *Attigit;* nam *tangi, contingi* proprie in

Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant;
Invenio silvam, quae saepe cubilia nobis
Praebuit et multa texit opaca coma:
At non invenio dominum silvaeque meumque:
Vile solum locus est; dos erat ille loci.
Cognovi pressas noti mihi cespitis herbas;
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui tetigique locum, qua parte fuisti;
Grata prius lacrimas combibit herba meas.

furorem actae dicuntur Epist. IV, 50.

Numine contactas attonuere suo.

Vid. Heins. ad Amor. III, 1, 64. Idem cod. habebat *furialis Enyo*. Burm. *In collo etc.* Conf. Epist. X, 47.

141. *Scabro pendentia topho. Tophus* lapis scaber et pumicosus, frequens specubus et antris montium est. (Vid. Gierig ad Metam. III, 169. et qui ab eo laudatur Plin. H. N.) *Pendentia* autem, quod Domitius exponit *sublimia*, pro *arcuata* et suspensa magis accipiendum. Epist. X, 26. *Micyll.* Vid. Burm. ad Amor. III, 1, 3. et Virg. Georg. IV, 374. ibique Heyn.

142. *Quae mihi—erant.* Scriv.: *Qui mihi erat*, ut de topho intelligatur. *Mygdonii* est Phrygii, quod in pretio erat (vid. Horat. Od. III, 1, 41. ibique Mitscherl.); itaque viliori topho apte opponitur. Iuv. Sat. III, 18.

— — — — — Quanto praestantius esset
Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

De *Mygdonio* pro Phrygio vid. not. ad Epist. XX, 106.

144. *Texit opaca c.* Zwicc. et Seidl. cum edd. Venn., Ald. 1502., al.: *pressit*, quod glossator codicis Seidl. interpretatus est *tegebat*. *Multis pressit opaca comis* margo Bersmanni. De re conf. Epist. V, 13. et seqq. et X, 50. et sqq.

145. *At non.* Sic scripti (non, ut vulg.: *Sed non*). Mox *Agnovi* pro *Cognovi* quidam (etiam Seidl.). Heins. Gud. 1. et 2., Scriv., Seidl., Zwicc. et edd. Venn., Ald., Bas., al.: *silvae dominumque*.

146. *Dos.* „Omnem pulcritudinem atque amoenitatem *ab illo*, Phaone, habebat." De locutione *dos* in hoc sensu vid. ad Epist. XIX, 11.

147. *Cognovi.* Unus Heinsii: *Agnovi pressas, vestigia corporis, herbas.* Reg.: *modo vivi;* Merani: *modo noti.*

149. In cod. Zwicc. et Seidl. et edd. Venn. et Ald. hoc distichon sequenti postpositum est. *Incubui.* Conf. Epist. X, 55.

150. „(Et) herba, quae prius mihi grata fuit, combibit (vid. ad Epist. XI, 53.) lacrimas meas,

Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus, et nullae dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta pie moestissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn:
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores
Hactenus; ut media cetera nocte silent.

quas tua caussa, locis illis admonita (vid. supra v. 62.), fundo."

151. *Rami.* Seidl.: *ramis.*

152. *Et nullae.* Ubi olim *mille* (sic Seidl. et edd. Venn. et Ald.) nullo sensu, emendabis *nullae;* aliter et syllaba nutet et sensus non quadret. *Egnat.* *Dulce queri* de avibus et similia Naso saepe. Vid. ad Epist. XVIII, 82.

153. *Non ulta pie. Non ulta prius* vulgo legitur; ut sit sensus: Sola mater, quae ob id moestissima est, quod non prius occiderit virum, quam filium, cet. Sed alii (Naug.) pro *prius* legunt *pie,* hoc sensu: *Sola mater, quae impie ulta est virum. Impie* scilicet, quod in eo ulciscendo filium interfectum epulandum apposuit. *Micyll.* *Non prius* libri vett.; aliis placet *non pie,* quos ego nihil moror. *Ciof.* Nota fabula est. Procne, filia Pandionis, regis Athenarum, uxor Terei, regis Thracum, sororem Philomelam, a Tereo stupratam et lingua privatam, ultura Ityn filium iugulatum marito epulandum apponit, atque in hirundinem mutata est et de Itye queritur. Vid. Metam. VI, 410. sqq. ibique Gierig et quos ille laudat, Pausan. Att. p. 13. 100. et Phoc. p. 807., Apollod. III., Tzetz. Chil. VII, 142., Hyg. F. 45. Secundum alios, Anac. Od. 12., Virg. Georg. IV, 15. et 511., Schol. ad Aristoph. Aves v. 216., Procne in lusciniam mutata est, de qua dissensione vid. Meurs. de Regno Athen. II. c. 5., et I. H. Voss. ad Virg. Ecl. 6, 78.; atque illos sequitur hoc loco Ovidius, item Amor. II, 6, 7., et hinc secutus etiam videtur Metam. VI, 668., quamvis ibi ex ipsis eius verbis non satis appareat et aliter sentiant grammatici.

154. *Daulias,* a Daulide, regione et urbe Phocidis, quae olim a Thracibus culta Terei regis imperio paruit, ubi facinus illud patratum esse tradit Pausan. l. l. Imitatus Ovidium est Albinov. ad Liv. Eleg. I, 105.

> Talis in umbrosis mitis nunc denique silvis
> Deflet Threicium Daulias ales Itym.

Ismarium. Vid. ad Epist. I, 46. *Ityn* Naug.; vulgo: *Itym.*

155. *Sappho desertos.* Ita Vat.; Maff.: *desertos quaeret amores;* vulgo: *miseros;* sed codd. meliores: *desertos. Heins.* Edd. Venn., Ald., al., et cod. Zwicc. et Seidl.: *miseros decantat.*

156. *Hactenus; ut media etc.* Scripti quidam Heins.: *et media.* Perperam. Sensus est: „Nos duae *ad hunc usque locum* amo-

Est nitidus vitreoque magis perlucidus amne
  Fons sacer; hunc multi numen habere putant;
Quem supra ramos extendit aquatica lotos,
  Una nemus; tenero cespite terra viret:

res nostros cantamus; cetera ut media n. s."

157. *Vitreoque — amne. Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis* lectio est Naugerianae et posteriorum editionum. Sed ridicule *fontem* et *amnem* eundem facit. Reliqui libri: *vitreoque amne.* (Mazarinianus et Seidl.: *vitreoque amni.*) Scribe: *vitroque omni.* Heins. Nescio an verior Heinsii correctio *vitroque — omni* (conf. Hor. Carm. III. Od. 13. ibique Torrent. et Mitscherl.); quamvis servatam a Patruo lectionem vulgatam *vitreoque — amni* tueatur etiam Burm. Sec. Anth. Lat. T. II. p. 659. (Conf. Wakef. ad Luc. II, 590.) Neque enim id quaeritur, an recte amnes *vitrei* dicantur, de quo controversia esse non potest; sed hoc potius, num ad nitidum fontis splendorem declarandum satis magnam vim habeat eius cum amne comparatio. Sunt enim amnes fere minus limpidi ac perlucidi, quam fontes. Lenn. De versus et descriptionis initio *Est nitidus* conf. Epist. II, 131., XII, 67., XVI, 53., Fast. IV, 337., et sic passim noster aliique poetae, sive a natura rei eo ducti, sive exemplo Homeri Iliad. XIII, 32. Verum hoc loco non simpliciter *fons* cum *amne* comparatur, sed cum *vitreo*, h. e. cum claro ac perlucido amne. *Es ist ein heiliger Quell, hell und durchsichtiger, als ein kristallenes Bächlein.* — *Vitreus amnis* est apud Columell. de cultu hortorum v. 136. Lectio autem Heinsii, quam etiam Heusinger et Iahn dederunt, mihi quidem admodum frigere videtur. *Amne* dedimus cum codd. et vulg., pro quo Burmannus primus scripsit *amni.* Vid. ad Epist. IV, 33.

159. *Extendit. Expandit* primae edd. et scripti plerique (etiam Maff., Gud. 1. et 2., et Paris.; alii cum vulg.: *extendit*). Virg. Aen. VI, 282.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca —

ubi vid. Serv. Auson.:

Et passura comas radicitus erigitur stirps.

Hinc *patula arbor* apud Virg. Culic. 16. et Eclog. I, 1. Et ita simplex *pandere* Ovid. Art. A. III, 500. Heins. Vid. Heins. ad Val. Flacc. I, 400.

159. *Aquatica lotos.* Ita et Metam. IX, 341., ut ab alia loto distinguatur. Huius tria genera novit Plin. H. N. XIII. c. 27. *Aquatica,* aquas amans, ab Ovidio, ut multae, novata vox est. Vid. Gier. ad Metam. II, 853.

160. *Una nemus.* Sic etiam Metam. VIII, 744.

Stabat in his ingens annoso robore quercus
Una nemus.

Eodem modo locutus est Plin. XVI. c. 44. et Martial. IX, 61.

Hic ego cum lassos posuissem flebilis artus,
Constitit ante oculos Naias una meos;
Constitit et dixit „Quoniam non ignibus aequis
„Ureris, Ambracia est terra petenda tibi.

Ceterum animadverte loci, non descriptionem, sed quasi picturam.

161. *Lassos — flebilis.* Maff., Vat., Ciof., Scriv., Zwicc., Seidl. (cum gl. *lassa membra*), et edd. Venn., Ald., Bas., Vinc. et Col.: *fessos.* Deinde IV scripti Heinsii et Gud. 2.: *fletibus.*

162. *Constitit a. o. Naias una m.* Libri mss. et editi:

Formosus puer est visus adesse mihi.

Usque eo procedit in his carminibus interpolatorum audacia. Vid. infra v. 175. Egnatius e codice manu exarato:

Ante oculos visa est Nais adesse meos —

quae lectio monente Ciofano hoc incommodi habet, ut vox *Nâis* omnino generaliter et indefinite ponatur, cum non habeat, cui adstringatur. Quae autem nunc vulgatur *Naias una,* e veteribus se libris dedisse Naugerius testatur, in qua Heinsius *una* mutare volebat in *uda.* Sed receptam bene defendit Lennep: „*Naias una* mihi quoque dictum videtur pro *una ex Naiadibus*, ut Met. VIII, 786. *una — Oreas* pro *una ex Oreadibus*; *unus Nervius* apud Caesar. de B. G. V. c. 45., ubi vid. Davis. et Oudend. *Udam Naiadem* Heinsio in Advers. l. c. 10. et not. ad h. l., Bentleioque ad Horat. Carm. I, 10, 1. sese commendare potuisse, impense miror. Bentleium quidem etiam *uda* cepit *Pleias* Fast. V, 663., ubi vulgo (recte, ut opinor) *Pleias una.* Sui cuique sensus! Ad meos *uda* illis quidem locis non modo molestum, sed fere ridiculum est epitheton. Vulgatam huius loci lectionem etiam tuitus est Schroder Obss. Miscell. Vol. VII. T. II. p. 289." *Naias una* legitur etiam Metam. I, 690. Ceterum Naiadibus, iucundis illis Nymphis fontium et fluviorum, plena sunt Ovidii carmina, inprimis Metamorphoses. Vid. Indices. De usu hoc vocis *unus* vid. etiam Burm. ad Petron. XXVI. Versum autem hunc genuinum esse, non alios illos, mire confirmatur repetitione illius *Constitit* versu sequenti. Vid. ad Epist. XII, 33.

163. *Quoniam non.* Sic vulgata. *Quid nunc non* ed. Bersm. et Mic.; sed editiones vetustiores et omnes codd. Heinsii, etiam Gud. 1., Scriv., Paris., Seidl., Zwicc.: *Quae nunc non. Non aequi ignes*, non pares, quia Phaon eam deseruerat. Sic *ex aequo ardere* Metam. IV, 62. De *aequus* pro *aequalis* vid. Burm. ad Lucan. V, 727. et ad Virg. Aen. IV, 520. De *Ureris* vid. Epist. XVI, 10. et XIX, 5.

164. *Ambracia est—tibi.* Libri veteres: *Ambrachiis — tibi est, Ambrachiae, Ambrachis.* Optime. Vatic. unus: *Ambracias*, Graeco more. Horat. Od. I, 22, 14. *Daunias*; *Appias via* non uno loco apud nostrum; *Cephesias ora* Metam. VII, 438.; Festus

„Phoebus ab excelso, quantum patet, adspicit aequor;
„Actaeum populi Leucadiumque vocant:
„Hinc se Deucalion Pyrrhae succensus amore
„Misit, et illaeso corpore pressit aquas;

Avienus Descriptione Orbis *Hadrias unda; Pelias hasta* Ovid.; *Actias Cleopatra* Stat. in Silvis in Propem. Celeris 120.; *Actias Orithyia* Virg.; *Isthmias lucta* Apulei. de Dogmate Platonis. *Heins.*

Sic *Phasias* Epist. VI, 103., *Phthias* Ep. VII, 165. *Burm.* Conf. Bentlei. ad Horat. l. l. Burm.: *Ambracias*; sed *est* in fine versus omisit. Ego vulgatam non sum ausus mutare. Conf. Amor. III, 9, 47. Ed. Bas.: *Ambraciae est*; Zwicc., Seidl. et Ven. 1487.: *Ambrachiae — tibi est*; *Ambraciae — tibi est* Ald. 1502.; Ven. 1486.: *Ambrachiis — tibi est.*

165. *Phoebus.* Ille ab Ambraciotis magna veneratione colebatur. Vid. Anton. Liber. Fab. 4. *Burm.* Et nobile erat templum *Apollinis Actiaci.* Strabo X. p. 451. Conf. Burm. ad Propert. II, 23, 16. p. 434. et Metam. XIII, 715. *Ab excelso,* ex alto templo suo.

166. *Actaeum p. Leucadiumque v.* Hoc a vulgato nomine insulae scilicet, illud ab antiquo. Nam et Strabo tradit l. X. (conf. Metam. XV, 289.), Leucadem antiquitus Chersonesum sive peninsulam fuisse, Acarnaniae connexam, quam Homerus vocarit Ἀκτὴν ἠπείροιο, eam terram, quae e regione Ithacae est ac Cephaleniae, i. e. ipsam Acarnaniam, Epirum appellando. Odyss. XXIV, 375. Quare *Actaeum* hoc loco gentiliter ac proprie accipiendum, non appellative, ut Domitius exponit, pro litorali. *Micyll.* *Actiacum* Scaliger, ut Sarravianus. Infra:

Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras.

Ab *Actio* promontorio et oppido tamen Ambracici sinus, quod *Acte* aliis dictum, etiam *Actaeum* deducitur. Hinc Ἀκταῖος Ἀπόλλων καὶ Ἀκτιακὸς, teste Steph. Byzantio; contra ἀπὸ τῆς Ἀκτῆς, quae Ἀκτικὴ etiam dicitur et nomen mutuata est (?) ἀπὸ Ἀκταίου τοῦ Αὐτόχθονος, Ἄκτιος deducitur nonnunquam, ac proinde etiam Ἀκτιακὸς, quomodo apud Euphorionem in Dionysio Ἄκτιος Αἰγεὺς et apud Maronem *Actias Orithyia.* Vid. ad Fast. I, 711. *Heins.* *Actiacos* etiam Metam. XIII, 715.

Ambraciam, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est.

Neque tamen repugnantibus veteribus libris vulgata mutanda.

167. *Hinc,* ab excelso, ubi stat templum Phoebi. *Pyrrhae amore,* h. e. propter spretum, neglectum a Pyrrha amorem suum. Sed fabulae huius nullum in veteribus monumentis reperi vestigium. Seidl., Zwicc. et edd. Venn.: *Hic se.*

169. *Nec mora.* Vulgata:

Nec mora; iussus amans tenuit lectissima Pyrrhae
Pectora; Deucalion igne levatus erat.

Alii (Nauger.) fortasse non male:

„Nec mora, versus amor tetigit lentissima Pyrrhae
„Pectora, Deucalion igne levatus erat.
„Hanc legem locus ille tenet: pete protinus altam
„Leucada, nec saxo desiluisse time."

Nec mora; versus amor fugit lentissima mersi
Pectora, Deucalion igne levatus erat.
Egnat.

Nec mora; iussus amans tetigit laetissima Pyrrhae
Pectora etc.

Ita vulgaris lectio habet. *Micyll.* Scripti nostri: *iussus amor tetigit laetissima Pyrrhae* (et sic etiam Maff., Paris., Vat. *L.*), vel *iustus amor* vel *iussus amans. Pyrrhae* tamen omnes. Scribo:

Nec mora: versus amor tetigit lentissima Pyrrhae
Pectora.

Versus amor, ut Epist. III, 139.:

Aut, si versus amor tuus est in taedia nostri.

Lentus proprie, qui tarde se promovet; sed etiam pro inflexibili sumitur, et pro securo atque otioso, etiam pro frigido et remisso, quemadmodum hic loci. *Lentus*, qui tarde irascitur, est Epist. XVII, 249., item Amor. II, 19. 51.; Amor. III, 6, 59.:

Ille habet et silices et durum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.

Est autem convicium amatorium. Ita Penelope Epist. I, 1. *lentum* vocat Ulixem, Phyllis Epist. II. Demophoontem et nostra Sappho Phaonem v. 210. Vid. Turneb. Advers. I. c. 15. et ad Epist. XIX, 81. et Remed. Am. 774. Hinc *relentescere* Remed. A.

Neve relentescat saepe repulsus amor.
Heins.

Iahn scripturam dedit Naugerii, in qua, praeter quod ea caret auctoritate librorum, maxime offendit illa *lentissima pectora* Deucalionis, qui tamen *amore Pyrrhae succensus erat.* Amar:

— — iussus amans tetigit laetissima Pyrrhae
Pectora —

in qua ego, cur dura illa Pyrrhae pectora *laetissima* dicantur, non pervideo.

171. *Hanc legem*, sc. ut sic medeatur amori. De hoc scopulo autem, qui saltus amantium dicebatur, vid. Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 59. (conf. eundem ad Aen. III, 279.) et Voss. ad Catull. 67., Ptolem. Hephaest. VII. apud Photium Canone CXC., qui plures, qui se inde praecipitarunt, enumerat; Sapphus tamen, quod mirere, nulla ibi facta mentio; et Athenaeus XIV. c. 3. narrat, Calycam amore Euathli captam se praecipitio ex hoc scopulo interemisse. Vid. etiam Scaliger. ad Auson. Cupid. cruci affixum v. 24. Menander apud Strab. X. primam desiluisse ex Leucade Sappho tradit. *Burm.* Conf. Anacr. Fragm. 58. Ceterum totam hanc narrationem de Sapphonis saltu Leucadio Comoedorum esse commentum, non iniuria putavit *A. W. v. Schlegel über drama-*

Ut monuit, cum voce abiit. Ego frigida surgo,
  Nec gravidae lacrimas continuere genae.
Ibimus, o Nymphe, monstrataque saxa petemus:
  Sit procul insano victus amore timor.
Quicquid erit, melius, quam nunc, erit. Aura, subito:
  Et mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti,
  Ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.
Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam,
  Et sub ea versus unus et alter erit:

tische Kunst und Litter. P. I. p. 376. Atque omnino Sappho a Comoedis fere eandem habuisse sortem videtur, quam ab Aristophane aliisque Socrates. Vid. infra v. 201. et ad Sabini Epist. I, 8.

De *Leucade* promontorio vid. Plin. H. N. IV. c. 1. et Virg. Aen. III, 274. ibique interpretes. Ut hoc vero loco *tenet legem,* sic Fast. II, 476. dixit poeta *nomen tenet.*

173. *Frigida.* Sic Maff. CIOF. Etiam Gud. 1. et 2. et Zwicc. et Heinsiani, uno excepto, qui exhibet *pallida.* Francof. pentametrum ita exhibet:

Nec lacrimas oculi continuere mei.

Vulg.: *territa,* quod nuper dedit Iahn. De *abiit* ultima producta vid. Epist. XIII, 29. De *frigida* vid. supra ad v. 112.

175. *O Nymphe.* Non per diphthongum haec vox legenda, ut in veteribus edd. (excepta Naug.) male scribitur. Est enim apostrophe ad Naidem, cuius consilio se usuram dicit. MICYLL.

176. *Insano amore.* Conf. Epist. XVIII, 189. 190. Cod. Zwicc.: *Sic procul.*

177. *Subito.* Vid. ad Epist. XIII, 51.

178. *Et mea.* Scriv. et Seidl., pro vulg.: *Et mea,* exhibent *Haec mea;* δεικτικῶς. Eleganter. BURM.

Verissima est l. *Et mea,* qua efficitur comparatio sui ponderis cum *aurae,* quod, licet parum elegans lusus sit, tamen de more Ovidii est. Vid. Epist. XVIII, 130.

179. *Pennas.* Amor passim alatus et canitur et pingitur. Epist. XVI, 201., VIII, 38., Metam. IX, 482. Conf. infra v. 215., unde apparet, unde eum potissimum invocet.

180. *Ne etc.* „Ne Leucadia aqua a morte mea crimen habeat." Vid. Epist. XVIII, 142., XX, 38., IX, 51., XVI, 208. Seidl.: *Nec.*

181. *Communia.* Sc. mihi et Apollini. *Inde,* sc. postquam saltu facto salva et ab amore liberata ex aquis prodiero, ut locum hunc recte intelligendum esse censuit Domitius. Respicit autem (vid. Prooem. c. III.) hunc locum et illustrat Amor. II, 18. versus 34.

Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

De re vid. ad Epist. I, 26.

Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho:
  Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
  Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda;
  Et formae meritis tu mihi Phoebus eris.

Conf. Epist. XII, 128. et vide prorsus similem locum Epist. XX, 235--242.

182. *Erit. Erunt* bene Sarr. *Heins.*
Sed cur non potius, cum utrumque Latinum sit, eam rem vetustis libris diiudicandam relinquamus? Fast. II, 394. *ex illis unus et alter ait.* Horat. Epist. I, 1. *quicquid negat unus et alter.* Vid. ad Epist. XVI, 52. Ceterum *unus et alter* quod vulgo de paucis quibusdam dicitur, hoc loco ita *duo* declarat, ut illud tamen minus definite enuntietur.

183. *Posui.* Sic malim pro vulg. *posuit.* Patet ex illo *mihi* subsequentis versus; et sic Farn. cum uno meo. Prop. II. 11, 27.

  Has pono ante tuas tibi, diva,
    Propertius aedes etc.
Heins.
Vid. Epist. XVI, 1. et not. ad Ep. I, 84. — Pro *poetria* vulgo legitur *poetica.* Sed *poetria* recte. Eodem modo *poetria* Sappho appellata est a Galeno in libro de Animi Affect.: *Πάντως γὰρ ἀκούομεν Ὅμηρον μὲν λέγεσθαι ποιητήν, Σαπφὼ δὲ ποιήτριαν.* Sic et ab Ael. dicta Var. H. XV., Athenaeo, Pausania et Terentiano Mauro. *Heins.* Seidl., edd. Naug. et aliae *poetria.* — *Poetica* est qualitatis, *poetria* actionis. *Micyll.*

185. *Cur tamen Actiacas. Cur nunc* Ciof. et aliae edd. cum vulgata. Mss. variant. *Cur modo ad* Linc. *Cur precor* Sarr. Unus Heinsii *cur ferus.* Pro *miseram* quatuor *moestam.* *Burm.*
Tamen postulare ratio sententiae videtur. Naug. etiam *cur tamen.* — Cod. (?) Gryphianus *Actaeas. D. Heins.*

186. *Ipse.* Sic cum vulgata scripti. Recte. Non enim in Leucadiam Phaon, sed in Siciliam profugerat. (Naug. edidit *inde. L.) Heins.* „Attamen cur tu mavis me mittere ad Leucadiam, cum (potius) tu *ipse*, qui fugisti, redire possis. (Nam) *tu* melius et certius forma tua me servabis etc.“

188. *Formae meritis.* Sic vulg. et omnes codd. praeter Reg., qui exhibet *forma meritis*, unde Heinsius, collatis Epist. VI, 83. et VII, 5., novavit *forma et meritis*, quod nunc in omnibus edd. legitur. Vulgata *formae meritis* quod est *formae vi* proba est, qua non parum Sappho Phaoni blanditur, siquidem solius formae eius conspectu se sanari posse dicat. Supra v. 21. et seqq. quoque solam eius formam laudat. Circumlocutionem autem hanc vere Nasonianam esse, disputatum est ad Epist. XIX, 11.

Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent:
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.
Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera; quid laceras pectora nostra mora?

substitit, quasi absens est, ut patet e v. 206.

207. *Ecquid ago precibus.* Sic communiter. (Naug. et Mic.) Alii: *Ecquid ego precibus;* quidam etiam: *Ecquid ego haec precibus.* Sed communis l. melior est, cuius sententia respondet sequentibus. Est enim sententia: Ecquid, sive, etiamne aliquid ago, i. e., efficio precibus meis, quas modo feci? et mihi agreste illud pectus ac durum movetur, an non?

MICYLL.

Triplici coniectura locum hunc tentavit Heinsius, ad Virgilium quidem Aen. X, 675. corrigendum ratus: *En quid ago? precibus pectusne agreste movetur?* In adnotatione vero ad h. l. primo legendum arbitratus: *Sed quid ego haec? precibus etc.*, deinde sub adnotationis finem: *Ecquid, io, precibus tibi pectus agreste movetur?* Sed recte in vulgata l., quam et sibi probatam bene exposuit Micyllus, acquiescere Burmannus maluit. Confirmat etiam similis l. Metam. VIII, 133.

— — — — ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas, an inania venti
Verba ferunt idemque tuas, ingrate, carinas?

LENN.

Conf. v. 4. huius Ep. Vulg.: *Ecquid ego haec.* Ed. Bersm.: *Ecquid ago precibus? pectusne,* quod etiam Heinsius edidit. Gud. 2. et scripti Heinsii magna ex parte: *Ecquid ego p. pectusne*; multi Heinsii codd. cum edd. Bas. et Vinc.: *Haec quid ego? p. pectusne*; Paris. et Sarrav.: *Haec quid ego? an p. tibi pectus;* unus Heins.: *Haec ego quid?* Seidl., Zwicc., tres Heinsii et edd. Venn., Ald. 1502. et Col.: *Haec quid ego? an p. pectusne.*

208. *Zephyri.* Conf. Epist. II, 25. *Caduca,* ut passim apud nostrum, pro *vana, irrita.*

209. *Ferunt—referrent.* Ludit iterum poetae ingenium. Conf. Epist. II, 25. 26.

210. *Si saperes.* Vid. Epist. V, 99. De *lente* vid. supra ad v. 169. Seidl.: *docebat.*

211. *Parantur.* Quis non videt etiam reclamante codicum fide legendum *paramus,* non *parantur,* ex amantis affectu? Significare enim vult nuncupata a se ipsa vota pro Phaonis reditu. EGNAT. *Parantur* rectum esset, etiamsi intelligenda essent vota ab ipsa Sappho parata. Sed etiam ab ipsis navigantibus vota pro reditu nuncupabantur, igiturque votiva, quibus puppim coronare vellent, munera parare portu egressuri debebant. Virg. Georg. I, 303.

Ceu pressae quum iam portum tetigere carinae,
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Atque hunc votivorum paratum hic significari, neminem puto, qui accuratius locum in-

Solve ratem: Venus, orta mari, mare praestat amanti;
  Aura dabit cursum: tu modo solve ratem.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido;
  Ipse dabit tenera vela legetque manu.
Sive iuvat longe fugisse Pelasgida Sappho; —
  Non tamen invenies, cur ego digna fuga; —

spexerit, cum Egnatio atque Burmanno dubitaturum: *Sive redis* (quod latius exponit) et a te puppi tuae votiva munera parantur, *quid igitur me morando, mora tua, crucias?* Nec cetera quicquam offensionis habent, omniaque sunt apte coniuncta; quamvis Heinsius et Burmannus, prior, nisi post hoc distichon sequatur illud *Sive iuvat etc.*, posterior, nisi versus 213—216. in parenthesi ponantur et hic legatur *Sive redis, puppi ecce tuae votiva paramus,* ea mendosa putent. Quae sic construenda in Miscell. Obss. Vol. VII. T. II. p. 289. recte censuit Schroder: Sive redire cogitas et iamiam parasti munera, quibus pro salvo navis tuae reditu puppim ex voto ornes, cur non maturas illud coeptum? Securus esto et solve cito ratem; Venus, utpote mari orta, totum mare praestat amanti; Venus et Cupido navigationi tuae favebunt; sive etc. *Puppi* autem, quia ea est sedes deorum tutelarium. Vid. Epist. XVI, 112. Codd. Gud. 1. et 2.: *puppisque tua votiva paramus. Vota paramus* etiam edd. Bas., Mic. et Bersm. In Scriv. hoc distichon deest, et in Linc. desunt vss. 213—216.

212. *Quid laceras.* Franc.: *quid crucias pectora nostra tuis?* Conf. Epist. I, 90.

213. *Orta mari,* sc. e spuma maris. Vid. ad Epist. VII, 60., Iahni not. ad Metam. IV, 537. et Gierig. ad Fast. p. 185. Eodem modo Musae. v. 249.:

Ἀγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο.

Schlichtenhorst legebat *sternet eunti,* ut est Epist. XIX, 160., et certe *amans* Phaon dici non potest, et *eunti* est in edd. Venn. et al. *Heins.* Mire. „Sive redis, reditum ad me intendis, solve ratem: ei, qui ad amores suos redit, *amanti,* Venus etc.“ *L.*

Mare sternet placet etiam Valckenario ad Herod. V. c. 183. et VII. c. 191. pro *praestat,* et sic habet etiam margo Bersm. Sed nihil movendum. Est enim, ut etiam *praebere,* benevolentiae verbum. Trist. II, 170.

Sic adsueta tuis semper victoria castris
Nunc quoque se praestet.

Flor. III. c. 5. *Luna se praebuit Romanis.* Vid. ad Quint. Decl. 338. et Amor. I, 6. *Burm.* Conf. Trist. IV, 5, 23.

216. *Legetque. Regetque* nonnulli scripti. Sed perperam; opponuntur enim *dare vela* et *legere. Burm. Dabit vela et leget,* sc. ut venti ratio postulabit.

217. *Pelasgida Sappho.* A Pe-

Hoc saltem miserae crudelis epistola dicat,
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.

lasgis primum eam insulam habitatam fuisse constat e Diod. V. c. 16. Vid. supra ad v. 200. Seidl.: *iuvet*; Zwicc.: *Sive iuvat si longe fuisse. Sapphon* est in Seidl., Zwicc., Scriv. et edd. Ven. 1487., Ald., al.

219. *Hoc saltem.* Distichon hoc postremum pro legitimo Nasonis vix agnoscere sese, nec satis assequi, quid sibi velit, Heinsius ad h. l. scribit; sed recte illud tuiti sunt Graev. Syllog. Epistolar. Burmanni T. IV. p. 599. et vero ipse Burmann. ad h. l. Sententiam ita Graevius exposuit: „Sive abhorres a meo complexu et longe hinc tibi aufugiendi animus sit, quamvis nihil invenias in me dignum fuga, hoc saltem mihi tua nunciet epistola, te sc. fugere meum conspectum et nolle unquam ad me redire, ut me conferam Leucaten, in *montem* situm in aquis Leucadiis et inde praecipitem me dem, ut amore lever." Ex quibus verbis coniicio, etiam Graevio placuisse Regii cod. lectionem *saxa petantur*. Equidem *fata* praeferam. Vid. supra v. 171. LENN. Conf. Schrader Emendatt. X. p. 194. *Hoc saltem* Naug. edidit. Scripti et editi veteres: *O saltem,* quod probavit Heinsius, edidit C. Heusinger.

LENNEPII annotatio ad Epist. XV, 32.

Qui in editis ad Lotichium suum notis T. I. p. 7. correptam ab eo syllabam postremam in *detracto* palam improbaverat, idque vitiosum esse dixerat Burm. Secundus, idem ille in exemplo editionis Lotichii, quod penes me est, plurimis manu editoris passim margini adscriptis notis aucto et locupletato, supradictae adnotationi suae ipsum hunc Ovidii locum, ubi est *rependo* ultima correpta, ut quodammodo pro Lotichio pugnantem, apposuit; sicut alteri editae adnotationi suae, ad Lotichii Elegiar. VI, 12. p. 351. item postea locum adscripsit ex Ovid. Ep. XIX, 203., ubi est *desino,* postrema brevi. Vellem totum hunc locum de correpto verborum *o* finali magis de industria tractasset. Monet ipse passim, monet Bentleius ad Horat. Serm. I, 3, 140., monent alii, verborum illam literam finalem apud Augusti seculi scriptores non temere correptam inveniri: sed illud *non temere* quousque pateat, aliis definiendum relinquunt. Id iam nos pro viribus facere tentabimus. Tradunt Charisius apud Putschium pag. 5., Diomedes ibidem p. 430., Marius Victorinus ibidem p. 2472., poetas veteres La-

tinos omnia verba, quae litera *o* finiantur, producta extrema syllaba protulisse, adeo ut Virgilius quoque id servaverit, praeterquam in uno verbo *scio*; ut Ecl. VIII, 43. *Nunc scio, quid sit amor*; Aen. III, 601. *Hoc sat erit: scio me Danais ex classibus unum;* unde esse, qui in hoc ipso synizesin sive synaloepham obtinere et *Nunc sco* et *sco me* pronunciandum putent. Hoc certum est, ne circa huius quidem verbi quantitatem quidquam admisisse Virgilium, quod non item antiquiorum exemplis poetarum comprobare posset ac defendere; siquidem, tum apud Comicos, Plautum ac Terentium, ita saepe positum reperitur ipsum *scio*, ut, nisi pro una habeatur longa syllaba, certe pro disyllabo posteriore brevi sit habendum (vid. Plaut. in Asinar. II, 3, 18. et 95., Captiv. II, 3, 80., III, 4, 55. et passim in aliis fabulis; Terent. in Andr. III, 5., ubi sane synizesis esse videtur, Hecyr. V, 4, 37., Phorm. III, 3, 8.); tum similiter apud Catullum *nescio* aliis in locis citra controversiam est dactylus, ut II, 6., VI, 4., LIII, 1., aliis nisi dactylus, certe spondeus, ut LXXIX, 5., LXXXIV, 2., in quo is et alios auctores habuisse potest, et certe Comicos habuit, Plautum in Amph. I, 1, 175. 176. 198. atque alibi in nulla non fabula, Terentium Andr. II, 2, 3., Adelph. I, 1, 54., IV, 3, 4., Hec. III, 3, 23. Quos et, posteriorem in *volo* corripientes, Plautum Asinar. II, 2, 113. et alibi, Terentium Heaut. IV, 5, 41., Adelph. I, 2, 74., Hec. V, 1, 27., idem nescio an secutus sit Catullus, certe similiter verbum illud efferens XVII, 8. 23., XXXV, 6., LX, 216. Itaque correptae versibus Latinorum verborum *o* finalis, ut antiquius nihil a Graecorum ω diversae, ita natura longae literae, prima, ni fallor, haec exempla exstiterunt in perpaucis verbis *scio, nescio, volo, rogo,* quae ipsa in sermone etiam communi sive prosa oratione prima omnium corripi erant coepta; sicut in omnibus linguis celeritate pronunciationis prima ferme corripiuntur ea, quae prae ceteris usu frequentantur vocabula. At vero, quod initium in Latinorum sermone duxerat a paucis verbis, illud iam Augusti aetate sensim ad plura propagatum, lapsu temporis ad pleraque, postremo ad omnia fere se extendit verba. Charisius p. 6. *Veteres,* inquit, *sequuti Graecos, apud quos ω litera ubique quidem natura longa est, plerumque tamen in ultima verbi*

syllaba ponitur, etiam in communi sermone prosae similiter proferebant. Ita dum observavit prosa, et versus obtinuit. Paulatim hoc usus invertit, ut in sermone hoc, scribo, dico, et item talibus, ubi non solum correpta ponitur, sed etiam ridiculus sit, qui eam produxerit. (Scabra haec esse, nemo non sentit: corrigo, partim ex Diomede p. 430., qui Charisium exscripsit, partim ex coniectura: *Paulatim hoc usus invertit, ut in sermone hoc* [i. e. prosa] *in scribo, dico, et item aliis o non solum correpta ponatur, sed etiam etc.*) *Mirum ergo non est, consuetudinem sequi et versus. Sane monosyllaba fere, quaecunque in* (forte delendum *in*) *verba* πρωτότυπα *o litera finita tam versu quam etiam prosa similiter productam habent, necesse non est corripi, ut sto, do; quibus si conferatur dico, curro, disco, item producta o litera, diiudicari poterit, quam sit aliud absurdum, aliud per euphoniam gratum.* Scilicet mutatam illam prosae orationis consuetudinem primum omnium e poetis Comici secuti sunt, communis vitae tam pronunciationem, quam verba exprimere studentes (conf. Bentleius in egregio Schediasmate de metris Terentianis): sicut contra a veterum more postremi omnium recesserunt Epici et quicunque grandioris argumenti poetae. Sane in Lucretii carminibus ne unum quidem est exemplum correptae in verbis *o* finalis. At nonnulla iam, etsi pauca, apud Catullum exstant. Contra veterum morem religiosissime Maro observavit. Nec violavit eum Horatius in Odis. At vero in Sermonibus, propius illis ad communem accedentibus sermonem, et *volo* posuit posteriore brevi Serm. I, 9, 17., et praeterea *o* finale corripuit in *veto* Serm. I, 1, 104., in *eo* Serm. I, 4, 119. et futuro *dixero* Serm. I, 4, 104., unde non multum quidem, aliquantum tamen ponderis decedit argumento, quo, sed inter alia, usus est Bentleius ad convellendam veterem Serm. I, 3, 140. lectionem *peccavero,* ultima brevi. Tibullus uno tantum in loco a ratione veterum deflexit, Elegiarum videlicet II, 6, 41. postremam in *desino* corripiens (idem Tibull. I, 6, 55. *nescio* scripsit, ultima correpta, *L.*): in quo ipso tamen iam progressum eius, de qua monuit Charisius, in pronunciandi modo mutationis manifesto observare mihi videor: sicut etiam in Propertiano *findo,* posteriore brevi, El. III, 7, 35. Propertium enim, Catulli et antiquiorum exemplo, etiam posteriorem in *volo* II,

8, 13., postremam in *nescio* I, 2, 7. et alibi corripere, minus iam illud mirum videatur. Ut Tibullum Propertius, ita Propertium excepit noster. Hic igitur, quod sane notandum, in Metamorphoseon libris, si VIII, 60. *puto*, et aliquot locis *nescio* exceperis, nullius verbi finale *o* corripuit, sed servatum a Virgilio antiquum morem, in eodem fere carminis genere, quod ut grande erat ac magnificum, ita quam maxime a communi sermone diversum, etiam sibi servandum esse statuit: in Fastis adeo, si rursus exceperis *puto* III, 493., nusquam a more veterum recessit. In aliis vero levioris argumenti scriptis sui temporis sermonem prosae et communem in illo litera *o* finita corripiendi usum aliquoties ipse sequi non reformidavit. Frequentius tamen *o* finale corripuit in verbis disyllabis, priore etiam brevi, ut sunt *puto* Ep. II, 105., Am. I, 2, 5. et passim alibi, *peto* Ep. XII, 197., XVI, 35., A. A. II, 10., *nego* Am. I, 10, 64., *volo* Am. II, 5, 54., *amo* Am. III, 18, 39., Rem. Am. 648., *càno* ex P. III, 9, 35., *dabo* Ep. XVII, 260., *ero* Trist. IV. El. ult. 130. Rarius in disyllabis priore longa. Est tamen illud *o* correptum in *tollo* Am. III, 2, 26., et *credo* ex P. I, 7, 56. Nam quod pro *Quo fugis, o remane,* Met. III, 487., in quibusdam codd. et edd. vett.: *Quo fugis, oro, mane,* exstat, id cum Patruo suo ad eum l. recte improbat Burm. Secund. ad Lotich. T. I. p. 239. Raro etiam in trisyllabis *o* finale corripuit Ovidius. Praeter quod h. l. est *rependo,* reperitur item brevi ultima *desino* in Ep. XVIII, 203., manifesta imitatione Tibulli, et *confero* ex P. I, 1, 25. De sequentis seculi poetis brevius hic notasse sufficiat, Augusti aetatem proxime secutos Heroici carminis auctores, Manilium, Lucanum, Silium adeo, moris adhuc veterum observantissimos fuisse, remotiorem ab ea Valerium Flaccum, quamvis simili argumento carminis, iam in plurimis ab eo descivisse, Statium autem et aequales pro lubitu finale verborum *o* correptum posuisse. Quae vero posteriorum consuetudo fuerit, vel ex uno hoc appareat Avieni versu Anthol. Lat. Lib. III. Ep. LIX. Tom. I. p. 497.: *Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco.* Lenn. Vid. Iahn. ad Met. VIII, 60. Disyllabis priore longa adde: *addo* Epist. VI, 73., et conf. de eodem argumento disserentem Hermannum ad Plaut. Trinum. praef. p. XV.

EPISTOLA XVI.

PARIS HELENAE.

Paris, filius Priami, post iudicium illud dearum, in quo Venus, promissa ei pulcherrima femina, Helena, Menelai uxore, vicerat, ad Helenam abducendam Spartam profectus et a Menelao hospitio exceptus est. Ubi aliquamdiu moratus, quum Menelaus iter Cretam suscepisset, ea usus opportunitate, ut Helenam eo, quo vellet, adduceret, hanc ei scribit Epistolam. Lucian. Iudicium, Coluthus de Raptu Helenae, Hyg. F. 92., *Dict. Cret. I,* 1., *Homeri Il. et Od.*

Hanc tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem,
Quae tribui sola te mihi dante potest.
Eloquar? an flammae non est opus indice notae;
Et plus, quam vellem, iam meus exstat amor?
Ille quidem lateat malim, dum tempora dentur
Laetitiae, mixtos non habitura metus;
Sed male dissimulo: quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

1. *Hanc.* Fortasse rectius *hac tibi,* sc. *epistola, mitto tibi salutem,* ut Epist. XIX. *verbis mittere salutem.* Vid. ad Epist. I, 1. Sed vulgata defendi potest ex Trist. V, 13, 1. 2.

Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem,
Mittere si quisquam, quo caret ipse, potest.
Burm.

Pro *Ledaea* Heins. hic et Epist. XIII, 61. scribendum putat *Ledaei,* „quia noster patronymicis Graecis impense delectetur.“ Quasi non frequentissimae apud Nasonem formae Latinae Graecorum et nominum et patronymicorum exstarent! *Cythereis* est Metam. IV, 288., *Cytherea* hac Epist. v. 20.; *Bistonis* est infra v. 344., et Trist. I, 10, 48. *Bistonia.* Vid. not. ad Epist. XVIII, 2.

3. *Eloquar? an flammae etc.,* „an non opus est indice, proditore (v. 8.) amoris erga te mei, ut iam cogniti,“ sc. ex iis, quae infra copiose narrantur.

4. *Vellem,* sc. si id in mea esset potestate, id fieri posset. Sine hac cogitatione dicitur *velim.*

5. *Lateat malim.* Sic codd. et vett. edd. Burmannus cum vulg.: *malim lateat.*

6. *Mixtos.* Gron. pro v. l.: *nexos.*

8. *Proditur.* Duo libri: *panditur.* Perperam. Epist. XI, 72.

Si tamen exspectas, vocem quoque rebus ut addam;
Uror: habes animi nuntia verba mei.
Parce, precor, fasso, nec vultu cetera duro
Perlege, sed formae conveniente tuae.
Iamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta
Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.
Quae rata sit, nec te frustra promiserit, opto,
Hoc mihi quae suasit, mater Amoris, iter.
Namque ego divino monitu, ne nescia pecces,
Advehor, et coepto non leve numen adest.
Praemia magna quidem, sed non indebita posco:
Pollicita est thalamo te Cytherea meo.

— — indicio proditur ille suo. Idem Met. II, 447. *Burm.* Vid. Epist. XII, 37. 38. *Ipse* hoc loco vim habet.

9. *Si tamen exspectas. Exspectes* Iun. et quatuor alii. Duo alii et Leid.: *Sed tamen exspectas. Si tamen exspectas* dicitur, si in animo scribentis est, vere aliquem exspectare; sin autem dubitat et incertus est, an exspectet, dicendum *Si tamen exspectes.* Verum quum tali ratione sententiae in arbitrio sit scribentis, utrum potissimum ponere velit, in ea audiendi veteres libri sunt, qui hoc loco plerique exhibent *exspectas.* Trev.: *exspectes.*

10. *Uror.* Vid. ad Epist. XV, 164. De *nuntia verba* vid. ad Epist. XIII, 121. et conf. Epist. VI, 9. et infra v. 38.

11. *Fasso.* Conf. Epist. XIX, 4.

12. *Perlege. Respice* unus Lov.

13. *Iamdudum — recepta est. Tò est* una cum distinctione tollendum ex fide Put. et IV aliorum. *Heins.* (Vid. var. l.) Douza notat apud bonos scriptores non esse in usu *recepi epistolam,* sed *accepi,* at Nasonem fecisse necessitate metri. Sed ita excusare poetas, accusare est. Non enim metri necessitate effici debet, ut minus eleganter et Latine poeta loquatur. Quare lusisse nostrum puto in ambigua significatione verbi *recipere,* quo utitur etiam de amantibus et puellis in toro receptis. Vid. ad Epist. II, 55. et VI, 20. *Burm. Epistola recepta* est *admissa* et opponitur protinus cum contemtu repudiatae aut remissae; *accepta,* quod Latinitatis rationem postulare Douza existimavit, hoc loco minus commodum fuisset. *Lenn.*

Iamdudum, statim.

15. *Quae rata sit. Sint,* quod nunc vulgo legitur, e Put. induxit Heinsius. Plurimi codd. et vett. edd. recte: *rata sit,* sc. *spes,* quam l. Lennepio probatam etiam Iahnus nuper recepit. Intell.: „*Ne, harum rerum nescia, pecces,* morem mihi geras."

19. *Non indebita.* Vid. infra v. 65. sqq.

Hac duce Sigeo dubias a litore feci
  Longa Phereclea per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras ventosque secundos:
  In mare nimirum ius habet orta mari.
Perstet, et, ut pelagi, sic pectoris adiuvet aestum;
  Deferat in portus et mea vota suos.
Attulimus flammas, non hic invenimus, illas;
  Hae mihi tam longae causa fuere viae.

20. *Cytherea.* De hoc Veneris nomine vid. ad Epist. VII, 60. Ceterum utraque forma apud nostrum reperitur *Cythereïa* et *Cytherea*, quanquam haec frequentior est. Vid. Iahn. ad Metam. X, 640. Secunda syllaba a prima, quae hoc l., ut vulgo solet, corripitur, etiam producitur. Vid. Fast. IV, 15. De re conf. infra v. 85. 86.

21. *Sigeo — a litore.* De *Sigeo litore* dictum est ad Epist. I, 33. *Dubias*, incertas, non sine erroribus ac periculis.

22. *Phereclea.* De Phereclo, huius classis structore, omnia apud scriptores obvia. (Vid. Hom. Iliad. V, 59. sqq., Schol. Lycophr. 97.) At Put. aliique quidam: *Feraclea*; nonnulli: *Phareclea*; alii aliter. Alter Palat.: *Phelacrea.* Forte *Phalacraea puppe.* Sic Lycophroni haec classis Φαλακραῖοι πόδες. *Phalacrae* enim una e quatuor partibus Idae montis. Stephanus in v. Φαλάκραι. In Arondeliano cod. legebatur *Farasea* cum glossa „a loco sic dicta.“ *Heins.* Longe arcessita est coniectura Heinsii et pugnat cum v. 107.

23. *Faciles auras.* *Faciles undas* Oudendorpius malebat, non improbante Ruhnkenio. Idem non displicebat Lennepio. Verum quid fieret Ovidius, si tautologiae tales essent caussae mutandi. Verba *aura* et *ventus* sic coniuncta leguntur Metam. VII, 197.

Auraeque et venti, montesque amnesque lacusque.

Amor. I, 8, 106.

Nec tulerint voces ventus et aura meas.

Ibide 106.

Deneget afflatus ventus et aura suos.

Eodem modo *ventos* et *flamina* Naso coniunxit Epist. X, 113.

Vos quoque crudeles, venti, nimiumque parati,
Flaminaque in lacrimas officiosa meas.

Vid. ad Epist. XI, 67.

24. *Nimirum.* Cum Ald. et Venn. Micyllus et Bersmannus ediderunt *nil mirum*; et ita Put. et VII alii, nec displicet Naugerio. *Nec mirum* Iun. *Burm.* *Nimirum* Naugerius primus dedit, atque ita exhibent plerique codices. De sensu et re vid. ad Epist. VII, 60. et XV, 213.

25. *Perstet.* „Pergat mihi favere.“ Conf. Epist. XVIII, 206. *Aestum.* Acumen inest in verbo *aestum*, quod ardorem amoris significat et de mari dicitur. Vett. edd.: *aestus.*

27. *Attulimus.* Proprio usus

Nam neque tristis hiems neque nos huc appulit error:
Taenaris est classi terra petita meae.
Nec me crede fretum merces portante carina
Findere; — quas habeo, di tueantur opes! —
Nec venio Graias, veluti spectator, ad urbes:
Oppida sunt regni divitiora mei.
Te peto, quam pepigit lecto Venus aurea nostro;
Te prius optavi, quam mihi nota fores:
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus;
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo:

verbo de iis, qui cum re quadam adveniunt; contra *invenimus* illa, in quae casu incidimus. *Burm.*

30. *Taenaris.* „Sed Taenaris terra est, quam ab initio petiimus, Taenaris t. fuit a principio finis itineris nostri.“ *Taenaria* Laconia vocatur a Taenaro, illius regionis promontorio. Plin. IV. c. 5. Vid. not. ad Epist. VIII, 72.

31. *Nec me crede.* Prorsus eadem sententia atque eadem quoque figura sententiae est Trist. I, 2, 75.

32. *Quas habeo — opes.* Opes suas iactantis sunt verba, uti etiam v. 34.

33. *Nec venio — veluti spect.* Scripti: *venio,* non *veni,* ut ed. Naug. Illud *veluti* suspectum; *Heins.*
et merito: omittere enim solent illas particulas, *veluti, tanquam,* poetae. Vid. Serv. ad Virg. A. I, 384. *Burm. Veluti* intelligendum est *quemadmodum:* „Nec venio, quemadmodum spectator venit, qui urbes vestras spectare cupit: nam oppida etc.“ Conf. Epist. XXI, 113., XX, 8. Cod. Dun.: *tanquam.*

35. *Pepigit lecto.* Heinsius tacite edidit *lecto pepigit;* sed codd. (vid. var. l.) et vett. edd.: *pepigit lecto.* Epist. XX, 157. Vid. ad Epist. IV, 4.

37. *Animo vidi etc.* Vid. Epist. X, 135.

38. *Nuntia fama* legitur etiam Epist. VI, 9. Vid. supra ad v. 10.

39—142. Hos CIV versus Aldus primum edidit, quem deinceps editores secuti sunt. Leguntur in cod. Palatino, qui tamen recens est, et in Fragmento Paulino. In reliquis libris omnibus et in Planudis versione Graeca desunt. Eorum loco libri post v. 168. duos aut quatuor versus alios addunt, qui tamen ad sententiam compensandam non sufficiunt. Nihilominus eos spurios esse Aldus et Micyllus statuerunt. Sed eos Ovidio non indignos et ad sensum necessarios esse post Naugerium Lennep et Werfer l. l. docuerunt. *Iahn.*

Non dubium esse ulli potest,

Sic placuit fatis; quae ne convellere tentes,
Accipe cum vera dicta relata fide.

quin hi versus ipsius Ovidii sint; sed fortasse credendum est, cum Epistolam hanc composuisset, aut demsisse illum haec, ut nimiam luxuriam et loquacitatem quasi quandam resecaret, quae in his vss. cernitur, aut addidisse potius venustatis gratia; venusta enim et elegantia sunt eorum multa. Luxuriam autem et abundantiam non solum hic poeta ut vitium nunquam fugit; sed ut virtutem semper amavit. *Nauger.* Praeterquam quod Ovidianus in iis color est, nec ullo modo verisimile videtur, ut tam bellam iudicium Paridis describendi occasionem Naso praetermiserit, sane illa insunt in Epist. sequente, quae dictorum versuum nonnullis unice respondere videantur. Conf. Epist. XVII, 115. sqq. cum huius vss. 53. sqq., eiusdem vss. 195. sqq. cum huius v. 96., denique versus eiusdem 237. sqq. cum huius vss. 43. sqq. *Lenn.* Werfer praeter ea, quae attulit Lennep, ad eos Ovidio vindicandos fere haec affert: „Primum tantum abest, ut luxuries ista atque loquacitas adulterationis eos arguant, ut ea ipsa huius carminis vitia Ovidium eius auctorem esse vel maxime convincant. Conf. Epist. XIV, 89. sqq., XVIII, 53. sqq., XX, 143. sqq. Deinde non modo apte, sed aptissime versus primos 39. 40. cum praecedentibus cohaerere, locum accuratius inspicienti liquet, ut Scaligeri audaciam, quem duo prima disticha eiici velle Dan. Heinsius testatur, iure mireris. Ut tertiam criminationem, inelegantiores hos versus esse, diluamus, sufficiant IV vel V exempla: vss. 49. 50. et vss. 123. 124. versus sane Ovidii acumine dignissimi; vss. 113. 114. non inepte componi possunt cum Epist. XV, 215.; atque 119. sqq. cum Ep. V, 113.; vss. 99. 100. cum Ep. VII, 25. 26.; postremo v. 60. cum Epist. XIV, 45., XVIII, 66., XXI, 29. — Denique vel perspicuitatis caussa digressio illa non modo tolerabilis, sed necessaria videtur, si quis reputaverit, ea omissa, Paridem, ut plures vss., v. c. 20. 35. 163 — 166., Helenae, quam ipse fatorum suorum nesciam esse putat (v. 17. 18.), — Helenae enim, non Rom. lectoribus Paridem scribere noster facit, — satis perspicui forent, vereri debuisse. Male enim compensantur vss. illi CIV, paene in omnibus ll. praetermissi, disticho exili, quod post v. 166. aliquot codd., v. c. Monac., Victor., Erf., Dresd., suppeditant (vid. var. l.), cui cod. Vict. cum Goth. 2. aliud adiecit (vid. var. l.), quae consarcinata sunt ex Epist. XVII, 115.“ Conf. not. ad v. 99.

Sicut oporteat. Nec ego expedio; nam unde coni.? Locum varie tentarunt VV. DD. Micylli coniectura *sicut oportuit,* quamvis lenitate sua se commendans, ideo probari non potest, quia sic idem bis dixisse deprehendatur Ovidius (?). Sequitur enim *Sic placuit fatis.* Ingeniose Douza in corruptis

Matris adhuc utero partu remorante tenebar;
Iam gravidus iusto pondere venter erat:
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit, metuendaque noctis opacae
Visa seni Priamo, vatibus ille refert.
Arsurum Paridis vates canit Ilion igni.
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.

— — — — — — — —
— — — — — — —
— — — — — — — —
— — — — — — —

verbis nomen latere putabat amatoris fabulosi, qui ita, ut Paris, nunquam visae puellae amore flagrasset. Heinsius triplici ratione emendabat: *si sicut oportuit actum*, vel *sicut oportuit ictum*, vel *sicut oportet ab arcu.* Postremum maxime arridet. Paridi praedictum erat, fore, ut ab arcu sive coelesti sagitta figeretur. Vid. v. 277. Hoc ille de Amoris arcu et sagittis interpretatus est. LENN. Mihi verba *sicut oporteat* intelligenda videntur *sicut deceat*, sc. te amare, *iusto modo, valde, vehementer*; coniunctivus autem positus esse, ut saepe apud nostrum, more Graeci optativi: ὥσπερ ἂν δέοι; ut sensus totius loci hic sit: *Nec tamen est mirum, si te, sicut deceat, par sit*, (valde) *amo, quamvis nonnisi eminus vulneratus sim, sola te fama cognoscam, cet.* Vid. ad Epist. XX, 125. et IX, 27. In *arcu Missilibus telis* minime haerendum, quamvis haeserit Werfer, qui corrigebat: *si, sicut oporteat ultro;* neque tamen cum Micyllo construendum *missilibus arcu* (per arcum) *telis.* Nihil frequentius est poetis, quam post totum sic inferre partem. Sophocl. Ai. v. 310. χειρὶ ὄνυξι, atque eodem modo Homerus passim. Conf. Epist. V, 31. De *sicut oporteat* conf. Metam. VII, 729.

42. *Vera fide.* Vid. ad v. 60.

44. *Pondere.* Vid. ad Epist. XI, 37.

45. *Illa sibi ingentem etc.* Meminit huius rei etiam Tryphiodorus et Apollod. III., atque e vetere quodam poeta Cic. de Divin. I. c. 21.

47. *Metuenda etc.* Metuenda illa visa (visionem hanc sive somnium, quod per opacam noctem viderat Hecuba) seni Priamo refert, ille eadem refert vatibus, i. e. interpretibus et coniectoribus (ut Cic. l. l.) somniorum; quos etiam *vates* dici docet Lindenbrog. ad Ammian. Marcellinum XXIII, 3. *Augurem nocturnae imaginis* dixit Ovid. Amor. III, 5, 33.

49. *Arsurum*, i. e., vates canunt, sive praedicunt, Paridis igni Troiam conflagraturam:

Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectae nobilitatis erat.

h. e., facem, de qua somniarat Hecuba, significare incendium atque exitium patriae. *Micyll.* Versum hunc certe Ovidii non esse suspicatur Medenbach. Wakker. Amoenit. Litt. c. 13. p. 116. hisce potissimum de caussis, quod in antecedenti versu Priamus rem detulisse *vatibus* dicatur, hic vero unus tantum memoretur *vates*, qui responderit, et quod puer primum *Alexander* dictus fuerit, non *Paris*. Hinc ex Cic. de Div. I, 21. emendandum coniicit: *Arsuram vati Phoebus canit Ilion igni*, ita tamen, ut ipse fateatur hariolari esse non emendare. Sed nescio, an plane emendatione nihil opus sit. Etenim primo fieri potest, ac fit saepenumero, ut, qui plures interrogaverit, responsum tamen nonnisi ab uno ferat, qui communem ipsius ceterorumque sententiam quasi omnium nomine exponendam sibi sumserit. At nec urgendus forte in v. 48. pluralis, quem poetae saepe pro singulari ponunt. Porro variare in hac tradenda historia scriptores, aliis Apollinem, aliis Aesacum, aliis Herophilam, aliis denique aruspices memorantibus, observavit iam Davisius ad Cic. l. l. Denique *Parin* prius, quam Alexandrum appellatum puerum, auctor certe est Apollodorus III. Conf. huius Epist. v. 358., Meziriac. l. l. T. I. p. 410. seq. et Munker. ad Hyg. F. 91. *Lenn.* *Arsurum* est in Fragm. Paul. et vett. edd. Vid. ad Epist. I, 48., XVII, 240. Heins. et Burm.: *Arsuram*. Fortasse vatem *Aesacum* intelligit. Vid. Tzetz. ad Lycophr. 224.

50. *Pectoris.* Vide sollertiam poetae, qua Paris responsum illud ad amoris sui ardorem refert. Vid. infra not. ad v. 278.

Inter hunc et sequentem aliquot desiderari versus, quibus declararetur, quomodo expositus Paris et a pastoribus susceptus fatum vitaverit, cum Scaligero idem putat Medenbach. l. l. Mihi videtur Paris illa tantum ex historia sua memorare voluisse, quae aliquo modo cum fatali isto amore suo aut essent aut ipsi esse viderentur coniuncta, reliquis silentio praetermissis. Vid. v. 40. 50. 151. sqq. *Lenn.* Mihi vero pauca desiderari videntur, aut graviter accusanda negligentia poetae. Quam dura enim ad v. 51. et sqq. et vix ferenda transitio, et quam ineptus, prope dixerim, v. 90. *Regius agnoscor etc.*, nisi prius facta sit mentio Paridis expositi atque inter pastores educti!

51. *De plebe.* Sc. Priamus, postquam interpretationem illam vatum (v. 49.) audierat, puerum, ubi primum natus erat, Archelao servo tradidit exponendum; sed mater, eius miserta, curavit, ut furtim a pastoribus nutriretur in Ida monte, ubi pro pastoris filio habitus est. Apollod. III. *Vigorque.* Vid. Epist. IV, 118. Fast. II, 395—398. de Romulo et Remo:

Est locus in mediae nemorosis vallibus Idae
Devius et piceis ilicibusque frequens,
Qui nec ovis placidae, nec amantis saxa capellae,
Nec patulo tardae carpitur ore bovis;
Hinc ego Dardaniae muros excelsaque tecta
Et freta prospiciens, arbore nixus eram.
Ecce, pedum pulsu visa est mihi terra moveri: —
Vera loquar, veri vix habitura fidem —

At quam sunt similes! at quam *formosus* uterque!
Plus tamen ex illis iste *vigoris* habet.
Si genus arguitur vultu, ni fallit imago,
Nescio quem vobis suspicor esse deum.

52. *Erat.* Sic recte Fragm. Paul. et edd. vett., pro quo Heinsius primus scripsit *erant.* Vid. Virg. Georg. I, 483—486. et v. 336. huius Epistolae et Cic. de Orat. III. c. 19. §. 67.

53. *Est locus.* Transit h. l. ad iudicium et sententiam de forma dearum latam. Poetico autem more a descriptione loci narrationem orditur. *Mic.* Vid. ad Epist. XV, 157. Fast. VI, 15. de eadem re:

Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae
Contulit —

ubi vid. Gier. not.

54. *Piceis. Pinis* vulgatae Medenbach. praefert l. l., quod pinifera passim Ida. Vid. Sab. Epist. III, 41. Sed *piceas* et *ilices* etiam coniunxit Ovid. Epist. XII, 67., cf. Metam. III, 155.; ita ut in loci devii et umbrosi descriptione omnino apposita videatur *picearum* mentio. Tum et *Τὴν ἐν Ἴδῃ πεύκην* diserte memorat Eurip. Hippol. 1253., ubi vid. Valckenaer. Ceterum cum his et sequentibus mire conspirare Coluthum, de Raptu Helenae, versibus 119. et sqq. notavit iam, haud paullo me doctior, Lennepius in not. ad v. ibi 121. Conf. et Lucian. in Dearum Iudicio. Lenn.

57. *Dardaniae muros* improprie dixit pro *Troia.* Alia enim Dardania, alia Troia fuit. *Mic.* Sane proprie Dardania est regio supra Troadem ad Hellespontum; sed apud Virgilium saepe est pro regno Troiano et fortasse etiam pro ipsa urbe, Aen. II, 281., ubi vid. Heyn. Tantum autem abest, ut ego cum Micyllo in insolito illo huius vocis usu aliquam *νοθείας* suspicionem videam, ut notam audaciae, quae Nasoni propria est, et, quam ubique affectat, novitatis, igiturque aliquid vere Ovidianum inesse putem. Eodem modo Naso aliique scriptores *Phrygia* pro Troade utuntur, de quo Eustath. ad Iliad. II.: *Φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ, ὅτι Ὅμηρος μὲν διαστέλλει Φρύγας καὶ Τρῶας· Αἰσχύλος δὲ καὶ οἱ νεώτεροι συγχέουσιν.* Vid. Epist. XVII, 57. Conf. Epist. I, 54., VII, 68.,

Constitit ante oculos, actus velocibus alis,
  Atlantis magni Pleionesque nepos, —
Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre —
  Inque dei digitis aurea virga fuit;
Tresque simul divae, Venus et cum Pallade Iuno,
  Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui gelidusque comas erexerat horror;
  Cum mihi „Pone metum" nuntius ales ait:

VIII, 14.

58. *Freta,* mare Aegeum.

59. *Pedum pulsu.* Homericum δοῦπος ποδῶν, Odyss. XVI, 10.

60. *Veri vix h. f.* Libri: *vero.* Scribe *veram fidem* aut *veri fidem. Vera fides* est supra v. 42., Fast. III, 662., Trist. IV, 1, 66. Sic contra *falsa fides* Metam. XV, 566. *Veri* hic reponendum vidit etiam Freinshem. ad Curt. IX. c. 5. ex illo Senecae Epist. 94.: *Duae res plurimum roboris dant animo, fides veri et fiducia.* HEINS. Metam. III, 659. 660.

— — — adiuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri maiora fide.

Ed. Mic.: *loquor.*

61. *Actus v. a.* Nos: *„Mit schnellem Flügel fortbewegt."*

62. *Atlantis nepos.* Mercurius, cuius mater Maia fuit, filia Atlantis et Pleiones. Hom. Odyss. XIV, 435., Hesiod. Theog. 938. Metam. II, 742.

— — — — cui sic respondit Atlantis
Pleionesque nepos.

Quidam, teste Micyllo, exhibent:

Atlantisque nepos Pleionesque nepos.

63. *Fas vidisse fuit.* Solemnem hanc in occursu deorum precationem illustrat Lipsius ad illa Senec. Epist. 115.: *Ut fas sit vidisse, tacitus precatur.* BURM. Vid. Liv. I. c. 16. De dictione *vidisse* — *visa* vid. annot. ad Epist. XX, 73.

64. *Aurea virga.* Vim eius virgae egregie describit Virg. A. IV, 242. *Aurea* ea virga iam est Homero (Odyss. X, 277.), apud quem Mercurius χρυσόῤῥαπις, unde sine dubitatione, ut multa alia, sic quoque haec est *aurea virga* desumta. *Aurea Venus* legitur supra v. 35., quod ex eadem ratione poetica explicandum.

67. *Obstupui.* Sc. deum cum videret alatum et specie humano corpore maiore, ut dii hominibus se obvios dare solebant. Vid. Metam. III, 610. et ibi Gierig.

68. *Nuntius ales.* Mercurio alata talaria tribuuntur, ut apud Virg. A. IV, 239.:

— — — — — pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimem alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

MICYLL.

Sed etiam capite *alas* gerit et *nunc pedibus, nunc fronte volat,* ut est ap. Sidon. Carm. 7. Ceterum fere ad verbum haec ex Ovidio expressit Coluthus

„Arbiter es formae; certamina siste dearum,
„Vincere quae forma digna sit una duas.“
Neve recusarem, verbis Iovis imperat, et se
Protinus aetheria tollit in astra via.
Mens mea convaluit, subitoque audacia venit;
Nec timui vultu quamque notare meo.
Vincere erant omnes dignae, iudexque verebar,
Non omnes causam vincere posse suam.

Rapt. Hel. v. 125. Fragm. Paul.: *Tum mihi,* et v. 70. : *ipse duas.*

69. *Arbiter es formae.* H. e., delectus es iudex, qui de forma harum pronunties. *Micyll.* *Certamina siste,* h. e., compone et fini. Conf. Metam. VII, 711. Construendum: *Certamina* (litem), *quae digna sit....., siste.*

Ita autem habet fabula: Diis convivium inter se agitantibus, relicta fuerat Eris, ne quam illa contentionem aut litem sereret. Sed quod a praesente metuebatur, id illa absens dedit. Nam pomum aureum inscriptum ἡ καλὴ λαβέτω inter convivantes abiecit. Quod Iuno, Pallas et Venus conspicatae quaelibet sibi vindicabant. Itaque quum ex eo certamen ortum esset, Iupiter, qui alias tamquam summus deorum componere illud debebat, invidiam sententiae a se removere volens, iudicium illud ad Paridem relegavit. Atque ita secuta cetera, quae hoc loco narrantur. *Micyll.* Vid. Luciani Iudic.

71. *Neve.* Sic libri, quod tali quidem in coniunctione apud alios scriptores rarius legitur, qui *neve* vulgo ponere solent aut praecedente *ut* vel *ne,* aut pro *ne aut.* Sed vid. infra v. 361., Metam. I, 151., II, 482., IV, 799., XIV, 473., Fast. IV, 839., Epist. XVIII, 191., XXI, 51. et sic apud nostrum passim.

75. *Verebar.* Lege *querebar. Queri* pro *dolere* saepe apud Nas., Epist. XIV, 82., XVIII, 135. Corrumpendo loco ansam dedit ultima syllaba *que,* quae geminari debebat. Vid. ad Epist. XIV, 91. *Heins.* Eleganter Heinsius. Vulgo: *verebar*; atqui non omnes caussam suam posse vincere, id non verebatur, sed certo sciebat Paris, in hoc ipsum *formae arbiter* electus. Verum quia *vincere erant omnes dignae,* ideo huius peragendi a se iudicii duram esse conditionem *querebatur.* Paris apud Lucian. l. l.: *Δοκῶ δ᾽ ἂν μοι καλῶς δικάσαι, πάσαις ἀποδοὺς τὸ μῆλον. — Πῶς οὖν οὐ χαλεπὴ — ἡ κρίσις;* cui similiter, ut hic, Mercurius *verbis Iovis imperat. Lenn.* Mihi rectum videtur *verebar.* „Verecundiam, molestiam mihi afferebat, non omnibus pretium pulcritudinis adiudicari posse.“ Sic etiam Germani dicimus: *Ich scheute, dass nicht alle den Process gewinnen konnten,* et sic Plato Graecus dixit Apolog. Socrat. p. 21. E. *δεδιὼς ὅτε ἀπηχθανόμην,* et Ovid. Pont. IV, 15, 29. Con-

Sed tamen ex illis iam tunc magis una placebat:
Hanc esse ut scires, unde movetur amor.

structio *vincere dignae* apud Nasonem passim.

76. *Causam — suam.* Scribe *causa sua. Vincere* enim *caussa* Latinum est, et *tenere caussam*, non *vincere caussam.* Amor. III, 14, 50.

Et si non causa, iudice vince tuo.

Conf. Epist. XIII, 75. Sic etiam *vinci caussa* Art. A. I, 201. *Heins.* De hac re docta est disputatio Huschkii ad Fragm. Ciceronis pro M. Tullio. p. 146. 147. *Vincere sponsionem* similiter dicitur, ac *vincere exspectationem*, *opinionem*, quamquam minus etiam audacter. Nam cum actor reum sponsione provocet, lacessat, aggrediatur, reus dicitur *vincere sponsionem*, si eius ut arietis cuiusdam vel teli impetum comprimit, et e contrario sua restipulatione actorem alligatum tenet. Itaque actor si superior est actione ex interdicto, *vincere sponsione* recte dicetur, si reus, *vincere sponsionem*; sponsio enim perpetuo solius actoris est. Quem quidem loquendi usum veteres scriptores diligentissime tenuere, sed librariorum ac deinde magis etiam interpretum huius rei ignoratione factum est, ut utrumque susque deque haberetur et pro libitu modo *sponsione*, modo *sponsionem vincere* diceretur. Igitur in Orat. pro Caecin. 31. retinendum est *vincere sponsionem*. E contrario ad Herenn. IV, 23. *ipse grandi sponsione victus est*, spectat ad reum, itemque pro Quint. 27. Quintius enim sponsionem fecerat eratque actor. De sponsionis hac victoria ad vota translata lege, quae scribit Servius ad Virg. Bucol. IX, 5. Apparet igitur, nullo modo dici posse (quod Beierus ad h. l. putavit) *sponsionem vincere* tantumdem valere, quantum nostrum *die Welte gewinnen.* Aliae quoque formulae, ut *vincere iudicium*, vel *caussam*, et *iudicio* vel *caussa*, similiter explicandae sunt. Nam qui agit, vincit iudicio, interdicto, caussa; is, quicum agitur, iudicium, interdictum, caussam. Cf. Cic. pro Rosc. Com. 18., L. 35. D. de action. empt., Gai. 4, 151. (ubi recordandum, in quibusdam interdictis utrumque esse actorem). Sed cum iudicium et caussa etiam ad utrumque litigatorem referatur, non mirarer, sicubi forsitan reus quoque *iudicio vincere* diceretur. Hactenus Huschkius. Apparet igitur, h. l. unice veteres libros esse audiendos. Conf. Epist. XVII, 244.

78. *Hanc esse. Haec est ut scires* legendum videbatur Schrodero Miscell. Obss. Vol. VII. T. II. Sed sana est vulgata, cuius sensum bene exposuit Micyllus. *Lenn.* „Una me praeter ceteras movebat; ex quo facile posses scire, eam esse, quae amori praeesset, h. e. Venerem: neque enim alioquin movisset.“ *Micyll.* Amat autem dictionem hanc Ovidius. Metam. I, 162.

— — — — scires e sanguine natos.

Fast. II, 419.

Tantaque vincendi cura est: ingentibus ardent
 Iudicium donis sollicitare meum.
Regna Iovis coniux; virtutem filia iactat;
 Ipse potens dubito, fortis an esse velim.
Dulce Venus risit, „Nec te, Pari, munera tangant,
 „Utraque suspensi plena timoris" ait:
„Nos dabimus quod ames; et pulcrae filia Ledae
 „Ibit in amplexus, pulcrior ipsa, tuos."

Marte satos scires.

Metam. VI, 23.

Seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.

Conf. infra v. 278. huius Epist. *Unde movetur.* De constructione vid. ad Epist. XV, 4., X, 86. et infra ad v. 278.

79. *Ardent.* H. e., vehementer cupiunt et student *sollicitare,* q. e. labefactare, corrumpere. MICYLL. Vide callidum poetam!

81. *Virtutem,* sc. bellicam et fortitudinem. Est enim filia Iovis Minerva (Iliad. I, 202., Hesiod. Theog. 924.) habita dea belli; unde etiam armata fingitur cum hasta et clypeo. MICYLL.

Vid. Epist. V, 35. et conf. Coluth. 145. seqq. Quam apposite illud *iactat!* Verum hoc loco omnia praeclara.

83. *Dulce — risit.* Eleganter dulcis risus atque timiditas Veneris audaci illi Iunonis ac Minervae iactationi opponitur. *Dulce ridere* ut *dulce queri* Epist. XV, 152., *indomitum furere* Virgilii, et similia quam plurima. Vid. ad Epist. XVIII, 82. Homer. ἡδὺ γελᾷν. *Nec te.* Schrodero lib. supra laudato legendum videbatur: *Ne te.* Sed recte van Lennep *Nec* h. l. ait vim habere copulativam et positum esse, ut saepe, pro *et ne, et non*; quanquam exemplum ab eo ex Epist. XII. (v. 33.) allatum:

Et vidi et perii, nec notis ignibus arsi —

huc non pertinet, quum hoc loco *et* pertineat ad *ait,* et *ne* sive *non* ad *te munera tangant,* quod secus est in illo loco. Huc faciunt loci, quales Metam. V, 414.:

Agnovitque deum: „Nec longius ibitis" inquit —

et IX, 131.:

Excipit hunc Nessus: „Neque enim moriemur inulti"
Secum ait.

Conf. Met. VIII, 481., 203. et 559., Epist. XIV, 57. et XVI, 298. Vid. Cort. ad Sallust. Iug. Excurs. *Tangant.* Vid. Epist. II, 89. ibique not. In Fragm. Paul. *Nec* deest.

84. *Suspensi—timoris. Suspensus timor* non valet, ut interpretatur Forcellin. in Lex., *timor suspensum faciens*, ut sit activum, sed translatum est, ut saepissime, appositum a persona ad rem, quae personae est. Vid. Epist. XXI, 9.

85. *Nos.* Fragm. Paul.: *Dos,* sed *D* erasum.

86. *Pulcrior ipsa.* Male libri: *pulcrior illa,* et perperam Douza

Dixit; et, ex aequo donis formaque probata,
Victorem coelo retulit illa pedem.
Interea, credo, versis ad prospera fatis,
Regius agnoscor per rata signa puer.
Laeta domus nato per tempora longa recepto,
Addit et ad festos hunc quoque Troia diem.
Utque ego te cupio, sic me cupiere puellae:
Multarum votum sola tenere potes.

illud probabat ex Propert. II, 6, 12. — Amor. III, 2, 32.

Cum sequitur fortes fortior ipsa feras.

Cato in Dir.

Formosaeque cadent umbrae, formosior illis
Ipsa cades.

Burm.

Notum Horatianum illud:

O matre pulcra filia pulcrior.

Vid. ad Epist. Sab. II, 10. Margo Bersm.: *ipsa.*

87. *Donis formaque probata.* „Et postquam ego dona Veneris (sc. Helenam) eiusque formam, pulcritudinem parili modo, aequaliter, (Met. IV, 62.) probaram, illis praetuleram, illa victrix abiit, in coelum, coelo rediit.“ Concinniorem iudicabat scripturam Heinsius, si poneretur *probatis,* ut infra v. 203. et Fast. III, 1.:

Bellice, depositis clypeo paulisper et hasta,
Mars ades.

Sed non minus Ovidiana vulgata est; vid. supra v. 52. ibique not., Fast. V, 534. Scite vero poeta *dona* prius commemorat. De dativo illo v. 88. vid. Epist. XI, 35. et XIV, 5., et *victorem pedem* poeta dixit ut Epist. XV, 186. *profugum pedem.*

89. *Credo. Interea, sero versis ad prospera fatis,* haud inelegans coniectura est Medenbachii Wakkeri l. l. p. 117. Sed etiam *credo,* orationi sic insertum, elegantiam habet. Metam. IX, 610.

— — — — non legit idonea, credo,
Tempora.

Ex Pont. I, 7, 56.

Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.

Lenn.

Ego elegantiam huius interpositionis hoc loco nullam video.

Versis ad p. f. Diis iam meliora de me statuentibus. *Micyll.*

90. *Per rata signa,* sc. *allatis crepundiis,* ut auctor est Serv. ad Virg. A. V, 370. Conf. Hyg. l. l. Hic Douza et Heinsius volebant inserere vv. 51. 52.

91. *Per tempora longa.* Lege *post.* *Heins.* *Per tempora* recte. Vid. ad Append. Fab. Phaedr. 17. *Burm.* Eodem modo Graeci *διὰ χρόνου.* Fr. Paul.: *recepta est.* Margo Bersm.: *nato est.*

92. *Addit et ad festos.* H. e., eum diem, quo agnitus sum, festum celebrat, novum d. festum instituit et reliquis addidit. Suae aetatis mores respicit poeta. *Addidit ad* margo Bersm.; *festas* Palat.

93. *Utque ego te etc.* Etiam

Nec tantum regum natae petiere ducumque,
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Coniugii spes est, Tyndari, facta tui.

hic versus ita cohaeret praecedentibus, ut appareat, haec Ovidiana non esse. *Micyll.* Ego lacunam nullam video. Capita tantum rei tangere poeta voluit. *Petiere* Fr. Paul.

94. *Multarum.* Conf. Epist. XV, 20.

96. *Sed Nymphis etiam.* Nam ab Oenone amatus est, dum inter pastores adhuc degeret. Vid. Epist. V. Facit autem procorum more, qui dum ambiunt puellas, omnia sua praedicant et extollunt. Ita hic quoque pluraliter *natas ducum et regum et Nymphas* nominat, a quibus expetitus fuerit, cum alias de sola Oenone e Nymphis, et de Arisba, Meropis filia, Lesbia, de qua Stephanus meminit, legatur. *Micyll.* Post hunc versum cod. Aldi, Pal. (et Fr. Paul.) hosce duo subiungunt: *Quas super Oenonen facies mutarer* (Fr. Paul.: *imitarer*) *in orbem, Nec Priamo est ad te* (Paul.: *a te*) *dignior ulla nurus* — quorum posterior, si cum Heinsio (et Basil.) corrigas *a te,* nostro fortasse non indignus videatur, prior adeo est mendosus, ut nullam ex se coniecturam duci patiatur. Nam in iis quoque versibus, quos a se compositos pro Ovidianis nobis venditant librarii, quamvis inficetis et ineptis, semper tamen aliquis inesse sensus reperitur, qui in hoc sane nullus est. Quod si veram eius scripturam aut Burmannus restituisse censendus sit, hoc modo corrigens: *Quas super Oenone facie memorata per orbem,* vel *supereminet omnes,* aut nostra haec iam exhibere putetur coniectura: *Quas super Oenone: facie* (vel *facies*) *nec talis in orbe, Nec Priamo etc.,* ego versum eum pro foetu potius habeam librarii, quam Ovidii. Sed fieri potest, ut in mendo isto etiam alia, sicut elegantior, ita poeta dignior lectio delitescat. Interim mihi quidem ipsa haec diserta Oenones mentio post memoratas v. 96. *Nymphas,* sequente etiam v. 97. *cunctarum* mentione, suspectum de librarii interpolatione locum facit; ut sane etiam in aliis huius Epistolae locis nonnihil grassata est interpolatorum licentia. Vid. ad vss. 166. 167. *Lenn.* Mihi suppositum hoc distichon videtur, tum propter pravitatem sensus, quia non etiam *regum natae alicuius,* quae ipsum petierit, mentionem fecit, nec satis apte de ipsa Oenone dictum est. Quod autem Heusinger obiecit, huic v. respondere in Epist. Helenae versum 195. et sqq., parum manifestum est; immo obstare videtur totus ille v. 195. et illud *Diceris.* Verba autem: *Nec tamen ipse negas,* apte referri possunt ad v. 95. et 96. huius loci. Aptius quoque, loco ita constituto, sequitur illud *cunctarum* versu 97. Iahn dedit,

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam,
  Lumina cum placido victa sopore iacent.
Quid facies praesens, quae nondum visa placebas?
  Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat;
Nec potui debere mihi spem longius istam,
  Caerulea peterem quin mea vota via.
Troia caeduntur Phrygia pineta securi,
  Quaeque erat aequoreis utilis arbor aquis;

sed tamen uncis inclusit:

> Quas super Oenones facies mirarer in urbe?
> Nec Priamo est a te dignior ulla nurus.

Fr. Heusinger correxit:

> Quas super Oenonae faciens mutabar in urbem —

coll. Ovid. Pont. I, 1, 79. Conr. Heusinger dedit:

> Quam super Oenonen faciens mutarer in urbem?

Vett. edd. hoc distichon non agnoscunt.

97. *Fastidia.* „Cunctas fastidire coepi.“ Vid. Epist. XV, 17. 18. Fragm. Paul.: *Sed mihi.*

98. *Tyndari.* Tyndari filia. Vid. ad Epist. VIII, 72. et 31.

99. *Te vigilans etc.* Locum hunc satis eleganter imitatus est auctor Epigrammatis veteris ad Deliam, Anth. Lat. T. I. p. 943., uti etiam auctor Epitaphii Iuliae, ibid. T. II. p. 110., ubi vid. Burm. Sec. in notis et Addend. p. 686.

100. *Placido victa sopore.* Haec verba adumbrata videntur ex Hom. Iliad. X, 2.

> — — — — — — — μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ.

101. *Quid facies.* Scribe *Quid faceres;* iam enim viderat Helenam; vel *facias,* ut saepe noster. Metam. II, 187. 356. *Heins.* Idem dici potest de his coniecturis. Sanum mihi videtur *facies: Was mußt du nicht gegegenwärtig thun, die du etc.*

102. *Ardebam, quamvis hinc p. i. erat.* Quamvis ignis, h. e. tu Helena, quae me tanquam ignis incendis atque uris, procul *hinc* a Phrygia abesset, tamen ardebam, amore tui flagrabam. *Micyll.* Puto, *hinc procul* est *procul a me,* et *eras,* ut per *ignem* Helenam, amores suos, intelligat, ut Amor. II, 16, 11., Virg. Ecl. III, 66. *Heins.* De *igne* nihil dubitandum, neque tamen mutare licet l. *erat. Hinc* cum Micyllo intelligendum *a Phrygia,* ut Caesar B. G. VI. c. 40. *Calones in proximum tumulum procurrunt; hinc celeriter deiecti se in signa manipulosque coniiciunt.* Libri: *hic,* errore frequentissimo, ex ratione vetustae scripturae orto.

105. *Troia — pineta.* In hoc scelus erat, quia illa sacra erant deum matri Cybelae. Stat. Th. V, 60.

> Ille Phrygas lucos, matris penetralia caedit
> Turrigerae, vetitasque solo procumbere pinus
> Praecipitat, terrasque freto delatus Achaeas,
> Hospitis Atridae spoliat thalamos.

Burm.

Ardua proceris spoliantur Gargara silvis,
  Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves,
  Texitur et costis panda carina suis.
Addimus antennas et vela sequentia malos;
  Accipit et pictos puppis adunca deos:
Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo,
  Sponsor coniugii stat dea picta sui.
Imposita est factae postquam manus ultima classi;
  Protinus Aegaeis ire iubebar aquis.

Sed poetam de ea re hoc loco non cogitasse, sed tantum doctrinae et copiae caussa illa *pineta* commemorasse in aperto est. Fr. Paul.: *Troiaque.*

106. *Quaeque,* pro *quaecunque alia.* Vid. ad Epist. XII, 80. De illo *utilis* vid. Epist. V, 147. 148.

107. *Ardua — Gargara,* hoc loco de parte sive colle Idae montis accipienda, quae proprie hoc nomine appellatur, in cuius radicibus et oppidum eiusdem nominis fuit, cuius ager frugibus fertilis fuit; de quo idem poeta Art. A. I, 57.:

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

(Conf. Virg. Georg. I, 103. ibique I. H. Voss. *L.*) Dicta autem Gargara a Gargaro, Iovis et Larissae filio, ut testis est Suidas. *Micyll. Spoliantur,* unde *nudi montes* saepe dicuntur. Stat. Achill. II, 115.

— — — montes spoliavimus altos.

E Phalacris vero caesas arbores dicit Tzetz. ad Lycophr. Alexandr. v. 24. Vid. supra ad v. 22. *Burm.*

108. *Longa dat Ida.* Vid. ad Epist. IV, 42. et V, 20.

109. *Fundatura.* „Fundamentum datura navibus, sive solum malis appellare.“ *Micyll.*

110. *Texitur. Texere* de navibus apud Nasonem passim legitur. Vid. Metam. XI, 524. ibique Gierig., et Indices. Vid. etiam Cerda ad Virg. Aen. II, 16. Conf. Epist. XXI, 70.

112. *Pictos — deos.* Intellige imagines deorum, quorum tutelae navis erat concredita, in puppe pictas. Vid. Heins. ad Sil. It. XIV, 543. et quos ad eundem Silii locum laudat Drakenb. Conf. Epist. XV, 211. et Trist. I, 10, 1.

114. *Sponsor coniugii — sui. Suum coniugium,* quod ipsa promiserat. *Heins. Sponsor* genere feminino, ut *auctor,* al. Vid. ad Epist. XV, 3. Coniugii *sponsor* genere masculino est Epist. II, 34. De Venere autem et Cupidine, diis tutelaribus navis Paridis, vid. Meurs. ad Lycophr. 110. Conf. Epist. XV, 214—217. Verba v. 113.: *comitata Cupidine parvo* redeunt Fast. II, 463.

115. *Classi.* Eodem modo naves illas Paridis nomine *classis* appellavit noster Epist. I, 5. et XIII, 59., qui loci hoc loco illustrantur.

Et pater et genitrix inhibent mea vota rogando,
  Propositumque viae voce morantur iter.
Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
  Cum vellent nostrae iam dare vela rates,
„Quo ruis?“ exclamat; „referes incendia tecum:
  Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas.“
Vera fuit vates; dictos invenimus ignes,
  Et ferus in molli pectore flagrat amor.
Portubus egredior, ventisque ferentibus usus
  Applicor in terras, Oebali nympha, tuas.
Excipit hospitio vir me tuus: hoc quoque factum
  Non sine consilio numinibusque deum.

116. *Iubebar.* (Fragm. Paul.: *iubebat* cum glossa *Venus.*) Scribe *lubebat* vel *iuvabat.* HEINS. Vulgo *iubebar*, sc. a Venere (vid. v. 16. et seqq.), cui non pervideo cur Iahn praetulerit *iubebat*, quod etiam durius videtur structura.

118. *Viae—iter.* Pleonasmus; nam satis fuerat dicere *propositum iter.* MICYLL. Repone meo periculo *pia voce.* HEINS. Poetae copiosi esse volunt, neque insolentius mihi *viae iter* videtur, quam *certamina pugnae* apud Nas., *ἆεθλα ἀγώνων* apud Sophocl., *rivus, amnis, fluvius aquae* apud Ovid., al. et similia apud poetas quam plurima.

119. *Cassandra.* Cassandra filia fuit Priami et Hecubae, quam cum Apollo in stuprum illiceret, vaticinandi ei facultatem se daturum pollicitus est. Illa autem ubi edocta erat, sui corporis copiam Apollini non fecit. Quare deus fecit, ut, cum vera vaticinaretur, fidem non haberet. Vid. Apollod. III., Hyg. F. 93. et quos laudat Heyn. ad Virg. Aen. II, 246. Conf. Epist. V, 113.

120. *Vellent.* Vid. ad Epist. XIV, 42.

121. *Referes.* Fragm. Paul.: *refers.* Conf. Epist. V, 115.

123. *Dictos,* h. e. praedictos a vate. Vid. ad Epist. V, 33. et I, 116., XV, 61.

124. *Molli.* Conf. Epist. XV, 79.

125. *Ferentibus,* de loco ferentibus, proferentibus, secundis. Frequentia sunt omnino apud Nasonem verba simplicia pro compositis, sed hoc omnium frequentissimum. Vid. ad v. 123. *Portubus,* sc. Sigeis. Vid. v. 21. et Epist. I, 33.

126. *Applicor in terras* fere dictum, ut *adducere in bellum* dixit Cicero ad Att. VIII, 11. et *accedere in Epirum* idem ibid. III, 7., et eadem dictione usus est Livius XXXV. c. 12.; vulgaris usus est *applicor ad;* cum dativo tamen coniunctum verbum hoc vidimus Epistola VII, 117. De *nympha* vid. ad Epist. I, 27. *Oebalidem* vero eam appellat ab Oebalo, Tyndari patre. Apollod. III., Pausan. Lacon., Fast. V, 705.

Ille quidem ostendit, quicquid Lacedaemone tota
Ostendi dignum conspicuumque fuit;
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Ut vidi, obstupui, praecordiaque intima sensi
Attonitus curis incaluisse novis;
His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
Venit in arbitrium cum Cytherea meum.
Si tu venisses pariter certamen in illud;
In dubium Veneris palma futura fuit.

130. *Conspicuumque.* Conf. Epist. XXI, 95. sqq. Fragm. Paul.: *perspicuumque.*

131. *Laudatam* possit aliquomodo explicari: a Venere mihi laudatam, commendatam; sed est in genere: pulcram, celebratam, *die Gefeierte.* Conf. Metam. V, 59., XII, 398., Amor. II, 1, 33. Versu seq. Fr. Paul.: *raperentur.*

133. *Ut vidi, obst.* Vid. ad Epist. XII, 33. et XIII, 89.

134. *Incaluisse.* Vulgatum *intonuisse* huic loco alienum est. Fortasse *indoluisse* vel *intepuisse.* Nam Micylli illud *intumuisse* parum placet. *Heins.* Neque in Micylli notis, neque in textu illud *intumuisse* reperi; quod tamen impense placet prae reliquis; in affectibus enim vehementioribus *tumere pectus, praecordia,* cet. passim poetae fingunt. Vid. Heins. ad Val. Flacc. II, 108. et Claud. de Bell. Get. 330., Ov. Metam. II, 508., Pont. IV, 14, 34. et supra ad Epist. VII, 121. *Burm.* Nec solum *ira* dicitur aliquis *tumere,* nam exempla illa fere ad *iram* pertinent, sed etiam *amore, dolore, cura.* Horat. Epist. I, 1, 36. *Laudis amore tumes.* Cic. Tuscul. Disp. III. c. 31. *Nos omnia in consolationem unam coniecimus; erat enim in tumore animus.* Conf. ibid. c. 12. et IV. c. 29. Sed recte Iahn ex Fragm. Paul. dedit *incaluisse,* quod etiam illi *intima* magis convenit; quanquam l. *intumuisse* confirmare etiam videtur similitudo scripturae vocis *intonuisse. Novis,* insolitis, ingentibus.

138. *In dubium.* Micyllus malebat *In dubio,* quod ex eo exhibet margo Bersm. Ego ἀρχαισμὸν hunc non temere loco moveam, minime ignarus, elegantiae studiosos auctores *in* cum accus. frequenter coniunxisse loco ablativi. Exempla passim sunt obvia. *Heins.* Defendit quoque et illustrat hanc locutionem Passeratius ad Propert. III, 9. fin., et recte; *futura* enim pro *ventura* debet capi, ut in illo loco Sueton. Aug. c. 16. *in conspectum fuisse* (ubi vid. Casaubon. et F. A. Wolf.), et Curt. VI. c. 5. *ut primum res in conspectum fuit,* et III. c. 5. *Darium intra quintum diem in Ciliciam fore,* Cic. ad Att. XV. 4. *quo die in Tusculanum eram futurus. Burm.* De

Magna quidem de te rumor praeconia fecit,
Nullaque de facie nescia terra tua est;
Nec tibi par usquam Phrygia, nec solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet;
Crede sed hoc nobis, minor est tua gloria vero,
Famaque de forma paene maligna tua est.
Plus hic invenio, quam quod promiserat illa,
Et tua materia gloria victa sua est.

constructione: *Si tu venisses' — fuit*, vid. ad Epist. X, 112.

141. *Phrygia.* Lego *Phrygia*, h. e. *in Phrygia.* (Edd. Bas., Vinc. et Col.: *Phrygiam.*) *Usquam Phrygiae*, ut vulgata habet, Naugerii coniectura est. Sed vix persuadet, *usquam Phrygiae*, ut *usquam locorum*, Latine posse dici. HEINS. *Usquam Phrygia* recte legi puto; debet enim praepositio *a* repeti a sequentibus, ut Epist. VI, 107., Art. A. I, 723., Met. XII, 124. BURM.
Sed quidni potius cum Heinsio dictum putemus pro *in Phrygia*, ut saepe ablativus loci sine praepositione reperitur? Nec satis convenienter Paris de sua terra dicebat *a Phrygia.*

143. *Crede sed hoc nobis.* Magis arridet, quod ex vett. codicibus (?) adfertur: *Crede sed hoc nobis.* DAN. HEINS. Nunc denuo veterum librorum opem advocemus, qui ab hoc versu denuo nobis adsunt. *Credis et haec* tres scripti. Barberin.: *Credis ad haec.* Lego: *Credo sed hoc.* N. HEINS. Idem probavit Van Bergen Obss. Critt. p. 14. et Van Lennep in textum recepit; et certe multo convenientius est illi *quidem* v. 139. In vulgata, quam etiam plurimi codices exhibent: *Credis et hoc nobis?* primum non satis apparet, quid sit illud *et*, et ipsa interrogatio meo quidem sensu parum elegans est. Nec multum nostra scriptura *Crede sed hoc nobis* a vulgata diversa est. Conf. infr. v. 342. Certe punctum illud, quo vulgo post v. 142. distinguitur, ferri non potest. Depravatio autem orta videtur ex lacuna illa, quam ante hunc versum plerique codices habent. Iahn dedit: *Credis et hoc nobis?* Erfurt.: *Credas hoc nobis.*

145. *Promiserat.* Quod nunc vulgo post Heinsium, quem iam saepe iusto coniunctivi amantiorem fuisse diximus, legitur: *promiserit*, nonnisi tres Heins. et unus et alter e meis (vid. var. l.) exhibent. Reliqui libri omnes: *promiserat*, quod, quum iustam caussam mutandi non videam, praeeuntibus Heusingero, Amaro et Iahno, probante etiam Werfero, recepi. Cod. Leid.: *inveniat.* Vid. supra v. 85.

146. *Materia.* Sensus est: Et gloria, pulcritudinis laus, fama, minor est ipsa pulcritudine, materia, caussa. Late patet apud Nasonem vis vocis *materia.* Vid. ad Epist. IV, 86.

Ergo arsit merito, qui noverat omnia, Theseus,
  Et visa es tanto digna rapina viro,
More tuae gentis nitida dum nuda palaestra
  Ludis, et es nudis femina mixta viris.
Quod rapuit, laudo; miror, quod reddidit unquam:
  Tam bona constanter praeda tenenda fuit.
Ante recessisset caput hoc cervice cruenta,
  Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus unquam nostrae dimittere vellent?
  Tene meo paterer vivus abire sinu?
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem;
  Nec Venus ex toto nostra fuisset iners:

Conf. Trist. IV, 1, 34. Veteres autem earundem syllabarum ac literarum concursum non ubique sedulo vitasse, iam supra monuimus. Conf. v. 144.

147. *Qui noverat omnia.* Sc. quia praesens eam viderat. Vid. ad Epist. V, 128.

148. *Et visa es.* Sic legendum ex scriptis nonnullis et edd. Naug., Bas., al., pro vulgata: *visa est. Heins.*

149. *More tuae gentis nitida etc.* Luctantes, ut mollirentur artus, in palaestra oleo ungebantur, unde nitebant. Hinc *nitida palaestra.* Conf. Fast. V, 667., Met. VI, 241. Epist. XIX, 11. est *uncta palaestra. Unguento nitere* Cic. Catilin. II. c. 3.; Horat. Od. II, 7, 7. *nitentes capillos.* Et ita Graeci *λιπαρὸν.* Vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. Apoll. 39. *More tuae gentis;* nam Lacedaemone etiam virginibus studio fuit palaestra, in qua medios inter viros nudos nudae et ipsae corpora exercebant. Vid. Plat. Rep. V. p. 452. H. St., Thucyd. I. c. 6., Cic. Disput. Tusc. II. c. 15., Propert. III, 12., Plutarch. Vit. Lycurg. p. 48. et Num. p. 77., Perizon. ad Ael. V. H. III, 38., Eurip. Androm. v. 598., Xenoph. de Rep. Lacedaem. p. 675.

151. *Reddidit.* Vid. Epist. V, 129. et VIII, 71. 72.

153. *Recessisset.* Propert. II, 6, 7.

> Nam citius paterer caput hoc discedere collo.

Cod. Dun. pro, v. l.: *recisa.* Linc.: *caput a cervice recisum.*

154. *Thalamis — meis.* Profecto non segniter alludit Paris; sed in statim sequentibus maiora eloquitur.

155. *Vellent. Ferrent* scribam libenter, si per codd. detur. Metam. XIII, 460. ex optimis codd.:

> Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem —

pro quo vulgo *vellem* legebatur. *Heins.* Vid. ad Epist. V, 12. et Burm. ad Metam. XI, 447. Verum *vellent* probum est, ac notus est frequens ac singularis huius verbi apud Nasonem usus.

157. *Ante.* Oxon.: *inde.* Conf.

Vel mihi virginitas esset libata, vel illud,
Quod poterat salva virginitate rapi.
Da modo te; quae sit Paridis constantia, nosces:
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Iovis;
Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
Contemta est virtus Pallade dante mihi.

Epist. V, 129.

159. *Vel mihi* Put. et alii multi (etiam multi e meis *L.*); alii cum vulg.: *Vel tua.* HEINS. De sententia conf. Epist. II, 115. et IV, 27.

160. *Rapi.* Hafn.: *Dari. Rapi* rectum est, quod est festinantis et, dum licet, cupide fruentis. Conf. Cic. de Orat. III. c. 40. Vid. etiam Epist. XV, 44. Douz. Cod.:

Quo potui salva virginitate frui.

161. *Quae sit Paridis const.* Sic restituimus cum omnibus fere scriptis. Quae l. est in veteribus quibusdam edd.: *Da modo te Paridi,* ex glossa: *Da modo te* sc. *Paridi,* ortum habere videtur, unde Heinsius primus scripsit: *Da modo te, Paridi q. s. c. n.* Infra est: *Da modo te facilem,* et sic saepe *dare se alicui* dicuntur, qui faciunt, quod alter cupit, qui ei omni obsequi genere laborant. Vid. Ruhnk. ad Terent. Eun. III, 3, 10., Manut. ad Cic. ad Div. II, 8., Gronov. Diatr. Stat. c. 20. Edd. Venn. et seqq. praeter Naug.: *Paridis quae sit;* Barber.: *quae sit Paridi.*

163. *Praeposui regnis.* Ex hoc quoque et sequentibus versibus colligunt, illos supra notatos ascititios aliunde esse. Nam quorsum attinebat, inquiunt, hic denuo eorum munerum, quae a Iunone et Pallade proposita fuerant, meminisse, cum supra v. 81. et 85. eadem res tot versibus fuerit tractata? MICYLL. Parum profecto id intelligenter. Supra rem totam narrat; hoc autem loco ea movere studet, unde etiam fit, ut eam hoc loco oratione ornet, sc. verbis illis *maxima, nuptaque sororque Iovis.*

164. Put.: *Pollicitae nobis.* Mox pro *Dumque* Douza: *Utque.*

166. Post hunc v. in cod. Douzae sequitur:

Primaque cum regnum, belli daret altera laudem,
Tertia, coniugii laude frueris, ait.

Contra in codd. plurimis Heinsii, Guelf. 2., 4., Monac., Vict., Helmst., Dresd., Erf., Giess. et edd. Ald., Naug. et sqq. legitur:

Cum (*ed. Col.: Dum*) Venus et Iuno Pallasque in vallibus Idae
Corpora iudicio supposuere meo —

cui disticho cod. Vict. addit:

Prima cum regnum Iuno daret, altera sortem,
Tindaridos coniunx, tertia dixit, eris.

Alia h. l. exhibet cod. Goth. 2. (vid. var. l.). Desunt hae interpolationes in cod. Guelf.

Nec piget, aut unquam stulte legisse videbor;
Permanet in voto mens mea firma suo:
Spem modo ne nostram fieri patiare caducam,
Deprecor, o tanto digna labore peti.

1., 3., Goth. 1., Trev., Put. et nonnullis melioribus Heinsii et edd. Venn.; in aliis Heinsii a rec. m. in margine adscriptae sunt. „Heinsius recte eas reiecit. *Jahn.*"

167. *Videbor.* Moreti et duo alii: *fatebor,* quod praefert Burmannus, ut quod cum sequentibus melius cohaereat. *Videbor* est *mihi videbor.* — *Legisse* Put. et V alii (pro *elegisse*), quod versum utique molliorem facit. *Legere* pro *eligere.* *Heins.*

Put. et edd. Venn., Mic. et Bersm.: *haud unquam.*

168. *Mens mea firma.* Lov.:

Et manet in voto mens mea *certa* suo —

ut Epist. XVIII, 38.

169. *Spem—caducam,* ut Epist. XV, 208. *verba caduca.*

170. *Deprecor. Te precor* ex uno Vatic. dedit Heinsius. In ceteris libris est *Deprecor,* quod ipsum, nisi illud *Te* magis efflagitare sequentia viderentur, equidem verbo simplici praeferrem. Est enim frequens apud nostrum *deprecor, ne.* Vid. Epist. III, 77., IX, 159., ex Pont. III, 4, 65. Nec mirum profecto! Quamvis enim Forcell. aliique verbum hoc propria et primaria significatione idem valere censeant ac *valde precor,* ita ut praepositio *de* tantummodo significationem precandi augeat, ex ipsis quidem accuratius inspectis collatisque inter se veterum auctorum locis potius hoc efficitur, cum verbo *deprecor* necessario coniunctam esse nisi mentionem, certe cogitationem mali alicuius, quod precando demere, sive amoliri quis cupiat. Significanter Ov. Pont. I, 2, 59.:

Saepe *precor* mortem, mortem quoque *deprecor* idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum —

i. e., saepe mortem precor ut bonum; idem vero etiam mortem *deprecor* ut malum. Nec alia ratione *vitam sine amore* ut ingens malum deprecari se dixit Amor. II, 9, 25. Expressa etiam mali mentio apud Cic. Verr. III, 60., VII, 47., ad Div. X, 31., Nepot. Attic. c. 12., Caesar. B. G. VII, 40., Liv. XXXIX, 35., XL, 15. et in aliis veterum locis bene multis. Cf. Scalig. ad Catull. 40, 3., Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 29. Sed interdum quoque, quod Forcellino aliisque fraudi fuit, mali mentio post v. *deprecor* omittitur; contra sequitur diserta mentio boni alicuius; ut sunt frequentissima *deprecor vitam, pacem, fortunam incolumem.* Tum vero semper (de aetatis aureae scriptoribus loquor: postea enim, ut de suae aetatis hominibus hoc diserte prodit Gellius N. A. VI, 16., haud dubie *deprecor* ea magis significatione usurparunt, quam illius verbi propriam ac primariam esse Forcellinus autu-

Non ego coniugium generosae degener opto,
Nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris:
Pliada, si quaeras, in nostra gente Iovemque
Invenies, medios ut taceamus avos;
Sceptra parens Asiae, qua nulla beatior ora,
Finibus immensis vix obeunda, tenet;

mat) tum vero semper, inquam, subest tamen cogitatio mali seu discriminis, in quod bonum illud, quod quis *deprecari* dicitur, adductum est. Scribit Cic. de Orat. III, 3. *Q. Catulum, dum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, coactum, ut vita se ipse privaret*; idem pro Sylla c. 26.: *Multorum hic vitam est a L. Sylla deprecatus:* ita de aliis similibus valet. Sic quoque *pacem deprecari* proprie eorum esse, qui instans bellum vehementer metuant, declarat eiusdem Cic. locus Epp. ad Div. XII, 24. Denique ut hoc etiam exemplo rem illustrem, *deprecari divitias* non satis recte dicitur homo egenus, quamvis valde eas et multum diuque sibi obtingere precetur; sed recte dicitur homo locuples, qui bona sua in discrimen adducta videat. Et hinc etiam apparet, unde post verbum *deprecor,* sicuti post alia timendi verba, facile locum inveniat particula *ne.* Conf. Cic. ad Div. VIII, 1., Val. Flacc. VIII, 51., Tacit. Annal. III, 22. Lenn.

171. *Degener.* Ipse ignobilis cum sim, *generosae,* sc. tui. Conf. Ep. VI, 113. sqq.

172. *Turpiter.* Cum dedecore tuo.

173. *Pliada, si quaeras.* Electram dicit, unam ex Pliadibus, a qua Dardanum Iupiter suscepit, a quo per Erichthonium, Troem, Ilum, Laomedontem, qui pater fuit Priami, (qui sunt *medii ab Iove avi* versus sequentis) ducebat Paris genus suum. Vid. ad Epist. XVII, 60. Pro *si quaeras* Heinsius ex uno Put. primus scripsit *si quaeres.* Sed quum particula, in altera parte sententiae conditionalis sequente futuro, etiam et saepissime cum coni. componatur, nihil caussae video, cur vulgatam invitis codd. mutandam putem. Vid. Epist. VIII, 43., Metam. III, 141., XV, 293.

Si quaeras Helicen et Burin, Achaidas urbes,
Invenies sub aquis.

Conf. Epist. VI, 123. De quantitate vocis *Pliada* vid. Forcell. in Lex. et supra ad Epist. VII, 97. et Markland. ad Stat. Silv. IV, 3, 59.; sed malim tamen retinere vulgatam: *Pleiada.* Victor.: *quaeres;* multi: *quaeris.* Vid. var. l.

175. *Ora.* Plurimi codd.: *hora* vel *ora est;* posterius est etiam in edd. Naug. et al. Ceterum ut h. l. *ora beatior,* sic Epist. XII, 24. est *terra beata* et Epist. XVII, 221. *cultu beato.*

176. *Sceptra — vix obeunda* paullo audacior constructio est. *Asiae,* et haec omnia dicta sunt cum ostentatione.

178. *Decere. Dicare* erat in

Innumeras urbes atque aurea tecta videbis,
Quaeque suos dicas templa decere deos;
Ilion adspicies firmataque turribus altis
Moenia, Phoebeae structa canore lyrae.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres;
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quoties dices: „Quam pauper Achaia nostra est!"
Una domus quaevis urbis habebit opes.

Put. a m. s. Fast. I, 223.

Nos quoque templa iuvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea, maiestas convenit illa deo.

Vid. not. ad Epist. V, 86. *Burm.*

180. *Phoebeae s. c. lyrae.* Apollinem promissa et constituta a Laomedonte mercede cum Neptuno muros Troiae condidisse diximus in notatione ad Epist. V, 139., cum quo loco confer Epist. I, 67. ibique not., testemque adhibuimus Homerum (Iliad. VII, 453.) cum aliis, qui suas copias ex Homeri fonte hauserunt. Sed hoc loco dicemus, quod ibi non diximus neque alibi usquam dictum legimus, nimirum Homerum, antiquissimum eius fabulae auctorem, in ea sibi re parum constare. Namque Iliad. VII, 453. vere Neptunum inducit dicentem, se olim cum Apolline muros Troiae struxisse. Verum idem Iliad. XXI, 446. et seqq. solum Neptunum Troiam munivisse testatur et Apollinem interea Laomedontis greges pavisse. Quorum locorum momentum non dubito pro deliciis fore iis, quorum opera et studium est, ut haec carmina non ab uno et eodem poeta esse conscripta confirment. Sed horum caussa nunc conclamata videtur. Quod superest, neque illud apud Homerum legitur, *lyrae canore* hoc factum esse, quod poetae recentiores, ut in fabularum tractatione permulta alia, de suo addiderunt. Martial. VIII, 6. *Muros struxit Apollo lyra.* Pro *structa* Oxon. et Reg.: *facta.*

181. Cod. Francof.: *turbis.*

183. *Agmine.* Leid. et Scriv.: *ordine;* sed l. *agmine* praeter auctoritatem librorum etiam accommodatior est sequentibus. Virg. A. II, 450.

Obsedere fores, has servant agmine denso.

Idem V, 833.

Princeps ante alios densum Palinurus agebat
Agmen.

185. *O quoties.* Oxon.: *Ah quoties.* Put. et Francof.: *Ha quoties.* Vid. var. l. *Achaia,* ut passim, pro Graecia.

186. *Quaevis.* Sic vulg. Heinsius ex Gott. (et cum eo consentiunt Dresd., duo Goth. et vett. edd. *L.*): *quasvis,* quod cum Burmanno recepi, nescio an minus recte. Nam et *una-*

Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram:
  In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte; tu cultu divite digna es:
  Ad talem formam non facit iste locus.
Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
  Deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultum nostra de gente virorum,
  Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem, nec dedignare maritum,
  Rure Therapnaeo nata puella, Phrygem.

quaevis vim habet. Opes urbis habet non regia aut principis viri domus, sed *quaevis una*. Cic. Brut. c. 93. *Quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens possit cognoscere*. Sic *quaelibet herba* Epist. IV, 97., i. e. obvia, vilis. Vid. Burm. ad A. A. I, 108. Lenn.

Liv. VI. c. 40. *Unus quiritium quilibet*. Est autem locus hic, ut Burmannus quidem existimat, imitatio Euripid. Orest. 1114.:

Ὥσθ' Ἑλλὰς αὐτῇ σμικρὸν οἰκητήριον.

Fast. VI, 641.

Urbis opus domus una fuit.

187. *Sparten*, forma Graeca, ut Epist. I, 65., XVII, 209., Metam. X, 170. et aliis locis.

189. *Digna es.* Sic multi ex scriptis (etiam mei plerique *L.*); alii cum vulg. *es* omittunt. *Heins.*

190. *Non facit.* Vid. Epist. VI, 128., et sic in reliquis Nasonis carminibus saepissime.

192. *Luxuriare.* Conf. Epist. I, 54.

193. *Cultum — virorum.* Vid. Epist. XIII, 57. 58. et Horat. Od. IV, 9, 13—16.

194. *Qualem Dardanidas. Qualem* meliores (etiam Guelf. 1., 2., 3. et Trev. *L.*) cum primis edd. pro vulg. *Quales.* Quare et superiori versu *cultum* lege cum III scriptis (quod etiam Guelf. 3., Goth. 1. et Trev. exhibent *L.*). Deinde *Dardanidas* multae membranae pro vulg. *Dardanias.* Vid. ad Epist. VIII, 66., IX, 73., XVII, 212. *Dardanides rates* noster R. A. 58. *Heins.*

196. *Therapnaeo.* Hanc invidiam deprecari debebat, ne amori suo obstaret gentis vilitas. Maxime enim Graeci Phrygas despiciebant, ut ex proverbiis pluribus constat, qualia ex Suida collegit Schott. Cent. XIV. n. 45. et 46. et Apostolius Cent. XX, 36. et 37. et alii. Codd. vero quidam *Theramnaeo* habent. Sic et *Therapnaeum Pollucem* Apollon. dicit II, 163. *Burm.* *Therapnaeus* bene habet; *Therapnae* enim oppidum Laconiae, Spartae vicinum, patria Helenes. Mela II. c. 3., Pausan. Lac. 14. Noster Art. A. III, 49. eandem Helenam vocat *Therapnaeam maritam.* Conf. Fast. V, 223. De

Phryx erat et nostro genitus de sanguine, qui nunc
Cum dis potandas nectare miscet aquas;
Phryx erat Aurorae coniux: tamen abstulit illum
Extremum noctis quae dea finit iter;
Phryx erat Anchises, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idaeis concubuisse iugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et annis
Iudice te nobis anteferendus erit.

invidia quadam atque contemtu *Phrygum* apud Graecos ego nolim h. l. cogitari, uti nec Heyn. cogitandum censet in simili loco apud Virg. Aen. IV, 103.; sed *Phrygem* pro peregrino, externo dictum existimo.

198. *Potandas.* Sic lege ex X codd. (plurimi: *potando*). HEINS.
Vid. var. l. Dicit autem Ganymedem, Trois, Troianorum regis, filium, qui ob insignem pulcritudinem a Iove sub aquilae forma raptus est, ut diis esset a cyathis. Hyg. F. 271., Metam. X, 155. et XI, 756., Virg. A. V, 255., Hom. Iliad. V, 266. et XX, 235. Conf. Xenoph. Conviv. sub. fin. et Cic. Tuscul. Disp. I. §. 26.

199. *Phryx.* Vid. not. ad v. 57. *Aurorae coniux.* De Tithono dictum est supra ad Epist. IV, 96.

201. *Erat.* „*Phryx etiam* edd. priores et omnes fere codd. Duo vero, Bersm. (?) et Douzae: *erat.*" Sic Heinsius, qui l. *etiam* primus in contextum recepit. Sed suspicor Heinsium iterum veteres libros non satis diligenter inspexisse, quum ex XI meis IV, sc. Trev., Erf., Guelf. 2. et Helmst. cum edd. Venn. et al. exhibeant *erat,* quod nescio an praeferendum sit, tum quia sic paullo molestior elisio vitatur, tum et maxime propter orationis habitum, qui Nasoni proprius est, rhetoricum.

Volucrum. Vid. Epist. XV, 179. *Concumbere* autem noster h. l. et multis aliis praeeunte Propertio cum dativo usurpat ad rationem permultorum aliorum verborum, quae hoc modo sunt composita. Quod superest, compara hunc locum cum Theocrit. Idyll. XX, 34—38.

202. *In Idaeis — iugis.* De his Veneris et Anchisae amoribus, unde ortus Aeneas est, veteres scriptores passim, in his Hom. Iliad. V, 264., unde etiam illud *in Idaeis iugis* sumtum. Vid. etiam Hom. Hymn. in Ven., et Hyg. F. 94.

203. *Collatis—annis. Et annis* Put. et alii quidam (etiam Dresd., Erf. et edd. Venn. et al. *L.*). De *armis* (nam vulgo *et armis* legitur) inferius agitur v. 355. HEINS. Francof., duo Lov., Douzae et aliquot alii: *collatus. In annis* vero multi codd. Heinsii. Vid. not. ad Epist. I, 105.

205. *Non dabimus.* Atreum innuit, Menelai patrem, qui Solem refugere coëgit, ne coe-

Non dabimus certe socerum tibi, clara fugantem
Lumina, qui trepidos a dape vertat equos;
Nec pater est Priamo soceri de caede cruentus,
Et qui Myrtoas crimine signet aquas;
Nec proavo Stygia nostro captantur in unda
Poma, nec in mediis quaeritur humor aquis.
Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis,
Cogitur huic domui Iupiter esse socer?

nam adspiceret, qua Thyestae filios suos comedendos apposuerat. Serv. ad Virg. A. I, 572., Hyg. F. 248., Sen. Thyest. Conf. Prop. III, 21. *Qui*, sc. Atreus; *equos*, sc. Solis; *vertat*, faciat recedere. Pro *Lumina* Lov., Pal. et Guelf. 4.: *Sidera*. Dun.: *vertit*.

207. *Nec pater est Priamo*, sicut Atreus, Menelai pater, habuit Pelopem patrem, qui socerum suum in certamine currus interfecit, Oenomaum sc., ut Hippodamia, eius filia, potiretur (Hyg. F. 84. et 250., Diod. Sic. IV. c. 11., Stat. Theb. I, 274.), et aurigam Myrtilum, cuius ope Oenomaum vicerat, in mare praecipitavit, quod inde *Myrtoum* dictum est. Ovid. in Ib. 371., Serv. ad Virg. Georg. III, 7., Senec. Thyest. 140., Hyg. l. l. Conf. tamen Plin. H. N. IV, 11. Codd. mei fere omnes (vid. var. l.) et edd. Naug. et Vinc.: *Priamo pater est*.

208. *Crimine*. De verbis vid. ad Epist. XV, 180.

209. *Nec proavo*. Tantalum dicit, patrem Pelopis, qui, sive quia Iovis arcana vulgaverat, sive quia diis apud se coenantibus filium coctum apposuerat, dicitur apud Inferos in aqua mento tenus stare semperque sitire, cumque haustum vult sumere, aqua recedente frustrari; item poma supra caput habere pendentia, quae cum vult decerpere, ramis se tollentibus aufugiant. Hyg. F. 82. 83., Diod. Sic. l. 1, al. Conf. Ov. Amor. II, 2, 43., Metam. IV, 458. Moreti cod.: *Stygias in undas*; Francof.: *captentur*.

211. *Quid tamen*. Vulgo post hunc versum signum interrogandi ponitur; sed Werfer l. l. p. 527. et ante eum Hubertinus recte observarunt ad v. 212., particulam *si* ex hoc versu repetendam, itaque interrogationis notam post v. 212. ponendam esse. Sensus est: „Attamen quid refert (quid dedecoris habere potest) ortum ab illis te habere uxorem, si Iupiter domui Menelai (tam sceleratae genti) socer (nam Helena est filia Iovis) esse *cogitur*?" Unde eleganter oratio digreditur ad sequentem exclamationem *Heu facinus*. Eadem sententiae figura est Amor. I, 1, 7. 8.

Quid si praeripiat flavae Venus arma Minervae,
Ventilet accensas flava Minerva faces?

Heu facinus, totis indignus noctibus ille
Te tenet, amplexu perfruiturque tuo;
At mihi conspiceris posita vix denique mensa;
Multaque, quae laedant, hoc quoque tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
Experior posito qualia saepe mero.
Poenitet hospitii, cum me spectante lacertos
Imponit collo rusticus iste tuo.
Rumpor et invideo, — quid enim non omnia narrem? —
Membra superiecta cum tua veste fovet.
Oscula cum vero coram non dura daretis;
Ante oculos posui pocula sumta meos.

De constructione *esse socer,* vid. ad Epist. XII, 132. Frustra multi codd. Heinsii: *refero,* et alii: *referam.* Vid. annot. ad Epist. VI, 137. et var. l.

215. *Posita mensa.* Vid. Epist. I, 31. et Conf. Epist. XII, 52.

217. *Hostibus eveniant.* Vid. Amor. III, 11, 16. et Art. A. III, 247.

Hostibus eveniat lenta puella meis.

Conf. Virg. Georg. III, 513. ibique Heyn. et l. II. Voss. et Rupert. ad Sil. It. II, 54.

220. *Imponit. Imposuit* scripti quidam et primae edd. Praeterea *rusticus iste* Put. (vid. var. l.). Probe. Nam *iste* contemtum prae se fert. Vid. not. ad Metam. XIII. *Heins.* Mei prope omnes *imponit,* quod confirmatur v. 222. *Rusticus.* Vid. Epist. IV, 132. et XVII, 12. 13.

221. *Rumpor et invideo.* Oudendorpii coniectura *rumpor ab invidia* non erat opus; saepe enim inprimis a poetis *effectus et caussae* iuxta ponuntur vel, ut barbare loquar, sententiae *coordinantur,* quae *subordinari* deberent. *Rumpor* de exaestuante ira eodem modo est Epist. VIII, 57. Conf. Prop. I, 8, 27. et Virg. A. XII, 527.

Quid nunc tamen vulg. Prima editio cum Put. et aliis tribus: *quidnam tamen;* in Put. tamen vetus l. penitus abrasa. Reliqui maxima ex parte: *quid non tamen.* Quatuor: *quid tamen, nunc* omisso. Ment. et unus Voss.: *quid enim non.* Argent.: *quid n. tamen,* h. e., *q. enim t.* Sequor Statii Achill. IV, 60.

— Metuam quid enim tibi cuncta fateri?

Nisi malis *quidni tamen;* nam Iur. excerpta: *quidne.* *Heins.* *Quidni,* quod Heinsii coniecturam esse videmus et Heusinger in textum recepit, mihi minime probatur, obstante particula *tamen;* nec magis, quod Mosero placebat et quod idem valet, *quid non tamen,* et Burmanni lectio *quid enim tamen.* Mihi in media sententia unice rectum videtur *quid enim non,* quae verba sic intelligenda, ut fere sint pro excusatione graviora illa, quae sequuntur,

Lumina demitto, cum te tenet artius ille;
  Crescit et invito lentus in ore cibus.
Saepe dedi gemitus, et te, lasciva, notavi
  In gemitu risum non tenuisse meo.
Saepe mero volui flammam compescere; at illa
  Crevit, et ebrietas ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, versa cervice recumbo;
  Sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam, dubito: dolor est meus ista videre;
  Sed dolor a facie maior abesse tua.
Qua licet et possum, luctor celare furorem;
  Sed tamen apparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus: sentis mea vulnera, sentis;
  Atque utinam soli sint ea nota tibi!
Ah quoties lacrimis venientibus ora reflexi,
  Ne causam fletus quaereret ille mei.

narrandi, animumque legentis ad eorum momentum quasi praeparent. Idem dedit Iahn.

226. *Crescit.* Iuven. Sat. XIII, 212.

— — — — — interque molares
Difficili crescente cibo —

ubi *difficilis cibus* est, quod hoc l. *lentus,* qui difficulter et cum nausea manditur atque glutitur, et prae fastidio crescere videtur. Senec. Epist. 82. *Non in ore crevit cibus, non haesit in faucibus.* Vid. Epist. XVIII, 4. et XI, 28. ibique not.

229. *Mero* Heinsius edidit, quod codd. Trev., Helmst. et a m. s. Giess. et edd. Naug., Vinc. et Col. confirmant. Vulg.: *meam.* Tibull. I, 5, 37.

Saepe ego tentavi curas depellere vino;
At dolor in lacrimas verterat omne merum.

231. *Versa.* Leid.: *flexa,* ut statim v. 239. Conf. Metam. V, 232.

233. *Ista* hoc loco, si usquam, vindicari poetae debet pro *illa,* quod induxit Heinsius. Ex XI meis VI cum vulgata: *ista;* atque inde coniicere licet de Heinsianis. Vid. supra ad v. 220.

234. *Tua. Est* post *tua,* quod vulgata exhibet, Heinsius cum plurimis codd. recte omisit.

235. *Qua licet et possum.* Helmst.: *ut possum.* Pro *luctor* quidam scripti et edd. Mic. et Bersm.: *nitor,* quod glossema est.

237. *Nec tibi verba damus.* Vid. ad Epist. XVII, 170.

239. *Lacrimis venientibus.* Art. A. I, 661.

Si lacrimae, nec enim veniunt in tempore semper,
Deficiunt,

Ah quoties iuvenum narravi potus amores,
  Ad vultus referens singula verba tuos,
Indiciumque mei ficto sub nomine feci:
  Ille ego, si nescis, verus amator eram.
Quin etiam, ut possem verbis petulantius uti,
  Non semel ebrietas est simulata mihi.
Prodita sunt, memini, tunica tua pectora laxa,
  Atque oculis aditum nuda dedere meis;
Pectora vel puris nivibus vel lacte tuamque
  Complexo matrem candidiora Iove:

241. *Ah quoties.* (Plerique: *O quoties aliquem narravi potus amorem.*) *O quoties iuvenum* Put. pro div. l., quomodo et alii nonnulli. Decem scripti: *iuvenum amores*, et recte. *Τὰ παιδεραστικὰ* innuit. *Heins.* De paederasticis igitur apud Helenam narrabat Paris!! *Iuvenum amores* dixit, quibus iuvenes flagrarunt in puellas, ut Amor. III, 6, 101. *fluminum amores.* Vid. Burmann. in Addend. ad Epp. Heroidum T. IV. p. 246., ubi recte sententiam, qua in notis Heinsio adstipulatus fuerat, ipse ut incongruam damnavit. Eadem significatione *iuvenum amores* dixit Tibull. I, 2, 89., ubi vid. in observ. Heynium. Conf. et Stat. Silv. I, 2, 100. *O quoties iuvenis n. p. amores* legere Schroderus malebat, Obss, Miscell. Vol. VII. T. II. p. 291., ex v. 244. certum quendam intelligens, sub cuius persona Paris latuerit, et Heusinger edidit: *iuvenis — amorem.* Sed pluralis *iuvenum amores* ad contextum orationis aptissimus est: „Ah quoties — — — — — nomine feci: verus enim ille amator, ut scias, qui sub illis iuvenum amoribus latebat, quem illis iuvenum amoribus innuebam, ego ipse eram.“ Trist. II, 429.

> Nec contentus (*Catullus*) ea (*Lesbia*) multos vulgavit amores,
> In quibus ipse suum fassus adulterium est.

Conf. Metam. IV, 276. *Ad vultus* v. 242. intellige *ad formam, pulcritudinem tuam.* *Si nescis* v. 244. eodem modo, quo supra v. 78. dictum est *ut scires.* Conf. Epist. XX, 150.

245. *Petulantius.* Sic Put. et reliqui plerique. *Heins.* Pauci Heinsii et ed. Naug. et aliae: *petulantibus* (vid. ad Epist. X, 29.), quod sententiae quidem bonitate praestare videtur; parum enim placet illud *verbis uti* sic simpliciter positum, non addito adiectivo; neque tamen quidquam mutandum.

247. *Prodita,* in conspectum data, ut Metam. IV, 655. *Medusae — prodidit ora.*

249. *Tuamque.* Non opus esse coniectura Francii *tuamve* manifestum est ex iis, quae ea de re disputata sunt supra. Conf. Epist. XII, 149. et ibi not.

250. *Iove.* Voss.: *cygno.* Sic et Horatius primam in *cygno* corripit. Vid. ad Metam. VII. fab.

Dum stupeo visis, — nam pocula forte tenebam —
  Tortilis a digitis excidit ansa meis.
Oscula si natae dederas, ego protinus illa
  Hermiones tenero laetus ab ore tuli.
Et modo cantabam veteres resupinus amores;
  Et modo per nutum signa tegenda dabam.
Et comitum primas, Clymenen Aethramque, tuarum
  Ausus sum blandis nuper adire sonis;

Prognes. Heins. Lucian. in Iudicio Dearum, de Helena: λευκὴ μὲν, οἵαν εἰκὸς ἐκ κύκνου γεγενημένην. Burm. Sed haec omnia lectionem *Iove* labefactare non valent. Conf. Burm. Sec. Anthol. Lat. I. p. 29. De re vid. ad Epist. VIII, 67. et XVII, 55.

252. *A digitis excidit.* Et hic manifesta imitatio est Propertii IV, 4, 21., ubi de Tarpeia:

> Obstupuit regis facie et regalibus armis
> Interque oblitas excidit urna manus —

unde (nam Erf. et duo Heins. exhibent *decidit*) confirmatur lectio huius loci *excidit.* Vid. etiam Rutil. Lup. II. p. 112. ibique Ruhnken. Lenn. Heinsius, de suis codd. nihil notans, *e digitis* edidit. Reliqui ll.: *a digitis.* Jahn. Plaut. Amphitr. III, 3, 12. *a navi evocare;* Tibull. I, 11, 60.

> — e coelo deripit ille deos.

Demetrius Phaler. interprete Rutil. Lupo p. 129. ed. Ruhnk. *Nobis maiores nostri rempublicam reliquerunt: nos etiam socios nostros de servitute eripuimus.* Vid. not. supra ad v. 126. Conf. Metam. VII, 778., Pont. II, 5, 65., et not. ad Epist. XVIII, 10. Hom. Od. XXII, 17.

> Ἐκλίνθη δ' ἑτέρωσε, δέπας δέ οἱ ἔκπεσε χειρός.

254. *Hermiones.* De qua vid. Epist. VIII.

255. *Cantabam.* Parin cithara canendi artis peritum fuisse, testis est Hom. Iliad. III, 54.

256. *Tegenda.* *Legenda* Excerpta Gallicana. Male. Epist. XVII, 82. *tecta signa.* Burm. Ubi vid. not. De nutibus autem et signis his amantium vid. Trist. II, 453., Amor. I, 4, 17., Tibull. I, 2, 21. et Schrader ad Musaei Her. et Leand. v. 102.

257. *Clymenen Aethramque* Menelai affines fuisse testatur Dictys Cret., unaque cum Helena a Paride avectas, et post captum Ilium sorte ducta Demophoonti atque Acamanti Thesidis obtigisse praemium militiae diuturnae, sed Mnestheo Athenas remeanti cessisse tamen, Thesidis inde expulsis atque exulare iussis. Heins. Vid. ad Epist. XVII, 267. Vett. edd.: *Clymenemque Aethramque.*

258. *Ausus sum.* Put. et reliqui: *cum blandis,* et superiori v.: *Clymenen Aethramque.* Heins. Codd. Guelf. 4., Helmst., Giess., Goth. 2. et vett. edd. praeter Venn.: *Ausus sum.*

259. *Non aliud.* Sic scripti et primae edd. Heins. Trev., Guelf.

Quae, mihi non aliud quam formidare locutae,
Orantis medias deseruere preces.
Di facerent, pretium magni certaminis esses,
Teque suo posset victor habere toro:
Ut tulit Hippomenes Schoeneida praemia cursus;
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus;
Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deianira, tuos.
Nostra per has leges audacia fortiter isset,
Teque mei scires esse laboris opus.

1., Goth. 2. et ed. Naug. et aliae nonnullae, quae ab ea plerumque pendent: *nil aliud*. *Formidare*, sc. dominum, Menelaum. Versu 260. *destituere* Barberin. et Vossian. Vid. ad Epist. XVII, 196. *Heins.*

261. *Pretium magni.* Ex undecim meis octo cum vett. edd.: *pretium magni*, quod revocavi. (Hodie vulgo editur *magni pretium*.) Similiter v. 262. cum iisdem vett. edd. et omnibus fere codd. (vid. var. l.): *posset victor*, pro vulgata *victor posset*. *Di facerent* apud Nasonem passim.

262. *Toro.* Pro *toro* Guelf. 2.: *sunn*; Dun.: *sinus*; Rel., Dresd. et Helmst.: *sinu*.

263. *Hippomenes Schoeneida.* Atalanta, Schoenei filia, procis suis cursus certamen proposuit, in quo victum mortis poena, victorem coniugii praemium sequeretur. Ea ab Hippomene, ope aureorum pomorum impetu eius retardato, in cursu victa et pro coniuge abducta est. Apollod. III., Hyg. F. 99. 174. 185., Palaeph. Incred. c. 14., Metam. X, 561. seqq. Conf. Serv. ad Virg. A. III, 113. *Tulit.* Vid. supra v. 125.

264. *Venit ut.* Sic versum hunc cum vulg. multi Heinsii, Leodd., Goth. 2., Guelf. 1., 3., Trev. et ed. Naug. exhibent, nisi quod in Leodd. est *Venerat in.* Multi Heins., Goth. 1., Erf., Dresd., Giess. et edd. Venn., Ald., Bas., al. eius loco exhibent:

Quae propero cursu vicerat ante procos.

In nonnullis Heins., Guelf. 2., 4., et Helmst. locus sic legitur:

Quae propero cursu vicerat ante procos
Sic et tu Phrygias venies (vid. v. l.) regina per urbes,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus —

et sic dedit cum Micyllo Bersmann., sed subdititios esse notavit. De re vid. ad Epist. VIII, 70. De Acheloi et Herculis certamine vid. Epist. IX, 139.

267. *Fortiter.* Sine idonea caussa Heinsius et Burmannus ex uno Vossiano (vid. ad v. 252.) dederunt *fortior* pro lectione reliquorum librorum omnium *fortiter*; quae l. mihi quidem etiam huic loco aptior videtur, quam ille comparativus. Multi Heins., etiam plures e meis pro *audacia* tenent *victoria*.

Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari,
  Amplectique tuos, si patiare, pedes.
O decus, o praesens geminorum gloria fratrum,
  O Iove digna viro, ni Iove nata fores,
Aut ego Sigeos repetam te coniuge portus,
  Aut hic Taenaria contegar exsul humo.
Non mea sunt summa leviter districta sagitta
  Pectora; descendit vulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, — nam repeto — fore ut a coeleste sagitta
  Figar, erat verax vaticinata soror.

Isset. Vid. ad Epist. XI, 10.

270. *Pedes.* Vid. ad Epist. XIV, 83.

271. *Praesens* h. l. fere valet *magna*, quia id, quod quasi corpore adest, validius est. Sic Metam. XIII, 757. *praesentior amor*, ubi vid. Gierig.

273. *Sigeos.* Vid. ad Epist. I, 33.

274. *Aut hic Taenaria.* Quod nunc vulgo legitur, *Aut ego Taenaria*, ex VIII codd. recepit Heinsius. Lectio veterum edd. et plurimorum codd. est: *Aut hic T.*, quam Iahn recte restituit.

275. *Leviter districta.* Legendum *destricta.* Vid. Cuper. Observ. IV. c. 5. Senec. Controv. VII. *Ut destricta levi vulnere est cutis.* Burm. Conf. Met. VIII, 382. et X, 526. Sed vett. libri constanter: *districta*, quod optimo sensu est et aptius etiam sequentibus: *Non summa sagitta leviter dictricta; sed vulnus ad ossa descendit.*

277. *Nam repeto. Recolo* multi ex scriptis. Vid. ad Epist. V, 113. Heins. Idem plurimae vett. edd. Sed plurimi tamen codd. Heinsii, ut videtur, etiam maxima pars meorum (vid. var. l.) et ed. Naug.: *repeto*, quod est reminiscor. Varr. de ling. Lat. V. c. 6. *Reminisci est, cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitantur et memoria repetuntur.* Vid. Trist. I, 3, 3. *Coeleste.* Non rara est haec apud Nasonem forma ablativi; sic Epist. VIII, 64. est *fonte perenne*, Fast. III, 654. *amne perenne*, Metam. XV, 743. *specie coeleste*, Fast. VI, 158. *porca bimestre.* Sed apud eundem Nasonem est ablativus *mare* saepius, *turre* Epist. XVIII, 116., aliaque id genus plura. Nec reliquos illius aetatis scriptores talia sedulo vitasse docent C. L. Schneider Gramm. Lat. Partis II. Vol. I. et Sanct. Miner. II. c. 7., qui et haec Ovidii exempla attulit.

278. *Figar, erat — vaticinata.* In plusquamperfecto illo vel imperf. *fore* cum praesenti *figar* non est haerendum, quae quidem verborum constructio apud ipsos prosae orationis scriptores reperitur. Vid. ad Epist. XIV, 99. Huc pertinet Trist. III, 4, 21.

Quid fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas;
Icarus immensas nomine signet aquas?

Parce datum satis, Helene, contemnere amorem:
  Sic habeas faciles in tua vota deos.
Multa quidem subeunt; sed coram ut plura loquamur,
  Excipe me lecto, nocte silente, tuo.
An pudet et metuis Venerem temerare maritam,
  Castaque legitimi fallere iura tori?
Ah nimium simplex Helene, ne rustica dicam,
  Hanc faciem culpa posse carere putas?
Aut faciem mutes, aut sis non dura necesse est:
  Lis est cum forma magna pudicitiae.

Nam ex sententiae ratione ibi diversitatem temporum *agitaret* et *signet* explicare, mihi quidem apud poetam, praesertim hunc poetam, non satis tutum videtur; et quid faciamus tot aliis locis, quae tali modo explicari non possunt? Vid. Epist. VIII, 90. et XV, 4. ibique not. et inprimis Epist. XXI, 227. 228. Ceterum eadem poetae elegantia atque inventione, qua v. 50. vatis responsum illud de incendio Troiae per caussam Paridis, hoc loco Paris vaticinium Cassandrae, sororis, quo illa innuerat, fore ut ab Philocteta sagittis Herculis (hinc h. l. illud *coeleste*) occideretur, de amore suo intelligit. De re vid. Apollod. III. et Sophocl. Philoct. v. 1476. Conf. Epist. V, 113. seqq. Cod. Douz.: *erat verum vat.*

279. *Datum fatis.* Lucan. VII, 543.

— — — — — — Semel ortus in omnes
It timor, et fatis datus est pro Caesare cursus.

Vid. Liv. XXX. c. 30., Val. Flacc. VIII, 397., IV, 704. Conf. Epist. XV, 82. *Burm.*

280. *Faciles.* Conf. Epist. XVIII, 3. 5., et sic passim.

283. *An pudet et metuis.* Naug.: *An pudet, an metuis. Et metuis* cum vulgata scripti, ut infr. 323.:

Si pudet et metuis, ne me videare secuta.

Heins.

Aut etiam utrobique multi editi (?) et scripti. *Burm.* Pont. IV, 15, 29.

Et pudet et metuo semperque eademque precari.

284. *Fallere iura.* Elegantior mihi lectio Moreti cod. videtur *solvere,* cuius glossam *fallere* credo. *Burm.* Ego maiorem illam elegantiam verbi *solvere* non assequor, nisi quod usu frequentius esse scio *solvere,* quam *fallere;* atque ea res vel una me prope ad defendendam vulgatam incitaret, cui nunc accedit consensus librorum. Vid. ad Epist. VII, 18. Pro *tori* multi Heinsii codd. et edd. Venn.: *viri.*

286. *Putas.* Tres Heinsii: *putes.* De *posse carere* vid. ad Epist. I, 18.

288. *Lis est etc.* Iuv. Sat. 10, 297.

— — — Rara est adeo concordia formae
Atque pudicitiae.

Iupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis:
  Haec tibi nempe patrem furta dedere Iovem.
Vix fieri, si sunt vires in semine avorum,
  Et Iovis et Ledae filia, casta potes.
Casta tamen tunc sis, cum te mea Troia tenebit;
  Et tua sim, quaeso, crimina solus ego;
Nunc ea peccemus, quae corriget hora iugalis,
  Si modo promisit non mihi vana Venus.
Sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus;
  Neve sui furtis hospitis obstet, abest.
Non habuit tempus, quo Cressia regna videret,
  Aptius: o mira calliditate virum!
Ivit et „Idaei mando tibi“ dixit iturus
  „Curam pro nobis hospitis, uxor, agas.“

Amor. III, 4, 42.

289. *Furtis.* Veneris furta cum Marte supra tetigimus.

291. *Si sunt. Si sunt* Put. aliique tres. Decem libri (et mei plerique, vid. var. l.): *avorum,* quod placet. Ita etiam apud Persium 1, 103.

— si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis.

HEINS.

Vid. ad Petron. c. 44. BURM. *Avorum* igitur universe dictum pro *patrum*. Reliqui libri cum vulgata: *si sint — amorum,* nisi quod Bern. et Guelf. 2.: *amoris.*

293. *Tunc.* Edd. Venn., Bas., Vinc., Col., Mic. et Bersm. cum codd. Erf. et Guelf. 4.: *tunc.* Reliqui libri cum omnibus recentioribus edd.: *tum.* Vid. Epist. I, 5.

O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat.

Et sequitur v. 295. *Nunc.* Vid. infr. 319. et 321., Epist. XVII, 103. et exempla apud Forcellin. in v. *tunc.*

295. *Corriget.* Scriv. et Moreti (etiam Erf., II Goth. et Giess. L.): *corrigat.* Bene. HEINS. Multi Heins., Dresd., Guelf. 1. et 3. et ed. Ven. 1487.: *corrigit.* Reliqui cum vulgata: *corriget,* quod et idem ferri potest. Sed Heinsius, quod iam saepe dictum est, fere ubicunque per sermonis rationem licebat, praeferebat coniunctivum.

298. *Sui. Tui* Reg., ut mox 304. Rectius. Quasi ipse Menelaus Parida magis uxoris suae, quam suum hospitem existimasset. (??) BURM. *Sui* recte habet, et firmatur et vetustorum consensu librorum, et vero etiam v. 302., qui idem Burmanni sententiam refellit.

299. *Cressia.* Cod. Douz.: *Cretica.* De Menelai hoc in Cretam itinere vid. ad Epist. XVII, 156.

301. *Ivit et.* Heinsius in suo exemplo et nonnullis codd. legebat *Exit et,* et sic est in ed.

Negligis absentis, testor, mandata mariti;
Cura tibi non est hospitis ulla tui.
Hunccine tu speras hominem sine pectore dotes
Posse satis formae, Tyndari, nosse tuae?
Falleris: ignorat; nec, si bona magna putaret,
Quae tenet, externo crederet ille viro.

Naug. Vulgares libri ante Heinsium et duo Heins. codd.: *Ille abit;* Put., Dun. et Goth. 1.: *Esset et; Ipse abit* plerique Heins.; Dresd., Guelf. 2. et Helmst.: *Ipse abiit et*; Guelf. 4. et ed. Ven. 1487., al.: *Ipse abit Idaei;* Sarrav.: *Ibat et*; Leid.: *Ibit et.* Receptam *Ivit et* multi Heins., Trev., Erf., Goth. 2. et pro var. l. Dun. tuentur. Pro *mando tibi* Dun.: *cum iam tibi.*

Idaei. Vid. ad v. 108. *Idaeus hospes* Paris etiam dicitur Epist. VIII, 73.

302. *Curam — agas.* Quinque libri (etiam Dun.): *Curam habe.* Male. *Curam agere* passim. Trist. V, 7, 37. 38.

— — — — curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ago.
Heins.

Vid. Virg. Cul. 98., Metam. IX, 107., Liv. II. c. 48., VIII. c. 3., XXIV. c. 27. Plura vid. ad Quint. I. O. V, 6. *Burm.*

303. *Mariti.* Plurimi Heins. et margo Bersm.: *tyranni.* Mei: *mariti,* quod poscit ratio sententiae.

305. *Speras.* Poterat scribere Ovidius *speras,* ut fere pro certo acciperet eam sperare, et *speres,* q. e. sperare potes. Nulla igitur caussa aderat, quae Heinsium et alios editores cogeret, ex uno Lovan. recipere *speres.* Lectionem *speras* confirmat sequens *Falleris: ignorat.* Vid. ad v. 295. Dun.: *credas. Sine pectore,* sine sensu. Amor. III, 3, 42. *Di quoque habent oculos; di quoque pectus habent.*

307. *Nec, si.* Mei praeter Giess. omnes, vett. Heins. et edd. Bas., Vinc. et Bersm.: *nec si.* Vulgo: *nam si,* quae varietas inventa a grammatico est, qui sententias caussales, quas vocant, saepissime per particulas copulativas inferri ignoraret. —

Bona summa Excerpta Gallic. et ed. Col., quod convenientius Paridi, se insinuanti in amorem Helenae, et qui non *magna,* sed *summa bona* putaret tenere Helenam. Sic Iuvenal. V, 2. *bona summa,* sic Epist. XVII, 132., ubi etiam codd. nonnulli: *magna.* Unice huc facit Terent. Andr. IV, 3, 2.

Summum bonum esse herae deputabam hunc Pamphilum.
Burm.

Exempla illa ostendunt sic dici posse, de quo nemo dubitat. Non minus commode hoc loco cum reliquis libris omnibus dicitur *bona magna.*

308. *Quae tenet etc.* Bern. et Lov.:

Crederet externo, quae tenet ille, viro.

Alter Bersm. (?): *Quod tenet. Ille* vero plurimi habent. *Burm.* Etiam Goth. 1. et Helmst.; re-

Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor,
Cogimur ipsius commoditate frui;
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum,
Si tam securum tempus abibit iners.
Paene suis ad te manibus deducit amantem:
Utere mandantis simplicitate viri.
Sola iaces viduo tam longa nocte cubili;
In viduo iaceo solus et ipse toro:
Te mihi meque tibi communia gaudia iungant;
Candidior medio nox erit illa die.

liqui vetusti libri: *illa.*

309. *Incitet.* Plures Heinsii: *excitet.*

310. *Ipsius commoditate frui.* Gronov.: *absentis commoditate viri.* Intellige: „*Ut te nec..... ardor, cogimur commoditate* (indulgentia, vid. Forcellin.), *qua ille in nos utitur, frui; aut* (alioquin) *erimus stulti, et ipso stultiores, si....*" Conf. Epist. XVII, 176. et Art. A. II, 372. Ceterum particula *aut* non raro reperitur, ubi etiam *alioquin* poni potest. Trist. I, 8, 45. Quod tamen ita dico, ut eam voculam in omnibus huiusmodi locis vim propriam retinere putem.

313. *Deducit.* (Vulgo ante Heinsium: *Paene suis manibus ad te deduxit.*) Scribe cum melioribus (et sic etiam potior pars meorum, v. var. l.): *suis ad te manibus*; et cum iisdem melioribus (vid var. l.) et vett. edd.: *deducit;* loquitur enim de re vel statu praesenti. *Heins.* *Deducere* vero verbum nuptiale. Vid. Fast. III, 689., IV, 153. et Passerat. ad Prop. IV, 3. *Burm.*

Conf. Gronov. Lectt. Plaut. p. 110. et interpp. ad Liv. X. c. 23.

314. *Mandantis.* In multis edd. hodie, auctore Heinsio, pro *mandantis* legitur *non vafri,* cuius Latinitatem et ipsam cum voce *maritus* coniunctionem exemplis probavit ad. h. l. Heinsius, Art. A. III, 611., Martial. VI, 64., Pers. Sat. 1., Ovid. Epist. XX, 30., al., collato Epist. XVII, 176.

Simplicis utamur commoditate viri.

Verum fons huius scripturae est cod. Ment. et secunda manus Puteanei, quorum profecto non tanta est auctoritas, ut eorum discrepantiae cedere debeat fides omnium (Barber. excepto, qui exhibet *non cauti*) reliquorum, quum praesertim verbum *mandantis* orationis contextui aptissimum sit, quod respicit verba *paene suis manibus deducit* versus praecedentis. *Mandare filiam viro* est apud Plaut. Men. V, 2, 33. In multis codd. (vid. var. l.) est *mandatis,* quod est corruptum *mandantis.*

315. *Sola iaces etc.* Vid. Epist. I, 10. ibique not.

320. *In sacra iura tuis.* Vulgo: *in sacra iura meis.* Scripti ple-

Tunc ego iurabo quaevis tibi numina, meque
Adstringam verbis in sacra iura tuis;
Tunc ego, si non est fallax fiducia nostri,
Efficiam praesens, ut mea regna petas.
Si pudet et metuis, ne me videare secuta;
Ipse reus sine te criminis huius ero:
Nam sequar Aegidae factum fratrumque tuorum:
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus, geminas Leucippidas illi;
Quartus in exemplis annumerabor ego.

rique: *tua iura, tua iussa* vel *tua verba meis*. In Puteaneo vetus l. erat erasa. Quinque: *verbis in sacra iura tuis*. HEINS. Vid. var. l. *In sacra iura tuis* etiam Goth. 1., quod recte recepit Heinsius. *Tuis verbis*, praescripta mihi a te iurisiurandi formula, qua tibi addicar. Conf. Epist. XX, 27. Hinc *iurare in alicuius verba*. *Iura sacra*, ut *iura sacrata* Virg. A. II, 157.

Fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura.

Verbis tuis defendit etiam Schroder Obss. Miscell. Vol. VII. T. II. p. 291., et profecto vim habet haec l., quae fere valet: *verbis* ita *devincientibus*, *ut tu volueris*. In *sacra* iura, h. e. in iura, quae *sacra* sunt.

321. *Nostri*. Potior pars meorum (vid. var. l.): *nostra*, quod mihi non displicet.

323. *Et metuis*. Et hic (vid. ad v. 283.) Iun., Excerpta Gall. (etiam Erf., duo Goth., Guelf. 1., Trev. *L.*) et edd. Venn., al.: *et metuis*. Vulgo: *aut*. *Secuta*, quod infame, unde mulieres *secutuleiae*. Vid. ad Petron. c. 81. BURM.

324. *Criminis huius ero*. Quod ab Heinsio primum inductum est: *cr. h. agar*, duorum tantum, Vossiani et unius Medic., nititur auctoritate codicum; reliqui et omnes edd. ante Heins.: *cr. h. ero*, quod non erat movendum. Conf. Epist. XIV, 7., Nuc. 41. Sensus est: *Ipse* (solus) *omnem facti invidiam in me suscipiam; nam.....*

325. *Aegidae factum*. Vid. ad Epist. V, 127.

327. *Geminas Leucippidas*. Ambas Leucippi, Messenii, filias rapuerunt Castor et Pollux, quarum nomina fuerunt Ilaira et Phoebe. Apollod. III. CIOF. Vid. Hyg. F. 80., Prop. I, 2, 15. et Ovid. Fast. V, 699. sqq.

328. *In exemplis annumerabor*. Sex codd. (etiam Dun.): *enumerabor*. Nihil muto, quum Latinitatis ratio salva sit. Trist. V, 4, 19. 20.

— — — — — — cuius
Se quoque in exemplis annumerare solet.

Cic. pro Rosc. Am. c. 32. *Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer*. Conf. Cic. Brut. c. 32. Vim vero huius verbi eleganter illustravit Schulting. ad Senec. Suasor. II. BURM.

Troica classis adest, armis instructa virisque:
Iam facient celeres remus et aura vias.
Ibis Dardanias ingens regina per urbes,
Teque novam credet vulgus adesse deam;
Quaque feres gressus, adolebunt cinnama flammae,
Caesaque sanguineam victima planget humum:
Dona pater fratresque et cum genitrice sorores,
Iliadesque omnes totaque Troia dabit.
Hei mihi, pars a me vix dicitur ulla futuri:
Plura feres, quam quae litera nostra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur,
Concitet et vires Graecia tota suas:

329. *Troica classis.* Put., Gronov., unus Vatic., Erf., Dresd. et duo Goth.: *Troia.* Vid. ad Epist. I, 28. *Troica classis* quem offendit, adeat Gierig. ad Metam. X, 3. De re vid. Epist. XIII, 59. et Epist. I, 5.

330. *Iam facient.* Reg., Trev. et Gronov.: *faciant.* Unus Bern., Erf., Guelf. 1. a pr. m. et ed. Mic.: *faciunt.*

332. *Teque novam c. v. a. deam.* Hunc titulum sumsere quaedam mulieres. Ita Cleopatra *Θεὰ νεωτέρα* et *καινὴ* in numis, et apud Plutarch. in Anton. *Ἶσις νέα.* Vid. Vaillant de numis Aegypti regum p. 589. et Callim. Hymn. in Cerer. v. 133.; et ita passim *novi dii* et *deae* occurrunt. Vid. Vellei. II. c. 82., Fast. I, 510. et 536., III, 693., Pont. IV, 9, 132. *Burm.*

334. *Planget humum.* *Tinget* Moreti et duo alii. Vid. ad Epist. X, 106. Sic Metam. XII, 118.:

Quo plangente gravem moribundo vertice terram.

Dresd., Goth. 2. et Guelf. 4.: *tanget.* Guelf. 4. in marg.: *al. tinget.*

335. *Fratresque et.* Erf. et edd. Venn.: *fratres et.*

336. *Dabit.* Hafn. et unus Vatic. (et Erf.): *dabunt.* Bene. *Heins.* Vid. supra ad v. 52. et 87. Rel.: *Troiaque tota.* L liberos Priamus habebat. Hyg. F. 90. Conf. Ep. V, 82.

337. *Pars a me vix.* Sic Erf., duo Goth., Guelf. 1., 2., 3., (Trev. et Giess.), quod tacite Heinsius edidit. Reliqui libri: *vix a me pars.* *Iahn.*

338. *Litera* singulariter apud Nasonem hoc sensu passim. Epist. XV, 1., XVIII, 15., al.

340. *Graecia tota.* Vulgo: *magna.* *Tota* Gronov., Bern. et quinque alii. *Magna* vulgatae suspectum. *Heins.* Res solis vetustis libris diiudicanda; nam ratione hic parum efficitur. Ex XI meis VI exhibent *tota* (vid. v. 1.), atque inde coniici potest de Heinsianis; nec aliter est in edd. Venn., Bas., Vinc., Col., Mic. et Bersm. Quare revocavimus *tota,* quod mihi quidem etiam maiorem

Tot prius abductis ecquae est repetita per arma?
Crede mihi, vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces,
Et tuta a bello Bistonis ora fuit;
Phasida puppe nova vexit Pagasaeus Iason,
Laesa nec est Colcha Thessala terra manu;

videtur habere vim. Vid. Epist. XVII, 209. Gron. pro var. l.: *moesta*. Iahn dedit: *magna*.

341. *Ecquae est — arma. Ecquae repetita per arma est* unus Reg., quod utique minus durum est. HEINS. Perdifficile est, de duritie elisionis iudicare et in re tam aliena ab nostrarum ratione linguarum in sensum veterum insinuare. Mihi vero illud *ecquae est,* quod sine dubio pronuntiabatur *ecquae 'st,* haud durius videtur, quam *ecquae,* cum praesertim locum teneat in arsi. Ceterum vett. libri h. l. valde variant. Guelf. 2.: *quae est r.*; Bern., Erf., Dresd. et Guelf. 3.: *et quae est*; edd. Venn. 1486. et 1492. et Bas.: *et quae,* omissa voc. *est*; duo Goth.: *et quae..... est*; Guelf. 4.: *quaeque est. Quaenam est* Helmstad. et edd. Ven. 1487., Mic. et Bersm. Alter Bern.: *dic quae rep. p. a. est,* ut post Burmannum vulgo legitur, quam l. Burmannus ita defendit: „Unice arridet: *dic quae.... est*; varie enim illo vocabulo *dic* utuntur poetae; aut in exprobrationibus, de quo usu vid. Broukhus. ad Propert. IV, 3, 23. et IV, 8, 17., aut in superba allocutione, vid. Serv. ad Virg. Aen. VII, 546.; praecipuus vero eius usus in provocatione quasi, ut probet et exemplis affirmet aliquid ille, cum quo agimus. Vid. Propert. II, 23, 111., Ovid. Pont. III, 3, 52., III, 5, 36., Trist. III, 7, 11. Sic et *dicite,* Amor. II, 14, 33., III, 3, 15." Docte sane haec Burmannus; mihi tamen non probavit, hoc loco ita scribendum omnino esse. *Ecquae* autem, quod plurimi codd. Heinsii tueri videntur, etiam probitate sensus prae reliquis variis lectionibus commendatur, quod fere valet *etiamne aliqua?,* ut responsio sit: *nulla.* Vid. Huschkius ad Fragm. Cic. Orat. p. 145. Amar et Iahn etiam: *ecquae.*

343. *Erechthida.* Orithyam, Erechthei regis Athenarum filiam, sub nomine Boreae Thraces rapuerunt. Hoc dicit: „Thraces rapuerunt Erechthida (nam a Borea raptam esse fabula est), et tuta etc." De re vid. Apollod. III., Pausan. Att., Hyg. F. 14., Ael. V. H. XII, 61., Metam. VI, 682. sqq. Conf. Epist. XVIII, 42. *Thraces. Thracia* enim patria et sedes habebatur Boreae, qui ibi in montis Haemi spelunca habitare credebatur. Vid. Theophrast. de Causs. Plant. V, 17. et de Ventis. Hinc *Θρηΐκιος* et *Στρυμόνιος.*

344. *Bistonis.* Vid. not. ad Epist. II, 89. Sic Pont. II, 3, 84. est *Italis ora,* Fast. II, 94. *Ausonis ora,* Trist. II, 225. et passim *Sarmatis ora.* Vid. ad

Te quoque qui rapuit, rapuit Minoida Theseus,
  Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.
Terror in his ipso maior solet esse periclo;
  Quaeque timere libet, pertimuisse pudet.
Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum:
  Et mihi sunt vires, et mea tela nocent.
Nec minor est Asiae, quam vestrae copia terrae:
  Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
  Quam Paris, aut armis anteferendus erit.
Paene puer caesis abducta armenta recepi
  Hostibus, et causam nominis inde tuli;
Paene puer iuvenes vario certamine vici,
  In quibus Ilioneus Deiphobusque fuit.

Epist. II, 6. Pro *Et* etiam locum habere poterat *Et tamen*. Vid. Epist. V, 134. et conf. not. ad Epist. XVII, 177. Edd. vett., Naug. excepta: *Tuta tamen bello*.

345. *Pagasaeus*. Vulg.: *Pegasaeus;* sed bene Put. et Sarr.: *Pagasaeus*. Sic noster passim. Vid. etiam Lucan. II, 715. et Sil. It. XI, 471. *Heins.* *Pagasaeus* a portu *Pagasa,* unde Iason cum Argonautis solverat. Propert. I, 20, 17., Ovid. Epist. XII., ubi etiam de illo *nova* agitur.

346. Bas.: *Thessalis ora*.

347. *Theseus*. Vid. Epist. X.

350. *Quaeque*. In uno Mor. est: *Quamque*. In Put. et uno Heinsii: *Quaque*. Vid. var. l. *Pudet,* sc. postea.

352. *Nocent*. *Valent* duo codd. Heinsii.

355. *Atrides*. Vid. ad Epist. VIII, 45. et supra ad v. 205.

357. *Γενόμενος δὲ νεανίσκος καὶ πολλῶν διαφέρων κάλλει τε καὶ ῥώμῃ, αὖθις Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη, τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας, ὅπερ ἐστὶ βοηθήσας*. Apollod. III.

359. *Vario*. *Valido* Leid.; sed intelligit *πένταθλον*. Iustin. VII, 2. *Burm.* Erf., Dresd., Guelf. 3., Helmst., Giess.: *vario iuvenes,* et sic tacite Heinsius dedit. Rell. libb.: *iuvenes vario*. Noti versiculi:

— — quae gloria vestra est,
Si puerum iuvenes, si multi fallitis unum.

360. *Ilioneus Deiphobusque*. Ilioneús, Phorbantis filius, Troianus. Hom. Iliad. XIV, 486. *Deiphobus* fuit Priami ex Hecuba filius, post Hectorem omnium fortissimus, celebratus in Iliade heros. Vid. Meziriac. Comment. Vol. I. p. 427. Innuit autem ludos funebres, in quibus a Priamo in honorem Paridis institutis Paris ipse, incognitus suis, victor exstitit. Hyg. F. 91.

362. *In iusso*. Claud. Cons. Honor. IV, 529.

Neve putes, non me nisi comminus esse timendum:
Figitur in iusso nostra sagitta loco.
Num potes haec illi primae dare facta iuventae?
Instruere Atriden num potes arte mea?
Omnia si dederis, numquid dabis Hectora fratrem?
Unus is innumeri militis instar habet.
Quid valeam nescis, et te mea robora fallunt;
Ignoras cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetere tumultu;
Aut cedent Marti Dorica castra meo.

— — — certique petitor
Vulneris et iussum mentiri nescius ictum.

364. *Num potes*. Vulg. hoc et superiore versu: *non potes*. *Num potes* utroque loco Put. pro div. l., quod puto reponendum. HEINS. *Num potes* h. l. etiam Goth. 1. et 2., idem Goth. 2. etiam versu praecedenti.

365. *Numquid*. Vulgo cum vett. edd.: *nunquam*. *Numquid* Put. et tres alii Heins., etiam Bern. et mei fere omnes (vid. v. l.), quod et ipsum Heinsius primus reduxit. Vid. Epist. XIII, 63. et Epist. I, 16.

Sensus autem versuum 363—366. est: „Dicesne Menelaum sic a prima iuventa inclaruisse? Poterisne Menelaum mihi parem ponere in arte mea, in arte sagittandi aliisque certaminibus? Quae ut omnia ei dederis, tribueris, certe non dabis Hectora fratrem, qui unus est instar exercitus innumeri.“

366. *Instar habet*. Vett. libri: *instar erit*, nisi quod VI codd. (idem Guelf. 1.) exhibent *habet*, quod longe elegantius. Epist. II, 30.

Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.

Pont. II, 3, 42.

Instar et hanc vitam mortis habere puta.

Art. A. II, 286., III, 490. Atque ita alii auctores frequenter. HEINS.

Cic. Offic. III. c. 3. *Omnia ex altera parte collata vix minimi momenti instar habent*. Conf. Virg. A. VI, 866.

367. *Fallunt*, ignota sunt.

370. *Marti — meo*. Conf. Epist. VII, 160. *Dorica castra* Virgilium secutus (A. II, 27.) dixit pro *Graecis*, specie posita pro genere. Sic Epist. I, 21. Graeci sunt *Achivi* (de quibus vid. Plin. IV, 5., Strab. VIII.), Epist. I, 25. *Argolici*, et I, 3. *Danai* (de quibus vid. Hyg. F. et Epist. XIV.), ad exemplum Graecorum poetarum. Ceterum Heyn. ad Virg. l. l. apposite huic loco monet: „*Dorum* nullae fuere opes, nisi postquam cum Heraclidis in Peloponnesum descenderunt LXXX annis post Troiam captam.“ De Doride regione vid. Plin. IV. c. 7.

371. *Sumere bellum*. *Ferrum*,

Nec tamen indigner pro tanta sumere bellum
  Coniuge: certamen praemia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis,
  Nomen ab aeterna posteritate feres.
Spe modo non timida, dis hinc egressa secundis,
  Exige cum plena munera pacta fide.

quod nunc vulgo legitur, Heinsius primus induxit ex Put. et multis (?) aliis suis. (Vid. var. l.) Sine iusta caussa. Immo lectionem plurimorum vett. librorum confirmant etiam vv. 369, 370. et 372. Sallust. Iug. c. 85. *Omne bellum sumi facile, ceterum aegerrime desinere.* Sic etiam *proelium sumere* Macrob. Sat. I. c. 16. Vid. Gronov. Diatr. Stat. c. 57. Sensus est: „Neque tamen indignabor, pro tanta bellum suscipere; magna enim sunt praemia, quae certamen movent.“ Quod monuimus propter Heinsium, qui pessime interpretatus est: „Ne indigner pro te pugnare, facit nomen, quod tanquam praemium a posteritate relaturus sum.“ Cod. Bern.:

Nec tamen indignum est, p. t. s. bellum.

Iahn etiam: *bellum.* Quod reliquum est, mei, Guelf. 1. excepto, omnes: *Nec* (Erf.: *Non*) *tamen indignor,* quod vix fert loci ratio et inprimis v. 373. et 374.

375. *Spe modo.* Copiosa, quamvis brevis, et ad persuadendum apposita conclusio.



EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

Ad Epistolam praecedentem Helena rescribit.

Nunc, oculos tua cum violarit epistola nostros,
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptae sollicitare fidem?
Scilicet idcirco ventosa per aequora vectum
Excepit portu Taenaris ora suo;
Nec tibi, diversa quamvis e gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores,

Put. margini adscriptos habet hos versus initio Epistolae:

Si mihi, quae legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros, sicut et ante, probae.
HEINS.

1. *Nunc, oculos tua cum.* Medic. unus et ed. princeps: *Cum tua nunc oculos.* *BURM.*

2. *Non rescribendi.* Quidam codd.: *Non mihi scribendi.* Alii: *Non rescribenti.* *Nunc rescribendi* Bern. *BURM.* Intellige: „Nunc (autem), cum oculi violati, rei facti sint, gloriam non rescribendi puto esse parvam, levem, vel, ut Virg. dixit, tenuem.“ Oratio abrupta est, ut Epist. XI.

3. *Temeratis.* Conf. Epist. XIV, 17., IX, 49., V, 101.

4. *Legitimam—fidem.* Sic prope Metam. VII, 720.:

Quaerere quod doleam, statuo, donisque pudicam
Sollicitare fidem.

Sollicitare sic saepe legitur pro tentare puellam, ad nequitiam deducere conari. Vid. Met. VI, 463., Fast. III, 484. et Petron. c. 83. *BURM.* Conf. Epist. XVI, 80. „Haec sine interrogatione scribenda censuit Schroder Obss. Miscell. Vol. VII. T. III., ut sit indignantis exclamatio, quemadmodum Epist. I, 41—43., Epist. XII, 133. 134., quod non damnem. Cum tamen etiam interrogatio fere similem h. l. vim habeat, in textu cum Heinsio et Burmanno reliqui.“ *LENN.*

5. *Scilicet.* Cum acerbitate.

6. *Taenaris.* *Tyndaris* Gott.; Bern.: *Trinacris.* *BURM.* Vid. not. ad Epist. XVI, 30.

7. *E gente.* Sic meliores Heinsii et nonnulli e meis. Vid. v. l. Dun.: *de gente.* Reliqui cum vulg.: *a gente.*

8. *Oppositas,* clausas. Sic Hor. Od. III, 26, 8. *Oppositis foribus minaces.* Vid. etiam Senec. Nat. Quaest. IV. Praef. *BURM.* Perperam Burmannus cum Douza

Esset ut officii merces iniuria tanti?
  Qui sic intrabas, hospes an hostis eras?
Nec dubito, quin haec, cum sit tam iusta, vocetur
  Rustica iudicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris,
  Dumque tenor vitae sit sine labe meae.
Si non est ficto tristis mihi vultus in ore,
  Nec sedeo duris torva superciliis;

putabat respici legem Spartanam, qua vetabantur peregrini in urbe recipi. Simplicissima est sententia: „Quamvis ex *remota* terra venires, etc.“

9. *Ut officii.* Edd. Venn. et al.: *ut hospitii.* Vid. Epist. X, 124.

10. *Hospes an hostis.* Agnominationem eandem habet Epist. XIII, 44. et Fast. II, 787.

Hospes ut hostis init penetralia Collatini.

Temerasse vero sacra hospitii etiam Aeschyl. Agamemn. v. 408. docet. *Burm.*

12. *Rustica.* Vid. infra v. 188.

14. *Tenor* Ovidio solemne vocabulum, de quo vid. Gierig. ad Metam. III, 113.

15. *Ficto tristis.* Ut *ficto in ore* hic Naso, sic *fingendae mentis* Sabin. Epist. I, 10., ubi vid. not. Ceterum vulg. ante Heinsium et ipse Heinsius et recentiores edd. cum vett. edd.: *vultus mihi tristis.* Sed mei codd., exceptis Giess. et Helmst. (?), omnes cum ed. Naug.: *tristis mihi vultus,* quod cum Iahno recepi. Conf. Epist. X, 41.

16. *Nec sedeo. Nec videor* Put. pro diversa l. (et Dun., qui etiam exhibet *in torvis dura*) et VI alii, quod magis placet; nam *sedere* quem hic locum habeat, non video. Idem Put.: *vixi,* pro vulgata *lusi,* versu sequenti, ut et alii multi (etiam Dun., Guelf. 1., Trev., Erf., Dresd. cum edd. Venn., Bas., Vinc., al. *L.*). Sed *lusi* praestat, quod verbum est amatorium. Ceterum pro *fama clara est* videtur reponendum *cara est:* caram habui existimationem meam. Famae celebritas h. l. minus commode ostentatur. *Heins.*

Nulli harum emendationum calculum adiicere possum. Nam constans librorum plurimorum et optimorum lectio et simul ratio illud *sedere* tuetur, quod aptissimum castitatem iactanti et matronis pudicis se accensenti Helenae verbum. Prop. II, 9, 13.

Nec mihi iam fastus opponere quaerit iniquos,
  Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

Idem II, 14, 36.

Nec nimis ornata fronte sedere velis.

Ubi vid. Broukh. Idem Prop. III, 10, 37., ubi vid. Passerat. Praeterea non cum multis legendum *torvis dura superciliis,* sed cum melioribus et pluribus *duris torva s.* Ita Epist. XVI, 11.:

Fama tamen clara est, et adhuc sine crimine vixi,
Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quae sit fiducia coepti,
Spemque tori dederit quae tibi causa mei.
An, quia vim nobis Neptunius attulit heros,
Rapta semel videor bis quoque digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delenita fuissem:
Cum sim rapta, meum quid nisi nolle fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum;
Excepto redii passa timore nihil.

— — — — nec vultu cetera duro
Perlege.

Lucan. II, 373. et sic alibi Naso saepe. Praeterea *vixi* convenire melius illis *sine crimine* videtur, quam *lusi;* quod et Aldus et alii recepere, quia *ludere* vix sine crimine possit femina, et si sine crimine *ludere* sibi videretur, fama tamen facile inde laederetur, quam tamen *claram* adhuc sibi esse iactat; nam *cara* etiam impudicis esse solet, quae furtivis amoribus gaudere et populo imponere conantur. Duo codd.: *rara est.* *Burm.*

19. *Fiducia coepti. Coepti* maxima pars codicum (etiam Dun., Trev., Erf., Goth. 2., et Guelf. 1. et 4.) pro vulg.: *coepto,* quod tamen firmare posset, quod videatur hic Naso imitatus (?) Maronem, qui Aen. II, 75. *quae sit fiducia coepto.* Sed melius est *coepti,* et fiduciam cum gen. construit noster passim et idem Virg. Aen. I, 132. Vid. Passerat. ad Prop. III, 23, 1. Conf. Iustin. VI. c. 5. et Val. Flacc. IV, 124. *Burm.*

21. *Attulit* Puteaneus cum ed. princ. (et Venn. et al.) et scriptis plurimis (etiam mei plerique ita, vid. v. l. *L.*) pro vulg.: *intulit. Vim adferre* optimis dicitur scriptoribus. Cic. Verr. I. c. 26., Liv. XLV. c. 19., al. *Burm.* *Vis* autem illa est ipse raptus. *Neptunius heros.* Vid. ad Epist. IV, 109., V, 127. Conf. Epist. XVI, 147.

23. *Delenita.* Libri veteres constanter: *delinita.* Scribe *delenita* (sic exhibet Guelf. 1. *L.*) et vid. ad Quint. I. O. V. c. 8. et Drakenb. ad Liv. V. c. 31. *Burm.*

24. *Meum quid etc.* Vid. Epist. VIII, 5. ibique not.

25. Edd. Venn. et aliae serioris aetatis: *Nec tamen.*

26. *Passa nihil,* castitate servata. Vid. Diod. IV. c. 5. et Plutarch. in Thes. Alii Iphigeniam ex Helena et Theseo prognatam prodiderunt. Ant. Lib. Metam. 27., Pausan. Corinth. c. 32. et Tzetz. ad Lycophr. 103. et 143. Vid. Epist. V, 129.

27. *Luctanti.* Meliores scripti Heins. et potior pars meorum (vid. v. l.) et ed. Naug. et (ex

Oscula luctanti tantummodo pauca protervus
  Abstulit; ulterius nil habet ille mei.
Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset:
  Di melius! similis non fuit ille tui.
Reddidit intactam minuitque modestia crimen,
  Et iuvenem facti poenituisse patet.
Thesea poenituit, Paris ut succederet illi;
  Ne quando nomen non sit in ore meum?
Nec tamen irascor; — quis enim succenset amanti? —
  Si modo, quem praefers, non simulatur amor.

ea) margo Bersm.: *luctanti*, quod Heinsius recte reduxit pro vulgata l. *luctando*, quae sine dubio fluxit ex Epist. V, 140.:

> Ille meae spolium virginitatis habet,
> Id quoque luctando; rupi tamen ungue capillos.

Met. VI, 556.

> Luctantique loqui compressam forcipe linguam
> Abstulit ense fero.

29. *Quae tua nequitia est.* In multis codd. (etiam in Guelf. 2.) illud *est* non legitur. De locutione vid. ad Epist. I, 75. *Nequitia*, ut passim, pro turpi incontinentia, cui opponitur, quod v. 31. est, *modestia*. Conf. Epist. IV, 17.

30. *Ille tui.* Dun., Erf. et Guelf. 4.: *ille tibi. Di melius!* est formula abominandi, de qua vid. Gier. ad Met. IX, 97. Plena est Met. VII, 37.: *Di melius velint.* Vid. Epist. III, 125.

32. *Et iuvenem.* Idem poeta de eodem Theseo et de eadem re Epist. V, 129.:

> A *iuvene* et *cupido* credatur reddita virgo?

Cod. Bern.: *liquet.*

34. *In ore.* Sc. populi. HEINS.

35. *Succenset. Irascetur* Scriv. Lego *irascatur*, venusta repetitione. Vid. ad Epist. VI, 29. Stat. Silv. IV, 8, 33.

> Irascor etiam, quantum irascuntur amantes.
> HEINS.

Venusta sane est repetitio et Nasoni inprimis familiaris; nec tamen ita, ut eam ubique adhibuerit. Epist. XX, 16.

> Hic metuit mendax, timet haec periura vocari.

Conf. Epist. VII, 75. Nec iis quidem in locis omnibus adhibuit, ubi per metrum nihil obstabat. Epist. X, 17.

> — — specto, si quid nisi litora *cernam*:
> Quod *videant* oculi, nil nisi litus habent.

Conf. Epist. VIII, 39. Vetusti libri praeter illum unum omnes: *succenset. Irascetur* glossa est, pro qua etiam adscriptum legitur in codice Dun.

36. *Quem praefers. Profers* perperam quidam codd., inter quos Bern., qui etiam: *simuletur.* Sic *praeferre avaritiam* Cic. pro Rosc. A. c. 31., Epist. Planci, ad Famil. X, 8. *praeferre sensus.* Ciceroni tamen eo sensu usitatius est *prae se ferre.*

37. *Hoc quoque enim.* Qui-

Hoc quoque enim dubito: non quod fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi;
Sed quia credulitas damno solet esse puellis,
Verbaque dicuntur vestra carere fide.
At peccant aliae, matronaque rara pudica est. —
Quis prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod visa est tibi mater idonea, cuius
Exemplo flecti me quoque posse putes;
Matris in admisso, falsa sub imagine lusae,
Error inest: pluma tectus adulter erat.

dam: *Hoc etenim;* alii: *Hoc etiam;* nonnulli: *Hoc quoque nam.* Omnes frustra. Epist. XVIII, 98. *Hoc quoque enim vidi.* Burm. Locutionem *dubitare aliquid* non ex Macrobio confirmare debebat Forcellinus. Sic enim locuti sunt optimi scriptores. Cic. pro Rosc. A. c. 31., Verr. II. c. 22. et 28., Virg. Aen. IX, 151., et Naso Trist. II, 331. *et hoc dubitem.*

Non quod. Medic. et Argent.: *non quo,* quod Latinius et elegantius censeo. Ita enim Cicero et alii uti solent pro *quia,* sequente etiam in altero sententiae membro *quia* vel *quod* eadem significatione. Cic. de Orat. II. c. 75. *In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia ego caussam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor.* Ad Fam. VI, 4. Terent. Adelph. V, 3, 39.

Non quo dissimilis res sit, sed quod is, qui fecit. Burm.

Liv. XXXVIII, 33. *Sexaginta tres postero die comprehensi, — non quia salvos vellet, sed quia perire caussa indicta nolebat.* Quem locum attulimus supra ad Epist. IX, 27. 28., ubi vid. notata. Trist. V, 11, 3—6.

Indolui, non tam mea quod fortuna male audit,
— — — — — — — — — — — —
Quam quia, cui minime vellem, sum causa pudoris,
Teque reor nostris erubuisse malis.

Vid. ad Epist. XX, 125. *Fiducia,* sc. formae vel, ut infra v. 123., *corporis,* ut in Metam. persaepe legimus. Vid. Indic. Gierigii.

39. *Credulitas.* Vid. Epist. XII, 120.

40. *Verbaque etc.* Eadem verba leguntur Epist. II, 26. De *vestra* vid. ad Epist. I, 75. Dun.: *creduntur.* Vid. v. 1.

41. *Peccant.* Vid. Epist. XVI, 295. Vid. v. 1.

42. *Quis prohibet. Qui* Put. Scribe *Quid.* Vid. ad Epist. X, 88. Heins.

44. *Flecti — putes.* Iun. et Leid.: *tangi,* quod fluxisse videtur ex Epist. XVI, 326.:

Exemplo tangi non propiore potes.

Vid. infra ad v. 127. Heins. Iahn nuper dedit *putas,* quod codd. Dresd., II Goth., Helmst., Giess., Trev., Guelf. 2. et a prima m. 1. cum edd. Venn.

Nil ego, si peccem, possum nescisse; nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Iove dicar ego?
Quod genus et proavos et regia nomina iactas:
Clara satis domus haec nobilitate sua est.

tuentur; sed non ferre videtur ratio Latinitatis: constructio enim et loci sententia haec est: „Nam quod ad illud attinet, quod mater mea tibi idonea visa est, (ut eius) cuius exemplo me quoque flecti posse putes; etc.", et positum est h. l. verbum *puto* ex illa apud Ciceronem ubivis obvia ratione circumloquendi, uti omnino tota sententia figuram quasi atque colorem rhetoricum habet. Quare nos cum reliquis editionibus et codd. dedimus *putes*. De re vid. Epist. XVI, 291. 292.

45. *Falsa sub imagine*. Vid. Gronov. Obss. II. c. 15. et Epist. XVI, 250.

46. *Pluma*. Lovan.: *plumis*. Senec. Octav. 764.

Quem modo Ledae pressisse sinum
Tectum plumis pinnisque ferunt.

Vid. Epist. VIII, 68.

47. *Possum*. Argent.: *possem*. Duo: *possim*. HEINS. Heinsius primus dedit *possim*. Sed recte Iahn revocavit omnium reliquorum vett. librorum lectionem *possum nescisse*, quod, ut saepe apud nostrum, fere pro futuro esse (conf. Epist. VII, 3.) et illi *erit* respondere non vidisse videntur editores: *Nihil ego nesciam, nec ullus error erit, qui facti crimen obumbret, si ego peccem*.

48. *Error*. Iisdem verbis usus est poeta Pont. III, 3, 75.:

Tu licet erroris sub imagine
crimen obumbres.

49. *Redemit*. *Levavit* edd. Venn. et aliae, quae ab illis saepe pendent, ut Metam. II, 281. *clademque auctore levavit*. Conf. Met. III, 338. HEINS. Nihil muto; *redimere* enim eleganter poni pro *pensare, rependere*, docuit Schottus Observ. V. c. 35. Vid. Stat. Theb. VII, 139. Vellei. II. c. 87. de Antonio: *Se ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiae crimina morte redimeret*. *Auctor* vero hic dictus stupri illator, ut Epist. VII, 105. *decepit idoneus auctor*. BURM. Sensus igitur est: *Illa bene erravit, et vitium stupri eo, quod culpae auctorem Iovem habuit, compensavit. Ego si peccem, quem Iovem habebo, quo culpam excusem, vel potius, quo culpae auctore felix praedicer?* Conf. Epist. IV, 34. 35.

50. *Felix in culpa*, ut Epist. VI, 121. *Felix in numero*.

51. *Quod genus*. Sic scribe ex codd. sex aut septem (idem exhibent Trev., Goth. 2., Guelf. 3., Erf. *L.*), quo alii plures alludunt, in quibus *Quid genus*. HEINS.

In hoc viro doctissimo facile assentior. Quod autem illud *quod* hoc loco significare putat *quamvis*, nemo facile probabit. Est enim, ut saepissime:

Iupiter ut soceri proavus taceatur et omne
  Tantalidae Pelopis Tyndareique genus:
Dat mihi Leda Iovem, cygno decepta, parentem,
  Quae falsam gremio credula fovit avem.
I nunc et Phrygiae late primordia gentis,
  Cumque suo Priamum Laomedonte refer;
Quos ego suspicio; sed, qui tibi gloria magna est
  Quintus, is a nostro nomine primus erit.

Quod attinet ad illud, quod; de quo usu supra dictum est. Vide, si operae pretium est in re notissima, Manut. ad Cic. ad Fam. III. Ep. 10. Conf. v. 43. et infra v. 250. et Metam. IX, 23. et Epist. XX, 155. Reliqui libri vett.: *Et genus*.

52. *Satis domus*. Vett. edd. cum Guelf. 4.: *domus satis*.

53. 54. *Soceri,* Atrei. Vid. ad Epist. VIII, 31. et 45. et Epist. XVI, 204. seqq. *Tyndareique genus,* quod sc. est regium. Hyg. F. 77. 78. Conf. not. ad Epist. VIII, 72. Quod hodie in multis edd. legitur *Tyndareique decus* ex Bern., qui exhibet *Tyndaridisque decus,* et diversa l. codicis Put., primus recepit Heinsius. Sed *genus* praeter librorum consensum postulat ipsa sententia: „Ut Iupiter socer et omnino omne Pelopis et Tyndarei *genus* taceatur: dat mihi mater etc.“ Dun., Guelf. 1. et 2.: *Tyndaridaeque*.

55. *Cygno decepta*. Vid. ad Epist. XVI, 250.

57. *Late primordia*. Vett. edd. excepta Naug.: *clarae primordia*. Sed *late* si iungitur cum *refer,* optimum h. l. sensum praebet. *Late refer,* i. e., ut recte ad v. *late* Forcellinus exponit, *fuse, magnifice, multis verbis.* Ita Caes. B. C. II. c. 7. *Haec ad eum latius atque inflatius Afranius scribebat*. Ovid. A. A. III, 535.

Nos facimus placitae late praeconia formae.

Lenn.

Multi Heins.: *praecordia,* forte pro *praeconia*. *Burm.* *Phrygiae*. Vid. ad Epist. XVI, 57.

58. *Priamum Laomedonte*. Sic Put. et Leid. et Guelf. 1., quod requirit ratio sensentiae. Reliqui libri omnes: *Priamo Laomedonta*. De dictione *I nunc* locuti sumus ad Epist. IV, 127.

59. *Est* in cod. Gron. desideratur.

60. *A nostro nomine*. Sic Put. et multi alii (vid. v. l.), quod verum est. *Nomen* pro *gente*. Vid. ad Epist. II, 50. *Heins*. Recte haec Burmannus: „*A nostro nomine* hic explicarem *a me ipsa:* nam si tu numerando quintum Iovem invenias, ego a me primum habeo. Sic Epist. II, 112.:

Nomine femineo non satis apta regi.“

Vid. Markland. ad Stat. Silv. I, 1, 10. Ovid. ex Pont. II, 9, 1. 2.

— — — — cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usque —

h. e. ad ipsum Eumolpum.

Sceptra tuae quamvis rear esse potentia Troiae;
  Non tamen haec illis esse minora puto.
Si iam divitiis locus hic numeroque virorum
  Vincitur; at certe barbara terra tua est.
Munera tanta quidem promittit epistola dives,
  Ut possint ipsas illa movere deas;
Sed si iam vellem fines transire pudoris;
  Tu melior culpae causa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo,
  Aut ego te potius quam tua dona sequar.

Reliqui vetusti libri: *a nostro sanguine. Primus.* Vid. v. 55. *Quintus.* Paullo negligentius hic egisse Ovidius videtur. Nam secundum alios sextus a Iove fuit Paris, secundum alios septimus. Iupiter enim ex Electra genuit Dardanum, Dardanus Troen (secundum Hom. Iliad. XX, 215. seqq. Dardanus Erichthonium et hic Troen), Tros Ilum, Ilus Laomedonta, Laomedon Priamum, Priamus Parin. Vid. not. ad Epist. XVI, 173. De sententia conf. Epist. VIII, 48. et Metam. X, 617.

61. *Rear — — Troiae.* „Quamvis magnas esse Troiae opes ac vastum imperium existimem; non tamen Spartae etc.“ Put. et Guelf. 1.: *terrae,* sed in utroque *Troiae* correctum est. Francof., Iun. et Guelf. 2.: *reor.* Vid. Epist. XVI, 175. sqq.

63. *Si iam.* Vid. Epist. III, 67. *Divitiis.* Vid. Epist. XVI, 185.

64. *Barbara.* Loquitur Helena ex ratione Graecorum, quibus terrae non Graecae barbarae erant. Vid. ad Epist. III, 2.

65. Vid. ad Epist. XVI, 335.

67. *Vellem fines.* Plurimi Heins.: *finem.* Lov.: *partes.* Sed vulgata proba. Cic. ad Fam. V. Epist. 12. *Qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem.* Burm. Heinsius, nihil e suis codd. notans, edidit *fines vellem.* Libri: *vellem fines.* Iahn.

68. *Tu melior—causa. Melior* ex Put. et aliis quibusdam suis induxit Heinsius, et sic praeter Guelf. 2. mei quoque omnes, quod et ego retinui, quamvis malim, ut est in omnibus veteribus edd. et multis, ut quidem videtur, codd. Heinsii, *maior.* Certe illud exemplum, quod e Trist. II, 51. Heinsius attulit: *Causa mea est melior,* huic loco non est simile. *Magna causa* est infra v. 150. Accedit illud *tanta* versus 65. *Melior* est *iustior.* Ceterum bono, Pari, esto animo, magna tibi ac certa prope spes est.

69. *Perpetuo. Perpetuam* Bern. et plurimi alii. Burm.

71. *Acceptissima semper.* Lectio *acceptissima quondam* unius Gott. ne ullam quidem mihi movit depravationis suspicionem, licet *quondam* pro *semper*

Utque ea non sperno, sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quae pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas, quod sum tibi causa laboris,
Quod per tam longas spes tua venit aquas.
Illa quoque, apposita quae nunc facis, improbe, mensa,
Quamvis experiar dissimulare, noto:
Cum modo me spectas oculis, lascive, protervis,
Quos vix instantes lumina nostra ferunt;

sumi doceat Serv. ad Virg. A. II, 678. et Heinsius ad hunc locum multis exemplis saepe pro *quandoque, aliquando, nonnunquam* usurpari ostenderit. Pro *Utque* plures codd. e meis cum edd. Venn.: *Atque*.

72. *Auctor quae p. facit*. Unice haec illustrat Mart. Epigr. IX, 99.

Vilis eras, fateor, si nunc te mitteret emtor,
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Heins.

Male Leid. et Scriv. (?) et Schol. cod. Palat. ad Metam. I, 615.: *actor*, quod cupide arripuit Barth. Advers. XXXVI. c. 16. Vid. ad Epist. I, 95. Idem vero dicit, quod Terent. Eunuch. III, 1, 2.:

— *Th.* Ain' tu, laeta est? *G.* Non tam ipso quidem
Dono, quam abs te datum esse —

et noster Amor. II, 15, 2.:

In quo censendum nil nisi dantis amor.

74. *Per tam longas*. Sic tres Heins., Helmst., Goth. 2., Guelf. 1. et 4. et Giess. Reliqui ll. vett.: *tam per longas*. Francof.: *spes tibi*.

75. *Apposita*. Put.: *Adposita*. Fortasse *ad positam — mensam*. *Heins.*

Apponere de mensis atque epulis frequens et proprium est. Vid. Cic. ad Att. XIV. Ep. 21., Metam. VIII, 570. et 831., ubi vid. Burm. et eundem ad Petron. 20. et Oudend. ad Obsequent. de Prodig. c. 61. Graeci sic *παρατίθεσθαι* dicunt. Vid. etiam ad Epist. XII, 52. Werfer l. l. p. 561. *nunc* h. l. ineptum esse dicit et cum cod. Monac. censet *tu* scribendum. Sed poeta de re ante haud ita longum tempus facta quasi de praesente et quae iam fiat loquitur, cui particula *nunc* mihi quidem satis apta videtur. Victor.: *quae non*. Epist. XVI, 215. sqq.

77. *Cum modo me spectas*. Vulgo: *Tu modo me spectas*. Scripti plerique: *Cum modo me spectes*. Sed lege *Cum — spectas* (ut est in cod. Dun.); alioquin paullo post *suspires* et *sumas* et *bibas* quoque sit emendandum. *Heins.* Vid. var. l.

78. *Instantes*, cupidos, cum cupiditate in me fixos. Elegantiam huius vocis et omnino totius loci quis non sentit! Nam in hac parte regnat Ovidius.

79. *Et modo suspiras*. Vid. Epist. XVI, 227.

80. Vid. Ep. XVI, 253.

81. 82. *Tecta notavi etc.* Imitatio

Et modo suspiras; modo pocula proxima nobis
Sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis.
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio paene loquente dari!
Et saepe extimui, ne vir meus illa videret,
Non satis occultis erubuique notis.
Saepe vel exiguo vel nullo murmure dixi:
„Nil pudet hunc“; nec vox haec mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero litera fecit: AMO.
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi, iam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
Flecterer; his poterant pectora nostra capi.
Est quoque, confiteor, facies tibi rara; potestque
Velle sub amplexus ire puella tuos.

(videtur) Propertii III, 6, 25. 26.

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Ubi vid. Passerat. *BURM.* Vid. Epist. XVI, 256. Art. A. I, 500.

Multa supercilio, multa loquare notis.

84. *Notis.* Edd. Venn.: *genis.*

85. *Vel nullo murmure dixi. Vel nullo* Put. (Reliqui omnes: *vel longo.*) Nihil accedo. Fast. IV, 267.

Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus.

Vid. Pont. IV, 13, 36. *HEINS.* Ego *nullo murmure* recipio; si enim *longum* fuisset, periculum erat, ne vir sentiret. Elegans praeterea oppositio est illius *exiguo* et *nullo.* Est autem idem, quod Epist. XIII, 89. *tacito in pectore dicere,* et quod alibi dicit et noster *secum loqui.* Bern.: *vel parvo murmure. BURM.* Metam. XIV, 197.

Quam nullum aut leve sit damnum mihi lucis ademtae.

86. *Haec mea. Haec mihi* Mor. *Vana fuit* Medic. *BURM.* Vid. v. l.

88. *Deducta mero.* Eleganter. H. e. de mero vel gutta meri in mensam effusi *deducta.* Conf. Epist. I, 31. 32. Trist. II, 453.

Utque refert, digitis saepe est nutuque locutus,
Et tacitam mensae duxit in orbe notam.

Conf. Art. A. I, 571. et Amor. I, 4, 20.

89. *Credere me t.* Douz. et multi Heins.: *Crede mihi tamen.* Douzae cod. etiam: *oculo renuente notavi. BURM.*

90. Put. et Reg.: *sic ego.*

95. *Altera sed potius. Vel potius* Put. et Reg. (item Guelf. 1. et Erfurt.) pro *vel altera,* quamvis *altera* atque illud *vel* miram habet hic ἔμφασιν; quasi

Altera sed potius felix sine crimine fiat,
Quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo, formosis posse carere.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

occulte innuat, se invita alteram fore felicem. *Heins.* Reliqui vett. libri omnes: *Altera sed potius,* optimo ac simplicissimo sensu, quod mutare Heinsius non debebat.

96. *Externo,* peregrino. Sic Epist. V, 102. est *externus amor.*

97. *Posse carere.* Ad ea, quibus Naso facilitatem versus mire adiuvit, et effecit, ut id, quod cogitasset, simplicissima voce enuntiare posset, adnumeranda quoque est circumlocutio per verbum *posse;* cuius, cum apud eum tam proprius ac frequentissimus usus sit, aliquot exempla, quibus haec poetae consuetudo clarius cognoscatur, h. l. iuvat apponere. Epist. IV, 168.

Sic nunquam, quae te spernere possit, ames.

Epist. V, 86.

Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.

Trist. II, 203.

Ne timeam gentes, quas non bene summovet Ister,
Neve tuus possim civis ab hoste capi.

Trist. III, 5, 30.

Ut doceas votum posse valere meum.

Fast. II, 106.

— — — — capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.

Epist. XIII, 61.

His ego te victam, consors Ledaea gemellis,
Suspicor; haec Danais posse nocere puto.

Ibidem v. 77.

— — — — — tu tantum vivere pugna
Inque pios dominae posse redire sinus.

Ibidem v. 161.

Perque, quod ut videam canis albere capillis,
Quod tecum possis ipse referre, caput.

Trist. V, 2, 46.

Si fas est homini cum Iove posse loqui.

Metam. II, 482.

Neve preces animos et verba superflua flectant;
Posse loqui eripitur.

Metam. VI, 307.

— — — venae desistunt posse moveri.

Metam. VII, 426.

Attonitus tantum leti discrimine parvo
Committi potuisse nefas.

Metam. VIII, 735.

Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri.

Art. A. II, 349.

Cum tibi maior erit fiducia, posse requiri;
Tunc procul, absenti cura futurus, eas.

Conf. vv. 209. et 210. huius Epist. Quod tamen non ita dico, ut hanc locutionem ab reliquorum poetarum usu abesse existimem; vid. enim Canter. Nov. lectt. II. c. 2., Gif. Indic. Lucret., Burmann. ad Phaedr. I, 15., Cort. ad Sallust. Catil. c. 58. Sed pertinet ea observatio ad magnam seriem circumlocutionum, quas Ovidius proprio ac suo modo usur-

Quam multos credis iuvenes optare, quod optas,
Qui sapiant? oculos an Paris unus habes?
Non tu plus cernis; sed plus temerarius audes;
Nec tibi plus cordis, sed magis oris adest.

pare solet, de quibus alio tempore copiosius exponam. De simili usu vocis *velle* dicetur infra.

99. *Credis.* Iterum cum Iahno nobis revocandus indicativus fuit; nam quod Heinsius primus recepit, *credas,* duo tantum Heins. et Goth. secundus tuentur. Vid. ad Epist. XVI, 305. et XIX, 41., XX, 183. et passim. Reliqui cum vett. edd. omnibus: *credis.* Praeterea lectionem vulgatam *optasse* exhibent deteriores Heinsiani et ed. Naugeriana. Bern.: *multis.*

100. *Qui sapiant.* Dresd., duo Goth., Guelf. 2. et 4., edd. Venn. et aliae: *sapiunt.* Ad sensum utrumque rectum et *sapiunt* et *sapiant,* quanquam coniunctivus in hac ratione sententiae usitatior. Vatic.: *an Pari solus.* Pauci etiam: *an Paris unus habet.* Sed vulgata non mutanda: nihil enim frequentius apud Ovidium, quam nominativus cum secunda persona verbi. Eodem pertinet, quod de nominativo cum prima persona verbi diximus ad Epist. I, 84. Conf. Epist. XIV, 73. Ceterum meo quidem sensu hic versus parum elegans est. De *sapiant,* Epist. XV, 210. et infra v. 257. Metam. X, 622.

— optari potes a sapiente puella.

Unus. Vid. Epist. XV, 20.

102. *Sed magis oris adest. Os* si pro *pudore* hic sumendum sit, ut in nota ad h. l. Heinsius capiebat et haud dubie sumitur in notissimo Catonis dicto apud Senecam de Ira III. c. 38., certe cum multis codd. Heinsii et vett. edd. et quae ante Heinsium pro vulgata erat, legendum est *minus oris.* At vero, ipso Heinsio teste, *magis oris* non pauci ex scriptis (etiam Goth. 1., Dresd. et pro var. l. Dun., qui a pr. manu exhibet: *nec magis. L.*), nec aliter ipsae Heinsianae edd. cum Burmanniana. Sed ita *os* pro impudentia sumendum, ut apud Cic. ad Div. IX. Ep. 8. *Misi ad te quatuor admonitores non minus verecundos. Nosti enim os adolescentioris academiae.* Conf. Ernest. in Clavi ad v., Drakenb. ad Liv. III. c. 71. Lenn. Trist. I, 1, 113.

Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Oedipodas facito Telegonosque voces.

Amor. II, 1, 11.

Ausus eram (memini) coelestia dicere bella,
Centimanumque Gyan, et satis oris erat.

Magis h. l. est *potius,* et intelligendum: *sed potius plus oris,* quod quum librarii non perspicerent, locum depravarunt. Vid. Fast. VI, 632. *Cordis,* intellige prudentiae, intellectus, de quo usu vid. v. 100. et Sil. Ital. III, 5. Conf. Markland. ad Stat. Silv. I, 2, 183. Ceterum Dresd., Goth. 1. et

Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
  Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, primus de mille fuisses.
  Iudicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus.
  Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tua Troica coniux;
  Invitam sic me nec Menelaus habet.

---

edd. Venn. et aliae: *Non tibi. Inest* ex duobus codd. sine idonea caussa recepit Heinsius. Idem tamen etiam Goth. 2. et aliquot minoris auctoritatis vett. edd., Bas., Vinc., Col. et Mic. tuentur. Vid. infra v. 145. Quatuor Heins.: *habes*.

104. *Mille—procis.* Procorum, qui Helenam sibi uxorem petierunt, nomina et numerus exstant apud Apollod. III. *Crof.*

107. *Praeceptaque gaudia.* Sic Put. aliique non pauci e praestantioribus (etiam Dun., Pal., Giess., Guelf. 2. et 3., Dresd. et duo Goth. *L.*); reliqui: *praereptaque gaudia.* Metam. XI, 310.

> Phoebus anum simulat, praeceptaque gaudia sumit.

Conf. Fast. IV, 940., Virg. A. X, 276. *Antecapere* pro *praecipere* dixerunt Sallustius et Tacitus non uno loco. De utroque verbo nos copiosius ad Val. Flacc. IV, 341. et 751. et ad Claud. Cons. Manl. 262. *Heins.*

Possidere et *praecipere* sic etiam coniunxit Lucret. VI, 1047.

> — — — — priór aestus ubi aeris
> Praecepit, ferrique vias possedit apertas.

Et proprie eae res *praeripi* dicuntur, quae alius, qui earumdem cupidus est, in ipso illo tempore, cum nos eas consequi studemus, ipsis quasi praesentibus atque spectantibus nobis, ad se rapit et occupat, id quod non cadit in hunc locum. *Praecapiuntur* autem proprie eae, quae prius, quam nos eas affectamus, occupantur. Eodem ducit illud *serus,* et vers. 108.

108. *Spes tua lenta fuit. Lenta venit* Iun. et Medic. Vid. Epist. II, 9. Moreti et Bern.: *quam petis. Burm.*

109. *Fieri tua Troica coniux.* Put.: *Troea*; IV alii Heins.: *Troia,* quod Heinsius primus induxit. Nos: *Troica.* Vid. ad Epist. I, 28. Idem Heinsius ex III codd. et ed. princ. recepit *fieri tibi.* Nec illud idonea fecit caussa. Ceterum Rel. totum hoc distichon, teste Bentleio, non habet, et in Dun. legitur post sequens.

110. *Nec Menelaus.* Sic Put. et VI alii. *Heins.* Etiam Goth. 1., Guelf. 1., Helmst.; reliqui vett. ll. omnes: *non.* In Goth. 2., Guelf. 2. et 4. est: *me non sic.*

111. *Convellere.* Varie hic turbant codd. Hi: *divellere,* alii: *compescere;* quidam: *corrumpere;* nonnulli: *contundere; compellere* etiam tres. Sed nihil muto;

Desine molle, precor, verbis convellere pectus,
Neve mihi, quam te dicis amare, noce;
Sed sine, quam tribuit sortem fortuna, tueri,
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta est, et in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere deae;
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem,
„Tyndaridis coniux" tertia dixit „eris." —
Credere vix equidem coelestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.

magna enim in hoc verbo vis, et maior, quam in *labefactare*. Vid. Manut. ad Cic. ad Fam. V. Ep. 13. *Burm. Molle.* Epist. XVI, 124., XV, 79.

113. *Fortuna.* Put. pro varia l., Goth. 2., Dun. (qui tamen pro var. l. *fortuna* exhibet), Guelf. 4. et a man. pr. Guelf. 1., et Trev.: *natura.* Hor. Sat. I, 1, 1.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit.

Virg. A. IV, 653.

Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.

Et flagitat eam lectionem contextus. Nam *sortem* respicit coniugium Menelai, quod non *natura,* sed fors vel fortuna dederat.

114. *Spolium.* Vid. Epist. V, 140.

115. *Altae.* Lov. et Bern. unus et ed. Ven. 1487.: *altis.* Alius est locus Epist. XVI, 53., quem hic respicit; ibi enim *Idae* suum appositum iam habet, quod est *mediae.*

116. *Exhibuere. Exposuere* non minus eleganter Mor. alter, ut Art. A. III, 209. *Heins.* In verbo *exponere* de feminis vel potius deabus subesset aliquid obscoeni sensus, quasi ad rem turpem se exposuissent. Quint. Decl. XIV. *Mulier omnibus exposita mortalibus.* Quare retineo *exhibuere,* quod idem notat, quod ostendere, publice monstrare. Epist. XIX, 34. Art. A. II, 348.

Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Epist. X, 52., al. *Burm.* Haec omnia respicere Epist. XVI. manifestum est.

118. *Tyndaridis.* *Tyndaridos* prior Mor. Sic *Aeolidos* et similia Graeco more. *Heins.* Et sic nunc vulgo editur. Ego vero repugnantibus omnibus reliquis libris mutare non sum ausus; nec ubique Graecas poetam nominum propriorum formas secutum esse, iam saepe diximus. Vid. infra v. 134. et conf. not. ad Epist. XVIII, 2.

119. *Coelestia corpora.* Duo Vatic.: *corpora.* *Ciof.* *Corpora* scripti plerique (etiam mei, vid. v. l.). Vulgo et vett. edd.: *numina.* Metam. XV, 661.

— — — — — tantusque videbor,
In quantum verti coelestia corpora debent.

Conf. Pont. II, 8, 59., Virg. A.

Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,
  Iudicii pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
  Maxima teste dea dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari;
  Laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil infirmo; faveo quoque laudibus istis:
  Nam mea vox quare, quod cupit, esse neget?
Nec tu succense, nimium mihi creditus aegre:
  Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas,
  Proxima, me visam praemia summa tibi;

XI, 276., Epist. XII, 30. *Heins.* Ac praeterea mihi lectio *corpora* singulare quid Ovidianum habere videtur, quae etiam accommodatior est ad id, quod sequitur, *formam*.

122. *Dicor.* Sic meliores Heinsii, Dun., Trev. a m. pr., Guelf. 1. et 3. et duo Goth. Reliqui vett. ll.: *dicar*, quod non fert Latinitas.

123. *Mihi* iidem meliores Heinsii et mei prope omnes. Vid. v. l. Reliqui vett. ll.: *mei.* Val. Flacc. III, 668.

— — — nec parva mihi fiducia gentis.

126. *Invidiosa.* In uno Vatic. et in ora alterius: *insidiosa.* Placet. *Ciof.* Multi codd.: *insidiosa.* Unus Bern.: *insidiata.* *Heins.* *Insidiosa* etiam Guelf. 2. et 4., Trev. et Giess. cum edd. Venn. et al. Ad sententiam utrumque probum, atque eodem fere redit, sive dicas: *Laus illa Veneris invidia, odio* (damno) *plena,* sive: *Laus Veneris insidiis plena est.* Hinc codd. audiendi sunt, quorum plurimi, iique ut videtur meliores, exhibent *invidiosa.* Quanquam erit fortasse, qui alteram l. praeferat et sic fere intelligendam putet: *Laude illa Veneris mihi insidiae struuntur.*

127. *Sed nihil infirmo.* Libri multi et Excerpta Iureti (etiam alter Vatic. apud Ciof., Dun., Goth. 2. et a m. pr. Trev. *L.*): *infirmor.* Palat., ed. Ven. 1487., Bas. et sqq.: *insinuo.* Duo alii: *offendo* (et Dun. pro var. l.: *offendor*). Unus Vatic. apud Ciof. et alterius margo, unus Lov., Hafn. et Vatic. ap. Heins.: *inficior.* Douzae cod.: *Sed non irascor.* Nihil immutari praestiterit. Cic. Divin. c. 9. *Nec ea dico, quae si dicam, tamen infirmare non possis.* Vellei. Pat. II. c. 2. *Tib. Gracchus graviter ferens aliquid a se factum infirmari,* h. e. convelli, infringi. Glossa Put.: *i. e. vitupero. Burm.* Multi Heins. quoque: *tangor quoque laudibus istis.*

128. *Quod cupit.* Paullo audacior dictio: *quod cupit mea vox.*

129. *Nimium—aegre.* „*Si nimium aegre tibi credidi, fidem*

Nec te Palladios, nec te Iunonis honores
  Auditis Helenae praeposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus, ego sum tibi nobile regnum?
  Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non sum, sed amare repugno
  Illum, quem fieri vix puto posse meum.
Quid bibulum curvo proscindere litus aratro,
  Spemque sequi coner, quam locus ipse negat?

habui; nam magnae res tardam habent fidem, tarde creduntur." Conf. Epist. II, 9.

134. *Helenae.* Sic scripti et vett. edd. (Vulgata ante Heins. cum ed. Naug. et Bas. et seqq.: *Helenes.*) *Heins.* Vid. ad v. 118.

135. *Ergo ego sum virtus.* „*Ergo ego sum tibi pro virtute Palladis, pro regno Iunonis.*" Vid. supra v. 117. et conf. Ep. III, 52. Multi codd. Heins., Dresd., duo Goth., Guelf. 2., 3., 4., Trev. et edd. Venn. et Naug.: *sum.* Reliqui codd. et ante Heins. vulg.: *sim.*

136. *Amem.* Bern. et Goth. 2.: *amo.* Cic. ad Fam. XV. Ep. ult. *Ferreus essem, si te non amarem,* unde hic locus expressus videtur Burmanno, non mihi. Tib. I, 2, 65. ed. Huschk.

> Ferreus ille fuit, qui, te cum possit habere,
> Maluerit praedas stultus et arma sequi.

Conf. Epist. III, 111. 112. et XII, 202.

137. *Repugno.* Put. et reliqui maiori ex parte (vid. v. 1.): *repugno.* Reliqui vett. ll.: *recuso.* Similis diversitas codd. Met. III, 376.

> — — — natura repugnat,
> Nec sinit incipiat.

Sic contra *vivere pugna* Epist. XIII, 77. Conf. Fast. II, 648., Ibis v. 18., Remed. A. 122. Adi not. ad Fast. III, 307. *Heins.* *Repugnare* cum infinit. Lucret. IV, 1081.

> Quod fieri contra coram natura repugnat.

139. *Proscindere.* Oxon. et plures alii: *profindere,* quod quidem verbum apud Ovidium nusquam legitur; *proscindere* vero etiam Metam. VII, 119.

> — insuetum ferro proscindere campum.

Idem exstat apud Sil. It. XVI, 551., Lucret. V, 210. et 1294., Virg. G. II, 237. Vid. Serv. ad Virg. G. I, 97. et Varro de Re Rust. I. c. 29. Bern.: *cerno percindere.* Ceterum *bibulum litus arare* est in vanum laborare, operam perdere. Vid. ad Epist. V, 115.

140. *Negat.* Coniunctivum *neget* e duobus codd. primus recepit Heinsius. Utrumque Latinum, vid. supra v. 99.; quanquam simplicior indicativus. „*Et spem laetae messis sequar, quam loci ipsius natura* (arena) *denegat?*"

141. *Rudis ad.* Vid. Epist. XI, 48.

142. *Sint testes.* *Sint* plurimi, non, ut vulgo, *sunt,* ut Metam.

Sum rudis ad Veneris furtum, nullaque fidelem —
Di mihi sint testes — lusimus arte virum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio litera nostra novo.
Felices, quibus usus adest: ego, nescia rerum,
Difficilem culpae suspicor esse viam.
Ipse malo metus est: iam nunc confundor, et omnes
In nostris oculos vultibus esse reor.
Nec reor hoc falso: sensi mala murmura vulgi,
Et quasdam voces retulit Aethra mihi.
At tu dissimula, nisi si desistere mavis.
Sed cur desistas? Dissimulare potes.
Lude, sed occulte: maior, non maxima, nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente profectus:
Magna fuit subitae iustaque causa viae;

IX, 541. *Heins.* Exemplis hic nihil efficitur. *Sint* etiam plurimi e meis, quod fere pro iuramento est, ideoque huic loco convenientius.

144. *Novo,* novo mihi atque inusitato.

145. *Felices.* Solemnis formula et locutio. Epist. XIX, 111., Metam. X, 329., Virg. Georg. II, 490., al. *Burm.*

147. *Malo est,* officit. Bern.: *Ipsa virum metuo.* — *Confundor.* Vid. Epist. XVIII, 129.

150. *Aethra.* Vid. Epist. XVI, 257.

151. *Nisi si.* Codd. magna ex parte et vett. edd.: *nisi tu*; alii (etiam Douz., Goth. 2. et Guelf. 3. *L.*): *nisi te*; alii: *si non, nisi me, nisi iam* et similia. At Put. (etiam Goth. 1. et ed. Naug.) vulgatis accedit. Recte. Vid. ad Epist. IV, 111. *Heins.*

152. *Dissimulare potes.* Unus Moreti et edd. Venn. 1486. et 1492.: *Dissimulare licet,* ut Epist. IV, 137. de eadem re *celare licet,* unde fortasse haec varietas orta est.

153. *Non maxima.* Vid. v. 163. sqq.

155. Bern.: *ita me cogente.* Edd. Venn. 1486. et 1492.: *te cogente.* Nonnulli Heins.: *In Cressia regna profectus. Creteia regna prof.* Lovan.; alter Bern., Gott. et Vat.: *longa regione profectus.*

156. *Magna fuit subitae etc.* Dictys Cretensis de bello Troi. I. c. 1. *In Cretam,* inquit, *profectus est Menelaus, ut hereditatem avi materni Cretei, qui filius erat Minois et Cretae regnum obtinuerat, cum reliquis cognatis, ex Cretei filiabus genitis, divideret ac cerneret;* ubi pro *Cretei* legendum *Catrei.* Filius Minois, pater Aeropes, quae, sive Atreo sive Plistheni nupta, Agame-

Aut mihi sic visum est: ego, cum dubitaret an iret,
„Quam primum“ dixi „fac rediturus eas.“
Omine laetatus dedit oscula, „Resque domusque,
Et tibi sit curae Troicus hospes“ ait.
Vix tenui risum, quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere praeter „Erit.“
Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis;
Sed tu non ideo cuncta licere puta.

mnonem et Menelaum peperit, *Catreus*, non, ut Burmanno ad h. l. et ad Velleium I. c. 1. et 2. placuit, *Crateus* aut *Creteus* dicebatur. Vid. Diod. S. IV. c. 60. ibique Wesseling., Pausan. VIII, 53., Tzetz. ad Lycophr. 149. Conf. Meziriac. Comment. ad Heroid. Epist. T. II. p. 250. et Heyn. ad Apollod. III. et II. *Lenn.* Ioannes Antioch. inter Excerpta Valesii p. 785. dicit eum ad sacra facienda profectum. *Heins.* Ac profecto Dictyos Cretensis illa narratio de hereditate recentiorem sapit aetatem, non illam heroum. Coluth. Rapt. Hel. sub fin.

Ἠερίης ὄρνιθες εὔπτερα τέκνα γενέθλης,
Ἕσπετε νοστήσαντες ἐπὶ Κρήτην Μενελάῳ.

Ovid. Rem. A. 773.

Quid, Menelae, doles? ibas sine coniuge Creten,
Et poteras nupta laetus abesse tua?

157. *Aut mihi sic visum. Visum* in omnibus, non, quod Naugerius ex Epist. XVI, 301. 302. coniectatum recepit, *iussum.* Porro plerique scripti cum vulg.: *At.* Put. et Leid.: *Aut.* Vere. Vid. Epist. XVI, 362. *Heins.*

Conf. Epist. XII, 13.

158. *Quam primum—eas.* Callidam vide ad proficiscendum adhortationem.

159. *Omine laetatus.* Sc. quod eum ire et *quam primum redire* iuberem. De hac superstitione supra dictum est ad Epist. XIII. *Resque domusque* formula solemnis. Tibull. I, 9, 72.

Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Burm.

160. *Sit—Troicus hospes.* Farnes.: *sint. Troicus* cum omnibus vett. libris. Heins.: *Troius.* Vid. ad Epist. I, 28. et de re Epist. XVI, 301.

161. *Compescere luctor.* Vid. supra ad v. 137. et Epist. XVI, 235. et sic in Metam. saepius.

162. *Erit.* Vid. Epist. II, 134. Epist. XIII, 14. *Vix illud potui dicere triste Vale.*

163. *Creten ventis.* Vett. edd. praeter Naug.: *ventis Creten.*

164. *Non ideo — puta. Adeo* Put. et Guelf. 1. *Non puta* pro *ne puta* quamvis reprehendat Quint. I. O. I. c. 5. *Qui dicat pro illo ne feceris non feceris, in idem incidat vitium* (soloecismum); tamen exemplis probatur optimorum scriptorum: Tibull. II, 1, 9., ubi vid. Huschk., Horat. Sat. II, 5, 91.,

Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens:
  An nescis longas regibus esse manus?
Fama quoque est oneri: nam quo constantius ore
  Laudamur vestro, iustius ille timet.
Quae iuvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est;
  Et melius famae verba dedisse fuit.
Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam:
  Moribus et vitae credidit ille meae.
De facie metuit, vitae confidit; et illum
  Securum probitas, forma timere facit.

ubi vid. Heindorf., Hor. Epist. I, 18, 72., A. Poet. 460. et inprimis Ov. Art. A. III, 129.

Vos quoque non caris aures onerate lapillis.

Pont. I, 2, 105.

Non petito, ut bene sit, sed uti male.

Vid. F. A. Wolf. Museum Antiq. Stud. T. I. p. 581.

166. *Longas regibus e. m.* Paroemium Graecum, *Μακραὶ τυράννων χεῖρες.* Vid. Apostol. *Heins.* Conf. Claud. in Rufin. II, 26., ubi vid. Barth.

167. *Fama quoque est oneri.* Plin. Epist. VIII. Ep. 25. *Onerat te quaesturae tuae fama, quam ex Bithynia optimam revexisti. Burm.* Vid. supra v. 147.

168. *Iustius,* eo iustius. Vid. ad Epist. XVIII, 92. Quidam codd. Heins.: *fortius.*

169. Bern.: *Quod iuvat.* „Gloria, quae, ut nunc est (sc. *clara* v. 17.), me iuvat, eadem mihi obest, sc. quia furtis obstat."

170. *Dedisse fuit.* Heinsius e nonnullis codd. primus dedit *foret.* Sed nihil frequentius, quam in hac ratione sententiae tempus perf. indicativi (vid. Rudim. Gramm. Lat. Vol. II. p. 379. ed. Stallb. et not. ad Epist. X, 112.); ut omnino nihil obstet, quominus cum omnibus vett. edd. et longe plurimis codd. scribamus *fuit,* quum praesertim multo verisimilius sit, insolentiori dictioni usitatiorem esse substitutam, quam vice versa. Dun. etiam: *foret.* Ceterum miraberis eundem Heinsium v. 186. in simili fere sententia l. *foret* eiecisse, ut ei cum Put. *fuit* substitueret. De dictione *verba dedisse* Van Lennep „*Famae verba dedisse,* inquit, est famam latendo fefellisse. *Verba dare* decipiendi significatione primum quidem est verba pro rebus dare, promissis fallere; deinde universe fallere tam rebus et factis quam verbis; eximie latendo fallere. Nep. Hannib. c. 5. *Fabio, callidissimo imperatori, verba dedit.* Gell. N. A. XVII. c. 2. *Cominius, qua ascenderat, descendit atque Gallis verba dedit.* Conf. Epist. XVI, 237. et XVIII, 98."

171. Scriv.: *mirere.* Naug.: *relicta.*

172. *Moribus,* h. e. bonis moribus. Conf. Epist. VI, 94.

174. *Forma timere facit.* Lo-

Tempora ne pereant ultro data, praecipis, utque
Simplicis utamur commoditate viri.
Et libet et timeo, nec adhuc exacta voluntas
Est satis: in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis, et tu sine coniuge dormis,
Inque vicem tua me, te mea forma capit;
Et longae noctes, et iam sermone coimus,
Et tu — me miseram! — blandus, et una domus,
Et — peream, si non invitant omnia culpam:
Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.

cutio a poetis frequentissime usurpata. Virg. A. II, 538.

— qui nati me coram cernere letum
Fecisti.

Exempla congesserunt, ut supra ad Epist. VI, 100. monuimus, Bentlei. ad Terent. Phorm. Prolog. v. 6. et Forcell., ex quibus eam observationem non apud poetas solum, sed etiam apud bonos solutae orationis scriptores reperiri apparet.

175. *Ultro data.* Vid. Epist. XVI, 297. et seqq. Edd. Venn. 1486. et 1492.: *praecipis ipse.*

176. *Commoditate.* Vid. Epist. XVI, 310.

177. *Exacta voluntas.* Put. et omnes fere scripti (etiam Dresd., duo Goth., Helmst., Guelf. 3. et 4., Giess. et edd. Venn. *L.*): *voluptas;* sed *voluntas* legendum iam Hubertinus vidit. Mens enim et voluntas Helenae dubia erat nec adhuc satis deliberata. Gratius v. 259. *Tamen huic* (cani) *exacta voluntas.* Nam *exacta* propria in hac re vox, quando quid perpenditur, ut exsequamur, pro *certa.* Amor. III, 7, 16.

Nec satis exactum est, corpus an umbra forem.

Fast. III, 637.

Nec satis exactum est, quid agat.

Sic *exacta ratio* Hor. Sat. II, 4, 36. Sic *ad numeros exigere* Ov. Rem. A. 372. et *ad vires* Art. II, 502.; *fabrae exactus artis* Fast. III, 383. et sexcenta talia. *Burm.* Trev.: *voluntas.* Ut hoc loco *Et libet et timeo,* quod fere est *quamvis libeat, tamen t.,* sic Rem. A. 407. *Et pudet et dicam,* Trist. V, 12, 63. *Nec possum et cupio,* Met. XIV, 279. *Et pudet et referam,* quod non ita dico, ut *et* pro *et tamen* poni putem, sed Latinos hoc genus sententiarum saepe alia quam nos figura exprimere. Conf. Epist. XVI, 344. ibique not.

178. *In dubio.* Heinsius coniecit *in bivio.* Epist. XIX, 174.

Quid sequar in dubio est.

Et Heinsii coniectura quomodo cum illo *labant* consistere possit, non video. Terent. Andr. I, 5, 31.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc vel illuc impellitur —

ubi *huc illuc impelli* idem est, quod hic *labare.* *Burm.*

179. *Et vir abest—et.* De repetita particula *et* vid. ad Epist. XII, 189.

Quod male persuades, utinam bene cogere posses:
Vi mea rusticitas excutienda foret.
Utilis interdum est ipsis iniuria passis:
Sic certe felix esse coacta velim.
Dum novus est, potius coepto pugnemus amori:
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.

183. *Invitant.* Sic scripti. Vett. edd.: *invitent.* Praeterea Gron.: *Ut peream.* De voce *invitare* hoc sensu vid. Burmann. ad Vellei. II. c. 67. Cum hoc loco conf. omnino Art. A. II, 369. seqq. Denique nota affectum huius loci.

184. *Ipsa.* Cum vi dictum. „*Et* (paucis), *peream, si non omnia ad culpam provocant; sed ipsa tardor nescio quo metu retenta.*" *Sed tamen* paullo liberius hic quarto loco positum est, ut Epist. XI, 106., Martial. II, 7, 7.

185. *Quod male persuades.* Douzae cod., unus Reg. et a m. pr. Ball.: *Quam male persuades,* quod ab Ovidio profectum existimans recepi. Vid. nostram adnot. ad Petron. c. 46. *Male* autem non moverem (nam Argent.: *bene*), quod est *vix, aegre;* ita enim decebat sensim et pedetentim in crimen abeuntem mulierem, et quae cogi velle prae se ferebat, loqui. *Burm.* Cum omnibus vett. edd. et codd. longe plurimis legendum *Quod,* quod ad quid referendum sit, in aperto est. Idem probant etiam Heusinger, Werfer et Iahn. *Cogere aliquid.* Cic. Legg. II. c. 7. *Hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.* Conf. Epist. XIX, 187. et XXI, 131. Ceterum Trev., Guelf. 1., 2. et 4., Dresd., Goth. 2. et vett. edd.: *posses,* quod et maiorem habere auctoritatem codicum, et aptius etiam esse videtur ad sequens *excutienda foret.* „*Utinam cogeres, cogere posses; nam vi mea rusticitas excutienda esset.*"

186. *Vi—foret.* Vulg.: *Sic—foret.* Put.: *U mea—fuit.* Barber., Bern., Argent.: *Ut—fuit.* Scripti plerique (etiam Guelf. 1. et 4.): *Ut—foret.* Scribo: *Vi—fuit.* *Heins.* *Vi* est in Dresd. et II Goth., eamque l. sententiae ratio requirit. Sed *fuit* cur cum Heinsio e paucissimis codd. omnino scribendum putem, non intelligo. Amar et Iahn quoque: *foret.* Vid. var. l. Cod. Dun.: *Tunc mea.* Margo codicis Trev.: *Quia haec vis est grata puellis.* *Rusticitas,* repugnantia, nimia cura pudoris. Sic *rustice pudor* dixit Art. A. I, 607. Conf. not. ad Epist. XVI, 220.

188. *Esse coacta velim.* Vulgo: *Ipsa coacta forem.* Sed primae edd. et scripti plerique (etiam Guelf. 3.): *esse coacta velim.* *Heins.*
Cod. Rel. et nonnulli e meis (vid. v. l.): *esse coacta forem.*

189. *Potius coepto.* Guelf. 2. et 4. et vett. edd.: *coepto potius.* De *pugno* cum dat., vid. Forcell. et Indices Virgilii.s

190. *Resedit.* Perfectum pro

Certus in hospitibus non est amor: errat ut ipsi,
  Cumque nihil speres firmius esse, fugit.
Hypsipyle testis, testis Minoia virgo est,
  In non exhibitis utraque lusa toris.
Tu quoque dilectam multos, infide, per annos
  Diceris Oenonen destituisse tuam.

residere solet, cuius loquendi modi plura exempla vid. apud Viger. de Idiotism. p. 215. Vid. etiam Bentlei. ad Hor. Od. III, 23, 19. et Iahn ad Virg. G. I, 287. Eodem modo Quint. Declam. 13. §. 10. *Etiam si diversis regibus exorta seditio inflammavit iras, exiguo pulvere vel unius poena ducis resedit omnis tumor.* Heinsium prurigo novandi in loco omnium incorruptissimo incitavit ad coniiciendum *residit*, quod Burmannus Sec., novitatum non segnior amator, sed infelicior auctor, probavit, ad Lotich. T. I. p. 97.

192. *Fugit.* Etiam hoc loco Heinsio unius Puteanei scriptura instar omnium fuit, qui ex illo uno receperit (quam l. seriores editores omnes post ipsum amplexi sunt): *fuit*, argutam eam dicens, quod sic opponatur vox *fuit* voci *esse*, praeteritum praesenti. Verum primum in eo errat, quod *fuit* verbo *esse* respondere existimat, quum *esse* nullam omnino vim habere videatur, quae omnis inest voci *firmius*. Vocibus *firmius esse* autem omnium aptissime respondet *fugit*, fugam capit, in fugam se convertit. Adde, quam haec lectio efficit concinnitatem huius versus et praecedentis: respondet enim *firmius esse* voci *certus*, et *fugit* voci *errat*. Adde auctoritatem prope omnium vett. librorum. Vid. Epist. XIX, 89. et Trist. V, 14, 30. Guelf. 3.: *fuit*. Guelf. 2.: *speret*.

193. *Virgo est.* Cod. Trev. eleganter:

Hypsipyle est testis, testis Minoia virgo.

Vett. edd., excepta Naug., *est* post *virgo* non habent. De re conf. Epist. VI. et X.

194. *Utraque lusa toris.* Vulgo: *iuncta*. Excerpta Scaligeri, (Dun.) et IV ex nostris: *pacta*. Nonnulli: *victa*, vel *iuxta*, *lusa*, *iucta*, *pucta*. Put., Argent. et IV alii: *utraque iusta*. Proxime ad verum; scribendum scilicet *utraque questa*. Vid. ad Epist. XIV, 91. HEINS. Sed an Latine dicatur *questa in toris non exhibitis*, vehementer dubito. Ego *lusa* praetuli ex optimis libris (?), quod obvium apud nostrum est alibi pro *decepta*. Vid. v. 45. BURM. Cod. Trev.: *laesa*, quod coniiciebat Bentlei. Vid. var. l. *Non exhibitis*, promissis, sed *non datis*. Perperam Forcellin.: *non oblatis, sed furto quaesitis atque adeo illegitimis.*

196. *Destituisse.* Sic meliores (etiam Rel., Dresd., Goth. 1. et Guelf. 1.), ut Epist. V, 78, VI, 155., X, 96., Fast. I, 364. et III, 348. HEINS. Mei pleri-

Nec tamen ipse negas; et nobis omnia de te
Quaerere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes: expediunt iam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, iam tibi ventus erit.
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia; cum ventis noster abibit amor.
An sequar, ut suades, laudataque Pergama visam,
Pronurus et magni Laomedontis ero?
Non ita contemno volucris praeconia famae,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me poterit Sparte, quid Achaia tota,
Quid gentes Asiae, quid tua Troia loqui?

que cum vulg.: *deseruisse.* De re vid. Epist. V. *Diceris* eleganter ex persona Helenae.

198. *Quaerere,* inquirere, ut solent amantes. Vid. Epist. V, 130.

200. *Expediunt.* Sic primae edd. et scripti plerique. (Vulg.: *expedient.*) HEINS. Etiam potior pars meorum. Vid. v. l. Cod. Helmst.: *sua vela,* quod Heinsio placebat, sed parum accommodatum est huic loco: *Adde quod, ut, licet..., tu non potes; nam tua vela iamiam expediuntur, et, dum....., tibi ventus erit, etc. Adde quod,* Ovidio solemnis dictio. Vid. Ind.

201. *Paratur.* Nequitias innuit. Conf. v. 203.

204. *Cum ventis.* Oudendorpio et Ruhnkenio probanda videtur coniectura Francii: *cum velis.* Sic *abeuntia vela* Epist. V, 55. LENN. *Cum ventis* recte habet: „Si ventus secundus flat, adest, quod bene redditur per *cum ventis.* Conf. Epist. XVI, 330. *Noster,* h. e. *nostri,* de quo supra dixi.

205. *Laudataque Pergama.* Vid. Epist. XVI.

206. *Pronurus,* nepotis uxor, et respicit ad prosocerum. Eodem modo noster *prosocer* Epist. III, 74., quae vocabula Ovidius videtur novasse.

207. *Volucris — famae.* Vid. ad Petron. c. 133. BURM. *Fama* dea iam apud Hesiod. Vid. Met. XII, 39. sqq. ibique Gier., cum quo loco conf. Virg. Aen. IV, 173. ibique Heyn.

208. *Meis.* Bern. et ed. Vinc.: *meas.* Vid. v. l.

209. *Poterit Sparte.* Heinsius nihil de codicibus notans dedit: *Sparte poterit.* Bern.: *poterunt Sparte.* Vid. supra ad v. 97.

210. *Asiae.* Plerique Heins., Trev., Dresd., II Goth., Guelf. 2., 3. et 4.: *aliae.* Nonnulli Heins.: *totaque Troia.*

211. *Quid sentiet. Sentiat* rectius VI libri (etiam Rel. et Dun. *L.*). HEINS. Immo peius,

Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor,
Totque tui fratres Dardanidesque nurus?
Tu quoque, qui poteris fore me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?
Quicumque Iliacos intraverit advena portus,
Is tibi solliciti causa timoris erit.
Ipse mihi quoties, iratus, „Adultera!“ dices,
Oblitus nostro crimen inesse tuum?
Delicti fies idem reprehensor et auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos.
At fruar Iliacis opibus cultuque beato;
Donaque promissis uberiora feram:
Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur;
Congestoque auri pondere dives ero. —

sequitur enim fut. temp. v. 213., 216., 217. et praecessit v. 209. Ment. et Excerpt. Douzae: *censeat.*

212. *Dardanidesque.* Sic meliores. Vid. Epist. VIII, 66. et XVI, 194. Vulg.: *Dardaniaeque.* HEINS.

Etiam mei omnes: *Dardanidesque. Nurus* non sine delectu, quippe et ipsae nuptae.

213. *Fore me.* Sic optimo sensu vett. edd. et mei codd. omnes, atque inde certa coniectura est de codd. Heinsii, qui, quod suum exemplar exhibebat, retinuit: *tibi me,* nulla facta librorum mentione. Bern. et tres Heins.: *quid poteris,* et septem Heins.; *quo.* De re conf. Epist. V, 99.

214. *Et non.* Put.: *Et nox,* sed emendatum *mox.* Bern.: *Et nunc exemplis anxius esse velis.* Leid.: *esse meis.*

215. *Portus.* Reg. a m. pr.: *muros.* De re conf. Epist. V, 134.

218. *Nostro crimen inesse tuum,* argute pro: cum nostro crimine coniunctum esse tuum, tuum crimen in nostro contineri.

219. *Fies idem. Fias tu idem* cod. Apr. Intimel.

220. *Terra etc.* Cum vi atque affectu haec imprecatur. Conf. Epist. III, 63. et VI, 144. Hom. *Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.*

221. *At fruar.* Vid. Epist. XVI, 191. *Iliacis opibus.* Conf. Epist. XIII, 58.

224. *Congestoque auri pondere.* Quatuor codd.: *congestique.* Male. Est Virgiliana imitatio (?) Aen. I, 359. *Ignotum argenti pondus et auri.* Iahn post hunc versum signum interrogandi posuit. Sed particula *nempe* etiam sine interrogatione coniicit aut exponit. Vid. ad Epist. VI, 144. Trist. III, 4, 21—23.

Quid fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas;
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat.

Da veniam fassae; non sunt tua munera tanti:
Nescio quo tellus me tenet ista modo.
Quis mihi, si laedar, Phrygiis succurret in oris;
Unde petam fratres, unde parentis opem?

Amor. III, 7, 47.

Optabam certe recipi: sum nempe receptus;
Oscula ferre: tuli; proximus esse: fui.

Epist. XX, 93.

Hoc, quod Amor iussit, scriptum est iniuria nostra: —
Quod de me solo nempe queraris, habes.

In quorum locorum duobus posterioribus interrogatio vix locum habere potest, neque Iahnus eam induxit. Atque huius distichi ratio mihi nihil quidquam videtur discrepare a disticho praecedenti.

226. *Tellus ista. Ista* est, interprete Burmanno, quam tu contemnis et barbaram dicis; quam interpretationem recte paullo duriorem dixit ad hunc locum Van Lennep. *Ista* est *haec, isthaec,* qua significatione, etiam sine notione invidiae, saepe reperitur (vid. Forcellin.). Sensus est: *Placet mihi nescio quomodo ista tellus* (sc. Lacedaemon, patria mea). *Quis* (porro) *mihi Phrygiis in oris, si laedar, succurret; etc.?* Non pauci Heins., Put., Dresd., Goth. 2., Guelf. 1. et 3.: *ipsa,* quod Iahn recepit, sed mihi paullo obscurius videtur, quia sic demonstrativum desideratur. *Succurrat* v. 227. e tribus libris primus recepit Heinsius. Vid. supra v. 99. Nos, praeeunte Iahno, cum reliquis vett. libris, excepto Guelf. 1., omnibus dedimus *succurret.*

228. *Unde petam fratres.* Vulgo: *Unde petam fratris, unde parentis opem?* quam l. etiamsi omnes confirmarent libri scripti, semper tamen aliquomodo suspectam mihi faceret versus penthemimerim claudens brevis syllaba, cuius licentiae an usquam alibi apud nostrum exemplum reperiatur, recte dubitantem et Heinsium ad h. l. videas. At cum, eodem teste, meliora exemplaria *fratres* habeant, hoc quidem haud dubie praeferendum censui vulgato. Neque enim, ut Heinsio visum est, minus Latine dicitur *Unde petam fratres,* quam *Unde petam fratris opem.* Est enim et hoc et illud pro *arcessam, comparem mihi.* Nec, ut item Heinsius putabat, aliquod est vulgatae praesidium in traditione, qua iam ante raptum Helenae interfectus a Lynceo perhibetur Castor, cum, ut recte observavit Schroder Miscell. Obss. Vol. VII. T. III. p. 462., *gemini fratres*, ut cum maxime vivi, ambo memorentur infra v. 250. Praeterea nullus dubito, quin Ovidio hic obversatus fuerit nobilissimus Homeri locus Iliad. III, 236., ubi inter Achivorum principes, quos de muro spectabat, ambo fratres se requirere dicit Helena. LENN. *Fratres* etiam Trev., Goth. 1., Dresd., Guelf. 1., edd. Venn. et al.

229. *Omnia.* Vid. Epist. XII.

230. *Num minus.* Sic Put.,

Omnia Medeae fallax promisit Iason;
  Pulsa est Aesonia num minus illa domo?
Non erat Aeetes, ad quem despecta rediret;
  Non Ipsea parens Chalciopeque soror.

II Goth., Guelf. 1. et Trev., quod primus recepit Heinsius. Reliqui libri vett.: *non minus*, Vid. ad Epist. XI, 19. Conf. Epist. XVI, 365.

231. *Despecta.* Lov.: *depulsa.* Mor.: *deiecta.* Edd. Venn.: *veniret*, de qua l. vid. Epist. I, 116.

232. *Non Ipsea parens.* Pro *Ipsea* Heinsio ad h. l. omnino scribendum videbatur *Idya*, matrem Medeae sic vocantibus Hes. Theogon. 959., Apollon. Rhod. III, 243., Apollod. I., Cic. N. D. III, 19., Hyg. F. 25. Etiam ante Heinsium ita legendum hoc l. Delrius coniecerat ad Senec. Med. 209., veriorem etiam, quam aut Heinsius aut Burm. ad h. l., nominis scripturam exhibens *Idyia*, cum sit Graecum nomen Ἰδυῖα vel *Εἰδυῖα.* Nam et hanc et illam formam Apollodori codd. agnoscere in suis ad eius I, 9, 25. annott. Heynius testatur, et apud Hes. l. l., ubi recentiores editi *βουλῆσιν, Ἰδυῖαν* exhibent, Aldina cum duabus Iuntinis et scriptorum nonnullis *Εἰδυῖαν* habent, unus etiam meus Paris.: *βουλῆς.* In Galeni vero Scholiis in eum l., ubi editi perperam *τῇ Ἰδίᾳ* circumferunt, *τῇ Εἰδυίᾳ* recte Parisinorum unus. Eandem hanc formam, quam Lycophron in v. 1025. et ad huius v. 174. Tzetzes praefert, etiam Apollonio Rhodio l. c. Brunckius e codd. restituit, ita postulante metro, quamvis Ἰδυῖαν ad dict. Apollonii locum Scholia exhibeant. Quominus vero cum Delrio et Heins. apud nostrum h. l. *Idyia* rescribamus, primo codd. obstant, quorum Put. a m. pr. *Ipsia*, alii *Yssea, Ysea, Yexea, Impea, Illaea, Gipsea, Ipsaque, erat ipsa* vel *ipse*, et quidvis potius quam *Idyia* exhibent; deinde quod Medeae matrem haudquaquam omnes *Idyiam*, sed alii aliam faciunt; Dionysius Miles. Argonaut. L. I. apud Scholiast. Apollon. l. l., eumque sequutus, ut videtur, Diod. Sic. IV, 45. *Hecaten;* auctor Naupactiorum apud eundem Scholiast. *Eurylyten*; Sophocles ibidem *Neaeram*, Nereidum unam; Hyg. in Praefat. *Clytiam;* etsi ibi quoque pro *Clytia* rescribendum *Idyia* cum Heinsio ad h. l. Hygini interpretes Schefferus et Munker ex eiusdem F. 25. contendant. At solet ille auctor sibi non constare. Pro *Clytia* vehementer pugnat citatus etiam a Burmanno ad h. l. Is. Vossius ad Catull. p. 261. At vero supra laudatis minus recte Delrius ad Senec. Med. v. 179. etiam *Antiopen* addit, quam Aeetae matrem, non uxorem, Diophanes in primo Ponticae Historiae apud Scholiasten Apollonii l. c., et *Asterodian*, quam Aeetae quidem coniugem, sed Absyrti, non Medeae matrem, ipse facit Apollonius l. c. *Lenn.* Dun. et Rel.: *Ipsaca.* Schol. cod. Guelf. 1.: *I-*

Tale nihil timeo; sed nec Medea timebat:
Fallitur augurio spes bona saepe suo.
Omnibus invenies, quae nunc iactantur in alto,
Navibus a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens;
Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsurum praemonuisse ferunt.
Utque favet Cytherea tibi, quia vicit habetque
Parta per arbitrium bina tropaea tuum;
Sic illas vereor, quae, si tua gloria vera est,
Iudice te causam non tenuere duae;

psea proprium nomen matris Medeae. Vid. var. l. Scaliger coniecit *Hypsaea*, de qua l. confer. Hor. Sat. I, 2. ibique interpp. Amar dedit *Idya.* — *Chalciopen* sororem Medeae fuisse testatur Apollodor. I.

236. *A portu.* In ed., qua Heinsius utebatur, erat *in portu*, (idem Naug.), pro quo Heinsius dedit lectionem librorum *a portu.* Bern.: *e portu.* Voss.: *ad portum.* Sed vid. Epist. XVIII, 10.

237. *Fax.* Vid. Epist. XVI.

238. *Est tua visa parens. Tibi* Patav. Forte *sibi.* Heins.

239. *Pelasgo.* Vid. Epist. XII, 29.

240. *Arsurum.* *Arsuram* Intimel. et Goth. 2., et sic post Heinsium nunc vulgo editur. Sed utraque forma apud Ovidium reperitur et *Ilios* et *Ilion. Ilios* Epist. I, 48.; *Ilion* Epist. XIII, 53., Metam. VI, 95. et XIII, 408. Vid. ad Epist. I, 48. Nihil igitur est, quod nos cogat vocem *Ilion* huius loci accipere pro accusativo formae *Ilios;* et quum *Ilion* duplicis esse generis et feminini et neutrius constet, nec caussa adest, cur cum illis duobus codd. potius genus amplectamur femininum, quam cum reliquis omnibus et vett. edd. neutrum. Hinc cum Iahno veterem scripturam dedi: *Ilion arsurum. Ilion* gen. neutr. etiam Hor. Od. IV, 4, 53.: *Ilio cremato*; *Ilium superbum* Virg. A. III, 3. et *altum* V, 261., ubi Servius: *Virgilius semper genere neutro.* Vid. ad Epist. XVI, 49.

242. *Bina tropaea.* De Pallade et Iunone. De re vid. Epist. XVI.; de verbis Epist. IV, 66.

243. *Sic illas vereor.* Sic libri vett., non *timeo*, ut edd. Venn. et Naug. et al. Pro vulg. *persequar* v. 245. Put. et alii: *prosequar.* Vid. Epist. XI, 119. et XII, 55. Heins. Sed *persequi* etiam pro simplici *sequi* usurpari notum est, igitur praestare videtur, eam rem codicibus diiudicandam relinquere. Mei prope omnes, meliores omnes: *persequar.* V. 243. unus Heins.: *victa est* pro *vera est.* Sensus est: *Ut.....; sic illas duas vereor, quae,*

Nec dubito, quin, te si persequar, arma parentur:
Ibit per gladios, hei mihi, noster amor.
An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Haemonios Hippodamia viros:
Tu fore tam iusta lentum Menelaon in ira,
Et geminos fratres Tyndareumque putas?
Quod bene te iactas et fortia facta recenses:
A verbis facies dissidet ista tuis.

si tu vere gloriatus es, caussam non vicere.

245. Vid. Epist. XVI.

246. *Per gladios.* Vid. ad Epist. IV, 38.

248. *Atracis—Hippodamia* non eadem est, de qua supra dictum est, sed uxor Pirithoi, in cuius nuptiis a poetis celebrata illa pugna Lapithas inter et Centauros orta est, de qua vid. ad Epist. V. — *Atracis,* ut Amor. I, 4, 8. — *Atrax* et *Atracia* est urbs Thessaliae (Strab. p. 440.), eius partis, quae Pelasgiotis dicta fuit, ab Atrace, filio Penei et Burae, condita ac nominata, auctore Stephano. Hinc *Atracis Hippodamia* pro Thessalica, sive quod ex ea urbe nata fuerit, sive generaliter accepto nomine. Alii autem *Atracem* fluvium Thessaliae faciunt, eiusque filiam Hippodamiam: sed hactenus dissimulato auctore. *Micyll.* Conf. Metam. XII, 209., ubi est *Atracides,* quod, uti et hoc l. *Atracis,* valet *Thessalus,* patronymico posito pro gentilitio. Vid. ad Epist. II, 6. *Haemonios viros* intellige Lapithas.

249. *Tu fore — — in ira.* Put.: *An fore — — in ulta.* Deinde Guelf. 2. et 3., Dresd., duo Goth. et edd. vett. cum vulg.: *lentum iusta,* quod et idem ferri potest. *Lentum.* Epist. I, 1., III, 22.

251. *Quod — iactas et — recenses. Iactas* scripti fere omnes; deinde quidam etiam *recenses,* pro vulgata *iactes* et *loquaris.* Recte. *Heins.* Ego non puto veterem ac vulgatam mutandam, quam Put. et optimus quisque codex (?) confirmat. Et *loqui* proprium esse magniloquentiae verbum ad Petron. II. c. 117. probavi et ad Quint. Decl. XV. c. 3. *Burm.* Sed undenam ille coniunctivus, vel potius qua ex lege grammatica defendi potest? Scribimus, praeeunte Heinsio, *iactas* et *recenses. Iactas* Heinsii codd. fere omnes, etiam mei et vett. edd. praeter Nauger., Mic. et Bersm. *Recenses* quidam Heins., Giess., IV Guelf., edd. Venn., al. Vid. supra ad v. 51.

252. *Ista tuis. Suis,* non *tuis* ut vulgo, Put. cum prima editione et aliis nonnullis scriptis (etiam Goth. 1. et Guelf. 3.). Epist. XIV, 67.

Haec ego: dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur.

Eleg. in mort. Drusi.

Haec et plura refert: lacrimae sua verba sequuntur.

Fast. II.

Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti:
  Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare iubeto:
  Militia est operis altera digna tuis.

Adde preces positis et sua verba focis.

Fast. IV.

— — supra nova vellera corpus
Ponit adorato per sua verba deo.

Epist. XII, 133.

Ausus es, — o iusto desunt sua verba dolori.

Metam. X, 506.

Tendit onus matrem, nec habent sua verba dolores.

Metam. XI, 164. *Vultum sua silva secuta est.* Frequentissimus est in hac locutione noster, si attendis. *Heins.* Ego vero Ovidianam esse censeo lectionem *tuis* tam propter auctoritatem codicum, quam quia secunda persona et praecessit et sequitur, et Heinsium hoc loco, uti aliis permultis, velut Metam. IX., Epist. VI, 58., XX, 76., hac ipsa Epistola v. 200., has delicias suas Ovidio obtrusisse. *Ista.* *Δεικτικῶς.* Dun. et Goth. 2.: *ipsa.*

253. *Quam sunt. Quam sint* prima editio et multi ex scriptis. *Heins.* Mihi verius videbatur *sunt.* Paridis corpus Veneri quam Marti magis aptum certe iam tum Helena videbat: unde profectum etiam in sequenti versu monitum: *Bella gerant alii; tu, Pari, semper ama.* *Lenn.* Vid. ad v. 211. Et confirmatur l. *sunt* loco huic simillimo Epist. XIII, 85.

Fortius ille potest multo, quam pugnat, amare:
Bella gerant alii; Protesilaus amet.

Ubi vid. not. Pro *corpora* Lov.: *pectora.* Vid. var. l.

254. *Bella gerant. Arma gerant* Scriv.

256. *Operis — tuis.* Edd. primae, etiam Bas., Vinc., Col. et margo Bersm., XXX Heins. (etiam Dresd., Guelf. 2. et 3. *L.*): *operis — tui,* quod recepit Burmannus. Nobis contra unice placebat ante Heins. vulg. et Heinsianarum edd. l. *operis tuis,* primum ne in penthemimeris fine brevis esset syllaba, quod ut merito improbatum fuit ab uno rei metricae intelligentissimo scriptore, Terentiano Mauro, apud Putsch. p. 2421., ita praeter morem esse melioris saeculi poetarum haud iniuria scripsit Burm. Sec. Anthol. Lat. T. II. p. 215.; deinde quoniam *operis*, sextum ab *operae* casum, etiam Latinitas mihi postulare videbatur. Certe *operam* sive *operas dare militiae* Latini dicunt, non *opus*; igitur etiam *dignam militiam, cui tu operas des, reddas, praestes,* brevius *dignam operis tuis*, non *opere tuo.* Quid? quod *operam* in eadem hac militia noster memorat etiam A. A. II, 673.

Aut latus et vires operamque adferte puellis:
Hoc quoque militia est; hoc quoque quaerit opes.

Denique *operis tuis* certe flagitat in sequenti versu *his*, nisi hoc cum Burmanno ad omnia praecedentia referre malueris. Atqui longe durissima haec

His ego, si saperem pauloque audacior essem,
  Uterer: utetur, si qua puella sapit.
Aut ego deposito faciam fortasse pudore,
  Et dabo coniunctas tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim praesentes ista loquamur:
  Scimus quid captes colloquiumque voces.
Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est.
  Haec mora sit voto forsan amica tuo.

ratio; altera vero, ut ad proxime antecedens referatur, et facillima est et sensus festivitate sese commendat. LENN. Vid. supra ad v. 228. In uno Mor.: *studiis*. Bern.: *operis altera danda tuis*. Vid. var. l. Ad sententiam conf. etiam Epist. XIII, 118. ibique not.

257. *Si saperem*. Conf. supra v. 100. et ibi not.

259. *Pudore*. In quibusdam *timore*. NAUG. *Pudore* veteres. Fast. VI, 620.

— haec positi prima pudoris erit.

Mart. III.

Sed iam deposito post vina rosasque pudore.

HEINS.

Exemplis h. l. nihil efficitur; nam dicitur etiam *metum*, *timorem ponere*, et utrumque hic locum habere potest. Cum *timore* stat etiam v. 257. Quanquam vulgata eademque omnium codicum gravior et toti orationis contextui aptior videtur. Eadem varietas est Epist. XVIII, 57. et saepe alibi. Pro *faciam* Reg. cum uno Farnes.: *sapiam*. Vid. ad Epist. I, 103.

260. *Coniunctas*. Vett. edd., unus Reg. et VII alii: *convictas*. Sex alii: *convinctas*. In Put.: *cunctas* et correctum *coniunctas*. Lov.: *Aut dabo et victas*. *Coniunctas*, quae est l. vulg. et reliquorum codd. omnium, recte habet. *Victa coniunctas manus dabo* plenius enuntiat, quod simplicius ac frequentius dicitur *victas manus dabo*, ut Epist. IV, 14., sumta translatione ab arena et gladiatoribus.

261. *Praesentes ista loquamur*. *Plura* ed. princ. cum III scriptis. Refer ad illa Paridis XVI, 281. *sed coram ut plura loquamur*. HEINS. Quod mihi inde huc videtur esse translatum: quare cum reliquis libris omnibus et Iahno dedi *ista*.

263. *Et adhuc tua messis in herba est*. Caes. B. C. I. c. 48. *Tempus erat anni difficillimum, quo neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant*. Virg. Georg. I, 113.

— — — tenera depascit in herba,
Cum primum sulcos aequant sata — —.

Conf. Ov. Fast. IV, 645. (Vid. Gierig. ad Metam. VIII, 290.) Idque proverbii vicem obtinet de iis, qui vita et spe praecipitant. (Vid. Erasm. Adag.) Pers. Sat. VI. *Quid metuas? occa, et seges altera in herba est*. Conf. A. Gell. Noct. Att. XIII. c. 16.

HEINS.

Vid. Fr. Gronov. ad Plin. XXXIII. c. 5. et I. filium ad Liv. XXV. c. 15. BURM.

Hactenus: arcanum furtivae conscia mentis
Litera, iam lasso pollice, sistat opus;
Cetera per socias Clymenen Aethramque loquamur,
Quae mihi sunt comites consiliumque duae.

264. *Sit.* Dresd., Guelf. 2., 3. et 4. et edd. Venn. et al.: *fit.* Verba *Haec mora etc.* lucem accipiunt a v. 259.

266. *Sistat.* Vid. Epist. XVI, 69. et VI, 87.

267. *Clymenen Aethramque.* Priorem aliter vocat Hyg. F. 92. de iudicio Paridis. Alexander Veneris impulsu Helenam e Lacedaemone ab hospite Menelao Troiam abduxit eamque in coniugio habuit cum ancillis duabus Aethra et Phisaide, quas Castor et Pollux captivas ei assignaverant, aliquando reginas. *Ciof.* Vid. ad Epist. XVI, 257. Edd. Venn. et al.: *loquemur.*

268. *Consiliumque.* Trist. IV, 2, 32.

> Hortator pugnae consiliumque fuit.

Gron., Oxon. et unus Heins.: *consciliumque.*



EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI.

Leander, iuvenis Abydenus, misere deperibat Hero, puellam Sestiam; sed amorem suum suos studiose celabat, iram metuens parentum. Ut tamen amicae amplexibus frueretur, clam noctu Hellespontum, qui interfluebat, ad eam transnatare consuerat et sub lucem Abydum reverti. Exorta autem aliquando tempestate tam aspera, ut undis sese committere non auderet, eaque per plures iam dies continente, per audacem nautam hanc ad Hero misit Epistolam. — Musaei Carmen de Herone et Leandro, ubi vid. C. Fr. Heinrich, Virg. Georg. III, 258. *sqq., ubi v. I. H. Voss., Stat. Theb. VI,* 542., *Thessalonic. Antipat. Epigr.* 54. *Analect. Brunckii T. II. p.* 122. *Conf. Animadvv. in Histor. Her. et Leand., quas exhibent Les Mémoires de Littérature tirés des Registres de l'Académie Royale des Inscriptions et Belles Lettres T. X. p.* 388. *et Heyn. Opuscc. Academ. I. p.* 101.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre salutem,
  Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi.

1. *Mallet.* Heinsius malebat *malit,* ut voci *cadat* respondeat. Vid. ad Epist. XV, 4. et conf. Epist. VIII, 90., XXI, 227. 228. et Epist. XVI, 278. ibique not. De sententia conf. Epist. XIII. init.

2. *Ira.* Sic legendum, id est, si mare non agitetur, non commoveatur, ut usque huc commotum est. *Crof.* Omnes scripti habent *unda,* ut et Aldina prior; sed posterior, quam Gryphius et reliqui sequuti sunt: *ira* (eandem exhibent Trev. et IV Guelf.). Eadem varietas est Metam. I, 330. et Lucan. V, 600.; et certe nihil frequentius est, quam *iratum* mare dicere et *iram* mari adscribere, vid. Heins. ad Met. XI, 729., et *iram* praestare prae *unda;* hinc quoque efficitur, quod proprie etiam *ira cadere* eleganter dicitur: Amor. II, 13, 4., Propert. II, 13, 52., Lucan. IV, 284., et ita alii passim. *Burm.* In uno Heins. cod. etiam v. 1.: *quod mallet.* Ceterum hi duo versus in Put. a manu recentiore scripti sunt, quorum loco Excerpta Douzae:

Quam cuperem solitas, Hero, tibi ferre per undas,
  Accipe Leandri, dum venit ipse, manum.
Aptior illa quidem placido dat verbera ponto;
  Est tamen et sensus apta ministra mei.

Sesta puella. Σηστὸς — ὁ πολίτης Σήστιος — ὡς Φαῖστος, Φαίστιος apud Stephanum de Urbibus in voce. Hinc femina Σηστὶς, Σηστίας, ut a Λέσβος Λέσβιος,

Si mihi di faciles et sunt in amore secundi;
Invitis oculis haec mea verba leges.
Sed non sunt faciles: nam cur mea vota morantur,
Currere me nota nec patiuntur aqua?
Ipsa vides coelum pice nigrius, et freta ventis
Turbida perque cavas vix adeunda rates.

Λεσβὶς, Λεσβίας. Vid. Epist. XV, 100. 199. seqq.; sed a *Sestos* non magis patronymica formari possunt *Sestus, Sesta*, quam a *Lesbos Lesbus* et *Lesba.* Nos igitur missa, quae Heinsium tenuit, si per libros antiquos liceret, *Sesti* malle se scribentem, verecundia illud pro vulgata *Sesta* in textum recipere non dubitavimus. Certe *Sestias* passim Hero dicitur: Stat. Theb. VI, 547., Serv. ad Virg. Georg. I, 207. et III, 258., Sidon. Apollinar. Carm. XI, 71., Agath. Histor. V. p. 151. ed. Vulc., Musae. v. 24. LENN. Formas nominum Graecas Ovidium non ubique usurpasse dictum est ad Epist. IV, 55., VI, 81., IX, 94., X, 66., V, 73., XIII, 53. Conf. Epist. XIII, 61. Quod autem patronymicum *Sestus* a nomine *Sestus* formari negat van Lennep, assentiri non possum. Est *Ister* fluvius et *Istrum latus* Stat. Silv. IV. ad Marcell. v. 63.; est *Cythera Cytherorum* et *Cythera* nomen Veneris, *Chius* nomen insulae et inde appositum *Chius*; dicitur *Lydus* et *Lydius, Cressus* et *Cressius, Colchis* et *Colcha,* et si eam rem persequimur, reperimus id genus multa; nec praeterea tota haec ratio apposita formandi ad analogiam et certam normam sine ulla exceptione revocari potest, et nota est Ovidii in eo quoque genere licentia; sic exempli caussa supra Epist. XI, 76. a *fraxino* arbore vidimus appositum *fraxinus.* De *Sesto,* urbe, vid. Epist. XIX, 142. et 127.

3. *Et sunt.* V libri (etiam Dresd.): *sint mihi;* tum alii multi: *et sint*; quidam: *vel sint* aut *vel sunt* aut *ut sunt* aut *qui sunt.* Barb.: *Sic mihi di.* HEINS. Vid. Epist. III, 5. 6. et Addend. ad eum locum et var. l. Eadem sententiae forma est Art. A. II, 177.

4. *Invitis,* sc. quod non ipse veniam. Vid. Epist. XVI, 226. Gron. et duo alii Heins.: *haec mea scripta.* Conf. Epist. IV, 175.

5. *Cur mea vota morantur. Morentur* IV codd. non malae notae, et tum versu seq. *patiantur* sit scribendum, quomodo unus Reg. et Petav. Ex Scriv. quoque legi posset: *cur mea vela* (de natante?) morentur. HEINS.

6. *Nota nec—aqua. Nec* dedimus cum Heinsio, cod. Pet., II Goth., Helmst. et Guelf. 3. Reliqui (?) vett. libri: *non,* quod confirmari posset locis, qualis est Trist. I, 9, 7. 8. Conf. Epist. XVI, 211. 212. *Nota aqua* ut infra v. 22. *adsuetas aquas.* Mor.: *mota. Dubia* pr. ed., ut infra v. 52.

7. *Ipsa vides.* Bern.: *Nonne vides.* Vid. infra v. 70.

8. *Vix adeunda. Abeunda* quin-

Unus, et hic audax, a quo tibi litera nostra
Redditur, e portu navita movit iter.
Adscensurus eram, nisi quod, cum vincula prorae
Solveret, in speculis omnis Abydos erat.
Non poteram celare meos, velut ante, parentes;
Quemque tegi volumus, non latuisset amor.
Protinus haec scribens „Felix, i, litera," dixi;
„Iam tibi formosam porriget illa manum.

que scripti; tres: *obeunda,* quod verum est. Sic Epist. XVI, 175.

Sceptra parens Asiae, qua nulla beatior ora est,
Finibus immensis vix obeunda tenet.
Heins.

Sed proba est vulgata: *adeunda,* qua maius etiam periculum declaratur: *dem man sich kaum nahen darf,* cui apte respondet *e portu iter movere* versus 10.

10. *E portu movit iter.* (Vulg.: *a portu fecit iter.*) *E portu* potiores (etiam Trev., Helmst., Giess., Guelf. 1., 3. et 4. *L.*), ut et *movit iter* (quod etiam mei, uno excepto, omnes exhibent. *L.*), quos secutus sum; quanquam Propert. I, 17, 14. *fecit iter.* Alt. Ment.: *solvit iter.* *Heins.*

A portu Epist. XVII, 236. Ib. 618.

Aulidis a portu qui leve vertit iter.

Fecit iter non placet, quia, cum Epistolam traderet, nauta *movebat* i. e. incipiebat *iter.* *Facere* vero *iter* plus notat. *Burm.*

11. *Nisi quod, cum.* De *nisi quod* vid. Forcell. Lex. et Tacit. Agricol. c. 6. *Cum* fere omnes scripti Heinsii, non ut vulg.: *dum.*

12. *In speculis — erat.* *In speculis esse* fere formulae loco est, pro vigilare, prospicere. Vid. Forcell. in v. Conf. Epist. XIX, 42.

13. *Meos—parentes.* Apud Musaeum aliquoties mentio fit parentum Herus, quorum metu velandus ille amor esset (vid. vss. 179., 180., 286.), at Leandri parentum nulla; unde non sine veri specie suspicetur aliquis hic quoque legendum esse *tuos.* Cum vero etiam aliis in rebus ab Ovidio recesserit Musaeus, multa quoque apud ipsum legantur, de quibus ne verbum quidem apud Nasonem, ut est totus locus de sacerdotio Herus, deque Veneris et Adonidis festo, cuius occasione et viderit eam et amare coeperit Leander, nescio an immutata haec relinqui satius fuerit. Conf. etiam Epist. XIX, 42. *Lenn.* Et omnino XIX, 115. et vid. ad Epist. I, 63. Et firmitatem lectioni *meos* addit illud: *in speculis omnis Abydos erat.* „Et ipse adscendissem; sed omnis Abydos, urbs patria, in speculis erat, spectabat, lux erat, nec poteram *meos* parentes, ut si nox fuisset, celare."

15. *Litera.* Vid. ad Epist. XVI, 338. Conf. Trist. I, 1, 57.

17. *Admotis etiam.* Lege cum Mor. et Ment. 1. *admotis do-*

„Forsitan admotis etiam tangere labellis,
„Rumpere dum niveo vincula dente volet.“
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
Cetera cum charta dextra locuta mea est.
At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret,
Meque per adsuetas sedula ferret aquas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto;
Est tamen et sensus apta ministra mei.
Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.
His ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus; insani sit mora longa freti.

minae, ut *volet* habeat, quo referatur. *Burm.* Nihil muta: de *subiecto* enim verbi dubitari non potest: „Iam tibi formosam illa porriget manum, (et) forsitan, dum vincula (festinans) volet rumpere, *etiam* (quod maioris felicitatis est) labellis tangere.“

18. *Vincula.* Claudebatur enim epistola lino et cera, in qua annulo sigilla, signa, imprimebantur. Cic. Acad. IV, 26., Catilin. III, 5., Plaut. Bacch. IV, 4, 64. 96., Pseud. I, 1, 40. Conf. Trist. IV, 7, 7., Pont. III, 7, 5.

19. *Exiguo.* Vid. Epist. XVII, 85.

21. *At quanto.* Sic cum pr. ed. et VII scriptis suis primus scripsit Heinsius, quod Trev., Dresd., II Goth., Guelf. 3. et Helmst. confirmant. Vulgo: *Ah quanto,* quod et idem probum est, et maiorem habet affectum. Vid. ad Epist. XV, 191.

24. *Sensus — mei.* Vid. Epist. IX, 120. ibique not. Conf. Epist. XXI, 114.

25. *Nox agitur.* Vid. Epist. XII, 58. *Spatium mihi longius anno.* Vid. Epist. XI, 25. et Trist. V, 10. init.

26. *Sollicitum — ut mare.* Sic meliores codd. et ed. Naug. cum vulg. Frustra aliae vett. edd. et codd.: *quod mare,* et cod. Arond.: *quo mare.* Trist. V, 10, 1.

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.

In Guelf. 1. glossator supra *ut* adscripsit: *vel quo* i. e. *ex quo.* Vid. v. l. et not. ad Epist. XI, 26. *Sollicitum.* Vid. Epist. XVI, 84. et I, 12.

27. *Si vidi—somnum. Somnum videre* pro *dormire,* ut Terent. Heaut. III, 1, 82. *somnum non vidi.* Cic. ad Div. VII, 30. *Fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Pectora,* animi curas, sollicitudines.

28. *Insani — freti,* h. e. turbidi (vid. v. 26.), ventis agitati, estque illo sensu tam perpetuum maris hoc epitheton, ut mirari subeat, eius quasi oblitum Bentleium ad Lucan. II, 673. in Epist. I, 5. 6., quasi illic *sanae* potius dicendae fuissent aquae (!), si iustis flucti-

Rupe sedens aliqua specto tua litora tristis,
Et quo non possum corpore, mente feror:
Lumina quin etiam summa vigilantia turre
Aut videt aut acies nostra videre putat.
Ter mihi deposita est in sicca vestis arena;
Ter grave tentavi carpere nudus iter:
Obstitit inceptis tumidum iuvenilibus aequor,
Mersit et adversis ora natantis aquis.
At tu de rapidis, immansuetissime, ventis,
Quid mecum certa proelia mente geris?
In me, si nescis, Borea, non aequora, saevis.
Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus cum sis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluisse negas.
Gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet
Aërios aditus, quo paterere modo?

bus adulterum obruissent, ideo *incanis* legere maluisse. *Lenn.* Vid. Virg. Ecl. 9, 43., Georg. I, 481., Sil. It. I, 638. et I, 251., ubi vid. Rupert.

30. *Quo non possum.* Vid. Ep. X, 135.

31. *Lumina — vigilantia.* Vid. Epist. XIX, 35.

33. *Sicca—arena.* Barb.: *nuda.* Virg. Georg. I, 388. 389.

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena.

34. *Carpere—iter.* Eodem modo dixit Art. A. II, 230. *carpere viam* et in Metam. *aethera, mare, litora.*

38. *Certa,* obstinata, immota. Vid. v. 25. et conf. Epist. VII, 7.

39. *Non aequora.* Vetus l. in Put. penitus deleta. Opinor *nec in aequora* fuisse, quomodo quinque scripti (et margo Bersm.). *Heins.*

41. *Tam gelidus cum sis.* Trev.: *Nam gelidus.* Put.: *quod sis,* et *num* pro *non.*

42. *Ignibus Actaeis incalüisse.* Boreas Orithyiam, Erechthei, Athenarum regis, filiam, amavit et rapuit. Vid. Epist. XVI, 343. ibique laudati auctores. Ceterum eodem modo diis ipsorum pristinos amores in memoriam revocat Ovidius infra v. 62., Epist. XIX, 129., Amor. III, 6, 21. sqq., ibid. I, 6, 53. et sic saepius noster aliique poetae. Vid. Schrader ad Musae. Her. et Leand. v. 320. Acumen autem illud parum elegans est. Conf. infra v. 129. 130. et Epist. X, 50. et 107. Helmst. et marg. Bersm.: *neges.* Vid. XVI, 194.

43. *Gaudia rapturo.* Sensus est: *Si quis tibi, cum Orithyiam rapere velles, iter per aëra inter-*

Parce, precor, facilemque move moderatius auram:
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil. —
Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse;
Quasque quatit, nulla parte coërcet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Daedalus alas;
Icarium quamvis hic prope litus adest.
Quicquid erit, patiar; liceat modo corpus in auras
Tollere, quod dubia saepe pependit aqua.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito furti tempora prima mei.

clusisset, an non indignissime illud tulisses? Hinc pessima est lectio codicis Gron.: *laturo*, et vere vi rapuit, et Boreae natura est *rapere* (v. 37.). Rutil. Itiner. de Iove v. 261.

Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta virgineum sollicitavit onus.

Pro *claudere* edd. Venn. et aliae: *rumpere*. Utrumque dicitur; sic *rumpere iter* A. A. I, 329. et II, 54., Amor. III, 6, 88.; *claudere* Epist. XIX, 140., Metam. VIII, 548. Sed codices audiendi sunt, qui omnes exhibent *claudere*, quod etiam aptius videtur huic loco; nam proprie rumpitur iter ei, qui iam in cursu est. *Gaudia* pro ipsa persona, quae gaudiorum caussa est.

44. Farnes.: *Aërios portus.*

45. *Moderatius. Moderantius* vulgatae vix Latinum est. Quare emenda cum Put. et VI aliis *moderatius*. Metam. I, 510.

— — — — — — moderatius, oro,
Curre, fugamque inhibe; moderatius insequar ipse.

Ubi pari modo peccabatur, et etiam alibi. *Heins.* Mirum tamen est, codd. longe plurimos (vid. v. l.) rariorem illam formam h. l. tueri. *Moderanter* est apud Lucret. *Facilem*, levem.

46. *Hippotades.* Vid. ad Epist. XI, 5.

47. *Vana peto.* Reg. et duo alii: *precor. Heins.* Cum affectu haec dicta sunt, quasi paullum quiesset et, ventus quid ad has suas preces faceret, observasset. Conf. Epist. VIII, 60. ibique not.

50. *Hic prope.* IV Heinsii codd. et nonnulli e meis: *hinc.* Hoc dicit: „Quamvis, aëra volatu tentare periculosissimum esse, me admoneat propinquum litus (mare) Icarium, etc.“ De Daedalo et Icaro vid. Hyg. F. 40. et Metam. VIII, 183. seqq. ibique interpp. De Icario mari vid. Mela II. c. 7. et Plin. IV. c. 12.

51. *Quicquid erit.* Ovidio solemnis dictio. Vid. Indices. Reg. et Bern.: *in auram.*

52. *Pependit.* Vid. Epist. XIX, 150. et Metam. XI, 746. *Dubia.* Vid. Epist. XVI, 22.

53. Cod. Vossian.: *vota*, pro *cuncta.*

54. Hoc distichon facit transitum ad narrationem, qua hae Epistolae fere omnes aliae alia

Nox erat incipiens, — namque est meminisse voluptas —
Cum foribus patriis egrediebar amans;
Nec mora, deposito pariter cum veste timore,
Iactabam liquido brachia lenta mari.
Luna fere tremulum praebebat lumen eunti,
Ut comes in nostras officiosa vias.
Hanc ego suspiciens „Faveas, dea candida,“ dixi;
„Et subeant animo Latmia saxa tuo.

et alio modo inducta distinguuntur. Cod. Helmst.: *tempora parva*.

55. *Namque est.* Werfer corrigebat: *namque et,* quod et durius constructione nec necessarium ad sententiam.

57. *Timore.* Scriv.: *posito cum mente pudore. Pudore* etiam Bas. Corruptelae *pudore* pro *timore* occasionem dederunt illae *positae vestes. Nec mora.* Vid. Epist. XV, 169. et VII, 103. ibique not.

58. *Lenta.* „Remorum in modum mobilia atque flexibilia.“ *Iactabam.* Vid. infra v. 96.

59. *Luna fere.* Vulg.: *Luna mihi.* Sed Put. et alii multi (etiam Trev. et Guelf. 1.): *Luna fere;* quomodo saepe Ovidius. Epist. XIX, 45. *Annuit illa fere.* Amor. I, 5, 4.

Quale fere silvae lumen habere solent.

Remed. A. 131.

Temporis ars medicina fere est.

Elegia de Nuce:

Sic reus ille fere est.

Fast. III, 203. et Trist. saepe, Pont. IV, 4, 4., Metam. II, 497., ubi vid. not. *Praebebat lumen* etiam scripti pro (vulg. et) l. veterum edd. *lumen praebebat.* Heins.

Luna freto Schott. Obss. II. c. 55., idque exhibent codd. Leodd. et Goth. 1. Schol. cod. Trev.: *Fere, quia revera radii solis et lunae non sunt tremuli, sed propter reverberationem aquae tremere videntur.* Vid. Virg. A. VII, 9. et Indic. Ovidii.

60. Ball.: *in vastas.* Conf. Epist. X, 114.

61. *Dea candida.* Vulg.: *o candida;* sed *dea* meliores scripti cum primis edd. Heins. Vid. var. l.

62. *Animo—tuo.* Lov. et tres alii: *animos tuos.* Quamvis utrumque dicatur, usitatius tamen cum accus. dicit Servius ad Virg. Aen. VIII, 125. Burm. Nescio an multitudinis numerus huius loci sententiae minus conveniat (sed vid. Epist. IV, 130. L.), et est *subire animo* certe Ovidianum. Vid. Trist. I, 5, 13. et ex Pont. IV, 15, 30. Ceterum operae pretium erit cum h. l. conferre Philodemi Epigramma 7. in Anal. Brunckii T. II. et ibi Jacobs. Lenn.

Latmia saxa. Fabula haec est: Endymion a Luna amatus et ab ea in Latmo, Cariae monte, ut eum dormientem oscularetur, consopitus est. Vid. Cic. Tuscul. I. c. 38. et supra Epist. XV, 89. Voss.: *Lamia.* Conf. Burmann. ad Anthol. Lat. II. p. 672.

„Non sinit Endymion te pectoris esse severi:
„Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
„Tu, dea, mortalem coelo delapsa petebas:
„Vera loqui liceat: quam sequor, ipsa dea est.
„Neu referam mores coelesti pectore dignos,
„Forma nisi in veras non cadit illa deas.
„A Veneris facie non est prior ulla tuaque;
„Neve meis credas vocibus, ipsa vide.
„Quantum, cum fulges radiis argentea puris,
„Concedunt flammis sidera cuncta tuis;

63. *Non sinit. Sinat* prima ed. et duo scripti (etiam Rel. *L.*). Bene. Et mox *non cadat* Patav. *Heins.* Et sic Ovid. Metam. VII, 174.

Nec sinat hoc Hecate, nec tu petis aequa — —.

Sed recte habet *sinit* et *cadit:* aptius enim est, Leandrum confidenter et certe loqui, atque ita omnes fere libri. Idem Iahn et iam ante illum dedit Heusinger. *Severi* fere valet, quod flecti non potest, ut patet ex sequentibus.

64. *Flecte — vultus.* Contrarium est *avertere vultus, oculos,* vel *aversum esse,* de quo supra dictum est. Bern.: *mea vota.*

66. *Quam sequor. Sequor* quo sensu accipiendum sit, patet e verbo *petebas* versus praecedentis. Conf. Epist. VII, 10. Werfer l. l. p. 516. corrigebat: *Quam sequor ipse, dea est.* Perperam: *„Tu dea mortalem petebas: quam ego sequor, peto, ipsa dea est,* igiturque mea sequendi caussa longe honestior est.“ Ne vero pronomen *ego* desideres, Epist. VI, 135. 136.

Prodidit illa patrem; rapui de caede Thoanta:
Deseruit Colchos; me mea Lemnos habet.

Quod superest, conf. cum hoc loco Musae. Her. et Leand. v. 55. et seqq., qui in eo loco ut in multis aliis hanc Ovidii Epistolam ob oculos habuisse videtur, quod salva dixerim reverentia Scaligeri, qui eum ipsi Homero anteponit, pessimus poeta.

67. *Neu.* Vid. ad Epist. XVI, 83.

69. *A Veneris.* „Post Venerem et te Hero omnium pulcherrima est.“ De voce *prior* hac vi vid. Trist. I, 6, 19., Epist. IV, 39., Terent. Eunuch. III, 5, 19. ibique Ruhnk. Conf. Metam. VI, 63. et Trist. IV, 10, 121.

70. *Vide.* Guelf. 2. et VIII Heins.: *vides,* ut supra v. 7., unde sine dubio fluxit.

71. *Quantum, cum fulges radiis.* Praestantiores: *fulges radiis,* pro vulg. *radiis fulges.* Praeterea loco *Quantum* scribendum *Quanto,* quod sequens *Tanto* requirit, atque ita Iun. liber (etiam duo Goth., Guelf. 4. et edd. Mic. et Bersm. *L.*). Est autem ea vox saepe corrupta

„Tanto formosis formosior omnibus illa est:
„Si dubitas, caecum, Cynthia, lumen habes."
Haec ego vel certe non his diversa locutus
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.
Unda repercussae radiabat imagine Lunae,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat;
Nullaque vox usquam, nullum veniebat ad aures
Praeter dimotae corpore murmur aquae;

apud nostrum. *Heins.* Recte *Quanto.* Bern.: *Quanto tu fulges radiis.* Metam. I, 464. 465.

— — — — quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostra.

Et alibi passim. Vid. ad Metam. VIII, 749. Sed licet ita fere semper loquantur veteres, aliter tamen Livius V. c. 10. *Quantum autem augebatur militum numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat.* *Burm.*

Ego contra codices mutare non sum ausus. Metam. XII, 383. 384.

— — — — — adspice, dixi,
Quantum concedant nostro tua cornua ferro.

Et vid. Cort. ad Sallust. Iug. I. c. 5. Musae. v. 57.

Οἷά τε λευκοπάρῃος ἐπαντέλλουσα σελήνη.

Quod superest, compara cum hoc loco simillimum Metam. II, 722. seq. et vid. Schrader ad Musae. l. l.

74. *Caecum—lumen,* i. e. caecos oculos (v. 70.), quo loco confutatur Muretus, negans, Latine dici *caecos oculos,* ad Senec. de Benef. III. c. 1., et vero etiam Markland. ad verba Cic. Orat. de Harusp. Respons. c. 18. §. 38. *An tibi luminis obesset caecitas plus, quam libidinis.* Quod recte observavit Huschk. ad Tibull. II, 5, 75. *Cynthia,* a Deli monte Cyntho, ubi Diana nata est. Plin. IV. c. 12. Ceterum mihi in hoc versu poeta parum observasse decorum videtur.

76. *Nocte.* Francius coniiciebat *sponte;* parum apte, et vero sine omni caussa: nam in repetitione eiusdem vocabuli apud nostrum non haerendum esse iam saepe diximus. Hic autem aptissimam vocem *nocte* esse perspicies, si animadverteris, respondere eam illis *Nox erat incipiens* v. 55. (conf. Epist. XII, 39. 51.) et orationem ad illa adnectere, atque inde a v. 77. descriptionem incipere eius rei, quam v. 76. narrans breviter attigit. Conf. Virg. Georg. I, 247. 248.

77. *Unda repercussae.* Metam. II, 109. 110.

— — — — — — — gemmae
Clara repercusso reddebant lumina Phoebo.

Ubi vid. Gier. not.

79. *Nullaque vox usquam, nullum.* Vulg.: *Nullaque vox unquam nostras v. a. a.* Sed *Nullaque vox usquam, nullum* Put. et alii multi; et *usquam* citat

Alcyones solae, memores Ceycis amati,
Nescio quid visae sunt mihi dulce queri.
Iamque fatigatis humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul adspexi lumen, „Meus ignis in illo est;
„Illa meum“ dixi „litora lumen habent;“

Parrhasius Epist. I. At Reg.: *Nullaque vox nostras, nullum v. a. a. Heins.* Vid. var. l.

81. *Alcyones.* Alcyone, filia Aeoli et Aegiales, fuit uxor Ceycis, regis Trachiniorum, quae cum maritum naufragio periisse vidisset, prae nimio eius amore in mare se praecipitavit. Iupiter (?) miseratus eam cum marito in aves marinas sui nominis mutavit. Metam. XI, 410—748., Hyg. F. 65. De his avibus vid. Aristot. Hist. Anim. IX. c. 14., Plin. X. c. 32. seqq., Gierig. ad Metam. l. l., Voss. ad Virg. Georg. I, 397. Prorsus igitur ex natura harum avium expressus locus est, quae tranquillo mari in ipso mari commorantur, tempestatibus autem ingruentibus in litore conspiciuntur et, ut Virgilii verbis loquar, *pennas in litore pandunt.* De sententia conf. Epist. XV, 153. seqq.

82. *Nescio quid — dulce queri.* Sic Metam. XI, 52.:

Flebile nescio quid queritur —.

Remed. A. 766.

Et mea nescio quid carmina dulce sonant.

Omnino amant poetae verba, quae *sonum edere* significant, loco adverbii coniungere cum neutro. Amor. I, 13, 8. *liquidum cantare*; Fast. VI, 340. *lene sonare; acerba gemere* Epist. VIII, 107.; *insueta rudere* Virg. A. X, 9.; *immane sonare* Virg. Georg. III, 239. et ibid. v. 149. *acerba sonare*; *immane fremere* Aen. XII, 535. Sed tamen etiam alia verba ita construuntur: *tranquilla tueri* Val. Flacc. I, 33.; *blandum ducere* Horat. Od. I, 12, 11. Vid. Ilgen ad Virg. Cop. 3., Markland. ad Stat. p. 285. et Bauer ad Sanct. Minerv. T. I. p. 478. Nonnulli codd. Heins.: *dulce loqui.* Vid. ad Epist. XV, 152. Quod mox sequitur *humero sub utroque lacertis,* dictio Homerica est.

84. *Fortiter.* Duo libri Heins. et Dun.: *Fortior.* Vid. ad Epist. XVI, 267. Bentl. coniiciebat: *Nitor et in.*

85. *Meus ignis in illo.* Acumen Ovidianum difficile explicatu. Utrum ipsi luminis igni inesse suum dicit, h. e. „meus ignis (meus amor, meae deliciae) in eo igne conspicitur“, an *in illo* est pro *apud illum,* quo ducere videtur versus sequens? Mihi verius videtur prius. *Ignis* pro amoribus supra vidimus. Vid. Epist. XVI, 102. et 25.

86. *Lumen.* Meliores et plurimi (etiam Trev., Goth. 2. et a pr. m. 1. et Helmst. *L.*): *numen;* ne bis idem dicat: *ignis* enim praecessit, et a numine rectius vires rediisse di-

Et subito lassis vires rediere lacertis,
  Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi;
Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
  Qui calet in cupido pectore, praestat amor.
Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
  Quoque minus restat; plus libet ire mihi.
Cum vero possum cerni quoque, protinus addis
  Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Tunc etiam nando dominae placuisse laboro,
  Atque oculis iacto brachia nostra tuis.

cuntur, et ita duae edd. Venn. *Burm.*

Vid. Epist. II, 126. Sed verum esse censeo *lumen*. Nam quod Burmannus pro lectione *numen* attulit, „ne bis idem dicat", maiore iure pro l. *lumen* afferri potest. Vid. ad Epist. X, 113. Et lusus inest Ovidianus; nam *lumen*, lux, *φάος*, notae sunt blanditiae amantium, et poscere eam lectionem videtur v. 85.

87. *Et subito*. *Ut subito* duo Heins. et pro var. lect. Dun.; Mor.: *Tum subito*.

88. *Mollior*, habilior, tractabilior.

89. *Frigora*. Leander apud Musaeum v. 245. 246.

> *Δεινὸς Ἔρως καὶ πόντος ἀμείλιχος· ἀλλὰ θαλάσσης*
> *Ἐστὶν* (malim *ἐκτὸς*) *ὕδωρ· τὸ δ' Ἔρωτος ἐμὲ φλέγει ἐνδόμυχον πῦρ.*

Ubi vid. Schrader, a quo praetermissum miror locum Statii, inprimis huc facientem, Silv. I, 2, 49. Conf. etiam cum versibus infra 101. et 105. Musaei versus 261., 262., 265. *Lenn.*

90. *Qui*. Put.: *Qua* et a m. sec.: *Quo*. Barb.: *Quod*. *Cupido*. Vid. Epist. V, 129., XX, 48.

92. *Plus*, eo plus, ut saepe. Metam. IV, 64., Epist. XVII, 168.

95. *Tunc etiam*. Heinsius e Put. primus dedit *Nunc etiam*, et ita etiam duo alii codices apud Burm. (et Guelf. 3.) exhibent (vid. ad Epist. XII, 53.); atque ita saepe peccatum est, quia librarii non aeque ac poetae tempus praeteritum sibi praesens fingere potuerunt. Utrumque h. l. dici potest. Sed mutandi necessitas nulla apparet. Fast. I, 255. 256.

> Presserat ora deus. Tunc sic nostra ora resolvo,
> Voce mea voces eliciente dei.

Et sic saepe. Reliqui libri omnes cum vulg.: *Tunc*.

96. *Brachia nostra*. *Brachia lenta* Lov., ut Epist. XIX, 48., quod iactationi melius convenire existimo, ut non videatur tam natare, ut cito contingat litora, quam artem spectatrici dominae ostentare (?). Dicuntur vero *lenta brachia* eadem ratione, qua *lenti remi* dicuntur. Brachia vero remi corporis. *Burm.* Nihil cupido amanti convenit melius, quam, quam fieri potest citissime, ad amo-

Te tua vix prohibet nutrix descendere in altum —
  Hoc quoque enim vidi; nec mihi verba dabas —
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
  Ne fieret prima pes tuus udus aqua.
Excipis amplexu, feliciaque oscula iungis,
  Oscula, di magni, trans mare digna peti;

res suos properare, usque brachia iactare, ut ad eos perveniat; nec profecto Hero quieta erat harum artium spectatrix (97.); et *nostra tuis;* et quid librorum consensus? Varietas codicis Lov. orta est e v. 58. In locutione *ego iacto nostra brachia* non haerendum. Vide vel locum Fast., quem laudavimus ad versum praecedentem. Conf. Ep. XIV, 69. et Art. A. II, 61. et inprimis Metam. V, 596.

97. *Nutrix.* Nutrices sunt fidae sociae et comites Heroidum. Vid. Epist. XI, 33., XXI, 95., I, 103. Prorsus e ratione antiquitatis. Hom. Odyss. et Metam. pluribus locis.

98. *Hoc quoque enim.* Turbant codd.; sed nihil mutandum. Vid. Epist. XVII, 37. *Burm.* Edd. Venn. et aliae: *Hoc etenim.* Mei codd. omnes: *Hoc quoque enim. Nec mihi verba dabam* legendum coniecit Nodell. Obss. Crit. c. 2. p. 18., ut ita dicat Leander: „non finxisse se tantum Herus in se amorem, nec sibi, quod non revera vidisset, prae impotente amoris aestu, qui plerumque mentes hominum fascinare soleat, persuasisse, sed *vere vidisse.*" Sed vulgata commode explicari potest: neque me fallebas, latebas. Vid. supra dicta ad Epist. XVII, 170. *Lenn.*

99. *Quamvis retinebat. Quamvis* cum modo indicativo coniungi, supra iam vidimus. Sed hic locus etiam liquido ostendit, vehementer errare eos, qui hoc a poetis optimae Latinitatis nonnisi cogente metro fieri existimant. Trist. V, 7, 31.

Quamvis interdum, quae me laesisse recordor,
  Carmina devoveo Pieridasque meas.

Trist. I, 2, 11.

Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
  Quid vetat irato numen adesse deo?

Vid. Epist. Sab. I, 22.

100. Eadem prope imago est Epist. II, 127. 128.

101. *Felicia,* quae felicem reddunt. Conf. Musae. v. 271. *Iungis.* Vid. Epist. II, 94.

102. *Oscula, di magni.* Sic scripsi cum Put. et Sarrav. Vulg.: *dis magnis.* Amor. II, Eleg. ult.

Oscula, di magni, qualia quotque dabat!

Vid. Fast. VI, 187., Catull. Epigr. 14., Plaut. Trucul. IV, 1, 3. Similiter *di boni, di immortales* apud comicos et oratores. Vid. A. Gell. N. A. II. c. 2., III. c. 7., Macrob. Saturn. II. c. 13. Etiam *di* simpliciter Petron. c. 79. *Qualis nox fuit illa, di deaeque.* Vid. Metam.

Eque tuis demtos humeris mihi tradis amictus,
  Et madidam siccas aequoris imbre comam.
Cetera nox, et nos, et turris conscia novit,
  Quodque mihi lumen per vada monstrat iter.
Non magis illius numerari gaudia noctis,
  Hellespontiaci quam maris alga potest.
Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,
  Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.
Iamque, fugatura Tithoni coniuge noctem,
  Praevius Aurorae Lucifer ortus erat:
Oscula congerimus properata, sine ordine, raptim,
  Et querimur parvas noctibus esse moras;

XII, 545. *Heins.* Et quod caput est, ineptum erat: *Oscula, digna, quae di magni trans mare petant. Di magni* etiam Guelf. 3. et Giess.

103. *Eque tuis demtos. Eque* scripti. Recte. Vulg.: *Deque.* *Heins.*

Deque etiam Guelf. 2., Dresd. et edd. vett., et sic verbum hoc construxit noster Amor. I, 4, 50., atque ita construere Naso plerumque solet. Sed tamen repugnantibus scriptis cum Burmanno et Amaro *Deque* scribere non ausim, propter huius poetae in eo genere libertatem. *Demere ex* est apud Lucret. III, 922. Eodem modo dicitur *deripere de, ex* et *a.*

105. *Turris conscia. Nutrix conscia* Iun., Bern. et Douzae Excerpta. Sed frustra. Ita *ignis conscius* Stat. Theb. VI, 547. *Burm.*

Epist. XV, 137.

> Antra nemusque peto, tanquam nemus antraque prosint:
> Conscia deliciis illa fuere meis.

Alter Ment.: *norunt.* Vid. ad Epist. XVI, 52. *Nos et nox* Dun. et Rel.

106. *Monstrat iter.* Vett. edd.: *monstrat per vada lumen iter.* Bern.: *per freta.*

107. *Non magis.* Goth. 2.: *Nec magis,* quod Heinsius tacite edidit.

108. *Maris alga.* Mic. et margo Bersm.: *unda,* lectio, ut videtur, a librario orta, qui procul a mari habitaret. Vid. ad Epist. VII, 172. Scite autem Leander *maris Hellespontiaci* dicit, ut ipsis vicini et cogniti.

110. Sarr., Linc. et Guelf. 4.: *captum* pro *cautum.* Vid. Epist. XVI, 312.

111. *Tithoni coniuge,* Aurora. Vid. ad Epist. IV, 96.

113. *Properata.* Vid. ad Epist. II, 147. et Amor. II, 11, 45. *Sine ordine.* Vid. Epist. X, 21.

114. *Noctibus.* Generaliter dictum: ab huius brevitate noctis amantes ducuntur ad querelam in genere *noctibus parvas esse moras.* Vid. Epist. I, 18.

115. *Cunctatus.* Pal. cum vett. edd.: *contactus.* Sed plerique Heins., Put., Dun. Rel., duo Goth., Guelf. 3. et 4., Helmst., Giess.

Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro
Frigida deserta litora turre peto.
Digredimur flentes; repetoque ego Virginis aequor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est, veniens huc esse natator;
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credis, ad te via prona videtur;
A te cum redeo, clivus inertis aquae.

et Trev. cum vulg.: *cunctatus*. Put. et Dresd.: *monitum*. Vid. v. l. *Amarae* quidam Heins. et Ven. 1487. Vid. v. l. *Amaro admonitu* dixit etiam Metam. XIV, 465. Vid. Sil. III, 171. et Val. Flacc. III, 385.

117. *Virginis aequor*, Helles, filiae Athamantis et Nepheles, quae quum cum fratre Phryxo, Inus novercae iram fugiens, ariete vecta fretum hoc transmitteret, in eo mortem invenit eique nomen dedit. Apollod. I., Palaeph. 31., Hyg. F. 2. et 3. Conf. infra v. 143., Fast. III, 851. sqq. et Epist. XIX, 123.

118. *Dominam*. Lov.: *animam*.

119. *Vero*. „Mihi vera dicenti." *Vero* a *verus*, quod est, ut Donatus ad illa Terent. Andr. II, 5. *sum verus* interpretatur, *veridicus*. Epist. V, 123. Sic olim illud *vero* intelligebam. Nunc vero censeo esse dat. neutr. pro *verae rei*. Vid. Epist. XVI, 60. et ibi allatum exemplum e Metam. III.

120. *Naufragus esse mihi*. Robert. Titius lib. V. Locorum Controvers. c. 4. haec exponit, quasi Leander rediens natasset supinus, more naufragorum, cum Hero petens pronus nataret; unde et in praecedentibus dixerit: *Respiciens dominam, dum licet, usque meam,* quod alia ratione consequi non potuisset, quam si supinus natasset. Quem Burmannus refellit dicens „ipsum illud *respicere*, quod est *versa cervice videre,* declarare non supinum eum natasse; si enim supinus natasset, *recte aspicere* (!!) dominam potuisset." Usque eo saepe procedunt interpretum ineptiae. *Naufragus esse,* qui aegre se promovet. Ceterum Burmanno haec Ovidii in animo habuisse videtur Claudianus Consul. Honor. VI, 143.

— — — — — et quae venientibus ante
Prona fuit, iam difficilis, iam dura reversis.

121. *Si credis*. *Si credas* duo Heins., quod Burmannus cum Heinsio recepit. Sed veram esse lectionem *si credis,* praeter codd. et vett. edd. satis ostendit illud: *Si qua fides vero est,* confirmat illud *quoque*. Mei omnes, excepto Guelf. 1.: *credis*. Conf. Epist. XVI, 145.

122. *Pronus* et *clivus* sibi opponuntur.

123. *Repeto patriam*. Sic scripti. Vulgo et vett. edd.: *patriam repeto*. Iidem scripti: *possit*. Heins.

Invitus repeto patriam: quis credere possit?
  Invitus certe nunc moror urbe mea.
Hei mihi, cur animis iuncti secernimur undis;
  Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
  Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?
  Cur mihi causa levis, ventus, obesse potest?
Iam nostros curvi norunt delphines amores;
  Ignotum nec me piscibus esse reor:
Iam patet attritus solitarum limes aquarum
  Non aliter, multa quam via pressa rota.

Vett. edd. et vulg.: *posset;* idem Guelf. 1., 2. et 4. *Quis credere possit, in patriam me meam invitum redire?* Friget haec sententia.

124. Douz.: *commoror;* Bern.: *cum moror.*

125. *Animis.* Sic Heins. multi et mei omnes cum vett. edd., quod multo etiam concinnius est, quam vulg.: *animo. Cur, animis cum iuncti simus, secernimur undis?*

126. *Unaque mens.* Elegans locutio, ubi compendioso sermone defunguntur, pro una mens habet duos, sed non una tellus habet. Vid. I. Fr. Gronov. Obss. IV. c. 2. *Burm.*

127. Ven. 1487.: *sumet.*

129. *Confundor.* Vid. Epist. XVII, 147. Eadem fere sententia est Trist. I, 11, 33. 34.

130. *Causa levis.* Inepte ludit in ambiguitate illius *levis,* ut supra Epist. XV, 178. et Epist. X, 50. et 107. Vid. etiam not. ad XIX, 45. Leid.: *Tam mihi causa levis.*

131. *Iam nostros.* Schroder Obss. Miscell. Vol. VII. T. III. p. 462. nimis hyperbolicos versus 131.—134., durissimos duo sequentes, inde et hos et illos suppositities censuit; cuius ego iudicium sequi non possum. Nam et optime cum antecedentibus illis, *Hei mihi, cur animis iuncti secernimur undis?* et *Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?* cohaerere mihi videntur haecce: — Aequor istud tam frequenter iam natando iteravi, ut nec piscibus me ignotum rear; ut iam quendam in aquis meae veluti tramitem apparere natationis putem. Itaque saepe etiam questus sum, quod te invisere, nisi hac ratione, non possem, quod non esset mihi, nisi sic (natando semper) Hellespontum iterare. At nunc hoc quoque mihi deesse per ventos queror; — et ne versus 131—134. nimis hyperbolicos existimem, ipse hic sententiarum nexus facit. Sane condonandum aliquid amatori ad amicam scribenti, nec tam id agenti, ut accurate et ad sanam rationem probabiliter scribat, quam

Quod mihi non esset nisi sic iter, ante querebar;
At nunc per ventos hoc quoque deesse queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent;
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cum primum de Virgine nomina mersa,
Quae tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est;
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.

ut plurima et gravissimae conditionis suae mala, et haec omnia tamen exsuperantem vim amoris sui vivide et efficaciter exprimat. Sed hyperbolem quoque aliquo modo leniorem facit additum v. 132. *reor.* Cur vero versum 135. et 136. durissimos dixerit Vir Doctus, fateor me nondum videre. *Lenn.* *Delphines* autem per excellentiam dicit, quia amici dicebantur homini. Vid. Plin. H. N. VI. c. 8., A. Gell. VII. c. 8. *Curvi,* ob dorsum repandum, solemne delphinum appositum. Stat. Theb. I, 121., Metam. II, 265., Fast. II, 113., Senec. Oedip. 466. Vid. Bentl. ad Lucan. V, 552.

134. Iun.: *via trita.*

135. *Iter, ante.* Put.: *itera,* reliquis literis deletis, et a recentiori manu superscriptum *re. Iter ante* prius fuisse suspicor, quomodo codex Moreti (etiam Goth. 2.), idque verum esse existimo. Pat.: *iter a te* (Guelf. 2.: *iterate*). Alter Mor.: *iterata.* Reg.: *ita rare.* Quatuor: *intrare.* Posset et legi *iter ire* (quomodo exhibet Francof.). *Heins.*
Vulgatam *iterare,* quae in optimis codd. exstat, non ausim reiicere, propter illud Horat. Od. I, 7, 32.: *Cras ingens iterabimus aequor.* Idem Od. I, 34, 4.: *Iterare cursus cogor relictos.* Ita noster Metam. VIII, 172.: *Iterata ianua. Esset,* pro *liceret,* ut multis Heinsius ad Art. A. II, 26. *Burm.* Sed tum statuendum esset, nova poetam hoc verbo usum esse significatione pro *iter facere*; alia enim est vocis vis in exemplis illis a Burmanno laudatis. Verum lectionem Heinsii *iter ante* omnino postulat *At nunc* et *hoc* versus sequentis: *Ante querebar, quod mihi non nisi sic iter esset; At nunc queror, per ventos* (propter ventos) *hoc quoque deesse.* Idem dedit Heusinger et nuper Iahn.

137. *Athamantidos.* Vid. ad v. 117.

138. *Tuta.* Monac. et Goth. 2.: *firma.*

141. *Et satis amissa.* Sic scripti. (Vulg. cum edd. Naug., Mic. et Bersm.: *Est satis — ab Helle.*) Unus Medic.: *At satis,* ut Epist. XIV, 87. *Burm.*

142. *Crimine nomen habet.* Sic V scripti cum prima editione (etiam edd. Venn., Bas. et sqq. et cod. Helmst. et Goth. 2. *L.*), quod magis arridet, ut Epist. XVI, 208.:

Invideo Phryxo, quem per freta tristia tutum
  Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris navisve requiro;
  Dummodo, quas findam corpore, dentur aquae.
Arte egeo nulla: fiat modo copia nandi;
  Idem navigium, navita, vector ero.
Nec sequar aut Helicen aut, qua Tyrus utitur, Arcton:
  Publica non curat sidera noster amor.

Et qui Myrtoas crimine signet aquas.
Heins.

Confirmat eam scripturam versus praecedens: *Amissa ab Helle infamis,* cui respondet *crimine nomen,* et ipse sensus: *Et ut mihi parcere possit, iam alio a crimine nomen gerit.* Sed potest et reliquorum librorum et vulgata scriptura aliquo modo defendi, quae est: *nomine crimen habet,* quam nuper revocavit Iahn. Unus Lov.: *mihi pateat.* Vid. ad Epist. XV, 180.

144. *Aurea.* De aureo vellere Phryxei arietis vid. ad Epist. XII. *Ovis* de genere dictum est. Vid. ad Epist. XII, 8.

145. Vett. edd. et codd. mei plerique: *navisque.*

146. Unus Ambr.: *Dummodo quassandae.* Edd. Venn. et aliae: *scindam.*

147. *Arte egeo nulla.* Mira est in huius versus principio exhibendo mss. librorum variatio. Quatuor Heinsiani (et Goth. 2. *L.*): *Pax sit nulla maris;* totidem: *Parte querar;* nonnulli: *Parte queror;* duo (et Dun. *L.*): *Parte moror nulla;* septem (et Guelf. 3. *L.*): *Parte egeo;* prima ed.: *Arce queror.* Unde Heinsius coniiciebat: *Pace egeo* (quam l. huc non quadrare recte dixit Burmannus, cum Leander pacem maris, ut copia nandi fiat, precetur. *L.*). Withof. in Spec. Gunth. p. 17.: *Argo egeo nulla.* Mihi ceteris praeferenda etiam nunc videtur lectio vulgata (quam etiam tuentur e meis Guelf. 1. et 4., Goth. 1., Trev. a sec. m., Giess. et Helmst., et, ut inde coniicio, plurimi Heinsiani, cum vett. edd., editione principe excepta *L.*): *Arte egeo nulla.* Nautae artem hic significari satis manifestum est e sequentibus. Hoc vult Leander: Si navigio uterer, etiam arte nautae indigerem: iam vero, modo nandi mihi copia fiat, arte nulla egeo: *Idem navigium, navita, vector ero.* Postrema paene ad verbum reddidit Musaeus v. 255.

Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτόματος νηῦς.
Lenn.

Fiat. Reg., Goth. 2., Helmst. et multi Heins. cum ed. pr. et Venn., Bas. et sqq.: *detur modo,* pro vulg. *fiat modo. Detur mihi* alter Reg. et Bern.

148. *Navigium.* Vid. Prooem. cap. III. Unus Reg. et Lov.: *navigii.* Bern. et ed. pr.: *rector ero.* Reg.: *victor.*

Andromeden alius spectet claramque Coronam,
Quaeque micat gelido Parrhasis Ursa polo;

149. *Nec sequar.* Put. cum multis aliis: *sequor.* Idem Put.: *Tyros.* Stat. Silv. III. Prot. Metii:

Qua pretiosa Tyros iubeat —.

Mox *Andromedan* Put. et tres alii; quomodo variis apud nostrum locis optimi codd.; nam *Andromeden* vix dicebant. Sic Art. A. I, 53., Metam. IV, 757. Sic etiam apud Ciceronem in Arateis. Plura alibi in hanc rem. *Heins.* Ita apud Sueton. Neron. c. 12. cod. Salmasii *Pasiphaan*, ubi vid. Graev., et in Galb. c. 2. *Pasiphaam*, ubi itidem lege *Pasiphaan.* Vid. ad Metam. VI, 707., VII, 474., Fast. I, 307., IV, 174. et 477. et alibi, ex quibus videbimus syllabam illam in *an* modo corripi, modo produci. *Burm.* Vid. ad Epist. XIV, 1. Iahn dedit: *sequor;* sed nullam video caussam, cur vulg. et plurimorum codd. l. *sequar* mutandam putem, quae arctissime cohaeret cum *ero* versus praecedentis. Conf. v. 156. Et de futura navigatione loquitur Leander. Etiam *Tyrus* cum omnibus prope libris retinendum putavi. De *Andromedan,* dixit Naso Epist. XV, 35. *Andromede,* quidni igitur h. l. *Andromeden?* et sic etiam locis illis ab Heinsio laudatis plurimi codices. *Helice et Cynosura* sidera sunt septentrionalia, etiam *Ursarum* aliisque nominibus nota. Cic. de Nat. Deor. II. c. 41. Callisto, Lycaonis filia, cum a Iove compressa esset, a Iunone in ursam mutata et tandem a Iove inter sidera translata est. Haec Graecis *Ἑλίκη* vocatur, unde Latinum *Helice.* Vid. Metam. II, 401—530., Fast. II, 156., Hyg. F. 177. et Poet. Astron. II. c. 1. et 2. *Cynosura* una ex illis Nymphis, quae in Ida, monte Cretae, Iovem aluerunt, quae et ipsa in coelum translata est. Hyg. F. 223. et Astron. II. c. 3. Conf. Fast. V, 125. seqq. Similis est locus Fast. III, 107. 108.

Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina petat.

Vid., unde Ovidius haec sumsit, Arati Phaenom. v. 26. sqq. et conf. Trist. IV, 3, 1., Metam. VIII, 205. et Val. Fl. I, 17. — *Qua Tyrus utitur.* Hyg. Astron. l. l. *Omnes, qui Peloponnesum incolunt, priore utuntur Arcto; Phoenices autem, quam a suo inventore* (Thalete) *acceperunt, observant Cynosuram, et hanc studiosius observando diligentius navigare existimantur.* Vid. ibi Munker. et Hermann. Mythol. Vol. III. p. 5. sqq. De *Andromeda* vid. ad Epist. XV, 36. Heinsius *claramve* dedit, de suis codd. nihil monens. Reliqui libri omnes: *claramque.* De *Corona* vid. ad Epist. II, 80. *Parrhasis Ursa* est Helice. Callisto enim ex Arcadia fuit, quae vetere nomine *Parrhasia* vocatur, sc. ab huius nominis oppido Arcadiae. Vid. Plin. IV. c. 6., coll. Serv. ad Virg. A. XI, 31. et VIII, 344. Patronymica autem talia non tantum ab hominibus ducuntur, sed etiam ab aliis nominibus, ut

At mihi, quod Perseus et cum Iove Liber amarunt,
Indicium dubiae non placet esse viae.
Est aliud lumen, multo mihi certius istis,
Non erit in tenebris quo duce noster amor;
Hoc ego dum spectem, Colchos atque ultima Ponti,
Quaque viam fecit Thessala pinus, eam;
Et iuvenem possim superare Palaemona nando,
Miraque quem subito reddidit herba deum.

Cypris, Calydonis, Pegasis, al. Conf. Trist. I, 3, 48., Metam. II, 460.

153. *At mihi, quod. Quam* IV scripti. Lege cum altero Ment. *quas.* HEINS. Nihil muta. Millies noster ita loquitur: mox v. 179., XIX, 179., XX, 168., XVII, 108., Amor. II, 2, 14., Metam. XIV, 682. et alibi. BURM. *Quod* igitur intell. Callisto, Helice, Andromeda et Ariadna.

155. *Est aliud lumen. Alium* Naug. *Numen* etiam quidam codd., ut supra v. 86. Sed hic alia ratio est; nam illud *certius* exigit, ut legatur *lumen,* ut ita *sidera,* ad quae navigatio instituitur, *certa* nautis dicuntur fulgere Horatio aliisque. Vid. ad Val. Flacc. I, 18., ubi plura. BURM. Et certe etiam totius ratio loci requirit eam scripturam et v. 156. et 157. Ceterum totum hunc locum ab Ovidio mutuatus est Musae. v. 212. sqq.

156. Put. et Guelf. 3.: *Non erat.* Alter Mor.: *Non errat.*

157. *Colchos atque ultima Ponti.* Quinque Heins. et Goth. 2.: *et ad ultima*; Put.: *et in ultima,* unde hodie sic vulgo editur. Idem exhibent Guelf. 4. et a man. sec. Giess. Sed quum, ubi per *quo* interrogatio fit, etiam simpliciter accusativus sine praepositione poni possit, et, praecipue a poetis, saepe ponatur (vid. ad Epist. X, 125.), repugnantibus vett. libb. vulgata minime videtur mutanda.

158. *Thessala pinus.* (Ante Heinsium edebatur *Thessala puppis.*) Put. et alii meliores magno numero (item Trev., Dresd., Goth. 1., Guelf. 2. et 3. et Helmst.): *Thessala pinus.* Bene. Idem de eadem nave Stat. Theb. III. semel, libro V. bis, idem Achill. I, 157., Senec. Med. 335., noster Epist. VI, 47., Lucan. VI, 400. Alii tamen Argo fagineam faciunt, praesertim Graeci poetae. HEINS. *Pinum* eandem vocat Hor. Epod. 16, 59. et Val. Flacc. Argon. I, 123. Sed non tam materiem, unde Argo fuerit fabricata, respicere poetas putem, cum *pinum* eam vocent, quam quod omnes naves *pinus* vocare soleant. BURM. *Quaque,* sc. per Symplegades etc. Vid. Epist. XII, 121.

159. *Palaemona.* Melicerta, filius Athamantis et Inonis, Thebanus, cum quo mater se in mare praecipitavit, et qui a Neptuno in deum marinum sub nomine Palaemonis mutatus est. Metam. IV, 522. sqq.

Saepe per assiduos languent mea brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas:
His ego cum dixi „Pretium non vile laboris,
„Iam dominae vobis colla tenenda dabo;"
Protinus illa valent atque ad sua praemia tendunt,
Ut celer Eleo carcere missus equus.
Ipse meos igitur servo, quibus uror, amores,
Teque, magis coelo digna puella, sequor.
Digna quidem coelo, sed adhuc tellure morare;
Aut dic, ad superos et mihi qua sit iter.

Conf. Fast. VI, 493. sqq. et Lucian. D. M. c. 9., Munker ad Hyg. 2. et Apollod. III. Edd. Venn. aliaeque: *possum.* Vid. var. l.

160. *Quem.* Videlicet Glaucum, qui secundum quosdam auctores, quum herbas quasdam gustasset, in mare se praecipitavit et deus marinus factus est. Vid. Metam. XIII, 898. et, quos ibi laudat Gierig, Palaeph. c. 28., Eustath. ad Hom. p. 205., Tzetz. ad Lycophron. p. 107., Schol. Apollon. ad I, 1310., Hyg. F. 199. Conf. Voss. Mythol. Briefe II, 24.

Miraque. Ingeniosa est coniectura Iortini in Obss. Miscell. Vol. II. T. I. p. 195. legendum hoc l. rati, *Morsaque quem subito reddidit herba deum.* Glaucus ipse apud nostrum Met. XIII, 942. *manuque Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi.* Potest tamen et vulgata ferri, cum, ut recte Burmannus in nota ad Iortini observationem subiecta monuit, *mira* herba optimo iure dicatur ea, quae subito deum ex homine facit. *Subitum — deum* (ut est in cod. Dun. et Goth. 2.) Heinsius malebat ad h. l., laudans Epist. III, 103., Trist. II, 389., Fast. III, 723. al., quod, utique probatum Viro Docto in Obss. Miscell. l. c., etsi mihi quoque non displicet, haud tamen adeo praestare vulgato putem, ut vel reclamantibus codd. pro illo in textum recipiam; a quo temperasse sibi etiam Burmannum video. LENN.

161. *Mea brachia. Mihi b.* bene Leid. HEINS. Idem exhibent Helmst. et Goth. 2.; sed ad sensum optimum est *mea,* ut reliqui codd. et vett. edd. omnes, quod confirmatur v. 163.

165. *Ad sua praemia. Ad sua gaudia* Excerpta Douz. et Ball.; Sarr.: *munera.*

166. *Carcere. Carcere* numero singulari sic dixit etiam Trist. V, 9, 28., Metam. X, 652., Art. A. III, 595., etiam Tibull. I, 4, 32. *Eleo,* ab Elide, ubi ludi Olympici celebrabantur.

167. *Servo,* observo tanquam sidus, ad quod cursum meum dirigam. Ceterum animadverte quaesitum illud acumen *servo, quibus uror.*

168. *Teque, magis.* Teque magis dignam inter stellas recipi et deam fieri, quam Andromeda, Ariadna et aliae. BURM.

Hic es, et exiguum misero contingis amanti;
  Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?
  Num minus haec nobis tam brevis obstat aqua?

169. *Morare.* Ita in Aldinis habetur, itaque legendum potius existimo, ut sit imperat., quam *morari* inf., aut *moraris* indic. Nam et sequens verbum eius modi est: *Aut dic etc.* MICYLL. *Moraris* Put. et alii multi; tres Heins. et ed. Ven. 1492.: *moreris*: idem Trev. cum glossa: *morari possis*; unus Heins. et Guelf. 3.: *morari*; Dresd., duo Goth., Guelf. 1., Helmst. et Giess., nonnulli Heinsii cum edd. Naug. et aliis: *morare*.

170. *Et mihi.* Vulg.: *hinc mihi. Et mihi* Put. et III alii (item Goth. 1., Guelf. 1., 2. et 3. *L.*). Bene. Excerpta Gall.:

Aut duc, ad superos et mihi qua sit iter.

Excerpta Douzae:

Aut hinc ad superos dic mihi qua sit iter.

171. *Hic es, et exiguum.* Vulg.:

Hinc est, quod raro misero contingis amanti.

Estque illatio absque antecedente. Cui enim inferas *Hinc est, quod raro?* an ei, quod proxime antecedit, *Aut dic, ad superos etc.?* At interrogationi huic non potest, et ulterioribus inconveniens est. Lego ergo cum ed. Naug.: *Hic es, et exiguum m. c. a.*, quod est: Non es in coelis, sed in terris, et tamen exiguum contingis: h. e. raro ac modice, posito adiectivo pro adverbio. (Vid. supra ad v. 82.) MICYLL. Sic omnino legendum e bonis exemplaribus et ratione. CIOF. *Hic es exigue* Put., pro *hic es, et exigue*; sed *exiguum* rectius. *Hic es, et exiguo* sex libri. *Exigue* alter Ment. HEINS. Alii codd. aliter; sed nihil in iis, quod ad bonitatem lectionis vulgatae accedat. BURM. Receptam tuentur etiam Guelf. 1. et duo Goth.; Trev.: *Hic es, et exigue.* Vid. var. l. De usu coniunctionis *et*, ubi etiam *et tamen* poni potest, dictum est supra.

172. *Cumque mea.* Oratio inversa pro: *cum fretis mens mea turbida fit, turbatur* (vid. supra v. 129.), vel, si mavis, coniuncta sunt, quae *subordinanda* erant: *Et mens mea et freta turbida fiunt.*

173. *Quid mihi—prodest.* Conf. Epist. 1, 47.

174. *Num minus haec.* Vulg.: *Non minus haec.* Put.: *Num minus haec.* Vid. ad Epist. XI, 19. Unus Med. et Fragm. Farnes.: *Non minus hoc.* Lego: *Num minus hoc.* HEINS. *Num minus* etiam Douza legebat. BURM. Et sic mei plerique. Vid. var. l. Recte. Sed *haec* cum vetustis libris plerisque omnino restituendum est; quae scriptura firmatur et omnibus illis exemplis ad Epist. XI, 19. allatis, quorum nullum habet *hoc minus*, et magis etiam vv. 141. et 142. Epistolae sequentis, qui huic versui respondent:

Parce ferox, *latoque mari* tua proelia misce:
  Seducit terras *haec brevis unda* duas.

Num malim, dubito, toto procul orbe remotus
Cum domina longe spem quoque habere meam.
Quo propius nunc est, flamma propiore calesco;
Et res non semper, spes mihi semper adest.
Paene manu, quod amo, tanta est vicinia, tango;
Saepe sed heu lacrimas hoc mihi *paene* movet.
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi?

Conf. supra v. 139. *Lato aequore* et *haec brevis unda* opposita sunt, et illud *minus* cum vi pronuntiandum: *Was nützt es mir, dafs mich nicht ein breites Meer von dir trennt; scheidet uns* (denn) *minder dieses so schmale Wasser?*

175. *Num malim.* Magna pars Heins., Douzae cod., II Goth., Guelf. 4., Trev. et Giess.: *An malim,* quod Heinsius et Burmannus primi receperunt. Reliqui libri mss. et edd. cum vulg.: *Num,* quod requirit consuetudo dicendi. Vid. v. 1.

176. *Spem—meam. Domina—mea* VIII codd. Bene. *Heins.* Et sic cum Heinsio et Burmanno nunc vulgo editur. Sed non video, cur potius cum paucis codd. scribendum sit *mea,* quam cum longe plurimis et vett. edd. et vulg. *meam,* quod nec ad sensum alteri concedit. Etiam potior pars meorum: *meam.* Sensus est: *Dubito, num malim dominam longe a me abesse, et sic spem quoque ad eam perveniendi longe habere; nam quo propius.....* Mor. cod.: *A domina.*

177. *Quo propius. Propior* Excerpta Douzae, Sarr., Scriv. et multi (?) alii codd. *Heins.* Reliqui, praeter Dresd., qui exhibet *proprior—propriore,* et vett. edd. cum vulg.: *propius,* quod revocandum putavi tam propter vetustos libros, quam propter praecedentia *procul, longe.* Porro Trev., Guelf. 1. et 3., Dresd. et edd. Naug., Bas., Mic. et Bersm.: *nunc est.* Reliqui vett. II. cum vulg.: *nunc es,* nisi quod Guelf. 2.: *propius ut nunc est.* Vid. ad Epist. I, 50.

178. *Et res.* Lov.: *Ut res.* Familiaris vero illa agnominatio scriptoribus. Auson. Parent. XI.

Pastor, chare nepos, spes cuius
certa fuit res.

Et Profess. carm. VI.

O flos iuvenum
Spes laeta patris,
Nec certa tuae
Data res patriae.

Et Idyll. 32. Vid. ad Quint. Inst. O. IX. c. 3. *Burm.*

180. *Hoc mihi paene.* Hoc *paene* facit mihi saepe lacrimas, i. e., quod *paene* manu nos tangimus, et tamen contingere non possumus. *Micyll.* Vid. var. l.

182. *Refugi.* Lov. et duo alii: *profugi.* Sed *refugi* retinendum; alludit enim ad fabulam Tantali. Claudian. in Ruf. II, 509.

Te refugi fallant latices, atque
ore natanti
Arescat decepta sitis — — —.

Burm.

Ergo ego te nunquam, nisi cum volet unda, tenebo;
Et me felicem nulla videbit hiems;
Cumque minus firmum nil sit, quam ventus et unda,
In ventis et aqua spes mea semper erit?
Aestus adhuc tamen est. Quid, cum mihi laeserit aequor
Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus?
Aut ego non novi quam sit temerarius; aut me
In freta non cautus tunc quoque mittet Amor.

Vocem *refugi* hoc sensu exemplis illustravit Markland. ad Stat. Silv. I, 3, 31., quam Ovidius fortasse novavit. De Tantali fabula dictum est supra.

183. *Ergo* cum et sine interrogatione eleganter tristitiam atque querelas inducit. Hor. Od. I, 24, 5.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? —

Vid. Ovid. Trist. III, 2, 1., II, 543., III, 10, 77., Pont. IV, 14, 17., Amor. I, 4, 2.

186. *In ventis.* Dun.: *Et ventis.*

187. *Aestus. Nunc adhuc tempus aestatis est, quo mare placidius esse solet: quid erit, cum mihi turbaverit aequor.......? Plias* pro *Pliades,* quae sunt septem stellae in dorso Tauri, notum sidus, pluvias ac tempestates ciens. Vid. Voss. ad Virg. Georg. pluribus locis. Conf. not. ad Epist. XVI, 173. *Arctophylax* signum iuxta maiorem Ursam, quod etiam Bootes dicitur. De fabula vid. Hyg. P. A. II. c. 4. et Forcellin. *Olenium pecus* est *Olenia capella,* quae capella circa Olenum nata Iovi fertur infanti lac praebuisse, ob idque postea inter astra translata. Locum suum habet in humero sinistro aurigae. Vid. Fast. V, 111., Hyg. P. A. II. c. 13. Fast. V, 113.

Nascitur Oleniae sidus pluviale capellae.

Ubi vid. Gierig. Vid. idem Gier. ad Met. III, 594. et Voss. ad Virg. Georg. Burmannus, cui illud *laeserit* suspectum erat, coniecit *cluserit* pro *clauserit,* laudato Floro, III. c. 6., Manil. I, 365. et infra v. 209. et Epist. XIX, 140. Sed ego non intelligo, quid illa enuntiatio universalior *laeserit* possit habere suspecti. Dun.: *Quid erit, cum.*

188. Vett. edd.: *Pleias.* Vid. ad Epist. XV, 7.

189. *Quam sit.* Vulg.: *quam sim.* Sed cum uno Farnes. et Scriv. legendum *quam sit* (idem exhibent II Goth.). De Amore sermo est. Amor. I, 2, 43.

Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.
HEINS.

Et nos eam lectionem praetulimus, qua illa *temerarius* et *non cautus* arctius iungantur. Quanquam defendi tamen aliquo modo etiam vulgata potest, quam dedit Iahn.

190. *Non cautus. Non cautum* III libri. Bene. HEINS. Idem exhibent Mor., Dun., Goth. 1., IV Guelf., et sic post Burmannum vulgo editur. Perpe-

Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
  Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus aequor;
  Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo;
  Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas,
  Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus,
  Et „Mortis“ dices „huic ego causa fui.“
Scilicet interitus offenderis omine nostri,
  Literaque invisa est hac mea parte tibi.
Desino: parce queri; sed et, ut mare finiat iram,
  Accedant, quaeso, fac tua vota meis.

ram, ut mihi quidem videtur. *Non cautus,* i. e. incautus, fere idem est, quod *temerarius* versus praecedentis, et sensum puto hunc esse: *Aut ego non novi, quam temerarius Amor sit, aut temerarius ille me etiam tum* (in ipsis illis tempestatibus) *mari exponet.* Iun.: *captus iam.* Mor.: *turbida mittet Amor.*

191. *Neve putes. Ac ne putes, me haec promittere de tempore, quod longe abest: statim tibi promissum exsolvam, et si paucas adhuc noctes tempestas durabit, experiemur.....* De *Neve* vid. ad Epist. XVI, 71.

195. *Aut etc. Aut mihi audacia continget felix, felici cum successu, et salvus natabo.* Alter Mor.: *contigerit.*

197. *Optabo tamen. Et tamen optabo* unus Patav. (et Guelf. 2.). Tres alii: *Optabo tantum partes.* Dun.: *extollar. In illas,* sc. *tuas* (ubi tu es), ad quas natare in animo erat; nec opus est Douzae coniectura *in istas.*

Vid. Epist. X, 87.

199. *Tactuque,* osculis et amplexibus. Eodem modo Tibull. I, 1, 61.:

> Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
> Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Vid. Epist. XI, 125. 126.

200. *Mortis. Morti* codicis Mor. Burmanno placebat, quod mollius esset ob *dices.* Sed quanto mollius est ad sonum, tanto est durius ad sensum. *Morti huic caussa,* an *morti caussa huic homini?* Vulgata proba est et e more Latinorum. Cic. de Fat. c. 15. *Ut Helena Troianis, sic iste huic reipublicae caussa belli, caussa pestis et exitii fuit.* Metam. X, 199. *Ego sum tibi funeris auctor.* Vid. Epist. X, 144.

201. *Omine.* Eleganter. Omen sibi ipse facit illius rei, quae postea evenit. Cum enim Leander mari tumido se aliquando commisisset, fluctibus obrutus

Pace brevi nobis opus est, dum transferor istuc;
Cum tua contigero litora, perstet hiems.
Istic est aptum nostrae navale carinae,
Et melius nulla stat mea puppis aqua;
Istic me claudat Boreas, ubi dulce morari:
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.
Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla,
Triste nataturo nec querar esse fretum.

et submersus est. Vid. auctores laudati in praef. huius Epistolae. Conf. Epist. XII. fin. et not. ad XIII, 93. 94. et ad X, 95.

203. *Desino: parce queri.* Vulg.: *Desine parte queri.* Prima ed. et tres scripti (item Trev. et duo Goth.): *Desine, parce queri.* Put. (et Guelf. 1.): *Desino parte queri.* Scribe: *Desino: parce queri,* quod et Douzae in mentem venerat. Tibull. II, eleg. ult.

Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi.

Val. Flacc. VII, 225.

Cetera parce queri.

Parce cum infinit. pro imperat. cum negatione Ovidio solemnis locutio est. Deinde cum eodem Put. et X aliis repone: *sed et ut mare finiat iram,* pro vulg.: *sed ut et.* Alter Ment.: *desinat.* *Heins.*

Prima ed.: *sed ut hoc;* idem nonnulli Heins. et Goth. 2. et a correct. Guelf. 1.; Bern., Dun. et Rel.: *sed ut hanc;* Mor. et unus Heins.: *sed quod;* editt. Venn., Dresd. et Guelf. 2.: *sed ut;* Trev., Helmst., Guelf. 4.: *sed et ut;* alter Ment.: *sed etiam ut.*

205. *Dum transferor istuc.* Sic ex optimis ac plurimis libris rescribendum; nam quod probante Heinsio Burmannus dedit *isto,* trium tantum codicum auctoritatem habet, Put., Francof. et Guelf. 4. Tres Heinsii etiam: *isthac;* totidem cum Dresd.: *illuc.* Quidam, teste Naugerio: *transfretor;* quod verbum Ovidii aetate non usitatum fuisse putat Burmannus, laudans A. Gellii X. c. 26. Vid. var. l.

207. *Istic.* Sic Put. et alii multi, quomodo iidem v. 209. *Heins.*

Etiam Goth. 1., Vict., quatuor Guelf., Monac., ed. Ven. 1487., Bersm. et Mic., quod optime convenit cum praecedenti *istuc* et *istic* v. 214. Vulg.: *Illic.*

208. *Stat.* Met. III, 360. 361.

209. Monac., Victor. cum Heinsianis illis: *Istic.* Vulgo: *Illic.* Deinde Dresd., Giess., IV Guelf. et vett. edd.: *morari est.*

211. *Fluctibus.* Novi, multos esse poetas in illa locutione *surdior mari* vel *freto;* sed hic bis idem diceret, si vera est lectio *fluctibus; triste* enim *fretum* est idem ac *fluctibus* agitatum et tumidum. Quare mallem *flatibus,* quibus iam sequentia optime conveniunt: *Me pariter venti teneant.* Vid. Metam. VII, 532. *Burm.* Omnia sana. Poeta copiosus esse vult. Ac profecto talia si urgere velimus, innu-

Me pariter venti teneant tenerique lacerti;
  Per causas istic impediarque duas.
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar;
  Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum,
  Quam, precor, ut minima persequar ipse mora.

meri, ne dicam Nasonis, quo nullus in hoc genere liberior, sed aliorum vel elegantissimorum poetarum et oratorum loci mutandi erunt. Quid enim legitur frequentius, quam continens iuxta contentum, pars iuxta totum, et similia permulta? Vid. Epist. X, 113, ubi simili modo *venti nimium parati* et *flamina officiosa* posita sunt, ut hoc loco *surdi fluctus* et *triste mare*. Neque vero idem est: *surdis fluctibus convicia facere* et *fretum queri nataturo infestum esse*. Quae autem statim sequuntur, *Me pariter venti teneant*, non minus conveniunt lectioni *fluctibus*, quam *flatibus*. Conf. Epist. XIX, 83. 84. et not. ad Epist. XI, 67. Conf. Schrader. ad Musae. V. 235. *Surdis*. Vid. ad Epist. XV, 189.


213. *Tenerique lacerti*. Quatuor Heins., Rel. et Guelf. 3.: *paríterque lacerti*, quod dedit cum Heinsio Burmannus, et alii. Heinsius coniiciebat: *teneantque lacerti*. Verum tantum abest, ut vulgatam mutari velim, ut, si appositum illud *teneri* absit, sententiam parum elegantem atque ieiunam esse existimem. *Teneant*. Vid. Epist. V, 49.

214. Unus Lov.: *detinearque*. Vid. var. l.

215. *Remis etc. Ego ipse veniam.*

216. Scriv.: *in aspectum* (?).

218. *Persequar*. Put. et alii ex melioribus Heinsii, Dresd., II Goth. et Guelf. 2.: *prosequar*. Et sic post Heinsium vulgo editur. Sed equidem existimo in hoc genere tutius esse, ubi satis auctoritatis vetustorum librorum habent, formas sequi insolentiores. Vid. ad Epist. XVII, 245. Heusinger: *persequar*. Amar et Iahn: *prosequar*.



EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

Epistolae praecedenti Hero respondet.

Quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam rebus habere, veni.
Longa mora est nobis omnis, quae gaudia differt.
Da veniam fassae: non patienter amo.
Urimur igne pari; sed sum tibi viribus impar:
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam; parvi temporis adde moram.
Vos modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia tempora longa mora.

1. *Leandre.* Dubitat Egnatius, an non, prima syllaba producta, Graecorum more *Leiandre* sit scribendum. Non puto. Nam nec *Cythereia* scribitur, aut *Medeia*, aut *Aeneias.* Vid. omnino Serv. ad Virg. A. I, 257. Graecis porro tam *Λήανδρος* in usu, quam *Λέανδρος* aut *Λείανδρος* fuisse, probat Alexandri Severi numus apud Morellium in Specimine Rei Num. p. 188., unde expressam eius imaginem editioni suae Musaei praemisit Roeverus. Lenn. Vid. Epist. IV. init.

4. *Da veniam fassae.* Vid. Pont. I, 7, 22. et conf. Epist. XVI, 11.

7. *Teneris ita.* Duo libri: *Ut corpus tenerum, sic mens infirma puellis.* Burm. *Ita mens* Put. et e melioribus alii nonnulli. Heins. Etiam mei plerique. Vid. v. l. Vulgo: *sic. Corpus.* Ep. XIV, 55.

8. *Deficiam. Deficiar* puto legendum. Heins. Ego *deficiam* non muto; nam quibus animus et vires cadunt, *deficere* eleganter dici ostendi ad Quint. Decl. 339. Burm. Virg. Georg. III, 95.

> Hunc quoque (equum), ubi aut morbo gravis aut iam seguior annis
> Deficit, abde domo.

Vid. not. ad Epist. V, 150.

9. *Geniale,* amoenum, voluptatis plenum. Vid. Iahn. et Gier. ad Metam. IV, 14. et X, 95., Rupert. ad Iuven. Sat. IV, 67. et inprimis I. H. Voss. ad Virg. G. I, 302.

10. Unus Heins.: *in varias moras.*

11. *Aut fora vos retinent.* E Romanorum consuetudine dictum est, qui caussis agendis in foro se exercebant, aut iis ades-

Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaestrae;
Flectitis aut freno colla fugacis equi;

se solebant, et palaestra ludebant. Martial. IV, 8., quo aliquot illorum mores persecutus est:

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palaestris;
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Ciof.

Unctae dona palaestrae. Heinsius τὸ *dona* ex officina interpolatorum prodiisse censebat, cum in exemplaribus esset *unctae palaestrae,* omissa videlicet unica voce, quam cognatio literarum τοῦ *unctae* absorpserat; itaque rebatur ab Ovidii manu fuisse: *aut unctae lucta palaestrae.* Mihi nihil opus videtur hoc commento, ad quod nec Heinsius, ut puto, confugisset, nisi *palaestrae dona* perperam cum vulgo interpretum palmas aliaque victorum in palaestris praemia intellexisset; cum hoc quidem optime videret, ad prolatam hic ab Herone sententiam non tam praemiorum, quam luctae et quorumvis exercitiorum in palaestra commemorationem requiri. Nam certe non quotidie de palma contendebant, at quotidie lucta sese exercebant iuvenes. At vero haec iucundissima adolescentibus, quotidiana exercitia palaestrae, *dona eius* quidni dixerit Ovidius, cum sic etiam alibi *donum* et *munus alicuius rei* dictum reperiatur illud, quod vel ex re ipsa vel eius sive ope sive occasione commodi aut beneficii aut iucunditatis aliquis percepit? Hor. Od. III, 8, 27. *Dona praesentis cape laetus horae.* Virg. A. VIII, 657. *Galli per dumos aderant arcemque tenebant, Defensi tenebris et dono noctis opacae;* quem locum imitatus est noster Met. X, 478.: *Illa fugit, tenebris et caecae munere noctis Intercepta neci* — et sic saepe *munus* posuit pro beneficio, re grata. Epist. VIII, 104., Epist. XII, 110.; Trist. I, 2, 52. *Mors mihi munus erit.* Sil. It. VII, 285. *At non Sidonium curis flagrantia corda Ductorem vigilesque metus haurire sinebant Dona soporiferae noctis.* Ὕπνου δῶρον Graeci dicebant, sed Somnum illi pro deo habentes. Itaque non magis hoc urgeo, quam aut δῶρα Ἀφροδίτης, de quibus egit d'Orvill. Vann. Crit. p. 614., aut ipsa adeo *Somni munera* apud nostrum Fast. III, 185. Sed certe ad rem facit Claudian. Consul. Honor. IV, 45.: *Haec tamen innumeris per se quaesita tropaeis; Non generis dono, non ambitione potitus. Dono generis* ab Heinsii coniectura *nodo* recte vindicavit iam Burmannus ad eum locum. Denique prorsus ut h. l. noster, locutus est Auct. Epigr. Gr. Ἀδεσπ. in Anal. Brunckii 445. T. III. p. 245.

Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo;
Diluitur posito serior hora mero.
His mihi submotis, vel si minus acriter urar,
Quod faciam, superest praeter amare nihil.
Quod superest, facio, teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, quam credi quod mihi possit, amo.

Πολλῶν τὸ λουτρὸν αἴτιον δωρημάτων. Χυμοὺς κατασπᾷ, φλέγματος λύει πάχος κ. τ. λ. Conf. etiam Sophocl. Philoct. 117. sqq. *Lenn.* *Uncta palaestra*, ut *nitida palaestra* Epist. XVI, 149., ubi vid. not. Pari fere libertate Epist. XV, 146. dictum est *dos erat ille* (Phaon) *loci.*

12. *Fugacis.* Put. et alii non pauci Heins., etiam Trev., Dresd., Goth. 1. a pr. m., Guelf. 1. et 3.: *sequacis*, quod auctoribus Heinsio et Burmanno nunc vulgo editur. Revocandum cum reliquis vetustis libris omnibus et vulgata putavi *fugacis*, quod etiam melius convenire sententiae videtur, ut iuvenis in animoso ac feroci, non asini ad modum patiente ac sequaci, equo moderando oblectetur; atque eodem ducere videtur *freno colla*. Vid. ad Epist. IV, 46.

13. *Ducitis*, fallitis, decipitis, ut saepe. Vid. Ruhnk. ad Terent. Andr. IV, 1, 20. et not. ad Epist. I, 9.

14. *Posito*, apposito, ut passim apud Nasonem. Vid. Epist. I, 31. *Diluitur.* Eadem metaphora Propert. III, 15, 6.:

Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.

Vid. var. lect.

15. *His mihi submotis.* Heinsius primus e Put. et Argent. edidit (quod etiam Guelf. 1. et Dresd. exhibent): *His mihi submotae.* Ego veram censeo vulg. et veterem lectionem: *His mihi submotis.* Multo enim simplicius dicitur: *Quae quidem animi doloris atque curarum relaxationes quum a natura denegatae, submotae mihi puellae sint; nihil mihi etc....*, quam (quo profecto nihil audacius est): *Quibus quidem animi doloris levaminibus quum a natura submota ego puella sim; nihil etc.....* Quodque gravissimum, est ea lectio omnium vett. edd. et, si IV illos excipias, omnium codicum. Aliud est illud Lucani VIII, 584.

Quo sine me crudelis abis? iterumne relinquor
Thessalicis submota malis?

16. Edd. Venn. et unus et alter e meis (vid. var. l.): *Quid.*

17. *O mea sola voluptas.* Prima ed. et tres scripti: *mi sola*, *ἀρχαικῶς* pro *mea* aut pro *mihi*, ut sit Graecismus. Sic apud tragicos *ὦ τέκνον μοι, ὦ γύναι μοι* et similia. Apulei. pluribus locis. *Heins.* *Mi* non placet, et Apuleio magis convenire rancidam antiquitatem credo, quam Ovidio; neque Tibullo decoram credidit Broukh. ad Tibull. I, 3, 63. (Vid. ad eundem locum Huschk.) Vid. et Pincier. Parerg. II. c. 1. *Burm.*

18. *Quam credi.* Vulgo: *quam credi.* Put. et Bas. (etiam Guelf. 3. et a pr. man. 1.): *reddi.* Ve-

Aut ego cum cara de te nutrice susurro,
  Quaeque tuum, miror, causa moretur iter;
Aut mare prospiciens, odioso concita vento
  Corripio verbis aequora paene tuis;
Aut, ubi saevitiae paulum gravis unda remisit,
  Posse quidem, sed te nolle venire, queror;
Dumque queror, lacrimae per amantia lumina manant,
  Pollice quas tremulo conscia siccat anus.

nuste. Art. A. I, 370.

Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.

Hoc est, non poteris paria facere amando. Conf. Amor. I, 6, 23. *Heins.* Rectum illud *reddi.* Vide nostram annot. ad Petron. c. 58. *Burm.* Lectio omnium fere vett. librorum mihi non videtur mutanda, quum praesertim frequentissimus sit verbi *credere* in tali ratione sententiarum apud Nasonem usus. Vid. Epist. XX, 46. Conf. XXI, 9. Cod. Trev.:

Plus quoque quam credi te mihi possit amo.

19. *Susurro.* Metam. III, 643.

Pars mihi significat, pars, quid velit, aure susurrat.

Cara, ut cui arcanos animi sensus aperiat, quod miror Francium mutare voluisse in *cana*; vel potius non miror, sed nolim. Vid. ad Epist. XVIII, 97.

21. Douzae Excerpta et IX codd. Heins.: *Aut freta.*

22. *Aequora paene tuis.* Male alii: *saepe meis.* (Bern.: *nempe meis.*) Respicit enim ad expostulationem Leandri, quam supra vidimus; nisi *aequora saeva* placet reponi. *Heins. Saeva* cum Heinsio et Francio etiam Burmanno placebat, ob repetitionem *saevitiae.* Sed vox *saevitiae* habet, cui respondeat, scilicet verbis *odioso concita vento.* Vulgata sanissima est. Edd. Venn. et aliae: *saepe tuis. Verba* Leandri sunt Epist. XVIII, 139.

23. *Saevitiae paulum.* Potest capi, ut apud Terent. Andr. V, 3. *paululum supplicii.* In ed. Ven. 1487. et XIV scriptis reperi *saevitiam. Saevitiem* etiam in Mor. et V aliis. Ut dictum esset, quomodo *parum fidem habere* apud Plautum et Terent., de quo vide Gruter. ad Menaech. Prolog. 16., et ita *satis fortunam,* de quo ad Metam. III, 149. *Burm.* Sed ita constitutae sententiae inesset ambiguitas quaedam, quum sic illud *paulum* etiam de tempore accipi posset, hoc sensu: *Si paulum* (sc. temporis) *unda saevitiam suam remisit.* Sed vulgata recte habet, et sine ambiguitate est: *Ubi primum mare aliquid, paulum, saevitiae remisit, paulo quietius factum est.* Quae unice vera est huius loci sententia, et prorsus e natura cupide amantis, ut quae, dum mare penitus quiescat, exspectare non possit. *Saevitiam* etiam Helmst.

26. *Conscia.* Hafn. et Lov.: *Cretica* cum glossa *i. e. de Creta.* Vid. v. 19. et Epist. XVIII, 97. et

Saepe tui, specto, si sint in litore passus,
  Impositas tanquam servet arena notas;
Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
  Venerit, aut, quaero, si quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
  Hellespontiaca ponis iturus aqua?
Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora
  Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summa vigilantia lumina turre
  Ponimus, assuetae signa notamque viae;

115. *Conscia nutrix* Remed. Am. 637. Vid. Epist. XI, 33. sqq.

27. Unus Mor.: *quasi sint.*

29. *Utque rogem de te.* Versus paullo durior. Sex libri illud *et* non agnoscunt. Unus Ambros.: *ut scribam.* Puto legendum totum distichon hoc modo:

Utque rogem de te quaeramque, huc si quis Abydo
Venerit: aut scribam, si quis Abydon eat.

Deinde sequens distichon huic est praeponendum. Similia Epist. I, 59—62. *Heins.* Nihil puto movendum; sed sensus et ordo ita constituendus: „Et ut rogem de te, et scribam tibi, quaero, si (i. e. *an*) quis Abydo venerit, aut si quis Abydon eat." Illud *aut* male cum *quaero* coniunctum confudit sensum. *Burm.* Vid. var. l.

31. *Quoties dem. De vestibus* Put. Lege *dem;* atque ita sex scripti. *Heins.* Idem tuentur Dresd., duo Goth., Guelf. 1. et 3. Reliqui codd. et vett. edd. cum vulg.: *do vestibus,* quod nescio an Ovidianum putem. Vid. ad Epist. X, 86.

32. *Hellespontiaca—aqua.* Farnes., Rel. et a m. pr. Oxon. et Vict.: *Hellespontiacas—aquas.* Vid. ad Epist. VII, 40. et Burm. ad Fast. I, 122. Sed huic quidem loco parum apta scriptura: *cas—quas—is—us.* Monac.: *Hellespontiacam—aquam.*

33. *Acta est. Facta est* Put. et IX alii. Iidem mox: *pulso die.* Epist. XII, 58.

Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.

Vid. Epist. XIII, 42. *Pulso die* etiam Trev., Giess., Guelf. 1., Helmst. et Goth. 2. Reliqui vett. libri cum vulg.: *pulsa,* quae lectio e vocibus sequentibus *sidera clara* in *a* exeuntibus fluxisse videtur. Vid. ad Epist. II, 8. *Facta* exhibent etiam Goth. 1., Guelf. 3., et Trev., cuius Schol. tuetur *acta.* Giess.: *apta. Amicior,* quia nocte ad eam transnabat etc. Epist. XVIII, 76. seqq. *Hora.* Vid. Epist. III, 57.

34. *Exhibuit.* Vid. Epist. XVII, 116.

35. *In summa—turre.* Put. et Mor.: *in summo tecto.* Vid. Epist. XVIII, 31. 105. et not. ad v. 127. huius Epist. De *vigil. lum.* vid. infra ad v. 195.

36. *Signa notamque.* Leid.: *signa notanda* (idem Trev., sed pro var. l.: *notasque. L.*). Ed.

Tortaque versato ducentes stamina fuso
  Feminea tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quaeris?
  Nil nisi Leandri nomen in ore meo est.
„Iamne putas exisse domo mea gaudia, nutrix;
  „An vigilant omnes, et timet ille suos?
„Iamne suas humeris illum deponere vestes,
  „Pallade iam pingui tingere membra putas?"
Adnuit illa fere, non nostra quod oscula curet,
  Sed movet obrepens somnus anile caput.

pr. (vid. var. l. *L.*) habet *signaque nota*. Linc.: *notaque signa*. Margo Bersm.: *signa notasque*. *Burm.*
Dun. et Goth. 2.: *assiduae signa notata.*

37. *Tortaque.* Vid. Epist. IX, 77—80. Confer. Epist. I, 9. 10.

40. *In ore meo est.* Vid. Metam. VII, 708. et XI, 544. 562.

41. *Putas. Putes* plures codd., ut etiam v. 44. *Heins.* Et sic auctoribus Heinsio et Burmanno in vulgatis, praeter Iahnianam, editionibus legitur. Revocavimus utroque loco vulgatam eamque vett. edd. et longe plurimorum codd. scripturam *putas,* quae et sententiae accommodata et indicativis illis v. 42. confirmatur. Vid. infra v. 126., Epist. XVII, 99. Goth. 2. et Dun.: *cessisse. Gaudia.* Vid. Epist. XVIII, 43.

42. *Timet ille suos.* In quibusdam *patrem,* non *suos* legitur. Utrumque recte. *Nauger. Patrem* etiam Helmst.; reliqui: *suos.* Conf. Epist. XVIII, 13. *Omnes.* Vid. Epist. XVIII, 12.

43. *Suas.* Edd. Venn. et al., item cod. Dresd. et Goth. 2.: *suis.* Vid. Epist. XVIII, 57.

44. *Pallade—tingere.* Heinsius „vel contra fidem codicum" scribendum contendit *fingere.* Burmannus propter iterationem eiusdem soni *pingui tinguere* malebat *Ungere iam pingui Pallade membra putes (as)*; quum in antiquis edd. omnibus sit *Tinguere iam pingui Pallade.* Quos, quum idoneas mutandi caussas non habeant, cave audiendos putes. Vid. ad Epist. X, 40. Nec necesse est scribere *tinguere,* sed scribendum, ut in antiquis ll. est: *tingere. Tingere* est h. l. valde ungere. Unus Mor. et Excerpta Douzae: *tangere. Pallas* pro re, cui praeest, oleo olivae. Vid. Met. VI, 70., ibi Gierig. Eodem modo dicitur Bacchus, Ceres, Neptunus, Mars, Vulcanus, al. De l.: *putas,* vid. ad v. 41. et var. l.

45. *Adnuit.* In quibusdam *Adnuit illa fere,* et fortasse recte. *Nauger.*
Scilicet Naugerius in suo exemplari legebat *fore,* quam scripturam, praeter vulg., edd. Venn., Naug. et aliae et mei codd. fere omnes (vid. var. l.) exhibent. *L.* — *Fere* pro *plerumque* et *fere semper* posuit. Sic etiam Cic.: *Pater meus hic fere agit aetatem in literis.* *Micyll.*

Postque morae minimum „Iam certe navigat, inquam,
„Lentaque dimotis brachia iactat aquis."
Paucaque cum tacta perfeci stamina tela;
An medio possis, quaerimus, esse freto.
Et modo prospicimus, timida modo voce precamur,
Ut tibi det faciles utilis aura vias.
Auribus interdum voces captamus; et omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.
Sic ubi deceptae pars est mihi maxima noctis
Acta, subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis,
Et, quamvis non vis ipse venire, venis.

Ceterum parum opportune poeta ludit inter seria iocose verbo illo *adnuit*, quod et de eo, qui affirmat, ait, et fere etiam de nutante in somnis dicitur, ut ipse exponit versu sequenti poeta. Conf. Epist. XVIII, 130.

46. Ambros.: *obrepans*.

47. *Minimum — navigat. Navigat* pro *natat*. Vid. infr. v. 155. *Burm.*

Nimium Put. et alii plurimi cum nonnullis edd.

48. *Lentaque etc.* Vid. Epist. XVIII, 58.

49. *Tacta—tela*. Quid vulgata *tacta terra* hic sibi velit, non satis assequor. Iur. Excerpta, Ambros. et Gott.: *tela*. Egregie. Sed et *tracta* pro *tacta* videtur reponendum: hinc et *tractum* neutro et *tracta* feminino genere voces substantivae, de quibus Scaliger ad Tibull. I, 6, 80. (Conf. ibi Heyn. et Huschk. *L.*) *Vos lanam trahitis* Iuven. II, 54. *Trahere telam*, ut *trahere lanam, trahere pensa*. *Heins.* Ego *tacta* retinui, i. e. leviter, negligenter tacta, quia mens alibi occupata non attendebat lanificio. Inepte exponunt *tacta terra* fila producendo, ut terram tangant. *Burm.* Ego ut Burmanno facile assentior, ineptam illam et interpretationem et scripturam esse; sic consentire non possum, esse *tacta* pro leviter, negligenter tacta, quod mihi videtur ut saepe esse pro tractata: *Und wenn ich mein Gespinnst* (wieder) *genommen, und einige Fäden gesponnen habe; so frage ich, ob, u. s. f.* Nam *tela* h. l. fere intelligenda videtur stamen, complexus filorum, staminum, ut Virg. Georg. III. in fine, ubi vid. I. H. Voss.

51. *Prospicimus.* Vid. Epist. II, 124.

53. Put.: *incertas voces*, ut Epist. IX, 41. *Heins.*

55. *Sic ubi deceptae.* Douzae Excerpta: *Ergo ubi. Decipere* h. l. idem valet, quod v. 38. *fallere.* Vid. ad Epist. I, 9. Conf. Pont. I, 2, 53.

56. Vict.: *lumina nostra.*

58. *Quamvis.* Put. et VIII alii: *quanquam. Heins.* Etiam Goth. 2. et Guelf. 2. Heinsius primus

Nam modo te videor prope iam spectare natantem;
Brachia nunc humeris humida ferre meis;
Nunc dare quae soleo madidis velamina membris,
Pectora nunc iuncto nostra fovere sinu;
Multaque praeterea lingua reticenda modesta,
Quae fecisse iuvat, facta referre pudet.
Me miseram, brevis est haec et non vera voluptas:
Nam tu cum somno semper abire soles.

edidit *quanquam.* Sine idonea caussa: nam in duplici illo *vis* non est cur haereas, et minus etiam in indicativo cum *quamvis.* Vid. Epist. XVIII, 99. et Epist. XIII, 119. ibique not.

59. *Prope iam.* Tres libri: *prope me;* alii duo: *prope te;* sed *prope me* praestat. *Heins.* Idque Heinsius induxit. Ac sane *prope me* praestat scriptura *prope te;* sed utraque tamen praestare mihi videtur vulgata eademque veterum libb. reliquorum omnium lectio *prope iam,* et *prope me* e glossa fluxisse.

61. *Nunc dare etc.* Vid. Epist. XVIII, 103.

62. *Pectora—nostra.* Pro vulgata *nostra* malim *vestra* cum Scriv. et Iun. *Heins.* *Nolo vestra* Excerpta Douzae. *Nunc madido* Mor. *Vestra* recepi: nam frigida et humentia Leandri pectora fovere videbatur Hero. *Burm.* Nihil muto: nam de Leandro haec dicta sunt: *Nunc mihi videor, te brachia ferre....; nunc velamina, quae..., nunc pectora nostra sinu iuncto fovere.* Ven. 1486.: *vincto,* perpetua permutatione. De dictione: *ego videor....nostra* vid. ad Epist. XVIII, 96.

63. *Lingua reticenda modesta.* Sic vulgo. Put. et Ment.: *modeste.* Duo alii: *linguae modestae,* quod verum est. *Heins.* Poetas vett. concursum verborum in *a* desinentium non tam diligenter vitasse, quam multi grammatici recentiores eum exagitarint, monuit Iahn ad Epist. Sabini I, 44., laudans Metam. VII, 204.

Vivaque saxa sua convulsaque robora terra.

Met. III, 57.

Tristia sanguinea lambentem vulnera terra.

Epist. V, 16., al. Vid. ad Epist. Sabini I, 44. Et certe τὸ *a* productum et *a* correptum ipsa pronuntiatione distinxerunt. Vid. Peerlkamp. Biblioth. Crit. Nov. T. I. p. 103. Ad sententiam conf. Epist. XV, 133. et XVIII, 105.

65. *Me miseram.* Distichon hoc suspectum est. *Heins.* Probae notae distichon. *Vera* autem voluptas opponitur isti vanae et imaginariae, quae in somnis capi videtur. Sic Pont. I, 2, 53.:

Sic ubi percepta est brevis et non vera voluptas.

Et hoc est, quod mox addit: *Firmius o cupidi tandem coëamus,* non ut in somnis videmur coire; et ita cape *Nec careant vera fide,* ut Petron. c. 11. *osculis bona fide exactis,*

Firmius o cupidi tandem coëamus amantes;
Nec careant vera gaudia nostra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties a me, lente natator, abes?
Est mare, confiteor, nondum tractabile nanti;
Nocte sed hesterna lenior aura fuit.
Cur ea praeterita est? cur non ventura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta via est?

pro fruamur votis ad invidiam felicibus. Ubi vide, quae notavimus. *Burm.* Et exclamatio illa post falsa illa gaudia exposita elegans est magnamque habet veritatem affectus. Conf. Epist. XV, 129. et omnino totum illum locum a v. 129. usque ad v. 136.

68. *Nec careant.* Trev., Dresd., edd. Venn., Naug. et aliae: *Ne careant*; reliqui: *Nec careant,* quod post Heinsium vulgo editur. Ac verum est, quod ad hunc locum monet Naugerius, utrumque recte dici: saepe enim sententiae, quae particula *et* coniungi possunt, etiam possunt ita constitui, ut posterior caussam prioris continere videatur; vel,quod iam saepe dictum est, sententiae *subordinantur,* quae etiam *coordinari* possunt, velut si dicam: *In textu, quem vocant, mutando caute agamus, nec nostra pro Ovidianis obtrudamus,* etiam dicere possum: ... *caute agamus, ne nostra pro Ovidianis obtrudamus.* Itaque hoc loco dici potest: *coëamus, nec* et *ne careant.* Sed praeferendum cum recentioribus edd. *Nec careant,* ut pentameter sit, quod Ovidius adamat, expositio sententiae in hexametro praecedenti contentae, eaque scriptura maiorem quoque habet auctoritatem vett. librorum. Vid. ad Epist. XVI, 221.

69. *Viduas,* non expertas concubitum. Sic quoque dicitur mulier *vidua,* quae cum viro diu rem non habuit. Senec. Clytemn. in Agamemn.:

> Decem per annos vidua respiciam virum?

Hinc etiam facile intelligitur, cur lectus *viduus* dicatur. *Ciof.* Vid. Epist. I, 10. et not. ad I, 7.

70. *Lente natator. Morator* vel *natator* Put.; Mor.: *viator. Toties abes,* ut Prop. IV, 3, 2.:

> Cum toties absis, si potes esse meus.
>
> *Heins.*

71. *Tractabile.* Lov.: *tranabile.* Sed *non tractabile coelum* Virg. A. IV, 53. Bas.: *penetrabile. Burm.*

72. *Lenior aura. Mollior* duo libri. Vid. ad Epist. III, 44. et Fast. II, 148.

73. *Praeteriit* IV scripti. *Heins.*

74. *Nec tibi rapta.* Vulgo *capta.* Sed Put. et undecim alii Heins., etiam maior pars meorum et ed. pr., Venn., Bas. et aliae, quod Heins. dedit: *rapta.* Recte. *Rapere viam, iter, fugam,* pro *celeriter ire, fugere,* apud poetas passim. Senec. Agamemn. 154., Stat. Theb. I, 101. et V, 3., Val. Flacc. II, 569. et V, 272.,

Protinus ut similis detur tibi copia cursus;
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.
At cito mutata est iactati forma profundi. —
Tempore, cum properas, saepe minore venis.
Hic, puto, deprensus nil, quod querereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems:
Certe ego tum ventos audirem laeta sonantes,
Et nunquam placidas esse precarer aquas.

Sil. It. XII, 471., Lucan. IV, 151. Vid. Burm. ad Val. Flacc. II, 252., Drakenb. et Ruperti ad Sil. It. I, 569. et IX, 33., Heyn. ad Virg. A. VI, 8., Burm. ad Ov. Fast. III, 867. Gr. ἁρπάζειν τὴν ὁδὸν, de quo vid. d'Orvill. ad Charit. p. 263., Iacobs ad Anthol. Gr. I, 1. p. 38. Eodem modo dicitur *rapere occasionem* Hor. Epod. 13, 3., ubi vid. Mitscherl. *Rapere oculis* pro raptim legere Hor. Sat. II, 5, 53., ubi vid. Heindorf. *Rapere Venerem* Hor. Sat. I, 3, 109.

75. *Copia cursus. Copia nandi* Leid., Douz. et Guelf. 2., quod fluxit ex Epist. XVIII, 147.

76. *Hoc melior. Quamvis protinus, illico, tibi similis hesternae* (v. 72.) *copia huc veniundi detur*; *hoc,* i. e. *hac tamen parte, illa hesterna melior fuit, quod fuit prior tempore.*

77. *Mutata est.* Leid.: *mutarit,* quod si mutes in *mutavit,* etiam locum habere possit. Liv. III. c. 10. Vid. Gifan. Ind. Lucret. *Burm.* Vulgata sana est. De sensu, ipsa sibi obiicit, quod obiicere Leander possit: *At cito etc.*, ad quae sic respondet: *Saepe, si properas, minore tempore* (hesterna quiete) *huc venis.* Pessime Werfer l. l. p. 525. e corrupta codicis Monac. scriptura: *quo properans,* coniecit *quo properas* cum hac interpretatione: „*Tempore, quo properas, saepe minore venis,* i. e., *eo, quo properes, saepe etiam minore tempore venias,* quo sententia fiat universalis." Conf. Epist. III, 21.

79. *Deprensus.* Cum acumine, *hic et non in aequore,* ut est Metam. XI, 663.

81. *Laeta sonantes.* Sine idonea caussa Burmannus, quem recentiores usque ad Iahnum sequuti sunt, ex uno codice Scriv. recepit *tonantes* pro vulg. *sonantes.* Non enim quaeritur, quod usque repeto, an h. l. *tonantes* dici possit, sed an hic ita dici omnino sit necesse, vel an *sonantes* dici non possit. *Sonare* etiam de vehementiore sono et quidem, ut hoc loco, de ipsorum sono ventorum Horatius in altioris spiritus carmine (Epod. 13, 3.) dicit: *Nunc mare, nunc silvae Threicio Aquilone sonant,* et sic etiam legitur *sonitus* pro *tonitru.* Vid. Ruhnk. Dict. in Terent. Eun. III, 5, 42. Eodem modo Burmannus Epist. XV, 30. pro verissima scriptura *sonet* dedit *tonet,* ubi eum docte refutavit Van Lennep, qui, quia tacet,

Quid tamen evenit, cur sis metuentior undae,
  Contemtumque prius nunc vereare fretum?
Nam memini, cum te saevum veniente minaxque
  Non minus, aut multo non minus, aequor erat.
Cum tibi clamabam „Sic tu temerarius esto,
  „Ne miserae virtus sit tua flenda mihi.“

Epist. XI, 74., ubi Burmannus etiam repugnantibus libris novavit, ei videtur assentiri. Neque probare possum, quod Heinsius e Put. et Leidensi recepit *lenta*, quamvis eandem lectionem etiam tueantur Dresd., Helmst. et Goth. 2. Certe l. reliquorum vett. ll. omnium *laeta* ad sensum est aptissima: *Hic apud me detentus, puto, tu non haberes, quod quarereris, quo contristari posses; ego certe laeta* (cum voluptate) *tum* (sc. inter tuos amplexus) *ventos sonantes audirem et* (quae est verborum *laet. aud. son.* expositio) *nunquam precarer, aquas esse placidas.* Quanquam *lenta* et *laeta* saepe permutari non inficior, et *lenta* in talibus sententiis locum habere posse, apparet ex iis; quae disputata sunt ad Epist. XV, 169., et ex Amor. III, 11, 30., si recte habet ibi scriptura unius Arondeliani, Trist. II, 514., Art. A. III, 452., Sen. Troad. 696., Mart. II, 46., Virg. Eclog. I. init. et Cul. 158. Conf. Drakenb. ad Sil. XII, 567. Goth. 2. et vett. edd.: *tunc.* Vid. var. lect. Tibull. I, 1, 45. 46.

> *Quam iuvat* immites ventos audire cubantem,
>   Et dominam tenero detinuisse sinu.

82. *Esse.* Burmannus hic malebat *ire.* Minus recte, ut opinor. Nam, quod *ire* proprie dici *aquas* scribit, idque docuisse Broukhus. ad Tibull. I, 10, 36., verum quidem est de aquis fluminum, ab editis locis versus inferiora semper decurrentibus: at non verum est de aquis modo huc modo illuc agitati maris. *Lenn.*

83. *Cur sis metuentior.* Ita Tacit. Annal. XIII. c. 25.: *Nero metuentior in posterum.* Ovid. Met. I, 322. 323.

> — — — nec amantior aequi
> Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum.
> *Heins.*

Vid. ibi Gier. not.

85. *Nam memini etc. Nam memini temporis, quo* (*ubi, cum*) *te veniente* (cum ad me venires) *aequor non minus, aut non multo minus saevum et minax erat.*

87. *Clamabam.* Vid. Epist. XIII, 35. De *temerarius,* conf. Epist. XVIII, 189.

88. *Tua virtus.* Propert. III, 10, 9.

> Illa quidem interea fama tabescet inani,
>   Haec tua ne virtus fiat amara tibi.

Ubi *virtus* etiam pro confidentia, audacia. Vid. Epist. VIII, 49. *Burm.*

89. *Unde novus timor.* Scriv.: *Unde timor nothus. Novus,* qui olim nullus in te erat.

90. *Ubi est.* Vid. Epist. VI,

Unde novus timor hic, quoque illa audacia fugit;
  Magnus ubi est spretis ille natator aquis?
Sis tamen hoc potius, quam quod prius esse solebas,
  Et facias placidum per mare tutus iter;
Dummodo sis idem; dum sic, ut scribis, amemur,
  Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam ventos timeo, mea vota morantes,
  Quam similis vento ne tuus erret amor;
Ne non sim tanti, superentque pericula causam,
  Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, patria ne laedar, et impar
  Dicar Abydeno Sesta puella viro.

41., IV, 150., XII, 103. 104.

91. *Hoc potius, quam quod. Hic potius, quam qui* Leid. Sed frustra. Vid. Epist. XI, 32. et IX, 106. *Burm.*

97. *Ne non sim.* Douza corrigebat *Neu non sim;* nam vulgata est *Et non sim.* Heinsius dedit *Ne non sim,* quod Trev., Dresd., II Goth., Guelf. 1. et 3., Giess. et ed. Naug. confirmant, quod, quia longe maiorem habere videtur auctoritatem vetustatis, quam vulgata scriptura, et ego sequendum putavi. Continuat autem cum vi sententiam v. 96. contentam: „quam (timeo) ne similis — amor, (et) ne non sim tanti (ut mari te committas), superentque — causam, et (ne non) videar — minor."

100. *Abydeno Sesta p. viro.* Vulg.: *Abydeno viro. Abydeno toro* Put. et alii e melioribus plures (etiam Dresd., II Goth., Guelf. 2. et 3. *L.*). Solemni errore. Sic Remed. A. 778.:

Illam Plisthenio gaudia ferre viro —

et Art. A. I, 682.:

Scyrias Haemonio iuncta puella viro —

cum *toro* sit scribendum. Amor. I, 9, 6. pro vulg. *viro* scribendum *toro. Torus* pro coniuge Propert. II, 6.

Felix Admeti coniux et lectus Ulixis.

Heins.

Mihi et hoc loco et illo Art. A. I, 682. omnino legendum videtur *viro* et propter antitheses, *puella viro,* quas Ovidius in deliciis habet, et vero etiam propter codd., qui hoc loco plerique cum vett. edd. et illo omnes exhibent *viro.* — *Sesta.* Vulgo: *Sesta.* Unus Med. (et Guelf. 3.): *Cresa.* Arg. et Bas. (et a man. pr. Guelf. 1.): *Cressa.* Unus Moreti: *Festa.* Put. (Dresd. et Goth. 2.): *Thressa.* Optime. Certe *Thressae* despectae, ut e Graecorum patet commentariis. Atque ita Themistocli obiectum, quod e *Thressa* prognatus esset, ut liquet ex Nep.; Antistheni etiam philosopho, ut testis est Diog. Laërt. in eius vita et in vita Socratis. Timothei quoque du-

Ferre tamen possum patientius omnia, quam si
  Otia, nescio qua pellice captus, agas;
In tua si veniant alieni colla lacerti,
  Sitque novus nostri finis amoris amor.
Ah potius peream, quam crimine vulnerer isto;
  Fataque sint culpa nostra priora tua.
Nec, quia venturi dederis mihi signa doloris,
  Haec loquor, aut fama sollicitata nova;

cis clarissimi matrem *Thressam* fuisse et quidem meretricem, notat Athenae. III., ac propterea illum fuisse irrisum. Hinc et apud Val. Flacc. III, 706. Zethes et Calais *Thracia proles* per contemtum ab Iasone vocantur, quod e Borea nati essent. Thraces enim pro barbaris habiti, ut Scythae. Sic Demostheni quoque narrant exprobratum fuisse, quod matre Scytha prognatus esset. De iis, qui *Thressa* matre prognati essent, locus est insignis apud Theophr. *περὶ κακολογίας*, ubi pro insigni contumelia notat: *ἡ μέν τοι μήτηρ εὐγενὴς Θρᾷττα ἐστίν· τὰς δὲ τοιαύτας ἐν τῇ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναί φασιν.* Conf. A. Gell. N. A. XIX. c. 12. *Heins. Thressas* despectas fuisse docet Petit. Miscell. II. c. 4. Immo ipsos Abydenos contemtui habitos docent proverbia in ipsos iactata. Vid. Prov. Graeca Schotti P. I. p. 294. et 331. et Pantini not. in Apostolium. *Burm.*

Mihi probabilius videtur, lectionem *Thressa* ex glossa ortam esse. Nam si *Thraces* contemtui erant, nonne eadem vituperatio h. l. ipso quoque nomine *Sesta* quodammodo indicabatur, quum praesertim *Abydeno* oppositum esset? *Sesta* longe plurimi Heins., Trev., Guelf. 1. a sec. m., Guelf. 4., et Goth. 1. (atque idem valet, quod exhibent Giess. et Guelf. 2.: *Sexta*, et Helmst.: *Testa*, et unus Mor.: *Festa*), atque omnes vett. edd. Quam scripturam etiam confirmare videtur oppositio illa *Sesta Abydeno* (vid. Epist. XVIII, 2.) et magis etiam illud *patria* versus praecedentis, quae Heroni videtur esse *Sestus*, ut Leandro est *Abydus* Epist. XVIII, 123. et 128. Pro *Dicar* Excerpta Voss.: *Ducar.*

102. *Nescio qua.* Vid. Epist. V, 128. et ad sententiam conf. Epist. I, 75. seqq.

103. *Si veniant. Quam veniant* Mor.; nonnulli e meis: *si veniunt*, et v. 104.: *fitque.* Vid. var. l.

105. *Crimine vulnerer.* Dun.: *vulnere mordeor.*

106. *Fataque — tua.* „Atque utinam prius moriar, quam tu eam culpam suscipias, ego a te illud scelus commissum esse cognoscam."

107. *Venturi — signa doloris.* Sc. signa laesae fidei.

108. Edd. Venn. et cod. Dresd.: *loquar.*

109. *Quis enim—amavit?* Vid. Epist. I, 12. et Met. VII, 719.

110. *Plura.* Sic dedit Hein-

Omnia sed vereor: quis enim securus amavit?
  Cogit et absentes plura timere locus.
Felices illas, sua quas praesentia nosse
  Crimina vera iubet, falsa timere vetat.
Nos tam vana movet, quam facta iniuria fallit;
  Incitat et morsus error uterque pares.
O utinam venias; aut ut ventusve paterve,
  Causaque sit certe femina nulla morae.

sius cum plurimis, ut videtur, suis libris, quod Trev., Giess., Dresd., Goth. 2., Guelf. 2. et 4., Helmst. et ed. Naug. confirmant. Reliqui ll. vett.: *multa. Et.* „Ac praeterea." Vid. ad Epist. IX, 120.

111. *Felices illas. Alias* Lov. Quint. Decl. 7. c. 7. *Felices illos, qui recusare voluerunt,* ubi vid. not. *Burm.* Conf. Epist. XIII, 137. sqq.

112. *Iubet. Iubet* scribendum, idque ex auctoritate X codicum; neque aliter in codice suo Scaliger castigarat. *Heins.* Idem Guelf. 1. et Helmst. Vulgo: *iuvat.* Vid. var. l.

113. *Tam vana — quam facta.* Multi: *vera movet.* Alii: *falsa m., quam ficta.* Sed vulgata proba est. *Vana* enim iniuria est, quae incertis et levibus auctoribus et rumore ad nos perfertur et fortasse non facta est (vid. Donat. ad Terent. Eunuch. I, 2.), et ita recte opponitur *factae* iniuriae. Sic mox v. 132.:

Criminis est Tyro fabula vana tui.

Burm.

114. *Morsus.* Vid. Epist. XIII, 30., Pont. I, 1, 73.

115. *Aut ut.* Sic Put. cum aliis multis. *Heins.* Idem Guelf. 1. et 4., II Goth., Trev. et Helmst. Reliqui vett. ll. cum vulg.: *aut hic.* Ed. Ven. 1486.: *ut hic.*

116. *Certe.* Lege: *Causaque sit tantae. Ciof. Certae morae* cum vulg. plerique veteres et Put. *Heins.* Heinsius reiecta Ciofani lectione „*Causaque sit tantae femina nulla morae*", cum Put. et vett. plerisque legendum statuit: *Causaque sit certae f. n. m.*, provocans ad Rem. A. 112. 266., cuius adnotationi Burmannus inter alia etiam haec submisit: „*Causaque sit certae* vett. edd., quod Francio placebat." Num igitur idem Francio placebat, quod Heinsio? Num huic probatam lectionem etiam vett. edd. exhibebant? Noli putare. Diversam ab Heinsiana lectionem memorare ibi Burmannum voluisse, ipse verborum eius contextus docet. At vero *certe* scripserat, non *certae,* quod vitium operis debetur. Editiones autem veteres dixit Ciofani editione antiquiores. *Certe* clare scriptum video in Lugdunensi editione a. 1514. (idem est in Gryph., Vinc. et Venn.), quam vel ante visam mihi editionem illam, Heinsiana fortasse praestabiliorem esse conieceram, quod ex ea iam in textum revocaverim, haud fa-

Quod si quam sciero; moriar, mihi crede, dolendo:
  Iamdudum pecca, si mea fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis;
  Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miseram, quanto planguntur litora fluctu,
  Et latet obscura condita nube dies!
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
  Mersaque roratis nata fleatur aquis:

cile quisquam mirabitur. At vero non neminem mecum mirari subeat, quomodo tam venustum illud, tamque vere ex ipsa expressum natura *nulla certe femina,* quisquam spernere primum ac reiicere potuerit. Num simplicitate verborum offensus? At fere sunt, in quibus affectus regnat, simplicissima. Ipsum illud: *Perfida, sed quamvis perfida, cara tamen,* et illud alterum: *Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen,* etiam non nisi numeris ab oratione prosa discrepat. LENN.

Quomodo ex *certe* ortum sit, quod in multis libris esse diximus *certae,* in aperto est; nam in veteribus codd. *certe* et *certae* scriptura rarissime distinguuntur, ut supra iam dictum est. Certe, quos ego inspexi, habent *certe,* quod sine dubio etiam Dresd., duo Goth., IV Guelf. et Helmst. exhibent. Vid. var. l. Vulg.: *certae.* Margo Bersm.: *Causaque sit aut certe.* De *certe* vid. ad Epist. I, 3.

117. *Si quam sciero.* Put.: *si resciero.*

118. *Iamdudum pecca.* Versus suspectus Heinsio; nec mihi satisfacit illud *Iam dudum peccas.* Fortasse legendum *Iam durus pecca* vel *Actutum pecca.* LENN.

Scribendum *pecca*, et omnia plana erunt. *Peccas s* suum a sequente *si* mutuavit. Vid. ad Epist. I, 24. *Iamdudum* saepissime imperativis iungitur, et fere est *quam primum, statim, illico.* Met. XIII, 457.

Utere iamdudum generoso sanguine, dixit;
Nulla mora est.

Virg. Aen. II, 102.

— *si* omnis uno ordine *habetis* Achivos,
Idque audire sat *est; iamdudum sumite* poenas.

Metam. XI, 482.

Ardua iamdudum demittite cornua.

Art. A. II, 457., Epist. XX, 80. Conf. Virg. Georg. I, 213. Eleganter et cum affectu post illa *moriar, mihi crede, dolendo* imperativus ille infertur, nec minore cum elegantia sic sequitur: *Sed neque peccabis.* Conf. omnino Epist. VIII, 55—60. *Pecca* etiam Heusinger edidit et Werfer l. l. p. 560. probavit.

119. Conf. Epist. II, 88. 89.

121. *Planguntur.* Farnes.: *franguntur.* Vid. ad Epist. VII, 169. Ambros.: *feriuntur.* Trist. I, 2, 19.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!

An mare ab inviso privignae nomine dictum
Vexat in aequoream versa noverca deam?
Non favet, ut nunc est, teneris locus iste puellis:
Hac Helle periit, hac ego laedor aqua.

122. *Et.* Margo Bersm.: *Ut.*

123. *Pontum.* Sex scripti codd. et ed. Ven. 1487.: *portum.* Forte non male; nisi malis *Porthmum.* Nam hoc fretum Πορθμὸς dictum fuit. Vid. Maussac. in Plutarch. de Flum. p. 286., Lutat. in Stat. p. 14. *Heins.* Conf. Burm. Sec. Anthol. Lat. II. p. 41. „Sed et Πόντος apud Homerum et alios saepe eximie vocatur Hellespontus." Sic ad hunc locum Van Lennep. Ego genitivum *Helles* coniungendum puto cum *pontum,* et non cum *mater pia,* ut loco Metam. XI, 196.

> Angustum circa pontum Nepheleidos Helles.

Trist. I, 10, 15.

> Quae simul Aeoliae mare me deduxit ad Helles.

Vielleicht ist die liebende Mutter zum Pontus der Helle (ihrer Tochter) *gekommen.* — Fingit autem Hero, tempestatem fortasse a Nephele suscitatam, ob luctum filiae; aut ab Inone noverca, quae ob iram privignae, in ipsum, quod eius nomen gerat, mare saeviat. De re, vid. Epist. XVIII, 117.

124. *Mersaque roratis.* Sic saepe Ovidius; sed ferri etiam vulgata *turbatis* potest, quam plures etiam codd. exhibent. Metam. III, 475.

> Et lacrimis turbavit aquas —.

Sed *roratis* est Epist. XV, 97.

> Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis.

Manil. V, 564.

> Et casus miserata tuos roravit et undas.

Heins.

Roratis etiam mei praeter Helmst. omnes, ed. Naug. et al. Vid. de hac voce Sanct. Minerv. III. c. 3. in v. et ibi Perizon.

126. *Vexat. Vexet* scribendum postulant superiora; nisi pro *Aut* praecedenti versu *An* legas cum Put., idque praestat. *Heins.*

Sed defendi etiam omnium scriptura librorum potest: *Aut vexat;* ut Hero haec affirmans dicat, sic: „*Aut* (si ea caussa non est, certe haec est) *vexat* etc. *Vielleicht ist....; oder es plagt* (gewifs) *die Stiefmutter...* Quid? quod nihil obstat, quominus *forsan* in eadem sententia cum indicativo et coniunctivo construatur. Vid. Ind. in v. *Forsan.*

127. *Non favet etc.* Similiter Thessalonicensis Antipater Anal. Brunckii T. II. p. 122. Epigr. 52. Αἰεὶ θηλυτέρῃσιν ὕδωρ κακὸν Ἑλλήσποντος, qui scilicet etiam Cleonicae, puellae Dyrrachiae, Sestum naviganti ad sponsum, exitialis fuisset. Dubium autem, utrum Graecum Romanus, an Romanum Graecus expresserit. Certe aequales fuerunt hi poetae. Potest etiam inter eos familiaritas intercessisse, siquidem L. Pisoni, cui Macedoniam regenti bellumque Thracicum administranti per ingenium et poeticam facultatem concilia-

At tibi, flammarum memori, Neptune, tuarum,
Nullus erat ventis impediendus amor;
Si neque Amymone, nec laudatissima forma
Criminis est Tyro fabula vana tui,

tus homo Thessalonicensis fuerat, decedenti de provincia comitem, ut videtur, sese praebuit Antipater ac deinde Romae vixit. Videantur eius Epigrammata 10—19., ac 27. et 60. Navigaverat etiam ipse Hellespontum, certe adpositam ei Sestum et servata ibi Herus et Leandri amorum monumenta, turrim illius et commune amborum sepulcrum oculis lustraverat, unde Epigr. 54. p. 125.

Οὖτος ὁ Λειάνδροιο διάπλοος οὗτος ὁ Πόντου
Πορθμὸς, ὁ μὴ μούνῳ τῷ φιλέοντι βαρύς·
Ταῦθ' Ἡροῦς τὰ πάροιθεν ἐπαύλια, τοῦτο τὸ πύργου
Λείψανον· ὁ προδότης ὧδ' ἐπέκειτο λύχνος.
Κοινὸς δ' ἀμφοτέρους ὅδ' ἔχει τάφος, εἰσέτι καὶ νῦν
Κείνῳ τῷ φθονερῷ μεμφομένους ἀνέμῳ.

Turrim, *τὸν τῆς Ἡροῦς πύργον*, memorat etiam Strabo XIII. p. 591., nec spernenda auctoritas Lucani, Caesaris a Pharsalo iter describentis IX, 954.

Threiciasque legit fauces et amore natatum
Aequor et heroas lacrimoso litore turres,
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.

Ubi *natatum*, quod recte pro *notatum* e mss. et vett. edd. Oudendorp. restituit, etsi aliter sentiente Burmanno, etiam firmari posse putem imitatione Statii Silv. I, 3, 27. Pro *abstulit* autem equidem vel *attulit* malim cum Sabellico, vel *addidit*, ut loquitur Ovidius Met. IX, 357. aliique passim. *Lenn.*

129. *Memori.* Conf. Epist. XVIII, 40. et 60. Vid. Prooem. c. III. Conf. Theocrit. Id. 8, 59.

131. *Amymone*, Danai filia, quae cum se in silvis iaculando exerceret, Satyrum percussit imprudens, qui impetu in eam facto vim ei inferre voluit. Imploravit puella auxilium Neptuni. Sed id ab illo passa est, quod a Satyro formidarat. Hyg. F. 169., Apollod. II. Conf. Serv. ad Virg. A. IV, 377. Vid. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Pall. 48.

132. *Tyro*, Salmonei filia, quae Enipeium, fluvium Thessaliae, adamasse dicitur et sub eius forma a Neptuno compressa. Apollod. I., Hyg. F. 157., Hom. Od. XI, 241. Propert. I, 13, 21.

133. *Alcyone*, Atlantis filia, una ex Pleiadibus, quae a Neptuno compressa est. Hygin. F. 157. et 192. Apollod. III.

Lucida, quia cum sororibus, reliquis Pleiadibus, inter sidera translata est. Hyg. 192. *Circeque et Alymone nata.* Non expediunt se ex hoc loco interpretes, qui haud dubie mendosissimus est. Monstra lectionum in vetustis codicibus apparent. Pro *Circe* plerique:

Lucidaque Alcyone, Circeque et Alymone nata,
Et nondum nexis angue Medusa comis,

Ceyce, Ceiceque, Ceyceque; pro *Alymone* scripti: *Avenone, Aveone, Arreone, Ancone, Anenone, Ameone, Amenone, Amione, Augone, Amimone, Aleione, Auctione, Arnione, Amintone, Alienone, Avione, Anthone, Aucone, Ancone, Amioone, Antheone, Aeteone, Anthonoe,* et quid non? sed ita, ut plerique *Aveone,* aut *Ancone* agnoscant. Helmaest.: *Ceyceque et Neone nata.* Put.: *Ceuceque et Aveone nata.* Scribo: *Calyceque Ecatheone nata.* HEINS. *Circeque et Alymone nata* cum Burmanno reliqui, non quod eam veram l. existimarem, sed quod de reponenda in eius locum veriore nihil adhuc constare, quin ne hoc quidem satis demonstratum esse putarem, eam veram esse nullo modo posse. Nam quid, quaeso, obstat, quominus deperditorum poetarum aliquis etiam Circen, etiam cuiuscumque tandem Alymonis filiam, vel et hoc et Circe genitam puellam (incertum enim, utrum una, an vero duae hic mulieres significentur) rem habuisse cum Neptuno finxerit, tametsi nunc memoria huius rei nulla exstet? (Vid. ad Epist. I, 63.) Nec de Circe quidem recte hoc affirmes, quippe quam Neptuno filium genuisse Faunum, Nonnus certe perhibet Dionys. XIII. p. 241. v. 14., ubi pro τὸν βυθίαν Κρονίωνι συναπτομένη τέκε Κίρκη cum Falkenburgio legendum esse τὸν βυθίῳ Κρονίωνι facile patebit conferentibus eiusdem poetae locum L. XLVII. p. 620. vss. 12. et sqq. Ingentem esse variationem codicum h. l. fateor, sed vulgatis meliora aut certiora inde proferri non video. Nimirum ipse Heinsius, cum diversas e codd. lectiones plus viginti excitasset, potius ad coniecturam recurrere, quam ulla earum uti maluit. Scribendum ei videbatur *Calyceque Ecathaeone nata,* quia videlicet apud Hyg. F. 157. filios Neptuni recensentem memoretur *Cygnus ex Calyce Hecatonis filia,* ubi ipse corrigebat *Hecataeonis.* Sed hoc est coniecturam coniecturae superstruere. Et, si vel maxime Cycni mater intelligenda sit, quod mihi non tam certum, atque Heinsio, videtur, aliam ei matrem alii tribuunt auctores. *Calycen* quidem nemo praeter Hyg. memorat, ut de veritate eius nominis nonnihil iam addubitaverit Munker, quem vid. ad Hyg. l. c. At vero Scholiastes Pindari ad Olymp. B. 145. memoratum ibi Cycnum filium fuisse ait Neptuni et *Scamandrodices,* vel secundum alios *Harpales.* Matrem Cycno *Scamandrodicen* etiam Tzetzes tribuit ad Lycophronem v. 232. 233., quamvis Eudocia in Violeto p. 264. *Scamandrodicen,* haud Cycni matrem, sed ipsum appellatum fuisse Cycnum tradat: *Κύκνον ὠνόμασαν τὸν καὶ Σκαμανδροδίκην ὕστερον κληθέντα* — ubi principio Capitis pro *κακῶς τὰ περὶ θαλασσίαν διαθέντα* omnino ex

Flavaque Laodice, coeloque recepta Celaeno,
Et quarum memini nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poetae
Molle latus lateri conseruisse tuo.

Scholiaste Pindari l. c. rescribendum κ. τὰ περὶ Θεσσαλίαν δ. Agit enim de altero Cycno, Martis filio. Conf. Hesiodi Scut. Herc. v. ult. Denique Scholiastes Theocriti Id. 16, 49. Cycnum τὸν Ποσειδῶνος καὶ Κήϋκος dicit, ubi pro vitioso Κήϋκος, quod viri nomen est, non feminae, Heinsius item legere nos iussit Καλύκης, quam emendationem eius pro sua venditavit Toup. in Animadv. ad dd. Scholia. Sed, cum ipso Heinsio teste pro *Circe* codices hic plerique *Ceyce, Ceiceque, Ceyceque* exhibeant, certe non minore aliquis veri specie pro Κήϋκος in illis Scholiis legendum Κηΰκης, hic vero *Ceyceque* veram lectionem esse contendat. *Ciceque et Alimone nata* Volscus in suo exemplo legerat Antonius, qui fidenter sane „*Iphimediam*, inquit, significat, Cices et Alimonis filiam, quae Alceo nupsit, ut in Odyss. scribit Homerus, iactavitque se cum Neptuno miscuisse etc." Sed Iphimedia quidem Triopis filia dicitur Apollod. I. Itaque miror, undenam ista sumserit Antonius. *Cyceque et Alimone* ed. Lugdunensis exhibet.
LENN.

Circeque et Alymone edd. Mic. et Bersm. Amar dedit: *Calyce Hecataeone nata.*

134. *Medusa.* Neptunus Medusam, unam e Gorgonibus, amavit et cum ea in Minervae templo concubuit. Quam iniuriam Minerva gravi animo ferens Medusae capillos, quibus (nam fere auri colorem habebant) maxime deo placuerat, in angues mutavit, deditque, ut omnes, qui eam adspicerent, in lapides mutarentur. Vid. Metam. IV, 793. seqq. et ibi Gierig et quos is laudat, Hesiod. Theog. 270—285., Scut. Herc. 216. seqq., Eratosth. 22., quem vertit Hyg. P. A. II, 12., Apollon. II, 412., Orphei carmen de Lapid. 15, 30., Apollod. II., Pausan. Corinth p. 159. Verum Ovidius h. l. eos sequitur auctores, qui non omnes Medusae capillos tradunt in serpentes mutatos, sed ita, ut

Gesserit alternis immixtos crinibus angues,

ut canit etiam Metam. l. l., unde illud *nexis.*

135. *Flavaque Laodice.* Plures eius nominis memorantur. Vid. Apollod. et Meziriac. l. l. Quam Neptunus amarit, non liquet. *Flava.* Vid. ad Epist. XX, 57. *Celaeno* et eadem una e Pliadibus. Vid. ad v. 133.

137. *Has certe. Has etenim* corrigebat Francius. Perperam. Ipsa non contendit, has omnes eius amores fuisse; sed poetis id tribuit auctoribus. *Certe* enim, ut saepe, pro *saltem. Poetae has certe et plures etc.* Vid. Epist. I, 3.

138. *Conseruisse.* Put. et alii maiori ex parte cum prima ed. (vid. var. lect.): *composuisse.* Quidam: *supposuisse* et

Cur igitur, toties vires expertus amoris,
  Assuetum nobis turbine claudis iter?
Parce, ferox, latoque mari tua proelia misce.
  Seducit terras haec brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum iactare carinas,
  Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe deo pelagi, iuvenem terrere natantem,
  Gloriaque est stagno quolibet ista minor.
Nobilis ille quidem est et clarus origine, sed non
  A tibi suspecto ducit Ulixe genus.

continuasse. Prop. II, 2, 64.

Virgineum Brimo composuisse latus.

Lucilius:

Tum latus componit lateri, tum pectore pectus.

Virg. Aen. VIII, 486. *Heins.* Quum *conseruisse* satis magnam auctoritatem vetustatis habeat, (sic enim vulg., edd. vett. et nonnulli codd. Heins. et IV e nostris, vid. var. l.) Ovidioque solemne sit, cum Amaro illud restitui. Vid. ad Epist. II, 58.

140. *Turbine.* Duo scripti et margo Bersm.: *turbide.* Fast. I, 272.

Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.

Heins.

Sic *tempestate praecludere maria* dixit Flor. III, 6. *Turbo* autem poetis vox familiaris pro procella. Virg. A. IX, 91., Val. Flacc. I, 621. et ita passim illi et alii. Noster Epist. VII, 66., Nuce v. 161. *Burm.* Vid. Epist. XVIII, 43.

142. *Brevis unda.* Plin. H. N. IV. c. 9. *Hellespontus septem stadiis Europam ab Asia dividens quatuor illic inter se contrarias urbes habet. In Europa Callipolin et Seston, in Asia Lampsacum et Abydon.* Idem VI. c. 31. *Haec* δειϰτιϰῶς. Epist. XVIII, 174. *Seducit,* dividit, distinet. Epist. VIII, 69.

145. *Terrere.* Mor.: *turbare.*

146. *Minor.* Mendosissimus Bern.: *timor.* Sensus est: *Gloria ista minor est, quam pro magnitudine cuiuslibet stagni, sive tantum abest, ut iuvenem natantem terrere facinus Neptuno sit dignum, ut stagnum vel modicum pudere debeat, eiusmodi facto gloriam captare.* De constructione *gloria ista stagno minor,* vide ad Epist. X, 137. Venn.: *esse minor.*

148. *A tibi suspecto.* Quidam legunt *despecto,* quasi nimis leve sit *suspecto*; mihi *suspecto* placet, quod est *invisum,* ut Epist. XX, 173. *Nauger. Ducit* meliores Heinsii et praeter Guelf. 2. mei omnes. Vulg. cum reliquis: *duxit.*

Ad Polyphemum referenda sunt haec, cuius gratia Neptunus Ulixi infensus erat. Excaecaverat enim illum Ulixes, cum exprobratione ea, ut diceret, neque patrem Neptunum auxiliaturum illi esse, aut oculum restituturum, ut est in Odyss. Hom. X, 525. *Micyll.*

Da veniam, servaque duos: natat ille; sed isdem
Corpus Leandri et spes mea pendet aquis.
Sternuit et lumen — posito nam scribimus illo —
Sternuit, et nobis prospera signa dedit.

Troianis temporibus recentiores Hero Leandrumque, opinione certe Ovidii, fuisse censuerunt I. Gronov. T. II. Thes. Antiq. Graec. n. 7. et Schrader praef. ad Musaeum p. 6. et 7. Eos vero non Troianis modo et heroicis temporibus, sed et iis, quibus res Troianae et heroicae primum celebrari a poetis coeptae, posteriores habuisse nostrum merito colligas ex v. 136. et 137. Stat. tamen Theb. VI, 542. sqq. Herus et Leandri historiam etiam Thebano bello antiquiorem facit. *Lenn.* Vid. ad Epist. I, 63. et ad Epist. II, 2.

150. *Corpus Leandri et spes mea.* Codd. omnes et vett. edd. cum vulg.: *Corpus Leandri, spes mea.* Ego vero omnino et invitis ll. scribendum censeo, quod etiam Medenbach Wakker Amoenit. Literar. c. 13. p. 117. malebat: *Corpus Leandri et spes mea,* requirente eam scripturam sententia: *Da veniam et serva duos; natat ille* (quidem solus); *sed in iisdem aquis corpus Leandri et* (simul) *spes* (vita) *mea pendet.* Aliud est Epist. XXI, 88. Margo Bersm.: *et spes mea.* Wakefield difficultatem loci pervidens corrigebat: *Corpore Leandri.*

Pendet. Vid. Epist. XVIII, 52.

151. *Sternuit et lumen.* Vulg. hic: *Interea lumen,* et sequenti versu: *Stertuit. Sternuit et lumen* Put., ut et proximo versu; sed ita, ut utroque loco *Stertuit* esset repositum, quomodo primae edd. et plurimi codd. (etiam mei praeter Giess. omnes. *L.*). Perperam. Prop. II, 2, 34.

— — Argutum sternuit omen
Amor.

Sternuit alter Mor. recte posteriori versu. *Heins.* (Et utroque loco Giess. [?].) Vid. et Salmas. Epist. I, 40., Muret. ad Catull. Epigr. 46., Passerat. ad Prop. II, 3. p. 259., Meurs. ad Theocrit. p. 45., Scalig. lectt. Auson. I, 16. et Ep. 40. *Burm.*

Sternuit en, quod coniecit Heinsius, per se, si spectes sententiam, satis aptum, sed, si respicias *ecce* v. 153., vix ferendum. — Sternutationem sive crepitum lucernae faustum in amoribus omen praebuisse docet etiam Anthol. Graecae VII. Epigr. 179.

Ἤδη, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες· ἦ τάχα τερπνὴν
Ἐς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις;
Εἰ γὰρ ἄναξ εἴη τόδ᾽ ἐτήτυμον, οἷος Ἀπόλλων,
Θνητοῖς μάντις ἔσῃ, καὶ σὺ παρὰ τρίποδι.

Attamen idem illud, nisi infaustum, certe dubium omen habuisse videtur Arethusa apud Propert. IV, 3, 59. 60.

Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno;
Seu voluit tingi parca lucerna mero.

Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes,
„Crasque erimus plures" inquit, et ipsa bibit.
Effice nos plures, evicta per aequora lapsus,
O penitus toto corde recepte mihi.
In tua castra redi, socii desertor Amoris:
Ponuntur medio cur mea membra toro?

Ad quem locum vid. Burmann. Sec. *Lenn.* Leodd.: *Stertuit* cum glossa: *strepitum dedit. Stertuit et* v. 151. loco vulgatae *Interea* exhibent praeter Put. a m. sec. Dresd., II Goth., Guelf. 1., 2., et 4. et Trev. Et v. 152. vett. ll. reliqui omnes.

153. *Instillat.* Ita meliores codices. Mic. et Bersm. et Venn. 1486. et 1492.: *distillat.* Ven. 1487.: *destillat,* et quidam codd. utramque lectionem agnoscunt. Sed nihil muta. Cic. Senect. c. 11. *Oleum lumini instillare;* et Hor. Sat. II, 2, 61. 62.

— — cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti —

et translate Epist. I, 8, 16.

Praeceptum auriculis hoc instillare memento.

Burm.

De re vid. Epist. XIII, 114. Ceterum hunc locum illustrat Virg. G. IV, 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam;
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.

Conf. Trist. V, 5, 12. *Faustos, fausta* significantes. Dun.: *dum stillat.*

154. *Plures.* Quia Leander accedet. Vulgo: *Cras.* Sed meliores Heinsii et mei fere omnes: *Crasque.* Ceterum qui libat vinum, et ipse bibere solet. Apud Homerum quidem hic mos obtinet. Vid. Iliad. IX, 177.

Ipsa bibit. Illustrat hunc locum Fast. II, 579. 580.

Vina quoque instillat (*anus*): vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa aut comites, plus tamen ipsa bibit.

155. *Evicta.* Linc.: *erupta.* Alius: *evecta.* Ambros.: *errata.* Farnes.: *pacata.* Lov.: *extrema.* Bern.: *invicta.* Omnes frustra. Nam *evicta* est, natando et luctando superata. Met. XV, 706.

Evincitque fretum — — — —.

Plura ad Val. Flacc. III, 481. et V, 512. Infra v. 181. *victor aquarum. Lapsus* autem hic pro *natans* ponitur, cum aliter navigare (?) notet, ut supra v. 47. *navigare* dixit. Sed cum idem *navigium, navita, vector* erat Leander, eleganter hoc vocabulum elegit. Vid. Epist. X, 65. et ad Epist. XXI, 84.

Burm.

Edd. Venn. et aliae: *vectus.* Metam. XIV, 8. *Tyrrhena per aequora lapsus.*

156. *Recepte mihi.* Linc., Leid. et Bern.: *meo. Animo recipere* dixit etiam Epist. VI, 55. et alibi.

157. *Socii.* Cum respectu rei bellicae dictum: *Amoris,* cuius nos societatem iniimus. Vid. Epist. XIII, 83. ibique not.; item not. ad VII, 31.

158. *Medio.* Amor. II, 10, 17.

Quod timeas, non est: auso Venus ipsa favebit,
  Sternet et aequoreas, aequore nata, vias.
Ire libet medias ipsi mihi saepe per undas;
  Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
Nam cur hoc vectis Phryxo Phryxique sorore
  Sola dedit vastis femina nomen aquis?
Forsitan ad reditum metuas ne tempora desint,
  Aut gemini nequeas ferre laboris onus:
At nos diversi medium coëamus in aequor,
  Obviaque in summis oscula demus aquis;
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes:
  Exiguum, sed plus quam nihil, illud erit.
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
  Vel timidus famae cedere vellet amor.

Hostibus eveniat vacuo dormire cubili,
Et medio late ponere membra toro.
CIOF.

Male *viduo* edd. quaedam et Leid. Recte *medio*. Hinc toties *in parte recepte tori* et similes locutiones. Vid. Amor. I, 5, 2. BURM.

159. Vid. ad Epist. XV, 213.

160. *Sternet.* Vid. Metam. XI, 501. ibique Gierig.

161. *Medias.* Praecessit modo *medio toro*; et mox sequitur *medium aequor*. Quare cum uno Reg. hic *tumidas* mallem, ut mox v. 181. et millies alibi. BURM.

Et sic auctore Burmanno plerique recentiores editt. dederunt. Sed ego mutare vulgatam non ausim; repugnant enim libri, et omnis vis loci est in voce *undas.* Ad sententiam conf. Epist. IV, 37. et 38. Vid. etiam Epist. XVIII, 97.

163. *Nam cur hoc.* Haec vera lectio. CIOF. *Hoc* plerique scripti cum vulgata. Put.: *hac.* HEINS. Guelf 1. et ed. Naug.: *huc.* Vid. supra v. 142. *Vectis* de participio praeterit. Conf. not. ad V, 114.

165. *Metuas.* Sic bene Put. et Reg. Deinde *ne tempora desint* idem Put. cum multis aliis. Vulg.: *metuis ne robora desint.* HEINS.

Reg.: *metuas ut tempora desint.* Vid. var. l.

166. *Aut gemini nequeas* plerique codd., etiam meliores. HEINS.

Etiam mei fere omnes. Vid. var. l. Guelf. 2. et ed. Naug.: *Ac.* Vulgo: *Aut nequeas gemini.*

167. Cod. Gron. et quaedam edd.: *Aut.*

169. *Atque ita quisque.* Notandum hic verbum *quisque* de duobus dici. CIOF. Sueton. Aug. c. 26. *Ut Caium et Lucium filios, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* Conf. Quint. Inst. Or. III. c. 6. Alii (etiam

Nunc male res iunctae, calor et reverentia, pugnant;
Quid sequar in dubio est: haec decet, ille iuvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasaeus Iason,
Impositam celeri Phasida puppe tulit;
Ut semel Idaeus Lacedaemona venit adulter,
Cum praeda rediit protinus ille sua.
Tu quam saepe petis quod amas, tam saepe relinquis;
Et quoties grave fit puppibus ire, natas.

Goth. 1., Trev. et Helmst. et ed. Ven. 1487.): *in urbes.* Duo: *ad arces.* Barb.: *ad oras.* Burm.

171. *Clam cogit.* Mei codd., praeter Goth. 2., omnes: *tam cogit*; idem exhibent edd. Venn., et in Guelf. 1. super *amare* glossae loco adscriptum est: *adverbium.*

172. *Vel timidus famae.* En corculum interpretum, qui cum notis variorum nobis concinnavit Ovidium, qui *timidum famae* ex corculo Latinitatis esse iactat, ut *timidus dei, temperans famae etc.*, cum *famae* dativum esse et cum verbo *cedere* coniungi debere vel puer videat. *Cedere famae*, ut *invidiae* Phaedr. III, 9.; *Fortunae* Quint. VI. c. 17., ubi vid., quae notamus. Burm. Non possum, quin corculo illi adsentiar, qui mihi sententiae vim melius videtur perspexisse, quam huius invectivae auctor Burmannus. Sensus est: *Utinam pudor ille, qui nos clam amare cogit, vel famae timidus amor cedere, discedere, abire, vellet.* Si *famae* cum *cedere* coniungas, vix commodam elicias sententiam. Quid enim valet *pudor cedit famae?* Valet fere *pudere*; at hoc iam faciunt cum maxime, amores suos occultando. *Timidus famae* fere ut Horat. *timidus procellae.* Conf. v. 83. Ceterum quemadmodum supra propriam quandam huius poetae observationem ad facilitatem versus et orationis in circumlocutionibus per verbum *posse* vidimus; ita singularis illique simillimus apud eundem obtinet usus circumlocutionum per verbum *velle.* Amor. I, 4, 38.

Oscula praecipue nulla dedisse velis.

Metam. II, 395., X, 132., Trist. II, 479. et sic passim. Vid. ad Epist. XXI, 58.

173. *Calor et reverentia. Venus et reverentia* Excerpta Douzae. Gron.: *pudor et reverentia. Calor* pro amore Art. A. I, 237. Atque ita *calere, uri, ignis,* apud nostrum passim. Ad sententiam conf. Epist. XV, 121.

174. *In dubio est.* Put.: *Quod sequitur, dubium est.* Reg.: *in pugna est.* Vid. var. l. *Quid* pro *utrum*, ut v. 169. *quisque.*

175. *Pagasaeus.* Put.: *Pagareos*, quod est *Pagaseos*, Graeca enuntiatione, ut saepe alibi. Heins.

Vid. ad Epist. XVI, 345.

177. Gott.: *vidit*, et Bern.: *petiit Lacedaemona adulter. Idaeus.* Vid. ad Epist. VIII, 73. *Se-*

Sic tamen, o iuvenis, tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.
Arte laboratae merguntur ab aequore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putas?
Quod cupis, hoc nautae metuunt, Leandre, natare:
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram, cupio non persuadere, quod hortor,
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.

mel. Conf. Ep. XII, 13. *Adulter.* Vid. Ep. I, 5.

180. *Grave fit.* Sic ex scriptis multi, ut Amor. I, 2, 10.:

— leve fit, quod bene fertur onus.

Heins.

Vulgo: *grave sit. Fit* etiam Giess., Goth. 2. et IV Guelf.

182. *Sic facito.* „Sic sperne fretum, ut tamen verearis." Vid. Epist. XIII, 69.

183. *Merguntur ab aequore puppes. Merguntur ab* Put. cum aliis plerisque pro vulg.: *vincuntur. Heins.* (*Merguntur ab* etiam mei, uno excepto, omnes et Leodd. Vid. var. l. *L.*) Sed ego illud *merguntur* glossam esse librarii affirmare ausim, ut et *franguntur*, quod in Ment. erat. Elegantius enim et a vulgari usu remotius (ut cum vulg. ed. Naug. et nonnulli Heinsii. *L.*) *vincuntur.* Virg. A. IX, 91.

Ne cursu quassatae ullo, neu turbine venti
Vincantur.

Trist. I, 4, 12.

Iam sequitur victam, non regit arte ratem.

Et ita passim *proelia* et *pugnas* ventorum et maris poetae fingunt, in quibus vel navis vel mare vincit. Vid. supra v. 155. Hic vero tale certamen fingi apparet ex *plus posse* versus sequentis: quasi Leander sua brachia contra maris iram posse, sive valere, sibi fingeret, et validiores lacertos, quam navis remos crederet. Douzae et Venn. edd.: *merguntur in aequore. Burm. Arte laboratae.* Summo fabricae artificio compactae naves tamen, inquit, ab aequore vincuntur; quanto magis homines, quorum brachia non plus possunt, quam navigiorum remi. Alludere hic poetam ad tutelam navis sive affabre laboratam numinis imaginem in puppe, minus recte censuit Burmannus. *Lenn.* Mei codd. fere omnes: *naves,* non *puppes.*

184. *Putas.* Quod nunc vulgo legitur *putes,* e duobus codd. suis induxit Heinsius. Iun.: *Non tua.*

186. *Puppibus.* Reg.: *navibus.* Sensus est: *Quod tu cupis, sc. natare, natando mare traücere, hoc nautae metuunt, nec nisi facto naufragio ab iis fieri solet.* Nimis quaesite.

187. *Quod hortor. Opto* alii. *Heins.* (Vid. var. l.) Nihil muta; nam aeque Latine dici *hortor aliquid,* atque *ad aliquid,* docuit hoc etiam loco producto Gronov. ad Senec. Epist.

Dummodo pervenias, excussaque saepe per undas
  Iniicias humeris brachia lassa meis.
Sed mihi, caeruleas quoties obvertor ad undas,
  Nescio quae pavidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternae confundor imagine noctis,
  Quamvis est sacris illa piata meis.

121. et Taciti Annal. XI. c. 3. et Graev. ad Cic. ad Att. VII. Ep. 14. *Burm.*

191. *Obvertor* legendum, non *obversor* (quod exhibent Vict., Guelf. 3. et edd. Venn. 1486. et 1492. et al.). Venit autem a *vertor,* quod in dissuetudinem abiit. Composita *revertor, obvertor, convertor.* Hoc autem loco est respicere. *Ciof.* Metam. II, 470.

> Quo simul obvertit saevam cum lumine mentem.

192. *Nescio quae etc.* (Vulgo: *Nescio quid pavidum frigore pectus habet.*) Multo rectius legunt quidam:

> Nescio quod pavidum pectora frigus habet.
> *Nauger.*

Accedo XII scriptis, qui legunt:

> Nescio quae pavidum frigora pectus habent.

(Idem exhibent Helmst., Giess., II Goth. et Trev., qui tamen errore librarii habet *frigore.* Giess.: *timidum* pro *pavidum. L.*) Alii codd.: *habet.* Vid. ad Epist. XII, 170. Fast. II, 754.

> — et gelidum pectora frigus habet —

ubi *habent* in scriptis nonnullis. Alii codices hoc loco:

> Nescio quod pavidum pectora frigus habent.

Argent.:

> — pavidum pectore frigus habet.
> *Heins.*

Vid. var. l. De re vid. Epist. XII, 142. ibique not.

193. *Confundor.* Vid. Epist. XVIII, 129. De re conf. Epist. XIII, 109. seqq. et IX, 39.

194. *Piata.* Hunc locum illustrat similis apud Tibullum I, 5, 13.

> Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
> Somnia, ter sancta deveneranda mola.

Conf. omnino Art. A. II, 329. 330.

195. *Dormitante lucerna.* Eleganter dictum est pro *deficiente,* quod ipsum in uno codice Heinsiano et Excerptis Douzae repertum a Burmanno non nisi glossa est vulgatae lectionis; nec duriore metaphora *dormitans* dicta hic lucerna, quam alibi *vigil.* Cave tamen Ovidium ita locutum sine exemplo credas. Similiter prorsus Meleager Analect. Brunckii T. I. p. 29. Ep. 102.

> *Εἴ τις ὑπὸ χλαίνῃ βεβλημένος Ἡλιοδώρας*
> *Θάλπεται, ὑπναπάτῃ χρωτὶ χλιαινόμενος,*
> *Κοιμάσθω μὲν ὁ λύχνος· ὁ δ᾽ ἐν κόλποισιν ἐκείνης*
> *Ῥιπτασθεὶς κείσθω δεύτερος Ἐνδυμίων.*
> *Lenn.*

Ego vero vel sine exemplo illo credidissem, ductus poetae ratione dicendi, et eleganti illa imagine poetica paul-

Namque sub Aurora, iam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera solent,
Stamina de digitis cecidere sopore remissis,
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.
Hic ego ventosas nantem delphina per undas
Cernere non dubia sum mihi visa fide;
Quem postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Unda simul miserum vitaque deseruit.
Quicquid id est, timeo: nec tu mea somnia ride,
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectae parce puellae,
Quae nunquam nisi te sospite sospes erit.

latim deficientis lucernae et *vigilantibus illis luminibus* v. 35., cum quo conf. Stat. Silv. I, 1, 35.

An tacita vigilet face Troicus ignis.

Facem *mori* dixit Ovid. Amor. I, 2, 12. Edd. Venn. et cod. Dresd., II Goth. et Guelf. 3.: *placata.*

Sub Aurora. Ita cum vulg. editi priores et scripti omnes. Malebat tamen Heinsius *sub Auroram,* ut *sub noctem* Metam. IV, 79., *sub prima crepuscula* Fast. V, 455. et alibi. Sed cum utrumque recte dicatur (vid. ad Vellei. Pat. II. c. 24.), hic *Aurora* ob sequentem voculam similis soni *iam* est praeferendum. Burm. Et vero etiam propter vett. ll.

196. *Quo cerni etc.* Horat. Sat. I, 10, 32.

— — — — vetuit tali me voce Quirinus
Post mediam noctem visus, cum somnia vera —

ubi Schol. Porph.: *Ferunt post mediam noctem somnia veriora esse, quia tunc iam mens et cibo et potu purior est.* Mosch. Id. 2. init.

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς.
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Conf. Plat. Criton. p. 44. A. Ed. Naug. et al.: *Tempore....somnia.*

197. *Stamina.* Conf. Propert. IV, 8, 53. ibique Burmann. et Metam. IV, 229.

199. Venn. et al.: *Hac.* Vid. var. l.

200. *Non dubia — fide.* Vid. Epist. XVI, 42.

201. *Illisit.* Edd. priscae: *iniecit.* Scriv. unus: *illusit.* Val. Flacc. IV, 410.

— — — — toto gurgite torrens
Tisiphonen agit, atque imis illisit arenis.

Virg. A. I, 112. Burm. Conf. Epist. XVII, 139. et Metam. XIII, 901.

202. *Deseruit.* Choriambum in fine pentam. habes etiam Epist. XVI, 288., XVII, 16., Fast. V, 580. et VI, 660. Conf. Epist. XIV, 62.

204. *Crede.* Douz. et Barb.:

Spes tamen est fractis vicinae pacis in undis:
  Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non sunt,
  Leniat invisas litera missa moras.

tende; posterior pro var. l.: *redde*.

205. *Si tibi non parcis*. Vid. Epist. VII, 75. et ibi not. et Art. A. II, 30.

206. *Sospes erit. Ero* Put. et III alii ex melioribus (etiam Guelf. 1. *L.*). *Sine te sospite* Excerpta Douz., Iun., Leid. et VII alii. *Heins.* Iahn dedit *ero*, quod ad sensum aeque rectum est (vid. Epist. I, 84.); ego vero propter summam vetustatis auctoritatem, quam habet lectio *erit*, nihil mutandum putavi.

207. *Fractis — in undis. Fractae undae* hoc loco non esse videntur *procellis infestae*, ut interpretantur Horat. Od. II, 14, 14., sed quae iam fractae, debilitatae, aut minores factae sunt.

208. *Tum placidas*. (Plurimi scripti cum vett. edd. et vulg.: *Tu placidas*. *L.*) Quatuor scripti (etiam Trev. *L.*): *Tunc*. Totidem: *Tum*. (Vid. var. l.) Utrumque bene. (Sed *Tum* confirmatur etiam omnibus iis, qui scripturam *Tu* exhibent. *L.*) Sex: *tuto pectore* (idem Goth. 2., Guelf. 1. et 2. et edd. Venn. *L.*), pro vulgata: *toto pectore*. Vid. supra v. 92. Et hoc probe. Scriv.: *placitas vias*, quod etiam arridet. *Heins. Placidas* probum est ad sensum, atque ita vett. ll. et supra v. 92.

— — facias *placidum* per mare
tutus iter —

qui quidem versus etiam scripturam *tuto pectore* non parum confirmat. Pro *finde* Venn.: *scinde*.

209. *Nanti quoniam. Quoniam nanti* edd. vett. et mei prope omnes.

210. *Leniat litera missa*, sc. a te mihi. *Ciof.* Ego malim „a me tibi": versu enim 205. eum tanquam morae impatientem inhibet. Conf. v. 109. et Epist. XVIII, 189. seqq. Quare hoc loco mihi dicere videtur: „Interea, dum freta mitescant, hac mea epistola loco mei desiderium tuum mei lenias." Atque eodem ducit lectio nonnullorum codd. Heins., Trev., Giess. et edd. Venn. et al.: *litera nostra*. Reg.: *litera visa*. Sarr. a pr. m. et Dresd.: *Leniat immensas*.



EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPAE.

Acontius, iuvenis quidam Ceus, quum in insula Delo Dianae sacris, quae frequenti virginum concursu celebrabantur, interesset, in amorem visae ibi Cydippae, puellae nobilis, subito exarsit. Ut igitur voti sui compos fieret, in malo carmen inscripsit huius fere sententiae: Per Dianam iuro, me Acontii futuram coniugem. Proiectum malum fraudis inscia Cydippe sustulit carmenque inscriptum legit et sic religione sacramenti Acontio sese obstrinxit. Facti nescius pater alteri Cydippen iuveni despondit; cui, quum illa iam in eo esset, ut connubio iungeretur, a Diana ob iusiurandum non servatum morbo afflicta est. Quod ubi Acontius rescivit, hanc ei scripsit Epistolam. — Aristaeneti I. Epist. 10., *Fragment. Callimachi, Ov. Remed. A.* 381. *et Art. A. I,* 457., *Anton. Liberal. Metam. c.* 1., *Ph. Buttmann de fabula Cydippes in Münch. Denkschrift. Vol. IX. Conf. Ovid. Trist. III,* 10, 73. 74.

Pone metum; nihil hic iterum iurabis amanti:
  Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege: discedat sic corpore languor ab isto,
  Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.

1. *Pone metum.* Nonnulli codd. (etiam Gott., Trev., Goth. 2., Leid., Voss., Mor. cum edd. Mic. et Bersm. *L.*) hoc distichon in fronte huius Epistolae exhibent:

Accipe, Cydippe, despecti nomen Aconti,
  Illius in pomo qui tibi verba dedit.

Est autem haec Epistola foede depravata plurimis in locis. *Heins.* Et ipsum distichon varie exhibetur in mss. *Excipe* Leid., *suspecti* Voss., *carmen Aconti* Gott., *Istius* Mor. *Burm.* Recte iam Schol. codicis Trev. in margine monet: *sed non sunt de libro. Iuro* cum accus. vid. v. 159. et Amor. III, 3, 11.

2. *Promissam.* Vict. et Guelf. 2.: *Periuram.*

3. *Sic* precantis est, ut passim. Vid. ad Ep. III, 135.

4. *Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.* Vulg.: *ulla parte dolere dolor. Dolore* Put. et alii nonnulli (etiam Guelf. 2., 3., 4. et Trev.); tres libri: *dolente,* quomodo et alter Ment. pro div. l. (et Goth. 2. cum edd. Venn., Mic. et Bersm.). Fortasse:

Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.

Quid pudor ora subit? — nam, sicut in aede Dianae,
Suspicor ingenuas erubuisse genas. —
Coniugium pactamque fidem, non crimina, posco;
Debitus ut coniux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quae demtus ab arbore fetus
Pertulit ad castas me iaciente manus;
Invenies illic id te spondere, quod opto
Te potius, virgo, quam meminisse deam.
Nunc quoque idem timeo; sed idem tamen acrius illud
Assumsit vires, auctaque flamma mora est;

Sed ed. Gryph. a. 1546., qua usus est Scaliger:

Qui meus est ulla parte dolente tui.

Optime. *Heins.* Eodem inclinat sententia Lennepii et ita Excerpta Douzae exhibent; quae quidem lectio certe expeditiore est sententia, quam l. *ulla parte dolente,* non addito, qua vel cuius parte. Recepta scriptura ita intelligenda: *Sic languor* (de quo vid. Epist. XXI, 13) *ab isto* (tuo) *corpore discedat, qui meus dolor est, dum ulla pars tui dolet, in doloribus versatur.* Conf. infra v. 122. C. Heusinger dedit, ut est in cod. Bern.: *illa.* Fr. Heusinger haec ad h. l. annotavit: „Ad verba *illa parte* ex praegresso *meus* assumendum *mei,* quae suavis est *σύλληψις.* Vid. Cort. ad Cic. ad Div. IV, 13. 18. Cydippen partem sui dicit Acontius, ut Theseum Ariadne Epist. X, 58." Parum probabiliter, ut mihi quidem videtur, maxime propter illud *meus dolor.* Cod. Lov.: *una;* Ambros. et Francof.: *magna parte.* De *ulla* vid. Epist. XV, 189. ibique not.

5. *Ora subit,* occupat faciem, atque haec est vera lectio. *Ciof. Ante subit* Put. aliique codd. magno numero. *Heins.* Etiam septem e meis: *ante.* Trev., Giess., Goth. 2. et edd. Naug., al. cum vulg.: *ora,* quod retinuimus tum propter satis magnam auctoritatem veterum libb., tum propter *ingenuas erubuisse genas.* Trist. IV, 3, 50.

Avertis vultus et subit ora rubor.

Iahn dedit *ante* et interpretatus est: sc. „quam perlegisti." *Aede.* Vid. v. 97.

6. *Ingenuas.* Bern.: *ambiguas.*

7. *Coniugium etc.* Vid. Epist. VI, 41. Conf. II, 4.

8. *Debitus,* tuus, qui se tibi debet. Conf. Epist. VII, 103.

9. *Repetas,* sc. memoria. Vid. Trist. I, 3, 3. et Epist. XVI, 277. ibique not.

Demtus ab arbore fetus. Metam. XIV, 689.

Sed neque iam fetus desiderat arbore demtos.

Conf. ibid. XI, 113.

11. *Spondere.* Edd. Bas. et aliae: *iurasse.* Conf. Epist. XXI, 11.

12. *Te potius.* Construe: *Id te spondere, quod opto te potius,*

Quique fuit nunquam parvus, nunc tempore longo
Et spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas; meus hic tibi credidit ardor:
Non potes hoc factum teste negare dea.

o virgo, meminisse, sc. ut impleas, votum persolvas, quam deam, ut neglectum a te puniat, quod nunc facit morbo tibi immisso.

13. *Nunc quoque idem timeo,* scilicet, quod timebam ante spem a te mihi datam, ne tu amori meo non respondeas, ne repulsam a te patiar. Eum loci sensum esse clare ostendunt sequentia. Fieri tamen potest, ut nonnulla ante hunc v. exciderint, in quibus supplendis laborasse etiam videas librarium, cuius nobis foetum pro Ovidiano venditare studuit Ant. Volscus, locum hunc in vetusto et carie consumto codice duobus versibus auctiorem invenisse se testatus. Adscribam eos, quales ab Antonio lectos fuisse ex ipsius commentariis colligo, variante nonnihil editionum contextu. Locus igitur in Volsci codice sic scriptus erat:

Invenies illic id te iurasse, quod opto.
Ne tibi cum verbis excidit illa fides,
Id metui. Divae diffusa est ira: decebat
Te potius, virgo, quam meminisse deam.

Quae ita probavit Antonius, ut ne soloecismo quidem *metui, ne excidit* offenderetur, qui secure interpretatus sit: „Id metui, ne et fidem datam et verba oblivisceereris.“ Quaedam edd.: *Nil tibi*; probabilius aliae: *Ni tibi.* Sed toto emblemate facile carebimus. Oudendorp. v. 13. pro *timeo* malebat *teneo,* exponens: *eiusdem sum adhuc sententiae, ac te aeque, immo acrius multo, amo.* Male. *Idem illud* dictum est ut *hoc paene* Epist. XVIII, 180. Lenn.

Iahn distichon illud, sc. *Ne tibi—decebat,* quod post Volsci ed. I. etiam Ven. 1487., Vinc., Col., Mic. et Bersm., in quibus tamen deest illud *ut,* occupavit, iterum recepit et adnotavit, hos versus ad sensum necessarios esse, quam necessitatem ego videre non possum. Sententiae enim apte cohaerent: „Coniugium pactum posco (v. 6. 7.). Repete...., invenies, te id spondere, quod opto te potius.... deam. Verum nunc quoque idem timeo, quod ante timebam (vid. Lenn. ad v. 13.); sed idem *illud* (quid illud sit, statim exponitur) assumsit vires etc.“ Nec facile praeterea videtur explicari posse, quid sit illud *ut divae diffusa est ira,* aut quo referatur. Volscus in ed. Ven. a. 1481. *Ni* et *Ne,* et in ed. a. 1487. *Nil* et *ut* citavit.

15. *Nunc tempore longo.* Vulg.: *vel t. l.* Lege *iam t. l.,* nisi malis *nunc t. l.,* quomodo Mor. cod. cum uno Ambr. (et Goth. 2., Guelf. 4. et Giess.). Unus: *nec t. parvo.* Unus itidem: *ne tempore longo.* Alius: *non t. l.* HEINS.

16. *Et spe.* Put. et X alii (et-

Affuit, et, praesens ut erat, tua verba notavit,
  Et visa est mota dicta probasse coma.
Deceptam dicas nostra te fraude licebit;
  Dum fraudis nostrae causa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi iungerer uni?
  Id me, quod quereris, conciliare potest.

iam Guelf. 2.): *Et spe.* Quidam cum ed. princ.: *Et spem.* Plures: *Et spes.* Leid.: *Is spe.* Vulg.: *Ex spe. Crevit* etiam Put. et X alii. *Heins.*

Vid. v. l. Vulg.: *crescit.*

18. Hoc quoque loco sequuntur duo versus, qui haud dubie a curioso aliquo interpositi sunt. Neque enim cum toto loco quidquam consentiunt, et tales sunt, ut ab Ovidiana phrasi plane abhorreant. Sunt autem hi:

> Me tibi nupturam, felix erat omen, Aconti,
>   Iuro, quam colimus, numina magna deae.
> *Micyll.*

Ex eodem fonte fluxerunt, unde ii, quos exhibet Schol. cod. Scriv. ad v. 11.:

> Iuro tibi sane per mystica sacra Dianae,
>   Me tibi venturam comitem nuptamque futuram.

19. *Ut erat.* Sic vulgo. *Erant* Put. et Patav. (et Goth. 2.). *Heins.*

Revocavi cum Iahno I.: *ut erat.* Lectio Heinsii: *ut erant,* vix idoneum habet sensum. De usu hoc *ut erat* cum adiectivo vid., si operae pretium tibi videtur, Gierig. ad Metam. II, 272. Conf. Epist. X, 16.

20. *Probasse.* (Vulg. et multi quoque codd. exhibent: *tulisse.*) *Notasse* multi ex scriptis. Gronov., Oxon. et Leid. (etiam a sec. m. Trev.): *probasse,* quod verum est. Fast. II, 845. de Lucretia:

> Illa iacens ad verba oculos sine lumine movit,
>   Visaque concussa dicta probasse coma.
> *Heins.*

Praeteritum *ἀορίστως,* ut saepe apud Ovidium. Vid. Epist. XII, 4.

23. *Nisi quo.* Quidam codd.: *nisi uti.* Ed. Naug. et margo Bersm.: *nisi ut.* Sed scripti plerique cum vulg.: *nisi quod,* unde Heinsius coniecit: *nisi quo,* ut etiam Douza legebat et exhibet editio Bersm. — „*Nisi quo tibi iungerer uni, quam solam ex omnibus puellis coniugem mihi expeto.*" Ingeniosa, sed non necessaria, est Burmanni correctio:

> Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi iungerer? unum
>   Id me, quod quereris, conciliare potest.

Heinsius in pentametro malebat: *Me tibi q. q. c. p.,* unde liquet, eum hinc maxime suspectam habuisse vulgatam, quod verbo *conciliare* nullum adiunctum videret dativum personae. Sed solet is haud raro omitti. Non utar hic, etsi forte possim, alio nostri loco, Trist. III, 11, 42., ob praecedentem

Non ego natura nec sum tam callidus usu;
Sollertem tu me, crede, puella, facis.
Te mihi compositis, si quid tamen egimus arte,
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor;

ibi dativum. Sed certe ad partes vocare licebit Quint. Inst. O. IX, 1. *Plurimum tamen* (orationis vultus, figura) *ad commendationem facit, sive in conciliandis agentis moribus sive ad promerendum actioni favorem,* et Petron. Sat. 127. *Tanta gratia vocem conciliat,* i. e., ut hic, commendat. LENN.

24. *Id me—potest.* „Id, quod quereris (sc. fraus mea), tale est, ut me conciliare possit.“ Prorsus eadem sententiae figura ac prope eadem quoque sententia est Epist. II, 27. 28.:

Dic mihi, quid feci, nisi non sapienter amavi?
Crimine te potui demeruisse meo —

ubi versus inferior prorsus, ut h. l., respondet versui priori, eandem prorsus ad priorem versum rationem habet et ipsum illud *potui* prorsus simile est verbo *potest* huius loci. Considera haec, mi lector, et iudica, an tam subtiles sententiarum similitudines ab eadem tibi manu ac stilo exaratae esse videantur. Meo quidem sensu talia non imitando exprimuntur, sed non nisi ex eodem ingenii fonte sua sponte manare possunt. Multi ex scriptis Heinsii: *potes.*

25. *Callidus usu.* Quidam: *arte.* Argent.: *astu.* Pro *nec sum* ed. Naug.: *non sum;* idem exhibet Goth. 1.

27. *Si quid tamen egimus arte.* Pro vulg.: *egimus arte* duo libri Heins. et Guelf. 3.: *egimus ante. Egimus a me* Put., h. e. interprete Heinsio, *a me compositis,* unde manavit, quod nunc vulgo cum Burmanno legitur:

Te mihi compositis (si quid tamen egimus) a me
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.

Verum languet, si quidquam aliud, *Amor te mihi a me ipso compositis verbis adstrinxit,* atque idem prorsus intolerabile fit per sequentia *Dictatis ab eo.* Conf. infra v. 230. Quare repudiata lectione codicis Puteanei restituenda omnino est omnium fere codicum et vett. edd. scriptura *egimus arte,* quae planissimam habet sententiam. *Arte* est artificiose, cum artificiis et calliditate, et respicit v. 25. Heusinger dedit:

— — — (si quid tamen egimus) arte (h. e. arcte)
Adstrinxit — — —.

Verum, ut iam diximus, in praecedentibus a v. 21. et sequentibus v. 30. de artificiis sermo est, quibus hoc *arte* venuste respondet: *Si quid tamen egimus arte; solo id Amore potui: Amor est, qui composuit verba et te mihi iisdem adstrinxit; ab Amore dictatis verbis sponsalia feci; Amore consulto iuris vafer fui.* Pro *compositis* Voss.: *conspicis.*

29. *Dictatis.* In *Dictatis ab eo* numeros Ovidii non agnosco; nec magis sermonem in *feci*

Dictatis ab eo feci sponsalia verbis,
Consultoque fui iuris Amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus: —
Si tamen est, quod ames, velle tenere, dolus: —
En iterum scribo mittoque rogantia verba;
Altera fraus haec est, quodque queraris habes.

sponsalia. Totum distichon longe remotum mihi videtur a Nasonis elegantia. Nihil etiam sequens continet, nisi ieiunam repetitionem eorum, quae iam v. 21. et seqq. longe melius dixerat. Versus item 33. haud sententia minus quam dictione languet. Nec satis intelligo, quomodo in v. 34. fraudem Acontius vocet, quod Cydippae verba mittat rogantia, aut quomodo fraudis haec confessio cum exordio Epistolae conveniat. Versus autem 35. non est indignus. *Lenn.* De numeris Ovidianis atque elegantia horum versuum difficilis quaestio est, quia huiusmodi res plerumque non tam argumentis ac ratione, quam sensu atque elegantia diiudicantur; neque tamen dubito, non minus pro Ovidiana ratione eorum, quam in contrariam partem disputari posse. *Sponsalia facere* bonis scriptoribus, velut Livio, dicitur, neque ineptum et Ovidio indignum videtur, cum praesertim iunctum sit verbis de iure sumtis. Quod autem sequens distichon in versu 21. et sqq. contenta repetit; nihil difficilius videtur, quam in hoc quidem genere Ovidiana ab non Ovidianis discernere, qui permultis in locis eiusmodi repetitionibus fastidium movit legentium, ipse autem elegantiam captavit. *Fraus altera* porro *haec scriptio* et *haec rogantia verba* vocantur non sine dicacitate, cum *priora eius scripta* quasi fraudem continuissent. *Vafer* de astutis in iure vel de iure consulto recte dicitur. Vid. Heindorf. ad Horat. Sat. I, 3, 130. Apud Cic. de Nat. Deor. I. c. 15. est *Stoicorum somniorum vaferrimus interpres. Vafer* cum genitivo exemplis quidem probare non possum; sed tamen satis firmitatis habere videtur e natura appositorum, *gnarus, peritus* significantium. Denique imago illa dictantis Cupidinis prorsus Ovidiana est. Pont. III, 3, 29.

Tu (Amor) mihi dictasti iuvenilia carmina primus.

Conf. Epist. XV, 27. In specimine Adnot. in Ovid. Heroid. a me edito coniungendum censui: *Amore iuris consulto,* quod nunc, ut paullo iocosius, quam pro loci ratione, displicet.

31. *Nomen facto. Facto nomen* IV Guelf., Trev. et Giess. et vett.edd.—Ven. 1492.: *Si fraus.*

33. *Rogantia.* Dun., Giess. et Goth. 2.: *precantia,* ut est Metam. VI.

34. *Fraus haec est. Fraus hoc est* Leid. et Lov. et Scriv. *Burm.* Vid. ad. Epist. II, 56.

35. *Sine fine.* Vid. Epist. VIII, 43. et Epist. I, 50. ibique not.

Si noceo, quod amo; fateor, sine fine nocebo,
  Teque petam, caveas tu licet; ipse petam.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
  Scripta mihi caute litera crimen erit?
Di faciant, possim plures imponere nodos,
  Ut tua sit nulla libera parte fides.

36. *Caveas tu licet; ipse petam.* Vulg.:

Teque petam: caveas tu licet, ipse petam —

de qua Heinsius: „*inconcinna* hoc loco repetitio." Heinsius e IV scriptis suis dedit: *ipsa peti*; quem secuti sunt recentiores editores prope omnes, etiam Lennep., qui tamen malebat pro *ipsa* scribi *usque.* Iahnus scribendum censet:

Teque petam: caveas tu licet ipsa, petam —

(in qua scriptura non intelligo, quid sibi velit illud *ipsa*) aut cum duobus Heinsii codd.:

Teque petam: caveas tu licet, usque petam —

quam recepit. Atque hanc scripturam iam ante probaverat l. l. p. 563. Werfer, qui voculam *usque* notat in ea versiculi parte saepe reperiri, his allatis exemplis; Epist. I, 82.

Cogit et immensas increpat usque moras —

Art. A. I, 454.

Ne dederit gratis, quae dedit, usque dabit —

Ibid. II, 410.

Illa licet pateant; tu tamen usque nega —

Eleg. ad Liv. Aug. 254.

Erravit posito lenta sub usque toro.

Ego vero vulgatam mutare non ausim tum propter summam auctoritatem vett. librorum, tum propter bonitatem sententiae. Solet enim fere pronomen ita secundo loco cum vi inferri. Epist. XII, 59.

Ante oculos taurique truces, segetesque nefandae,
Ante meos oculos pervigil anguis erat.

Eodem pertinet Horatianum illud (Od. I, 9, 15.)

— — — — — nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas —

ubi vid. Mitscherl. Conf. infr. v. 47. et 48. In Lov. est: *nolis tu licet ipsa peti.* Argent.: *Teque peto,* unde Heinsius coniiciebat

Teque, peti caveas tu licet, usque petam.

Heusinger quoque vulgatam secutus est. De *peti* conf. Epist. XIX, 179.

37. *Placitas.* Mei codd., uno Helmst. excepto, cum edd. Venn.: *placidas.* Reliqui ll. ut vulg.: *placitas.* Margo Bersm.: *rigidas. Per gladios.* Conf. Epist. XVI, 267. et vid. ibi not.

38. *Crimen erit.* Vid. ad Epist. XV, 180. et conf. Epist. II, 28. 29.

39. *Nodos.* Nodi h. l. intelligendi videntur nodi retis (conf. v. 50.); nam et retia *ponere* dicitur et *imponere.* Vid. Propert. IV, 2, 33. Mor.: *plures possim tibi ponere nodos.*

41. *Mille doli.* Sic Put. cum melioribus. HEINS. Etiam Guelf. 1. et 3. et pro var. l. Trev. Reliqui vett. ll. cum vulg.:

Mille doli restant: clivo sudamus in imo;
  Ardor inexpertum nil sinet esse meus.
Sit dubium, possisne capi; captabere certe.
  Exitus in dis est; sed capiere tamen.
Ut partem effugias, non omnia retia falles,
  Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficient artes, veniemus ad arma,
  Inque meo cupido rapta ferere sinu.

modi. Clivo sudamus in imo Put. cum tribus aliis Heinsii, Dresd., Guelf. 1. et 2., Helmst. et Giess. Reliqui cum vett. edd.: *uno.* Proverbii speciem haec verba praeferre apparet ex Petron. c. 47. *Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautitiarum, quod aiunt, clivo laborare,* ubi vid. Burm. Alludunt ei sensentiae Propert. I, 13, 8., Remed. A. 394.

> Principio clivi noster anhelat equus.

Imus autem, ut *imos montium pedes* et *radices* passim historici dicunt. Liv. II. c. 65., VIII. c. 6., XXVIII. c. 31., Flor. II. c. 3., III. c. 20. Vid. Metam. XV, 548. Sensus est: „In primo adhuc dolorum limine stamus, unum tantum de mille adhibuimus, atque ardor etc.“ Margo Bersm.: *in isto.*

42. *Nil sinet.* Trev., Goth. 1., IV Guelf. et quaedam minoris auctoritatis veteres edd.: *sinit.*

44. *Exitus in dis est.* Gott.: *in dubio est.* Pindarus Olymp. 13, 147. 148.

> *Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν ἐν Θεῷ γε μὰν Τέλος.*

Heins.

Venn.: *tu capiere.*

46. *Quam credis. Credas* scribe. Vid. Epist. XIX, 18. *Heins.* Heinsius nimius est in coniunctivo inducendo. Tu sequere auctoritatem librorum. Vid. XVII, 99.

47. *Proficient.* Multi ex scriptis: *proficiant.* Bene. *Heins.* Etiam Goth. 2. Reliqui vett. ll. fere omnes futurum tuentur, quod non mutare debebat Heinsius. Vid. var. l. Reg. et unus Heins.: *ad enses.*

48. *Inque meo cupido.* Put. a pr. (ut videtur) m., Guelf. 1. a pr. m., Guelf. 3., Goth. 1., Helmst. et nonnulli Heinsii: *tui.* Put. pro var. l., Goth. 2., Trev., Dresd., X e melioribus Heinsii et ed. princ.: *meo.* Reliqui cum vulg. et Venn.: *mei.* Put. a pr. m.: *cupidus.* Alter Ment.: *cupidi.* Reliqui ll. omnes: *cupido. Cupido sinu,* quae est lectio prope omnium codd. et vetustarum edd., firmatur Art. A. I, 127.

> Si qua repugnarat nimium comitemque negarat;
> Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.

Sed dicendumne *mei,* an *meo,* an *tui? Mei* vix ferri potest. *Tui* dici quidem potest; sed tamen nescio quid invenusti habet. Hinc praetulimus *meo,* quod et sententiae accommo-

Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum,
  Nec quenquam, qui, vir possit ut esse, fuit.
Nos quoque...; sed taceo. Mors huius poena rapinae
  Ut sit: erit, quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus; peterere modeste:
  Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc oculique tui, quibus ignea cedunt
  Sidera, qui flammae causa fuere meae;
Hoc flavi faciunt crines et eburnea cervix,
  Quaeque, precor, veniant in mea colla manus;

datissimum est, et maiorem quoque habet auctoritatem vett. librorum.

Ferere, pro *auferere*, ut Epist. XII, 200. *laturo* pro *ablaturo*. Vid. Trist. I, 3, 89. Conf. Passerat. ad Tibull. IV, 1. p. 84. et supra ad Epist. I, 116. et XV, 61.

49. *Non sum, qui soleam.* Plena locutio esset: *Non is sum, qui soleam.* Amor. I, 14, 29. *Non est, qui debeat uri.* Hanc elegantiam egregie illustravit Vorst. de Latinitate falso suspecta c. 5. *Burm.* Edd. Venn. et Naug. et al.: *reprendere.*

50. *Vir possit ut esse, fuit.* Ludit poeta voce *vir*, quod idem est *maritus.* Vid. infra v. 218. et Epist. XXI, 121. Conf. Epist. IX, 106. Pro *possit* Guelf. 1. et 3., Goth. 2. et edd. vett.: *posset.* Utrumque rectum est. *Posset* consilium indicat; *possit* magis eventum spectat. Vid. Propert. IV, 11, 47., Virg. G. I, 352. Sed meo arbitrio scriberetur *posset.*

51. *Nos quoque*, sc. rapiemus. Conf. Epist. XII, 207.

53. *Aut esses.* Oxon. et Lincoln.: *Aut si esses.* Mor.: *O esses.* Ed. Mic.: *Si esses tu.* Bersm.: *Si tu esses.* Sed rectum, quod cum vulgata et vett. editiones et plurimi exhibent codices: *Aut esses*, quod non est, ut censebat Werfer l. l. p. 564., pro *si esses*, sed pro *esse deberes.* Nec movendum illud *Aut*, pro quo Werfer loco l. malebat ex codice Victor., qui exhibet *At si*, *At* vel potius *Ast.* Similis est locus Epist. XII, 13., quem vide, et conf. Epist. VII, 33. et X, 77. 78. „*Oder du müsstest minder reizend seyn; so würdest du.......*" Amor. III, 11, 41.

Aut formosa fores minus, aut
  minus improba, vellem.

55. *Cedunt.* Malo *cedant. Heins.* Quamvis statim sequatur *fuere?* Et blandus amator dubitare potest, aut dubitanter eloqui?

57. *Flavi—crines.* Flavi capilli formosis passim a poetis tribuuntur pro pulcris; sic Hom. Cereri (Iliad. V, 500.) et aliis, Virg. (A. IV, 698.) Didoni, Horat. Chloae (Od. IV, 4.) et (III, 9.) Phyllidi, Ovid. (Fast. II, 763.) Lucretiae, (VI, 652.) Minervae, (V, 609.) Europae, (Epist. V, 122.) Oenonae, (Epist. XIX, 135.)

Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes,
Et, Thetidis quales vix rear esse, pedes.
Cetera si possem laudare, beatior essem;
Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, forma,
Si pignus volui vocis habere tuae.
Denique, dum captam tu te cogare fateri,
Insidiis esto capta puella meis.
Invidiam patiar: passo sua praemia dentur;
Cur suus a tanto crimine fructus abest?
Hesionen Telamon, Briseida cepit Achilles:
Utraque victorem nempe secuta suum.

Laodicae. Vid. Gier. ad Met. III, 617. et II, 749. et 319. Goth. 2., Guelf. 2., 3. et 4. et edd. vett.: *faciunt flavi,* sed pro *flavi* Guelf. 2. et edd. Venn.: *flavique.* Vulg. cum reliquis codd.: *flavi faciunt.*

58. *Quaeque. Quasque* pr. editio et Venn. cum plurimis scriptis. *Heins.* Vid. var. l. Conf. Epist. XIX, 103. Conf. Epist. II, 141.

60. *Thetidis—pedes.* Pertinet hoc ad Homericum epitheton, quo Thetis ex candore pedum (veteres enim superiorem pedis partem nudam habere solebant) ἀργυρόπεζα dicitur. Iliad. I, 538. *Micyll. Thetidis* legendum cum omnibus vett. ll. pro Heinsiano *Thetidi.* „*Et pedes tui* (v. 55.), *quales Thetidis vix esse rear.*“ Gott.: *Thetidem* vel *Veneri. Rear* primum dedit Heinsius e Put. et aliis compluribus suis. Idem tuentur Trev., Giess., Helmst., Guelf. 2. et 3. Vulgo: *reor.*

62. *Quin sibi par sit opus.* Vulg.: *tua pars sit opus.* Pr. ed.: *tibi pars.* Quatuor scripti: *tibi par.* Gott. et prior Mor. pro div. lectione (etiam Dresd. et Goth. 1.): *sibi par.* Recte. Amor. II, 6, 59. 60.

— — — — tumulus pro corpore parvus,
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.

Metam. XII, 618. 619.

Haec illi mensura viro respondet, et hac est
Par sibi Pelides.

Trist. IV, 6, 26. *Heins.* Amor. III, 2, 35.

Suspicor ex istis et cetera posse placere,
Quae bene sub tenui condita veste latent.

64. *Pignus vocis tuae.* „Tui mihi te pacto promittentis.“

65. *Denique.* „*Ut paucis omnia complectar.*“ Vid. Ruhnk. Dictat. in Terent. Andr. I, 1, 120. et quos laudat Graev. ad Cic. Ep. ad Div. X, 10. et Duker. ad Flor. I. c. 16.

67. *Patiar.* Dresd., Goth. 1., Guelf. 1., 2. et 4.: *patior.* Conf. Epist. I, 79. Excerpta Douzae: *mea praemia.*

69. *Hesionen Telamon.* Her-

Quamlibet accuses et sis irata licebit;
Irata liceat dum mihi posse frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram;
Copia placandae sit modo parva tui.
Ante tuos flentem liceat consistere vultus,
Et liceat lacrimis addere verba suis;

cules cum Laomedonta interfecisset, Telamoni, quod primus Ilium intrasset, Hesionen, Laomedontis filiam, praemii loco dedit. Apollod. II., Hyg. F. 89. *Ciof.*

70. *Victorem nempe secula suum. Victa secula* Gott. et unus Ambros. Argute. Prop. III, 9, 16.

Vicit victorem candida forma
virum.

Metam. III, 95.

Dum spatium victor victi considerat hostis.

Fast. III, 101.

Nondum tradideras victas victoribus artes,
Graecia.

Vid. Epist. IX, 2. et 70. Praeterea *victorem suum* prima ed. cum primo Med. Male. *Heins.* Burmannus dedit *victorem victa secula suum.* Cum Amaro et Iahno pro *victa* revocavimus *nempe,* quod non credibile est de nihilo veteres libros, illis duobus exceptis, omnes occupasse. Similiter dedimus *suum,* quod vett. edd., vulg., cod. Rel. et mei plerique, unde coniicere licet de Heinsianis, tuentur. Iahn post hunc versum signum interrogandi posuit. Mihi melior est visa affirmatio. Vid. v. 94. ibique not.

72. *Posse.* De singulari huius verbi apud Nasonem usu dictum est supra.

73. *Facimus, factam.* Et haec est Ovidio inprimis adamata ac solemnis dictio. Epist. XVI, 63. Metam. I, 402.

Mollirique mora mollitaque ducere formam.

Metam. II, 768—770., al. Memorabile est exemplum hoc Fast. III, 21.:

Pan videt hanc, visamque cupit potiturque cupitam.

74. *Placandae—tui.* Meliores cum Put.: *placandi* (etiam Dresd. (?) et IV Guelf. *L.*). Recte. *Placandae,* quae est l. vulgata, Latine vix dicitur. *Heins.* Sanct. in Minerv. III. c. 8. *placandi tui* defendit. Sed Perizon. utrumque dici posse censet et ad Liv. I, 2. praefert *placandae. Burm.* Idem probat etiam Ruhnk. ad Terent. Phorm. I, 3, 23., atque idem nuper dedit Iahn. Nos horum virorum doctorum auctoritatem secuti sumus, quin tamen alteram lectionem damnare possimus. Vid. Ruhnk. ad Terent. dictum l., Kritz. ad Sallust. Tom. I. p. 144. et quem is laudat Rudimann. in Gramm. Lat. et inprimis G. T. A. Krüger in libro, qui inscribitur: *Die Attraction in der Lateinischen Sprache,* Sect. II. Conf. Ramshorn. Gramm. Lat. §. 158. et 169.

76. *Suis* Put. cum Lov. et altero Mor. (item Guelf. 1.,

Utque solent ſamuli, cum verbera saeva verentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua iura: voca; cur arguor absens?
Iamdudum dominae more venire iube.
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida ſacta tuis;

Giess. et Helmst. *L.*). Probe. Vid. ad Epist. XVII, 252. *Heins.* Et sic auctore Heinsio nunc vulgo editur. Sed utrumque dici potest, et *meis*, ut est in plurimis codd., vett. edd. et vulg., et *suis*. *Meis* ita defendi potest: *Dum mihi liceat irata frui; idem, qui facimus, factam iram tenuabimus. Liceat flentem me* (propter quod praecessit *mihi* et *facimus* et *tenuabimus*) *ante tuos vultus consistere, et liceat* (me) *lacrimis meis verba addere.* Conf. v. 79. *Suis* intelligendum, ut non, quod censebat Heinsius, ad *verba* referatur, sed ad *flentem*, ut *flentem* dictum de tertia persona sit: *Lass' den Weinenden vor deinem Angesichte stehen, und zu seinen Thränen Bitten fügen.* Atque eum loquendi modum Ovidius in deliciis habet, et hoc loco et exquisitior est et simplicior constructione. Lov.: *Sed liceat.*

78. *Tendere — ad tua crura manus.* Vulg.: *in.* Meliores *ad tua* (etiam Dun., Rel., Goth. 1. et Guelf. 2. *L.*). Edd. Venn.: *sub.* Quidam etiam: *sub tua iura.* Petron. c. 17. *Protendo ad genua vestra supinas manus. Heins.* Senec. Herc. Fur. 1002.

— — — — en blandas manus
Ad genua tendens, voce miseranda rogat.

Quint. Decl. 15. *Tendit ad genua vestra supplices manus.* Conf. Amor. I, 2, 33. et vid. Delr. ad Senec. Med. v. 247. Conf. Ep. XIV, 83. ibique not. Ceterum pendent etiam haec a praecedente *liceat: et liceat mihi tendere submissas manus ad tua crura, ut famuli, servi, solent, cum etc.* Quare male in plerisque edd. punctum est post *suis,* quod recte notat Van Lennep. Vid. v. 1.

80. *Dominae more.* Vid. Epist. III, 154. ibique not.

81. *Scindas.* Conf. III, 79. et V, 141.

82. *Livida facta. Facta* loco vulgatae *nostra* probe libri XIV (idem Trev., Giess., Helmst., Guelf. 2. et edd. Venn. et aliae tuentur. *L.*). *Aspera* duo alii (item Guelf. 1. *L.*). Epist. V, 141.

— — — — rupi tamen ungue capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.

Sic *frigida facta* et *saucia facta* Epist. XIV. Amor. I, 6, 18.

Uda sit ut lacrimis ianua facta meis.

Pallida facta Remed. Am., *arida facta* Epist. VI. et Trist. III, 14. et Eleg. de Nuc., *obvia facta* Fast. II., *languida facta* Fast. III. et V., *tabida facta* Pont. I, 1., *saxea facta* Pont. I, 2. et Trist. V, 7., *dura facta* Trist. V, 10., *humida facta* Trist. IV,

Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,
  Corpore laedatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, nec me compesce catenis:
  Servabor firmo vinctus amore tui.
Cum bene se, quantumque volet, satiaverit ira;
  Ipsa tibi dices „Quam patienter amat!"
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre,
  „Tam bene qui servit, serviat iste mihi."
Nunc reus infelix absens agor, et mea, cum sit
  Optima, non ullo causa tuente perit.
Hoc, quod Amor iussit, scriptum est iniuria nostra: —
  Quod de me solo nempe queraris, habes.

1. et Pont. I, 10., *candida facta* Trist. III, 10. et sic saepe (et quod notandum, eodem plerumque loco versus. *I.*). HEINS.

85. *Catenis.* Ludit poetae acumen vinculis amoris.

86. Douz.: *amore tibi*, et Iun.: *amore tuo.*

89. *Ubi videris.* Edd. Venn. et aliae: *cum videris.*

90. *Iste,* ut v. 84. *ista manus.*

91. *Reus agor.* Ex iure. Vid. Epist XIV, 120. et Amor. I, 7, 22. Conf. Epist. XVI, 76. Guelf. 2. et edd. Venn. et al.: *Cur reus agar.*

93. *Hoc etc.* Vulgo:

Hoc, quod Amor iussit, scriptum est iniuria nostra —

nisi quod in edd. Venn. (et cod. Dresd.) *nostri* legitur. Put.: *Hoc quoque quod... iussit, scriptum iniuria nostrum. Hoc quoque quod iussit scriptum est iniuria nostri* vel *nostra* vel *nostrum* plerique (primum etiam Guelf. 2. et 4.). *Hoc quoque quod vis sit* prima ed. et IV scripti. Lov.: *Hoc quod opus iussit.* Alter Ment.: *Hoc quoque iussit amor, scriptum est iniuria nostri.* Puto:

Hoc quoque, cum ius sit, sit scriptum iniuria nostrum —

vel simile quid. Sed totum distichon opinor esse adulterinum. HEINS. Dun.: *Hoc quod iussit amor, scriptum est i. nostra,* et pro var. l.: *ius sit.* Heinsius et Burm. ediderunt: *Hoc quoque, quod ius est, sit scriptum iniuria nostrum,* quod probat etiam Lennep. Heusinger corrigit: *Hoc* vel *Sit quoque, quod tu vis, sit scriptum iniuria nostrum.* Nos in tanta varietate retinuimus vulgatam, quae sensum praebet loco vel maxime accommodatum, et sic est Trist. IV, 4, 23.:

Nec nova, quod tecum loquor, est iniuria nostra —

ut ibi cum omnibus fere libris legendum est. Sibi ipsa obiicit: *Hoc scriptum, quod Amor iussit, iusiurandum illud est iniuria nostra, peccatum meum* (vid. Epist. III, 21. et XVII, 51.); ad quam obiectionem cum vi respondet: *Nempe* (tum, sic) *habes, quod de me solo queraris; non meruit etiam Delia*

Non meruit falli mecum quoque Delia: si non
Vis mihi promissum reddere, redde deae.
Affuit et vidit, cum tu decepta rubebas,
Et vocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant! Nihil est violentius illa,
Cum sua, quod nolim, numina laesa videt.
Testis erit Calydonis aper: nam scimus, ut illo
Sit magis in natum saeva reperta parens;

mecum falli. De *nempe,* nimirum, non opus esse interrogatione, vid. ad Epist. VI, 144. et passim in hoc libro. Conf. Cic. de Orat. I. c. 57. §. 244., Metam. XIII, 759., XV, 352., IX, 496., Virg. Georg. III, 259. Quod autem Heinsius suppositium hoc distichon putavit, non vidisse videtur, insignem eo omisso lacunam oriri, et sequentia illud omnino requirere. Vid. Schrader. Emendat. c. 10. p. 195. Vid. var. l.

94. *Solo* Put., Dresd., II Goth., Guelf. 3. et 4. et multi meliores Heinsii. Vulg.: *solum.*

95. *Quoque Delia,* pro *Delia quoque.* Art. A. I, 749.

— — curae est sua cuique voluptas;
Haec quoque ab alterius grata dolore venit.

De qua re dictum est supra ad Ep. IV, 4. Conf. Trist. V, 9, 25. De *Delia,* vid. not. ad Epist. IV, 40.

Non meruit. Malo *Num.* Heins. *Num* sane hic locum habere potest, sed quid exhibent libri? Francof. et Exc. Douzae: *Nec meruit.*

97. *Affuit et vidit.* Vid. Epist. XXI, 105. et seqq.

99. *Omina.* Vid. Epist. VII, 65. et XIII, 86. et ibi not. *Violentius.* Vid. infra v. 115.

100. *Cum sua, quod nolim.* Vulg.: *quae nolit.* *Quod nolim* Put. et V alii (etiam Trev., Helmst., Giess. et a m. sec. Guelf. 1. *L.*). Quidam: *quod non vult, quod nollem, quod nolit* et similia. Ibid. v. 145.

Sive ego, quod nolim, longis consumtus ab annis.
Heins.

Formulà usitatissima in avertendo omine. Vid. Passerat. ad Prop. I, 7, 16. *Quod nollem* Mor., et hac formula usi Martial. I, 72. et alii. Conf. Epist. XXI, 35. *Burm.* Vid. var. l.

101. *Testis erit.* In Put. nihil veteris l. apparebat praeter haec: *Testis erit... lydon... ap.,* vulgata l. a manu rec. substituta. (Dun.: *adest.*). Pro *nam scimus ut illo* Sarr. et alii nonnulli: *sic saevus ut illo*; *nos scimus* Moreti; *sic scimus* alii nonnulli vel *si scimus*; Argent.: *scit saevus ut illo.* Mihi et hoc distichon adulterinum videtur. Scholiastes aliquis exemplum apri Calydonii reliquis duobus de Actaeone et Niobe addiderat: ex eo Scholio distichon postea est conflatum. *Heins.* Sed ad eandem apri Calydonii historiam et Cydippe respicit Epist. XXI, 179. Princi-

Testis et Actaeon, quondam fera creditus illis,
  Ipse dedit leto cum quibus ante feras;
Quaeque superba parens, saxo per corpus oborto
  Nunc quoque Mygdonia flebilis adstat humo.

pium quoque versus 103. *Testis et Actaeon* satis docet aliud hic exemplum praecessisse. Quod vero et quale illud fuerit, ipsae illae veteris l. in Puteaneo cod. reliquiae vix dubitare nos sinunt. Igitur adulterinum esse distichon haud putem; quin immo, quamvis variare circa lectionem eius codices videam, cum pro *nam scimus* alii *nos scimus,* alii *sic scimus,* alii *sic saevus* exhibeant, (quod postremum arripiens Withof. in Annotatione quadam ad Laudationem Funebr. Pagenstecheri, ita locum constituendum esse duxit: *Testis. e. C. a. tam saevus ut illo Vix magis in natum s. r. p.*) equidem optimam hic vulgatam habeam. Locus enim, qualis nunc circumfertur, egregie facit ad ostendendam laesae Dianae violentiam, quae non contenta immisso in agrum Calydonis apro saevissimo, ipsam quoque Oenei domum furiali ista ac superante belluae saevitiam matris in filium immanitate misere funestari voluisset, Meleagri demum et sororum eius poenis satianda. Vid. Ovid. Metam. VIII, 541. et 260. sqq. LENN. Vid. Epist. III, 92. ibique not. Codex Trev.: *erat;* reliqui, ut edidimus. Heusinger scripsit: — *aper, sus saevus, ut illo.* Schrader cum Heinsio distichon supposititium censet, cui displicet *aper testis.* Nimis fastidiose. Vid. Metam. II, 45.

103. *Quondam.* Edd. Venn. et al.: *quoniam. Actaeon,* Aristaei ex Autonoe filius, Cadmi nepos, cum in venatione Dianam casu et inscius ad fontem nudam vidisset, ab irata dea in cervum mutatus et a suis ipsius canibus discerptus est. Vid. Metam. III, 174. sqq., Hyg. 180., 181., Apollod. III., Callim. Lavacr. Palladis.

106. *Adstat.* Oxon., Lov. et Excerpta Douzae: *Exstat,* quod verum puto; nam Pausanias Attic. I. c. 21. dicit, marmor in monte Sipylo prominere, quod procul intuentibus praebeat speciem mulieris lugentis. BURM.

Reclamantibus vett. libb. mutare non audeo. De *adstare* cum abl. vel praepos. *in* et ablat. et huius verbi usu pro simplici *stare,* nostro *dastehen,* conf. Metam. VIII, 450., Virg. Georg. III, 545., Aen. II, 303. et 328., III, 123., VI, 181., XII, 93.; similiter usurpantur *accubare, adsistere,* al. Vid. Lachmann. ad Prop. V, 4, 21. De fabula: Niobe, filia Tantali, Amphionis, Thebarum regis, uxor, Latonam ob liberorum numerum prae se contemnens, ab omnibus liberis per Apollinem et Dianam orbata, in lapidem mutata est, qui in Sipylum, Lydiae montem in Phrygiae magnae confiniis (hinc *Mygdonia humo;* nam Phrygia etiam Mygdonia appellatur a

Hei mihi, Cydippe, timeo tibi dicere verum,
Ne videar causa falsa monere mea;
Dicendum tamen est: hoc est, mihi crede, quod aegra
Ipso nubendi tempore saepe iaces.
Consulit ipsa tibi, neu sis periura laborat;
Et salvam salva te cupit esse fide.
Inde fit, ut, quoties existere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animosae Virginis arcus:
Mitis adhuc fieri, si patiare, potest.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus;
Servetur facies ista fruenda mihi;
Serventur vultus ad nostra incendia nati,
Quique subest niveo lenis in ore rubor.

Mygdonibus, qui Thracia oriundi Phrygiae partem incolebant; Strab. VII. p. 295., XII. p. 575.), ubi illa nata erat, turbine venti raptus et fixus in *cacumine montis Liquitur, et lacrimis etiam nunc manat.* Hinc *flebilis.* Vid. Metam. VI, 146. sqq., Hyg. F. 9., 10., 11., Apollod. III., Pausan. Corinth. p. 160. et quos praeter hos auctores laudat Gierig ad Metam. l. l. *Flebilis,* flens, ut Amor. III, 6, 68., ubi vid. Burm. Alia vi vocem vidimus Epist. XIII, 48.

108. *Monere. Movere mea* Bern., Oxon. et XV alii. *Heins.* Etiam Goth. 2., Guelf. 1. et 4., Helmst., Giess. et Trev.

109. *Hoc est.* „Ea caussa est.“

110. *Saepe iaces.* Vid. v. 113. 114. et XXI, 156. Patav.: *nempe.*

113. *Inde fit. Unde fit* Francof. et Lov. Pro *existere* Put.: *ex....re;* IV scripti Heinsii, Dresd., ed. Vinc. et margo Bersm.: *obsistere; consistere* Voss.; unus Farnes. et ed. Ven. 1486. et Col.: *resistere;* Iur. Excerpta (etiam Trev.): *hanc fallere.* Sed vulgaris lectio *exsistere* proba est. Respicit enim hic Acontius tentatam a Cydippe celebrationem nuptiarum cum ipsius rivali, cui nubens demum *exstitisset* perfida. Quare nec *obsistere,* quod Ciofano, nec *persistere,* quod Burmanno praeferendum videbatur, tam fuisset aptum huic loco. *Lenn.* Vid. v. 123.

115. *Parce movere.* Acontius apud Aristaenet. l. l. *μηδὲ Ἄρτεμις ἐπὶ σοὶ ποινιαῖον βέλος ἀφῇ καὶ ἀνέλῃ· μενεῖ δὲ τὸ πῶμα προσκείμενον τῇ φαρέτρᾳ.* Conf. infra v. 232. *Lenn. Animosae, δεινῆς.* Conf. Ep. XIII, 91. *Parce.* Conf. Epist. V, 43. et sic persaepe in his carminibus.

118. *Ista,* ut supra v. 84. et 90. Vid. Indic. *Facies,* forma, ut patet e versu sequente. Vid. Ruhnken. Dict. in Terent. Eunuch. II, 4, 21.

120. *Lenis in ore rubor. Lae-*

Hostibus, et si quis, ne fias nostra, repugnat,
Sic sit, ut invalida te solet esse mihi.
Torqueor ex aequo vel te nubente vel aegra,
Dicere nec possum, quid minus ipse velim.
Maceror interdum, quod sim tibi causa dolendi,
Teque mea laedi calliditate puto.
In caput haec nostrum dominae periuria, quaeso,
Eveniant; poena tuta sit illa mea.

tus IV scripti Heinsii. Vulgo: *lenis*. Goth. 1. et IV eiusdem Heinsii: *color*. Male. Male etiam quidam Heins.: *pudor*. Excerpta Douzae, X Heins. et mei plerique: *levis*. Leid.: *lentus*. *Lenis* confirmatur etiam voce *subest*. Amor. III, 3, 5.

Candida candorem roseo suffusa rubore.

Niveum puellarum colorem Ovidio placere docet Gierig ad Fast. II, 763.

121. *Hostibus, et*. *Hostibus e* Bas. et Goth. 2., quod primus ex uno Bas. recepit Heinsius. Duo Heins. et Guelf. 4.: *Hostibus ex;* Goth. 1.: *H. at.* Reliqui ll. omnes vulgatam tuentur, quae etiam ad sensum aptior est. Conf. Epist. XVI, 219. et Epist. XII, 93. ibique not.

123. *Ex aequo*. Vid. Epist. XVI, 87.

124. *Quid minus ipse velim*. (Vulg.: *quod minus esse velim.*) *Quid minus ipse velim* Put. et alii ex melioribus. Heins. Etiam Trev., Guelf. 1., Helmst. et Giess. Porro Dresd., Goth. 1., Guelf. 3. et Trev. cum edd. Venn. et al.: *non possum*. *Quid* pro *utrum* etiam supra vidimus.

125. *Dolendi*. Sic meliores. Heins. Etiam mei fere omnes pro vulg.: *doloris*. — —

Et hic noster vestigia sequitur Callimachi, cuius fragmentum inter Bentleiana 229. *Δίρος ἐγὼ, τί δέ σοι τόνδ᾽ ἐπέθηκα φόβον;* Acontii, Cydippen misere amantis, verba exhibere primus animadvertit Piersonus, Verosimil. p. 100. recte Aristaenetea comparans: *Ὦ δυςτυχὴς ἐγώ, τί δέ σοι τοῦτον ἐπῆγον τὸν φόβον;* Lenn. Edd. Venn., Naug., et al.: *Interdum maceror*. Perperam; nam *maceror* apud bonae Latinitatis auctores primam constanter habet productam. Guelf. 2., Dresd., et edd. Venn., al.: *quod sum*. Non male. Trist. IV, 3, 33.

— indignor, quod sum tibi causa doloris.

Verum quominus mutandum putem, obstat et ratio linguae et loci, quales Epist. VII, 3.:

Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Alloquor —

IX, 27.:

At bene nupta feror, quia nominor Herculis uxor,
Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.

Ubi vid. annot. Conf. Epist. Sab. I, 37. et quae notavimus ad Ov. Epist. IV, 157. et ad XVI, 39.

Ne tamen ignorem quid agas, ad limina crebro
Anxius huc illuc dissimulanter eo;
Subsequor ancillam furtim famulumque, requirens,
Profuerint somni quid tibi quidve cibi.
Me miserum, quod non medicorum iussa ministro,
Effingoque manus insideoque toro.

127. *In caput haec nostrum.* (Vulg.: *Inque caput nostrum.*) *In caput nostrum* Put.; alii multi: *In caput et nostrum*; alter Ment.: *Et caput est nostrum;* in uno Farn.: *hoc nostrum;* Gottorph. (etiam Dresd.): *haec nostrum,* quod Heinsius primus recepit. Vid. var. l.

In caput nostrum eveniant Graeca imprecatio, apud quos frequenter reperitur, Aristophanem praesertim, *εἰς κεφαλήν σοι.* Sic *transferre pericula in suum caput* apud Val. Max. II. c. 4. Ibide v. 448.

Eveniant capiti vota sinistra tuo

Tibull. I, 2, 12., Virg. A. VIII, 483. *Abeant in caput eius* apud Senecam simili imprecatione. Conf. Cic. Fam. VIII. Ep. 1. Aesop. F. 275. *Ἀλλ' ὦ οὗτος, ὃ θέλεις σὺ τούτοις, ἐπὶ τῇ σῇ κεφαλῇ γένοιτο.* Heins. De *Eveniant* v. 128. vid. ad Epist. VII, 21.

129. *Crebro. Ad limina tendo* edd. Venn. et sqq. De *quid agas* conf. Epist. VI, 25.

130. *Dissimulanter.* Ita et Art. A. I, 488.:

Lecticam dominae dissimulanter adi.

Huc illuc eo. Amor. III, 8, 8.

Turpiter huc illuc ingeniosus eo.

131. *Famulumque, requirens.* Alii: *requiro.* Heins. Ita edd. Venn. Sed mei prope omnes cum edd. Naug. et sqq.: *requirens.* Deinde mei codd. omnes cum vett. edd. et vulg.: *famulumque,* pro quo Heinsius tacite dedit *famulumve.* Vid. ad Epist. XII, 149.

132. Bern.: *sive cibi.*

134. *Effingoque manus.* Vulg.: *Adstringoque manus.* Sed *Effingoque manus* Put. et alii magno numero, cum prima editione (item mei fere omnes et edd. Venn., vid. var. l. *L.*). Eleganter. Et sic paullo post *Ille manus istas effingit* pro vulgata *adstringit* cum iisdem codicibus legendum (vid. var. l.). Est autem *effingere* demulcere, leviter tergere; ut apud Catonem R. Rust. 167. *Fiscinas spongia effingat,* quod aemulatus est Cic. pro Sext. c. 35. Fast. V, 409.

Saepe manus aegras manibus fingebat amicis.

Vid. Virg. Aen. VIII, 634., ubi vid. Serv., Senec. Hippol. 1262. seqq. Conf. Epist. XXI, 190. In uno Reg.: *assideoque toro,* quod sequentia confirmant et Horat. Sat. I, 1, 82. et noster Epist. XXI, 191. Heins. Nullum dubium est, quin *adsidere* verbum sit proprium eorum, qui vel medicinae vel consolationis caussa aegris et miseris adsunt. Sed hic *insideo* nollem eiicere, licet mox et Epist. XXI, 191. *adsidet ille* de rivali legatur. Acontii enim votum ulterius

Et rursus miserum, quod me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forsitan alter adest.
Ille manus istas effingit et assidet aegrae,
Invisus superis cum superisque mihi;
Dumque suo tentat salientem pollice venam,
Candida per causam brachia saepe tenet;
Contrectatque sinus et forsitan oscula iungit:
Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras praecerpere messes?
Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?

tendebat, cui si potestas facta fuisset ad aegram veniendi, non ille *adsedisse* toro contentus, etiam *insedisset* et in spondam se posuisset; id saltem votum latet in *insideo*. Burm.

135. *Me procul inde remoto*. Vulg.: *me procul inde removi*. Put. cum tribus aliis: *me procul inde remoto*. Recte. Heins. Idem Guelf. 4., si non hic unus est de tribus illis.

136. *Vellem*, sc. adesse. Vid. ad Epist. XIII, 83.

139. *Tentat*. Vid. ad Epist. X, 11.

140. *Per causam*. Tibull. I, 6, 26.

Per causam memini me tetigisse manum.

Heins.

Illustrant hanc et optimis scriptoribus perfamiliarem locutionem Broukhus. ad Tibull. l. l. et Tennul. ad Fronton. Strateg. III. c. 3. §. 6. Burm.

141. *Contrectatque*. *Contractatque* scribendum et hic Burmanno Sec. videbatur ad Prop. II, 2, 11. Mihi secus videtur. Puto enim veteres in his aliquid etiam auribus dedisse.

Lenn.

Vid. Met. VIII, 607., ubi similiter *pectora contrectare* legitur. *Contractatque* Giess., Guelf. 2., 3. et 4.

142. *Ista*. Vulg.: *illa*. *Ista* scripti. Heins. Guelf. 2. et ed. Naug.: *illa*. *Plenior*, i. e. maior, amplior; proprium de divitiis vocabulum. Cic. ad Fam. VII. Ep. 9. *Serius potius ad nos, dum plenior*. Vid. Graev. ad Cic. pro Rosc. Am. c. 2., et sic Verr. V. c. 56. *pleniores* pro ditioribus. Burm.

143. *Praecerpere*. Sic Put. cum aliis nonnullis (etiam Trev., Guelf. 1., margo cod. Palat. 2. *L.*) et ed. princ. Vulgata: *decerpere*. Multi (etiam Guelf. 2. et Venn. 1486. et 1487.): *percipere*. Tres scripti (etiam duo Palat. cum glossa *anticipare*): *praecipere*. Strozzae cod.: *percidere*. (Dun.: *abscidere*.) Lege *praecidere* cum altero Mor. et ed. Ven. 1492., quod verbum Columellae, praesertim autem de ramis arborum, frequenti in usu. Vid. eius VI. c. 3. Festus: *Praecidaneam porcam dicebant, quam immolari erant soliti, antequam novam frugem praeciderent*. Conf. Gell. XIX. c. 12. Heins. Ex veterum librorum auctoritate igitur h.

Iste sinus meus est; mea turpiter oscula sumis:
A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus: quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facies istud, adulter eris.
Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter.
Si nescis, dominum res habet ista suum.
Nec mihi credideris: recitetur formula pacti;
Neu falsam dicas esse, fac ipsa legat.

l. legendum aut *decerpere* aut *praecerpere*, quorum posterius quum sensui paullo accommodatius videatur, cum Burmanno et reliquis retinendum putavi. *Decerpere segetem* dixit Avienus F. 21., et Cic. in Verr. IV. c. 37. *Non praecerpam fructum officii tui, non alienam mihi laudem appeto.* Sic *carpere pecus* pro *tondere* Prop. II, 13, 8. *Carpere* de frugibus etiam Virgilius dixit Georg. II, 501. et idem inversa ratione *metere*, quod ad messes et fruges pertinet, transtulit ad vites Georg. II, 410. *Carpere frumenta manu* Georg. III, 176. Ceterum a re rustica ad Veneream translata apud Nasonem sunt frequentia; velut Epist. IV, 31., Epist. XVII, 263., Art. A. III, 562., II, 322., al. Ven. 1486. et Goth. 2.: *promisit.*

144. *Ad sepem.* Vulgo: *Ad spes. Ad sepem alterius* unus Med. et ed. princ. Optime; persistit enim in metaphora, et *sepem* dixit pro *agro sepibus munito.* Sic Art. A. III, 561.:

Te semper norit, tibi semper inhaereat uni:
Cingenda est altis sepibus ista seges.

Hinc etiam apud Virg. Georg. I, 270. *segeti praetendere sepem,* et *sepire segetem* Colum. II. c. 22. *Ad spem alterius* Patav., Arond. (Dresd. et Guelf. 2.), proxime ad verum. *Heins.* Ita Val. Flacc. VI, 537.:

— — non pascua, non seps
Hic tibi — — — — — —.

Ubi vid. Heins. *Burm.*

145. Amar vss. 145—166. Ovidio indignos iudicavit. Ego vero eos dignissimos esse censeo, certe eius rationi simillimos. Nam quod ad istam quasi interlocutionem, nihil est apud Nasonem frequentius. Vid. Epist. XIV, 93., Metam. I, 504. seqq. et sic in Metam. passim. Nec praeterea antitheses et acumina, neque quidquam aliud huius loci a poetae ratione abhorrent, et undenam ille librorum in his versibus consensus? Vid. Prooem. c. III. Edd. Venn. et al.: *Ille sinus.*

148. *Facies.* Sic vett. edd. et mei codd. fere omnes, unde coniectura est de Heinsii, qui nihil de suis notavit. Vulg. et reliqui codd.: *facias.* Vid. ad Epist. XIV, 74. et ad Epist. XIII, 69.

150. *Si nescis.* Vid. Epist. XVI, 244. Ceterum omnia haec verba ex iure sumta.

151. *Nec — formula pacti.* Oxon. et IV alii Heins.: *litera*

Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi: non vacat iste torus.
Nam quod habes et tu humani verba altera pacti;
Non erit iccirco par tua causa meae.
Haec mihi se pepigit; pater hanc tibi: primus ab illa;
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc; haec et iuravit amanti:
Ille homines, haec est testificata deam.

pacti. Reg.: *Ni,* unde Heinsius coniiciebat *Ne.* Vid. Epist. VIII, 23.

152. *Fac ipsa.* Sic Venn. 1487. et 1492. et nonnulli codd. e meis. Vid. var. l. Ed. Naug.: *face illa.* Vulg.: *face ipsa.* Vid. Epist. XIII, 144. ibique not. Quod superest, amat Ovidius hanc circumlocutionem imperativi, quam in his Epistolis passim vidimus et de qua dictum est ad Epist. XIII, 69.

153. *Tibi nos, tibi dicimus.* Elegans et solemnis increpationis formula. Metam. IX, 121.

———— tibi, Nesse biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe nostras.
Burm.

Vid. Gierig. ad Met. l. l. et qui ab eo laudantur, Tollius et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II. p. 517. Cod. Iun.: *vel nos tibi d.*

154. *Hic? exi. Hic* plurimi Heins. et mei fere omnes et ed. Naug. Multi scripti et editi: *hinc exi.* Verum sensui accommodatius *hic,* tum quia repetitum illud *exi* sine adiuncto maiorem habet vim, tum quia illud *facis* sine adiuncto vix commodum sensum praebet. Idem tuitus est Schroder Miscell. Obss. Vol. VII. Tom. III. p. 463. Bern., Iun. et Goth. 2.: *iste locus.*

155. *Quod habes.* Vid. ad Epist. XVII, 51. Illud *humani pacti* huius loci fere opponitur illi quasi divino pacto, quod habebat Acontius. Ceterum comparetur totus hic locus a v. 155—158. cum Epist. VIII, 31—34. Leid.: *Nam quod habes, habeas et tu verba a. p.* Vid. v. l.

157. *Haec mihi se.* „*Haec ipsa se mihi, tibi eam pater pepigit.*" *Pangere* cum respectu dictum ad morem Romanorum, quo haec non sine tabellis et certa pacti formula fieri solebant. Conf. Epist. XVI, 35. Sed sunt haec omnia generis declamatorii et subtiliora quam pro poetica ratione veraque elegantia.

158. Mor.: *Sed prior est certe.*

159. *Haec et iuravit amanti.* Reg.: *sed et haec.* Praestat tamen et hac et vulgata, quod editiones nonnullas (Venn. 1487., 1492. et al.) occupat, *adiuravit.* Heins. Atque ita nunc vulgo auctore Heinsio legitur. Sed codices fere omnes consentiunt in l.: *et iuravit,* quod etiam sensui accommodatius videtur propter illud *et,* quod est *adeo, vel,* et quia omnis

Hic metuit mendax; haec et periura vocari.
  Num dubitas, hic sit maior an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
  Respice ad eventus: haec cubat, ille valet.
Nos quoque dissimili certamina mente subimus,
  Nec spes par nobis nec timor aequus adest.
Tu petis ex tuto; gravior mihi morte repulsa est,
  Idque ego iam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi iustitiae, si recti cura fuisset;
  Cedere debueras ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro causa pugnat iniqua,
  Ad quid, Cydippe, litera nostra redit?

vis est in *iuravit,* non in *ad:* „Der Vater hat sie dem Liebenden *versprochen;* sie hat (sich) ihm *sogar verschworen:*" et verbum simplex est *pepigit. Iurare aliquid* pro *iurando promittere* dici potest. Vid. v. 1. Ipse iudica; sed cave, ne ad lect. *adiuravit* nimium inclines vernaculo dicendi more deceptus: nam *adiurare* proprie valet *valde iurare,* non nostrum *zuschwören,* et fere obsecrantis est, ut Metam. III, 659. Trev. et Goth. 1.: *adiuravit.* Dun.: *haec se iuravit.* Iahn etiam: *haec et iuravit.* Vid. var. l.

160. *Deam.* Vid. introduct. in hanc Epist. et v. 18.

161. *Haec et.* Duo libri: *timet haec.* Bene. *Heins.* Oxon. (et Vict.): *haec periurata.* Bern.: *Ille timet m., timet haec p. v. Burm.* Vulgatam *haec et* tuentur Trev., Helmst., Guelf. 2., 3. et 4., Monac., Dresd., ed. Naug. et fere omnes codd. Heinsiani, quae etiam gravior est. Conf. v. 159. Venn.: *sed et haec.*

162. *Num dubitas.* Heinsius ex Oxon. recepit *dubites,* quod etiam duo Goth. exhibent. Utrumque h. l. dici potest; igitur nos cum reliquis vett. libris scripsimus *dubitas.* Vid. not. ad Epist. XVII, 99. et v. 183. huius Epistolae. Pro *Num* Dun., Trev., Goth. 1. et Guelf. 3.: *An.* Goth. 2.: *Non,* solemni errore.

164. *Haec cubat,* sc. in morbo; pro *decumbere* enim hac voce veteres usos Douza in Succid. Append. ad Horat. c. IV. ostendit. *Burm.* Vid. Horat. Sat. I, 9, 18. ibique Heindorf. „Hic, qui promisit, pater, valet; illa, quae iuravit (in poenam non praestitae fidei) aegrotat." Conf. v. 110.

165. *Mente,* mentis, animi statu, ut patet e sequentibus.

166. *Nec spes.* Conf. not. ad Epist. IX, 42. Iun., Bern. et nonnulli alii: *nec timor unus adest.* Vict.: *metus aequus.*

168. *Forsan amabis* explicandum e verbis *pater hanc pepigit* versus 157.

172. *Ad quid etc.,* i. e., „tu quaeso attende, quid epistola

Hic facit, ut iaceas et sis suspecta Dianae:
  Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente subis tam saeva pericula vitae;
  Atque utinam pro te, qui movet illa, cadat!
Quem si repuleris nec, quem dea damnat, amaris;
  Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo: stabili potiere salute;
  Fac modo polliciti conscia templa colas.
Nec bove mactato coelestia numina gaudent,
  Sed quae praestanda est et sine teste, fide.
Ut valeant aliae, ferrum patiuntur et ignes;
  Fert aliis tristem sucus amarus opem.

nostra velit, quae sit disputationis nostrae summa." Conf. Terent. Eunuch. I, 2, 78. Nescio tamen an praeferenda sit editionis princ. lectio: *Ad te, Cydippe, litera nostra redit.* Acontius a v. 133. per excursum expostulavit cum rivali suo. Sed nunc eius epistola revertitur ad Cydippen, unde deflexerat. *Lenn.* Ego vulg. scripturam probam esse puto, *redit* autem proprio sensu accipiendum. Nimirum ea, ad quae redit, statim sequuntur: *Hic facit, ut etc.*, quae etiam multis tetigit supra v. 109. et seqq.

174. *Si sapias.* Vid. Epist. XVII, 100. ibique not.

176. *Qui movet illa.* Vulgo: *qui movet ille cadat.* Cod. Douzae: *ista.* Leid.: *arma.* Sed *illa* iam Naug. et alii receperunt. Idem exhibent Giess., Goth. 2. et Guelf. 3. et a pr. m. 1. Heinsius de suis codd. nihil adnotavit.

177. Cod. Mor.: *respueris.*

178. *Certe.* Est coniectura Nodellii Obss. Critt. c. 2. p. 18.:

Et tu continuo, per te ego salvus ero —

quae minime necessaria. Sententia est haec: *Et tu continuo salva eris*; (sequi debebat: *et* [tecum] *ego*, pro quo inversa constructione eleganter, quasi illud *et* non praecessisset) *certe ego salvus ero.* Vid. ad Epist. X, 31.

179. Sex codd. Heins. et Goth. 2.: *Pone metum.*

180. *Conscia.* Vid. Epist. XV, 138.

181. *Nec bove.* Vulgo: *Non. Nec* scripti plerique. Bene. *Heins.* Idem mei. Vid. var. l.

183. *Patiuntur.* Tres libri (etiam Dun.): *patientur.* Iun. et Strozzae (item Goth. 2. et a pr. m. Guelf. 1. cum edd. Venn. *L.*): *patiantur.* Recte. *Heins.* Immo perperam. Hoc dicit poeta: *Vere aliae patiuntur ferrum et ignes, ut valeant,* et confirmant eam scripturam et codd. et vero etiam, quod sequitur, *fert opem.* Vid. Epist. IX, 29. et supra v. 162. Remed. A. v. 229.

Nil opus est istis; tantum periuria vita,
  Teque simul serva meque datamque fidem.
Praeteritae veniam dabit ignorantia culpae:
  Exciderant animo foedera lecta tuo.
Admonita es modo voce mea, modo casibus istis,
  Quos, quoties tentas fallere, ferre soles.

Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes.

184. *Tristem. Medicam opem* Ambros. unus, Gott. (et Dun.), ut Amor. II, 9, 8., Remed. v. 76., Pont. III, 4, 8. *Heins.* Sed vulgata et codicum auctoritate defenditur, et sane etiam praecedentibus *ferrum patiuntur et ignes*, et respondet *tristem* illi *amarus*.

185. *Periuria vita.* „*Cave ne periura sis.*" *Ciof.*

188. *Exciderant — foedera lecta. Foedera lecta* scripti fere omnes pro vulg. et Naug. lectione *foedera nostra;* et recte. Ita *litera lecta* Epist. XXI, 238. et mox v. 214. *verba lecta. Heins.* Et multo profecto significantius est *foedera lecta,* quo simul ipsam, qua Cydippe se ei obstrinxerat, lectionem innuit et in memoriam revocat. — *Exciderint,* quod in tribus (idem exhibent Goth. 1. et 2.) inveni, etiam amplector loco vulgatae *Exciderant,* nisi *Exciderunt* quis malit, de quo vid. ad Epist. VII, 166. Prop. III, 23, 19.

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria condo:
  Exciderint surdo tot mea vota Iovi.

Sic enim scribo. *Heins.* Locum habere sane potest *Exciderint,* ut quasi continuet illud *veniam dabit ignorantia,* sic: *foedera lecta animo tuo excidisse credentur, sic erit, sic accipietur, quasi excidissent.* Conf. Epist. I, 79. Verum reliqui vett. ll. omnes: *Exciderant,* optimo sensu; ut sint ipsa verba excusantis eam Acontii, quod revocandum putavi.

189. *Modo casibus istis.* „*Morbo, quo nunc laboras.*" *Ciof.* *Cassibus* scribendum, quod Reg. et Mor. meliores confirmant. *Heins.* Reduxi veterem l. *casibus,* cui *cassibus* praetulisse Heinsium et Burmannum aegre ferebam. Ii quidem *casses* eodem sensu dici hic putarunt, quo supra v. 39. *nodos,* Epistola sequente v. 207. *retia.* Sit ita sane; sit etiam hic metaphora a venatione petita. Quis, quaeso, unquam Latinorum *feram* dixit *retia* aut *casses ferre?* Est quidem illud venatoris, vid. Tibull. I, 4, 50. ibique Heinsium; fera autem dicitur *cassibus haerere, impediri, vinciri.* Sed vide iam, an ipsa metaphora satis apte in hunc locum cadat. Quid? eosne *casses, nodos, retia,* quibus Cydippen sibi obstrinxerat Acontius, nunquam eam *tulisse* dicamus, nisi cum fallere tentaret? Immo *casses* quidem illos semper *tulit,* sive fallere volens, sive fidem Acontio datam servans; morbis vero, quos

His quoque vitatis, in partu nempe rogabis,
  Ut tibi luciferas adferat illa manus?
Audiet haec; repetens quae sint audita, requiret
  Ipsa, tibi de quo coniuge partus eat.
Promittes votum: scit te promittere falso;
  Iurabis: scit te fallere posse deos.
Non agitur de me; cura maiore laboro:
  Anxia sunt vitae pectora nostra tuae.

hic *casus* dixit noster cum Horat. Serm. I, 1, 80., toties demum illa tentabatur, quoties ipsa *exsistere* perfida tentabat, ut clarissime ex praecedentibus vers. 107. seqq. apparere monuit iam Nodell. Obss. Critt. c. II. 21. Addere liceat pro *casibus* etiam pugnare mentionem *partus* in sequente versu. *Casus* autem *ferre* Latinorum usu tritum est. LENN. Edd. Venn. et plures e meis: *cum casibus*. Vid. var. l.

191. *Rogabis. Rogabis* cum scriptis (et vett. edd.) pro vulg.: *vocabis*. HEINS. Quod praestat; proprium enim de iis, qui implorant auxilium deorum. Vid. Amor. I, 8, 107., Epist. XXI, 61. BURM.

192. *Luciferas adferat.* Libri meliores (?): *offerat*. Quidam: *efferat*; proxime ad verum. HEINS.
Sed mei praeter II Goth. et Guelf. 3. omnes, item vett. edd. cum vulg.: *afferat*, quod secutus sum. *Adferre manus* pro *opem ferre* dixit etiam Cic. Verr. III. c. 18. Et vide, de qua re illud hoc loco dicatur. *Luciferas manus* hic dixit, ut *equos luciferos* Epist. XI, 46.

Denaque luciferos Luna movebat equos.

Numus apud me argenteus Iuliae Piae, DIANAE LUCIFERAE, inscriptum habet, cum emblemate Dianae taedam gerentis. Item alius eiusdem Iuliae, LUNA LUCIFERA. Luna biga boum vecta. Sic et Diana φώσφορος apud Graecos dicta. HEINS. Est illud dictum ex *theologia* Graecorum. Cic. N. Deor. II. c. 27. *Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Ep. VI, 122.

193. *Audiet haec; repetens quae sint.* Vulg. cum vett. edd.: *Audiet haec repetens quae sunt. Quae sint* scripti. (Vid. var. lect. L.) *Et repetens* etiam bene editio princ. HEINS. *Et* cum Heinsio sine vett. librorum auctoritate novare non ausim. Vid. var. l. Barb.: *recolens.* Vid. ad Epist. V, 113. *Sint* requirit etiam ratio grammatica, ut de re dictum, quae num fiat adhuc incertum sit.

195. *Falso.* Iun.: *falsum*. Novem alii: *falsa*. Vid. Amor. III, 3, 11., ubi *falsum iurare*.

197. Tres libri: *Nil agitur.*

198. *Anxia sunt vitae — tuae.* Leid., Bern. (et Guelf. 3.): *vita tua*. Plin. XV, 18. Metam. I, 623.

— timuitque Iovem et fuit anxia furti.

Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
  Ignaros culpae quos facis esse tuae?
Et cur ignorent? Matri licet omnia narres:
  Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
  Sacra pharetratae dum facit ipsa deae.
Ut te conspecta subito, si forte notasti,
  Restiterim fixis in tua membra genis;

199. *Te dubiam. Te dubii pavidam* edd. Venn. et al., et Reg. cum IX codicibus. Male. *Dubius* aeger dicitur, cuius salus in dubio est, ut Epist. XXI, 31. *incerta salutis.* Pont. III, 4, 8.

Ad medicam dubius confugit aeger opem.

Conf. Iuven. S. 13, 125., et ita *dubiam ratem* Ov. Art. A. I, 558. BURM.

200. *Quos facis. Cur licet* Iur. Excerpta, Ment. et unus Medic. Duo alii Heins.: *quos licet.*

201. *Ignorent.* Sic recte meliores pro vulg.: *ignorant.* HEINS. Idem mei fere omnes. Vid. v. 1. Vett. edd.: *ignorant.*

202. *Facta ruboris habent.* Vulg.: *pudoris.* Sed *ruboris* ex iisdem melioribus reponendum. Sab. Epist. II.

O tibi quantus erit facti rubor!

Est effectus pro caussa.

204. *Dum facit ipsa.* Vulgo: *Dum facis ipsa.* Heinsius, cum otiosum putaret illud *ipsa*, scripsisse Ovidium censebat *aede deae.* Sed haec coniectura dubia mihi videtur. Mallem: *dum facit ipsa:* dum mater sacra facit, conspexit Cydippen Acontius etc. Conf. Epist. XXI, 93. seqq.; unde apparet, Cydippen, dum mater sacrificat, cum nutrice obambulasse et tunc visam ab Acontio; postmodo demum, cum reversa fuisset in aedem Dianae, venisse pomum. BURM. Et ego *facit* ab Ovidio esse censeo, permotus cum toto illo loco Epistolae XXI., tum inprimis v. 105. *Facit* etiam Heusinger dedit, item Lennepius probante Handio in Censura laudata et Cupero in Syllog. Epist. Burm. T. II. 710., et exhibet Guelf. 3. Amar et Iahn: *facis. Pharetratae.* Conf. Metam. III, 252. et supra v. 115. et Epist. IV, 91.

206. *Genis. Genae* etiam de loco oculorum et ipsis oculis dicitur, ut apposite huic loco, quem etiam laudavit, monuit Forcellinus in Lex. Vid. Epist. X, 44. et XI, 10. Eodem vocabulo liberiore hoc sensu iam ante Ovidium usus est Propert. III, 10, 26., IV, 5, 6. Edd. Venn. et al.: *Restitimus. Figere* varie Ovidio construitur, hoc loco cum *in* et accus., Metam. XIII, 541. cum solo ablat., et plerumque cum *in* et ablat.

207. *Et, te. Ut te.* Ment., Arond. et Bas. Recte. HEINS. Item Goth. 2. et Guelf. 3. et fortasse etiam Guelf. 1. Sed non video, cur non cum reliquis codd. omnibus et vett.

Et, te dum nimium miror, — nota certa furoris —
Deciderint humero pallia lapsa meo:
Postmodo nescio qua venisse volubile malum,
Verba ferens doctis insidiosa notis;
Quod quia sit lectum sancta praesente Diana,
Esse tuam vinctam numine teste fidem.
Ne tamen ignoret scripti sententia quae sit,
Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.
„Nube, precor,“ dicet „cui te bona numina iungunt;
„Quem fore iurasti, sit gener ille mihi.

edd. vulgatam *Et te* retineamus, qua sententiae nihil potest esse accommodatius. *Furoris. Furor* pro vehementi amore apud nostrum passim. Vid. Indices Gierigii et Epist. XVI, 235.

208. *Deciderint. Reciderint* Excerpta Iur. Probe. Vid. Epist. XIV, 40. *Heins. Deciderint* mihi praeferendum videtur; ad pedes enim decidisse docet vox addita *lapsa,* pro qua male quidam: *laxa.* Sic Sueton. Aug. 94.: *Tunica laticlavia resuta ex utraque parte ad pedes decidit. Recidere* puto vestem, cum in tergum retro cadit, *decidere,* cum ad pedes labitur. Eadem differentia est inter *deiicere* vestes et *reiicere vestes,* de qua vid. ad Metam. II, 582. *Burm. Deciderint* et ego probum puto, sed *lapsa* non nisi ex copia poetica esse adiectum.

210. *Doctis.* Sic et codd., quotquot a me inspecti sunt. Scribe nihilominus *ductis notis.* Quam emendationem pluribus adstruximus ad Fast. VI, 649. Conf. Art. A. III, 493. *Heins.* (Et sic edidit Heusinger. *L.*) Mihi *doctae notae* non movendae videntur. Nullis enim notis epistola scribi potest, nisi ductis. (Hoc argumentum quod affert Burmannus nullum est, apud poetam praesertim tam verbosum. Conf. Epist. XV, 14., X, 15. *L.*) Sed *doctas notas* Amor dictaverat (v. 27. seqq.) Acontio, i. e. callidas, quibus peritus et vafer amator deciperet puellam. Ita *doctus dolus* Plaut. Mil. Glor. III, 2, 93. et passim ille *doctus* et *docte* pro astuto et callido utitur. *Burm. Doctis* etiam aptius ad *insidiosa,* et quid exhibent codices? Eodem fere modo supra v. 184. *amarus succus tristem opem fert,* et sic noster passim.

212. *Esse tuam. Esse reor* Iur. Excerpta. Goth. 1., Guelf. 1., 2. et edd. Venn.: *victam.*

213. *Quae sit sententia scripto* ex Excerptis Iur. primus edidit Heinsius. Codices cum vett. edd. omnibus: *scripti sententia quae sit,* quod cum Iahno in suum ius restitui.

214. *Verba refer.* Ed. princ. et unus Medic.: *verba lege;* non invenusta repetitione. *Burm.* Legat igitur, quin in mani-

„Quisquis is est, placeat, quoniam placet ante Dianae."
Talis erit mater, si modo mater erit.
Sed tamen et quaerat, quis sim qualisque, videto:
Inveniet vobis consuluisse deam.

bus habeat, quid aut unde legat!

217. *Quisquis is est.* Ovidio solemnis locutio. Vid. Gier. Indic. Metam.

218. *Mater—mater.* Vid. v. 50. ibique not.

219. *Sed t. e. q., quis sim qualisque, videto.* In veteribus edd. et vulg. est: *Si tamen et quaerat quis sim qualisque, videto.* Scripti nonnulli Heinsii: *Sed tamen inquirat;* tres Heinsii: *Sic tamen inquirat;* Argent. et Excerpta Iur.: *Si tamen et quaerit, qui sim. Iubeto* Heinsiani nonnulli; plurimi tamen: *videto.* Burmannus dedit:

> Sic tamen et quaerat, qui sim
> quantusque, iubeto.

In quo illud *sic* abhorret a simplicitate huius carminis; *quantusque* autem sola Excerpta Iur. exhibent. Heinsius proposuit:

> Sed tamen inquirat, qui sim
> qualisque, iubeto.

Sed nolim illud *et quaerat* expelli, quod apte respicit versus 113. et 114. Scribo:

> Sed tamen et quaerat, quis sim
> qualisque, videto

Inveniet versu sequenti nonnulli codd. Heinsii; plurimi Heinsiani et Goth. 1.: *Invenies;* etiam cod. Trev., qui hoc distichon ita exhibet, ut omnia ad Cydippen referantur:

> Sed tamen et quaeras, quis sim
> qualisque, videto.
> Invenies nobis consuluisse
> deam.

Werfer maluit:

> Sic tamen et quaeras qui sim
> quantusque iubeto.

Schol. cod. Trev.: *quis, quantum ad genus, qualis, quantum ad mores.* Pro *vobis* mei codd. fere omnes et edd. Bas., Vinc., Col., Mic. et Bersm.: *nobis.*

221. *Coryciis.* Nymphas, quas hic *Corycias* dicit, Metam. X, 109. simpliciter *Carthaeas* vocat a *Carthaea,* una ex IV urbibus Ceae. Sed utrum a *Corycio,* quod in Parnasso fuit, an a *Corycio* Ciliciae appellentur, hactenus incertum. Pro *Coryciis* male et invito metro *Carystiis* reponit Ortelius Thes. Geogr.; sunt enim, quas noster *Corycidas* Metam. I, 320. vocat et Parnassi incolas facit Apollon. II, 713., ubi de Parnasso agit et Apolline:

> *Πολλὰ δὲ Κωρύκιαι Νύμφαι Πλεί-*
> *στοιο θυγάτρες*
> *Θαρσύνεσκον ἔπεσσιν Ἰήϊε κεκλη-*
> *γυῖαι.*

Ubi vid. Schol. *Heins.* Strabo IX. *γνωριμώτατον καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον Νυμφῶν ἄντρον.* Conf. Pausan. Phoc. p. 811. 817. *Κωρύκιαι κόραι* Sophocl. Antig. 1114.

Ortelium merito carpsit Vossius ad Scylacem p. 94. Sed proposita ab ipso Vossio coniectura *Corissiis* aeque metrum mihi videtur impugnare. *Κορησία* dicta urbs Ceae apud Scylacem, *Κορησσός* vel potius

Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
  Cingitur Aegaeo, nomine Cea, mari:

Κορησσὸς apud Ptolomaeum III, 15., *Coressus* apud Plin. H. N. IV, 12., *Corisus* apud Probum ad Virg. Georg. I, 14., *Κορισσία* apud Strabon. X. p. 486. et Steph. Byzant. in v. *Κόρισσος*. Si quid mutandum, nescio an probabilior foret lectio *Carthaeis*. Ovid. Met. X, 109.

Namque sacer Nymphis Carthaea tenentibus arva
Ingens cervus erat —.

VII, 368.

Transit et antiquae Carthaeia moenia Ceae.

Ceam insulam antiquitus Nymphas tenuisse tradunt etiam Heraclides Ponticus de Politiis p. 516. et Excerpta Lindenbrochiana Servii ad Georg. I, 14. Addit Heraclides: *Ἀρισταῖον δὲ φασὶν μαθεῖν παρὰ Νυμφῶν τὴν τῶν προβάτων καὶ βοῶν ἐπιστήμην· παρὰ δὲ Βρισῶν τὴν μελιτουργίας.* E quibus et altera lectio elici possit *Brisaeis*. Etymol. M. *Βρίσαι, Νύμφαι οὕτω καλούμεναι—μελιτουργίαν τὸν Ἀρισταῖον ἐδίδαξαν. Brisaeus* etiam Liber pater cognominatus est a mellis usu, teste Cornuto ad Persii Sat. I, 73. Conf. Bochart. Hieroz. Parte II. Lib. IV. c. 12. p. 520. Sed nec *Coryciis* prorsus improbo, quamvis rationem eius nominis hoc quidem loco minus me cognitam habere fatear. *Nymphas* hic *Corycias* easdem esse, quas *Corycidas* vocet Ov. Met. I, 320. et Parnassi incolas faciat Apollon. II, 711., Heinsii sententia est. Forcellini vero ad vocem et hic *Corycias Nymphas* et d. l. Metam. *Corycidas* ab Ovidio dici putat Musas, in quo fallitur, siquidem *Coryciae Nymphae*, Plisti filiae, ut vocantur apud Apollonium d. l., nihil cum Musis commune habuerunt praeter habitationis sedem in monte Parnasso. Quomodo vero hinc in Ceam venerint, illud etiam Heinsius exponere neglexit. Aristaeum a Musis educatum, in Phthia primum ac locis Parnasso vicinis vitam agitasse, inde vero in Ceam traiecisse auctor est Apollon. Rh. II, 511. sqq. Itaque fieri potest, ut in eam insulam traiicientem eum sequutae quoque *Coryciae* Nymphae sint nonnullae (??), etsi Nymphas in Cea iam ante adventum Aristaei fuisse auctores supra a nobis memorati prodiderunt. Lenn. Mihi vera videtur l. *Carthaeis*, quam probavit etiam Ottfr. Müller in Nunt. Litterar. Goetting. a. 1826. p. 1774. et Buttmannus in supra memorata Disputat. de fabula Acontii et Cydippes. Voces *Carthaeius* et *Cea* etiam coniunctae leguntur in l. l. Metam. VII, 368. Alii difficultatem illam *Nympharum Coryciarum* ita expedire conati sunt, ut, cum plura loca nomen *Coryci* gererent, ex poetarum observatione speciem pro genere ponendi, quin poeta fabulam certam de *Coryciis* Nymphis ob oculos habuerit, hic *Corycias Nymphas* dictas censerent, easque hoc loco omnino

Illa mihi patria est; nec, si generosa probaris
Nomina, despectis arguor ortus avis.
Sunt et opes nobis, sunt et sine crimine mores;
Amplius utque nihil, me tibi iungit amor.
Appeteres talem vel non iurata maritum;
Iuratae vel non talis habendus erat.

esse pro *Nymphis montanis,* quemadmodum apud Virg. *Acheloae aquae* essent pro *fluviali, arcus Iturei* pro *arcus* universe. Parum, ut mihi quidem videtur, probabiliter.

222. *Cea.* Lege *Cea* pro *Caea,* tam hic quam Met. X, 120. Insula *Cea* etiam Columellae dicta est IX. c. 2. *Ceam* simpliciter Virg. Georg. I, 14., ubi teste Servio regnavit Aristaeus, Cyrenes filius. *Heins.* Recte, quamvis nec *Cia,* quod Vossio placebat ad Scyl. d. l., valde repudiandum videatur. Graecum insulae nomen fuit *Κέως.* Civis eius *Κεῖος,* item *Κήϊος* et contracte vulgo *Κεῖος* dicebatur. Vid. Eustath. ad Hom. p. 318., Wessel. ad Diod. Sic. IV, 82., ad Herodot. VIII, 1. Hinc *Cea insula* Latinis vocitata eadem appellari quoque *Cia* potuit, ut a Graeco *Ἀλεξάνδρεια* duae item Latinorum formae sunt *Alexandrea* et *Alexandria.* Conf. Burm. Sec. Anthol. Lat. T. I. p. 341. *Κία νῆσος* apud Ptolomae. V, 15. aeque mihi suspectum est ac Pintiano fuit. *Lenn. Ceam* simpliciter eam insulam etiam Plinius dixit H. N. IV. c. 12.

223. *Probaris.* Sunt, qui *probatis* malint, ac si dicat: *sin tu tuique omnes* (vel potius *tu et mater tua*) *probatis stemmata in coniuge. Egnat.* Atque ita est in Monac., Guelf. 1. et 3., Rel. et ed. Naug. Nodellio Obss. Critt. p. 23. legendum videtur *probavit,* mater videlicet, de cuius iudicio agitur. Brinkio in eandem sententiam *probarit* arridet. Sed codd. longe plurimi et vett. edd. fere omnes cum vulg. ad sensum aptissime: *probaris,* eamque lectionem confirmare etiam sequentia videntur, v. 226.: *Et ut amplius nihil me tibi iungat, me tibi iungit amor,* et vss. 227. 228. Nec obstare denique vss. 219—222. huic lectioni reperies, si modo vere genus suum amanti declarare Leandrum intellexeris, sed inversa ratione, matre nimirum interposita. De sententia, conf. Epist. VI, 113. Dun.: *probabis.*

226. *Iungit.* Vid. v. 1.

227. *Appeteres.* Bern.: *Adspectes,* et pro *vel non* edd. Venn. 1486. et 1492.: *nondum.*

228. *Iuratae vel non talis.* Sententia est: *Appetere deberes vel non iurata, vel sine iuramento, talem* (sc. qualis ego sum) *maritum: iuratae* (vero) *vel non talis* (etiamsi talis non essem, qualis sum) *habendus erat, habere, accipere coniugis loco debebas. Habendus.* Epist. VII, 17.

Alter habendus amor tibi restat
et altera Dido.

Haec tibi me in somnis iaculatrix scribere Phoebe,
Haec tibi me vigilem scribere iussit Amor;
E quibus alterius mihi iam nocuere sagittae,
Alterius noceant ne tibi tela cave.
Iuncta salus nostra est: miserere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, cum iam data signa sonabunt,
Tinctaque votivo sanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago,
Causaque versiculis scripta duobus erit:
EFFIGIE POMI TESTATUR ACONTIUS HUIUS,
QUAE FUERINT IN EO SCRIPTA, FUISSE RATA.

Nodell. Obss. Critt. p. 23. cum Clarkio ad Hom. Iliad. III, 39. distinguendum videbatur: *Iuratae, vel non talis, h. e.*, et porro pro *erat* legendum *eram*, quorum prius pervertit sententiam, nec necessarium est posterius. Vid. supra ad v. 76.

230. *Me vigilem.* Sic alter Ment. a m. pr., quod praecedentia confirmant: Diana somniantem, Cupido vigilem et forma tua captum, cum te vidissem, iussit scribere. Horat. Od. III, 27, 38.

— — — vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago?
BURM.

Reliqui libri cum vulg.: *vigilans.* Conf. Epist. IV, 10.

232. *Alterius — tela.* Vid. v. 99. 115.

235. *Quod si etc. Cum iam data signa sonabunt* probum esse puto. Signum tuba datum veteres ad sacrificia ludorumque solemnia vocabat. Vid. Ovid. Fast. I, 716. et conf. interpretes ad Calpurn. Eclog. I, 68. E glossa, margini adscripta, *tuba* factum est *tibi*, unde variae codicum lectiones, *tibi cum data*, ut est in III Heins., *tibi cognita*, ut exhibet Lov., *tibi cum data thura fumabunt*, ut est in Barb., quarum posterior etiam in metrum peccat.
LENN.

Signa autem h. l. sacrificiorum intelligi apparet e v. 236.

236. *Votivo*, a me voto. Conf. Epist. XV, 181—184. *Tinctaque.* Vid. Epist. X, 106. ibique not. et Epist. XXI, 93. *Delos.* Vid. Epist. XXI. a v. 77. Bern.: *nocivo.*

237. *Ponetur.* Vid. Epist. XII, 128. ibique not.

240. *Quae fuerint.* *Fuerant* septem codd. *HEINS.* Etiam Guelf. 2. Vid. Epist. XVI, 15. Et de carmine illo vid. not. ad Epist. II, 148.

242. *Clausaque—sit tibi fine.* Scribe: *consueto sit sibi fine.*
HEINS.

Longior infirmum ne lasset epistola corpus,
  Clausaque consueto sit tibi fine: Vale.

Male; nihil enim languidius, nec sine elegantia est oratio in fine ad ipsam conversa. Barb. et Linc.: *Clausula consueto.* De *consueto,* Trist. V, 13, 33. 34.

Accipe, *quo semper finitur epistola verbo,*
  Aque meis distent ut tua fata, vale.

Quod superest, v. 241. negat, et v. 242. affirmat.



EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

Ad Epistolam praecedentem Cydippe respondet.

Pertimui scriptumque tuum sine murmure legi,
  Iuraret ne quos inscia lingua deos;
Et, puto, captasses iterum, nisi, ut ipse fateris,
  Promissam scires me satis esse semel.
Nec lectura fui; sed, si tibi dura fuissem,
  Aucta foret saevae forsitan ira deae.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianae;
  Illa tamen iusta plus tibi parte favet,
Utque cupis credi, memori te vindicat ira:
  Talis in Hippolyto vix fuit illa suo.

Quaedam exemplaria (etiam codd. Leodd. et Goth. 2. *L.*) hic denuo munifica sunt de alieno, dum initium nobis huius Epistolae hoc modo obtrudunt:

Litera pervenit tua, quo consuevit, Aconti,
  Et paene est oculis insidiata meis.

Vid. Schott. Obss. II. c. 53. In prima ed. adscriptum erat: *Cydippe Acontio, Heroidum Ovidii ultima, recens reperta*; mirum autem, in posterioribus edd. (ut tribus Venetis) haec non apparere. *Burm.*

1. *Sine murmure.* „Non pronuntiatis verbis nec motis labris.“ *Amar.*

4. *Promissam.* Vict.: *Periuram.* Monac.: *Iuratam.*

5. *Tibi.* Vid. infra not. ad v. 10.

6. *Saevae.* Conf. infra v. 61. et Epist. XX, 99. 100. Lov.: *Quanta foret saevae.*

7. *Pia tura.* Vid. Epist. VII, 24. ibique not. Lov. et Bern.: *pia vota.*

9. *Memori—ira*, i. e. ira, quae iniurias non obliviscitur. Metam. XIV, 694.

— — memoremque time Rhamnusidis iram.

10. *In Hippolyto—suo.* Hippolytus, quum ab equis suis viso monstro marino perterritis raptus ac laceratus esset, Diana indignata per Aesculapium ad vitam eum revocavit. Vid. Fast. VI, 737. seqq., Metam. XV, 497. et veteres auctores, quos ibi laudant interpretes, Hyg. F. 251., 135., Apollod. III., Virg. Aen. VII, 761. seqq. Conf. Epist. IV. Constructio autem *Talis in Hippolyto* pro vulgari *in Hippoly-*

At melius Virgo ſaviſſet virginis annis,
  Quos vereor paucos ne velit eſſe mihi.
Languor enim cauſis non apparentibus haeret,
  Adiuvor et nulla ſeſſa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix haec reſcribere, quamque
  Pallida vix cubito membra levare putas?
Nunc timor accedit, ne quis, niſi conſcia nutrix,
  Colloquii nobis ſentiat eſſe vices.
Ante fores ſedet haec, quid agamque rogantibus intus,
  Ut poſſim tuto ſcribere, „Dormit“ ait.

tum apud Nasonem frequens est. Amor. I, 7, 34. *saevus in hoste;* Trist. V, 2, 36. *lenis in hoste.* Simili modo ponitur dativus. Supra v. 5.; Pont. IV, 6, 32. *sontibus esse trucem;* Tacit. Annal. XI. c. 10. *intolerantior subiectis.* Sed ad sententiam differre inter triplicem illam constructionem, non est, quod doceam. *Hippolyto — suo.* Conf. Epist. XV, 92.

11. *Virgo.* De Dianae virginitate magnum locorum numerum e solis Metam. collegit Gierig in Indic. in v. *Diana.* Est autem cum vi dictum illud *Virgo virginis annis.*

12. Omnia carmina, quae ab eo sunt versu *Quos vereor etc.*, non leguntur in antiquis ullis, quae viderim, exemplaribus. Neque ea Planudes vertit. Atque ideo fortasse non sunt ipsius Ovidii. NAUGER. Codd. omnes post hunc versum deficiunt praeter Sarr., Medic. et unum ex meis recentiorem, quem a Luca Langermanno donum habui. Arond. quoque reliquos huius Epistolae versus maiori ex parte in calcem voluminis post Sapphus Epistolam reiecerat. HEINS. Exstant etiam in Guelf. 3. et edd. vett., excepta Ven. 1487., in qua ab Ant. Volsco omissi sunt.

13. *Haeret.* Eodem modo Metam. III, 395. *haeret amor.* Conf. Epist. IV, 70.

14. *Medentis.* Vid. not. ad Epist. V, 147.

16. *Membra levare.* Conf. Metam. VII, 343.

17. *Nunc timor accedit.* Malim *Huc,* ut Amor. III, 7, 37. *Huc pudor accessit.* HEINS. *Nunc,* prius enim nihil colloquii inter nos fuit et ab hac quidem parte non fui sollicita. *Conscia nutrix.* Vid. ad Epist. XVIII, 97.

19. *Rogantibus intus.* Hic versus praecipue ex iis unus est, unde colligitur, hos non esse poetae proprios. Neque enim apud Ovidium facile alibi reperias *rogantibus inter* pro *interrogantibus;* quod haud scio an apud ullum alium poetam reperias, nedum apud Ovidium, qui ubique orationi aequabili ac planae studuit. Sed tamen fieri potuit, ut vel insititius versus hic idem sit, vel alias corruptus. MICYLL. Pro *inter* scribo *intus.* Columell. Praef. R. R.: *Neque enim roganti quid*

Mox ubi, secreti longi causa optima, somnus
Credibilis tarda desinit esse mora,
Iamque venire videt, quos non admittere durum est;
Exscreat, et ficta dat mihi signa nota:
Sicut eram properans, verba imperfecta relinquo,
Et tegitur trepido litera cauta sinu.
Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus sit nobis, adspicis ipse, labor.

agatur intus servi respondere dignantur. Vid. Iuv. Sat. 3, 241., Amor. III, 4, 8. (Atque eodem ducit illud: *Ante fores sedet haec. L.*) *Heins.* De feminis ante fores excubantibus egerunt Merill. ad Passion. I. Christi §. 2., Gebhard. ad Propert. II, 5, 31. et Almelov. in Coniectaneis. Certa Heinsii emendatio. Vid. etiam Eurip. Med. 133. *Burm.* Guelf. 3.: *int'*, quod est *intus.*

21. *Secreti longi. Longi* Med. cum prima ed. Bene. *Heins.* Vulgo: *longe.*

23. *Durum est.* Cave *tutum est* reponas. Tibull. I, 6, 7.

> Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.
> *Heins.*

Vid. etiam Iuv. 6, 98. *Burm.* Sed quis de scriptura vulgata dubitavit?

24. *Ficta.* Malim *tecta,* ut Epist. XVII, 81. *Heins.* Fortasse *dicta nota,* quae inter nos convenit. Vid. ad Epist. XII, 194. *Burm.* Equidem vulgatam retinere malim. *Fictus screatus* optime dici mihi videtur ille, qui non ex vera tussi, sed ad notam alicui dandam de industria profertur. Ita Metam. VI, 565. *ficti gemitus* dicuntur, quos non verus dolor, sed simulatio expresserat. Eum autem ad notam Cydippae dandam fictum a nutrice screatum brevius hic poeta *fictam notam* dixit. Versu sequenti pro *Sicut eram* Brinkius cum Schlichtenhorstio mavult *Sicut erant,* sc. imperfecta verba. *Lenn.* Trist. II, 459.

> Scit, cui latretur, cum solus obambulat ipse,
> Cur toties clausas exscreet ante fores.

25. *Sicut eram.* De hac locutione vid. ad Epist. XX, 19. Metam. I, 526.

> Fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit.

Conf. Trist. I, 3, 69.

26. *Trepido.* Non satis respexerunt Heinsius et Burmannus v. 17. et 23—25., cum pro *trepido* coniicerent *tepido.* Epist. V, 37. Vid. not. ad Epist. XIII, 36.

27. *Repetita.* „Iterum in manus sumta litera."

28. *Sit.* Sic recte meus cod. et Arond. pro vulg. *sis. Heins.* Habet vero et lectio Sarr., Med. et ed. Naug. *sis,* quo se commendet. *Lenn. Sit* probum esse, ostendit versus praecedens et vox *adspicis* huius versus. *Adspicis* sc. ex tremulis literarum ductibus. Vid. Epist. X, 140.

Quo, peream, si dignus eras, ut vera loquamur;
Sed melior iusto, quamque mereris, ego.
Ergo te propter toties incerta salutis
Commentis poenas doque dedique tuis?
Haec nobis formae te laudatore superbae
Contingit merces; et placuisse nocet?
Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem;
Culpatum nulla corpus egeret ope:
Nunc laudata gemo; nunc me certamine vestro
Proditis, et proprio vulneror ipsa bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius, ille tuis.
Ipsa, velut navis, iactor, quam certus in altum
Propellit Boreas, aestus et unda refert.

29. *Quo,* sc. labore. Sic recte coniecit Heinsius, quod etiam Van Lennep et Iahn receperunt. Guelf.: *Que.* Reliqui libri: *Quae.* Heinsius dedit *Qua.*

30. *Ego.* Recte; atque ita Naugerius correxit. Vulg.: *ero.* HEINS.
Libri: *ero.* Sic mox v. 54. *plector ego. Melior* hic est mitior, benignior. Vid. Passerat. ad Cic. pro Quinct. c. 1. et Barth. ad Stat. Theb. II, 80. BURM. Dictum est e vulgari illa ratione loquendi, qua notio *generalior* ponitur pro *speciali*; velut si dicas, ut Virg. saepius *utilis* pro *fertilis,* aut ut noster *utilis* pro *compos mentis.* Quo modo Naso etiam *gaudia, iocus, ludere, nequitia* de re Venerea dicit, atque huius generis permulta.

31. *Incerta salutis.* Vid. Epist. XX, 199.

34. *Contingit.* Guelf. 3. et edd. Venn. et Naug. et sqq.: *Continget.*

36. *Culpatum* oppositum intellige verbo *laudata* versus sequentis.

37. *Certamine vestro,* quod est inter te et rivalem tuum.

39. *Tu cedis.* Med. et edd. Venn.: *credis.* Sed vulgata proba est et *cedis* bene respondet sequenti: *se putat ille secundum. Te credis,* Heinsii coniectura, egregie langueret, et sic desideraretur *tu.*

40. Guelf. 3. et edd. Venn. et Naug.: *votis optas.*

42. *Aestus et undā.* Id est recursus undae a Borea (violentissimo vento) propulsae; is enim aestus dicitur. Videturque usus figura poeta, quam Graeci vocant ἓν διὰ δύο. Qua de Virgilii illud quoque est: *Chalybem frenosque momordit,* pro frenum ferreum sive ex Chalybe factum. MICYLL.

44. *Ardor.* Vid. infra v. 169. *Inest.* Sarr.: *adest.* Vid. Epist. XVII, 102.

Cumque dies caris optata parentibus instat;
  Immodicus pariter corporis ardor inest.
Et mihi coniugii tempus crudelis ad ipsum
  Persephone nostras pulsat acerba fores.
Iam pudet, et timeo, quamvis mihi conscia non sim,
  Offensos videar ne meruisse deos.
Accidere hoc aliquis casu contendit; et alter
  Acceptum superis hunc negat esse virum.
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
  Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Causa latet; mala nostra patent: vos pace movetis
  Aspera submota proelia; plector ego.
Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more:
  Quid facies odio, sic ubi amore noces?

45. *Et mihi.* Sic vulgo. Scripti cum priscis edd. (?): *Nec mihi* vel *Nunc.* HEINS. Sensus est: „Et crudelis Persephone ad ipsum tempus coniugii (quod est *optata dies* v. 43.) pulsat mihi nostras fores acerba (*acerba* cum vi repetit illud *crudelis* v. 45.)"; q. e., ipsa mors in foribus sive in limine tunc maxime est, quando nuptias celebrare debeo. Burmannus illud *pulsat fores* imitationem censet esse illius Horatiani Od. I, 4. *Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres,* quod mihi parum probabile videtur. Conf. Epist. II, 72. *Ad ipsum tempus,* instante tempore. Eodem modo Sabinus Epist. I, 58. dixit *ad mala tanta,* ut eum locum recte interpretatus est Van Lennep, laudans Burm. ad Val. Flacc. III, 48. *Persephone* filia Cereris et coniux Plutonis, de qua vid. Met. V, 391. sqq. et Fast. I., Claudian. de Rapt. Proserp., Hom. Hymn. in Cerer., Hyg. F. 146., Orph. in Plut. et qui multi alii laudantur a Gierigio Metam. l. l. Eodem fere modo Tibull. III, 5, 5.:

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

47. *Pudet.* Vid. Epist. VII, 104.

48. *Offensos — meruisse deos.* Non satis commode dictum est. Sententia tamen est: Ne videar deos offendisse et meruisse, ut mihi essent *offensi,* pro *infensi.* MICYLL. Vid. infr. v. 202. et de hac voce *offensus* Manut. ad Cic. Fam. V. Ep. 14. et Lambin. et Torrent. ad Hor. Epod. 15, 15. BURM.

49. Sarr., Med. et prima ed.: *haec aliquis.* Conf. Epist. II, 83.

51. *Neve nihil.* Sic omnino legendum. HEINS. Vulg.: *Neve mihi.* De *neve* vid. ad Ep. XVI, 71.

52. *Ista tuis.* Bene sic Arond., Sarr., Med. et Lang. pro vulg. *meis.* Conf. Epist. VI, 101. 102.

53. *Movetis.* Vid. Epist. XIII, 64.

Si laedis quod amas, hostem sapienter amabis;
Me, precor, ut serves, perdere velle velis.

55. *Dicam nunc etc. Me decipe* veteres libri; edd. Venn., Bas. et Mic.: *me despice.* Vulgo: *ne despice.* Forte:

I iam (nunc solitoque tibi me decipe more)
Quid facias etc.

Vel: *I nunc, i solitoque.* Vid. Epist. IV, 127. *Heins. Dic iam nunc* Crispinus corrigebat; quod si admittimus, ita distinguendum esset:

Dic iam, (nunc solitoque tibi me decipe more)
Quid facias etc.

Sed Douza notavit Petronium sic quoque initium sententiae et periodi auspicatum esse c. 129. *Dicam,* vel *narrabo tibi Adolescens paralysim cave;* et in declamationibus, quas non male hae ultimae Epistolae referunt, saepe illa formula occurrit. Sic Quinct. Declam. 329.: *Dicam nunc ego; qui pulsaverit aliquem, iniuriarum teneatur.* Decl. 338. et passim. *Burm. Dicam nunc,* quae est lectio librorum, vix sanum est. Heinsii coniecturae magis sunt exprobrantis cum ironia. Vid. Epist. IV, 127. Malim: *Dic age nunc* (responde ad hoc, si potes) *solitoque tibi me decipe more.* Vid. Epist. XVI, 341. *Lenn.* Ego adsentior Burmanno. *Me decipe* cum ironia.

56. *Facies. Facias,* quod Burmannus malebat, refellitur et auctoritate vetustatis et voce *amabis* versus sequentis. Amor. I, 6, 31. *Quid facias hosti, qui sic excludis amantem?*

57. *Sapienter amabis,* sapienter feceris, si hostem ames, quem perdere cupias.

58. *Perdere velle velis.* H. e., quando noces iis, quos amas, diversosque affectus et effectus habes, quaeso, ut me oderis et perdere cupias: et per consequens servabis. *Micyll.* Non est, ut Heinsius putat, τὸ *velle* perperam e *velis* proxime sequenti inculcatum, cum antea legeretur *Me, precor, ut serves, perdere, dure, velis,* librarius autem duas ultimas syllabas in *perdere* geminare neglexisset; nec opus Burmanni Sec. correctione ad Prop. III, 13, 21.: *Me, precor, ut serves, perdere posse velis.* Recte docet Patruus Burmannus ad Am. I, 4, 38. et ad Phaedr. I, 29, 6. in huiusmodi formulis *dare velis, facere velis, mentiri velis* nullam inesse voluntatis aut destinati consilii significationem, sed morem eum esse blandius loquendi pro *des, facias, mentiaris.* At vero hic loci requiritur expressa voluntatis et propositi mentio; unde sequitur, minime sollicitandum esse τὸ *velle,* cum in eo omnis insit vis sententiae. Nec vero magis quemquam hic offendere debet *velis velle,* quam alibi *noli velle, nolite velle,* ex cuius formulae frequenti usu locum hunc egregie tuitus est Markland. in Obss. anglice scriptis in Ciceronis Epp. ad Brutum p. 85. seqq., cuius rationem probavit etiam Gesner. in Thes. L. L. v. *volo.* Similis quoque pleonasmus apud Catullum 91.:

Aut tibi iam nulla est speratae cura puellae,
  Quam ferus indigna labe perire sinis;
Aut dea si frustra pro me tibi saeva rogatur,
  Quid mihi te iactas? gratia nulla tua est.
Elige, quid fingas. Non vis placare Dianam:
  Immemor es nostri; — non potes: illa tui est.
Vel nunquam mallem, vel non mihi tempore in illo
  Esset in Aegaeis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta est aequore navis,
  Et fuit ad coeptas hora sinistra vias.
Quo pede processi! quo me pede limine movi!
  Picta citae tetigi quo pede texta ratis!

Nil nimium, Caesar, *studeo* tibi *velle* placere. *Lenn.*

Conf. Ep. XIX, 172. ibique not.

60. *Labe.* Scribendum *tabe,* et ita coniecerat Scipio Gentilis Origin. p. 295. et tale illud Virg. A. VI, 442.:

Hic quos saevus amor crudeli tabe peredit.

Dictum Epist. IX, 144. *Heins.* Conf. supr. v. 13—16. Verum libri omnes: *labe,* quod optimum continet sensum. Supra v. 57. etiam leniore voce dixit *laedere.*

62. *Gratia,* sc. qua valere et potens esse apud Dianam vis videri. Metam. IV, 653.

— At quoniam parvi tibi gratia nostra est.

Et hoc exigit praecedens *te iactas,* ut solent gratia potentes, et etiam sequens *potes. Posse* enim et *valere potentes* dicuntur, qui *gratia* valent, ut Amor. I, 6, 21., et ita saepe noster et alii. *Burm.*

63. *Quid.* Utrum.

67. *Difficili. Difficili aequore* coniungendum pro inauspicato, infesto. *Micyll.* Deducta est sc. e navali vel portu. *Difficili* autem *aequore* est abl. absol. Ac versus sequens hunc versum latius exponit, in quo illud *sinistra* confirmat lectionem edd. Naug. et sqq.: *difficili.* Nam Venn.: *difficilis.*

68. Guelf. 3. et unus Heins.: *ora.*

69. *Quo pede,* i. e. infelici.

70. *Picta citae.* Sic libri veteres pro vulg. *picta meae.* Probe. Tibull. IV, 1, 69.

Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.

Virg. A. V, 33.

— — fertur cita gurgite classis. *Heins.*

Ep. XVI, 109. Vett. edd.: *meae. Picta.* Vid. Epist. XVI, 114. et Fast. IV, 276.

71. *Bis.* Pro vulg. *His* legendum *Bis* doctiores contendunt, ut intelligamus *bis* retro actam navem Cydippes adverso vento, dum Delum contendit. *Micyll.* *Carbasa.* Vid. ad Epist. VII, 171. Edd. Venn. etiam: *His.*

Bis tamen adverso redierunt carbasa vento. . . .
Mentior ah demens! ille secundus erat;
Ille secundus erat, qui me referebat euntem,
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri.
Mota loci fama properabam visere Delon,
Et facere ignava puppe videbar iter.
Quam saepe, ut tardis, feci convicia remis,
Questaque sum vento lintea parca dari!
Et iam transieram Myconon, iam Tenon et Andron,
Inque meis oculis candida Delos erat;
Quam procul ut vidi „Quid me fugis, insula?“ dixi
„Laberis in magno numquid, ut ante, mari?“

72. *Ille secundus erat.* Conf. Epist. V, 50.

76. *Sed stultum est.* Versus suspectus. *Heins.* Non male tamen praecedenti respondet, et amat Ovidius talia acumina. Epist. XVIII, 130.

77. Guelf. 3. et edd. Venn.: *Delum.*

80. *Dari.* Sic Heinsius e Ven. 1486. restituit pro vulg. *dare. Lintea.* Epist. II, 125.

81. *Myconon.* Vulgo: *Myconen.* Scribe: *Myconon* cum pr. ed. Cod. Medic.: *Micon.* Simili errore olim Met. VII, 463.:

Hinc humilem Myconen —

ubi nunc legitur *Myconon. Myconos,* non *Mycone* dicta illa insula. Sic manifeste Stat. Achill. I, 205. Apud Virg. quoque Aen. III, 76.

— Gyaro celsa Myconoque revinxit

optimi codd., (ubi vid. Heyn.). Ab hac insula adagium natum *Πάντα ὑπὸ μίαν Μύκονον.* Vid. Zenob. p. 118. et ibi Schott. Vid. Stephanum, Strabonem et ceteros Geographos. *Heins.* Sunt autem hae insulae ex Cycladibus, de quibus vid. Plin. IV. c. 12. et Hyg. F. 276. Edd. Venn.: *Myconem.* Vid. supra v. 77. Ceterum etiam ex hac itineris descriptione Buttmannus in libro laudato coniecturam fecit, Cydippen fuisse civem Atheniensem; parum, ut mihi quidem videtur, probabiliter.

82. *Candida Delos.* In prima ed. et Medic. et Herculaneo codice erat: *candida Phosphor erat. Candida* alludere ad etymon Deli putabat Micyllus. Burmannus: „quae nautis conspici potest, aut etiam praeclara et nobilis.“ De candido marmore sic dicta est. Eodem modo *Paros nivea* Virg. A. III, 126., ubi vid. Heyn., et Horat. Od. I, 14, 19. *nitentes* et Od. III, 28, 14. *fulgentes Cycladas,* ubi vid. Mitscherl. Conf. Plin. H. N. XXXVI. c. 6.

Institeram terrae, cum iam prope luce peracta
Demere purpureis Sol iuga vellet equis.
Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostrae matre iubente comae:
Ipsa dedit gemmas digitis et crinibus aurum,
Et vestes humeris induit ipsa meis.

83. *Quid me fugis etc.* Sunt verba festinantis.

84. *Laberis.* Delos, quae ab ipso Ovidio et aliis auctoribus etiam Ortygia vocatur, olim insula mobilis fuit in mari Aegaeo. Metam. XV, 336.

— — — — tempusque fuit, quo navit in undis,
Nunc sedet ortygie — — —.

Plin. H. N. IV. c. 12. Post partum Latonae immobilis facta. Vid. Spanhem. ad Callim. H. Del. v. 273. Hyg. F. 53.

Magno proprie, ut solent Aegaeum saepe poetae vocare. Stat. Theb. III, 433. Plura ad Val. Flacc. II, 365. (et hoc loco significanter dictum propter illud *laberis L.*). *Laberis* vero est *temere natas*, ut insula natans proprie dicitur. Ita Metam. XIV, 8. *Tyrrhena per aequora lapsus.* Conf. Epist. XIX, 155. Sic etiam Callim. H. Del. v. 36. de Delo: ἄφετος πελάγεσσιν ἐπέπλεεν. *Burm.*

86. *Demere.* Similes locos habes Metam. VII, 325., Fast. IV, 688.

Demserat emeritis iam iuga Phoebus equis.

De Solis equis omnia pervulgata. Apud Nasonem insignis locus est Metam. II. in fab. Phaëtontis. *Ciof.* Vid. Epist. VI, 86.

89. *Crinibus. Cruribus* pro *crinibus* etiam hic malebat Heinsius Advers. I, 6. (atque ita habent codd. Med., Sarr., Lang. et ed. Ven. 1486.; Ven. 1492.: *curribus*). In eandem sententiam inclinat Burmannus, quia de crinibus comendis iam praecessit. Nescio tamen an minus decore fingatur matrona ad filiae pedes se proiicere, ut ei genualia sive periscelidas induat. Ad Burmanni vero rationem quod attinet, aliud profecto est *crines comere*, aliud *pexis* iam *et comtis aurum dare.* Prius ministerium, ut paullo sordidius, certe minus honestum, ancillis delegatum a Cydippes matre videas v. 88. (Vid. Amor. I, 14, 16. et Art. A. III, 239. et Amor. I, 11, 2. Conf. Epist. XIII, 31. De re vid. Pignor. de Servis p. 390. *L.*) Alterum illud tanquam suae personae conveniens et maternas manus tantum non exspectans sibi ipsi mulier elegans servavit, ut per ipsam potissimum ornatui filiae summus ille quasi cumulus accederet. *Aurum* autem potius στλεγγίδα, *crinale,* aliaque eius generis ornamenta intelligam, quam inspergi solita crinibus ex auro ramenta. Frequens autem huiusmodi ornatus mentio apud poetas. Vid. Virg. A. IV, 138. ibique Heyn., XI, 575., Ov. Metam. V, 52., Senec. Herc. Oet. 360., Med. 574.,

Protinus egressae superis, quibus insula sacra est,
Flava salutatis tura merumque damus.
Dumque parens aras votivo sanguine tingit,
Festaque fumosis ingerit exta focis,
Sedula me nutrix alias quoque ducit in aedes,
Erramusque vago per loca sacra pede;
Et modo porticibus spatior, modo munera regum
Miror et in cunctis stantia signa locis;
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa dea est;

Val. Flacc. II, 103. Lenn. Vulg.: *crinibus. Ipsa dedit gemmas.* Metam. X, 263.

— ornat quoque vestibus artus;
Dat digitis gemmas.

Conf. Epist. IX, 60.

91. *Sacra.* Medic., Guelf. 3. et pro var. lectione Sarr.: *grata.* Quod nullam caussam video cur cum Iahno recipiendum putem. Superi autem illi sunt Apollo et Diana, ut supra dictum est, quanquam et alios ibi deos cultos esse ad Callim. Hymn. in Del., quem modo laudavi, monuit Spanh.

92. *Salutatis,* adoratis. Cic. pro Rosc. Amer. c. 20. *Cum deos salutatum aliqui venerint.* Conf. Pont. II, 8, 15. et Forcellin. in voce. *Tura merumque.* Conf. Epist. XIII, 114.

93. *Votivo s. tingit.* Vid. Epist. XX, 236.

94. *Fumosis—focis.* Vid. Epist. VII, 24. et Amor. II, 13, 23. Heinsius scribendum *Sectaque* putabat, ut Fast. IV, 638.:

Sectaque fumosis exta dedere focis.

Male: ubi diis sacra parantur, omnia *festa* sunt, et apte respondet hoc *festa* illi *votivo* versus praecedentis.

97. *Et modo porticibus.* Romanorum porticus, in quibus ipsi spatiari solebant, significat. Multa eiusmodi reperies apud scriptores, quae, dum de externis nationibus loquuntur, e Romanorum aedificiis et moribus sumta sunt. Sic quoque apud Virg. Aen. II. est huiusmodi porticus mentio, ubi ille Priamum a Pyrrho interfectum finxit. Ciof. *Munera,* sc. ἀναθήματα. De toto hoc loco vid. Barthelem. Voyage du jeune Anacharse T. VI. c. 76. Conf. Epist. XVI, 129.

99. *Structam cornibus aram.* Erat ea ara, ut fama ferebat, ex solis cornibus ferarum caprarum, quas Diana ipsa in Cyntho monte occiderat, sine ullo ligamento artificiosissime ab ipso Apolline exstructa. De quo artificio veteres scriptores passim. Plutarch. de Sollert. anim. T. II. p. 983., Diog. Laërt. VIII. c. 13., Callim. H. in Apoll. v. 60. sqq. et in Del. v. 319. ibique interpp., Ael. V. H. c. 14. et Politian. Miscell. 52., Hesych. in Δέλου κακὸς βωμός.

100. *Et de qua.* Construe:

Et quae praeterea — neque enim meminive libetve,
  Quicquid ibi vidi, dicere — Delos habet.
Forsitan haec spectans a te spectabar, Aconti,
  Visaque simplicitas est mea posse capi.
In templum redeo gradibus sublime Dianae —
  Tutior hoc ecquis debuit esse locus? —
Mittitur ante pedes malum cum carmine tali....
  Hei mihi, iuravi nunc quoque paene tibi.
Sustulit hoc nutrix, mirataque „Perlege“ dixit:
  Insidias legi, magne poeta, tuas.
Nomine coniugii dicto confusa pudore
  Sensi me totis erubuisse genis;

„Et arborem miror (sc. stabat ea adhuc), de qua nixa est, peperit dea Latona gemellos Apollinem et Dianam.“

„Francius volebat:

Quaque olim pariens arbore nixa dea est.

Legendum Burmannus coniiciebat probante Werfero:

Et dea qua pariens arbore nixa fuit.

(Ouwens:

Et dea qua pariens arbore nixa deam est [vel deos]. L.)

Illi nimirum *nixa est* perperam interpretati sunt *innixa est*, qua certe significatione *nixa de arbore* vix Latinum quidem fuerit. Sed est hoc loco parturientis illud verbum, ut apud Plin. H. N. IX, 35. *Conchas impleri roscido conceptu tradunt, gravidas postea niti:* a quo verbo etiam substantivum *nixus* apud nostrum Epist. IV, 126. et dii *Nixi* Met. IX, 294. Ita vero *niti de arbore* non minus proba locutio est, quam *clamare de via, agere de sella.* Latonam palmae trunco acclinem peperisse docet Callim. H. in Del. 210., ubi vid. Spanhem.“ LENN.

De re et de arbore illa vid. etiam Hyg. F. 140., 14., 53., Metam. VI, 335. ibique Gierig., Callim. in Del. v. 208., Theophrast. Hist. plantar. IV. c. 14., Pausan. VIII. Conf. Hom. Odyss. VI, 162.

104. *Simplicitas.* Vid. Epist. II, 63. 64.

105. *Templum.* Vid. Barthelem. l. l.

106. *Ecquis.* Venn.: *aequis.*

109. Quae hic et vss. seqq. nutricis, eaedem sunt partes *θεραπαίνης* apud Aristaenetum dicta epistola. Venn.: *hoc coniunx.*

110. *Magne poeta.* Versus suspectus. HEINS. Illud *magne poeta* cum ironia dictum, sed parum eleganter.

111. Aristaenetus ibidem: *Ἡ δὲ κόρη κομισαμένη (τὸ μῆλον) καὶ τοῖς ὄμμασι περιθέουσα τὴν γραφὴν, ἀνεγίγνωσκεν ἔχουσαν ὧδε. Μὰ τὴν Ἄρτεμιν Ἀκοντίῳ γαμοῦμαι. Ἔτι διερχομένη τὸν ὅρκον, τὸν ἐρωτικὸν λόγον ἀπέῤῥιψεν αἰδουμένη καὶ ἡμίφωνον καταλέλοιπε λέξιν τὴν ἐπ᾽*

Luminaque in gremio veluti defixa tenebam,
  Lumina propositi facta ministra tui.
Improbe, quid gaudes, aut quae tibi gloria parta est;
  Quidve vir elusa virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumta peltata securi,
  Qualis in Iliaco Penthesilea solo;
Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
  Sicut ab Hippolyte, praeda relata tibi est.

ἐσχάτῳ κειμένην· — καὶ τοσοῦτον ἐξεφοινίχθη τὸ πρόσωπον, ὡς δοκεῖν ὅτι τῶν παρειῶν ἔνδον εἶχέ τινα ῥόδων λειμῶνα. De *confusa* dictum est supra.

113. *Veluti.* Lege: *vel humi.* Vid. Epist. VI, 26., Amor. III, 6, 67. *Heins.* Ego nihil muto. *Veluti defixa* est tanquam stupens et attonita. Ita *defigere* Val. Flacc. IV, 226. et V, 456. *Burm.* Conf. Epist. XVI, 33. Vid. etiam Epist. XI, 35.

114. *Ministra.* Conf. Epist. XVIII, 24.

115. *Quae tibi gloria.* Sic Metam. III, 654.:

> — — quae gloria vestra est,
> Si puerum iuvenes, si multi fallitis unum?

Conf. Epist. II, 63., Amor. I, 7, 38.

116. *Elusa.* Schroder Obss. Miscell. Vol. VII. T. III. p. 116. malebat: *e lusa.* Sed vulgata sana est. Vid. Forcellini in v.

117. *Securi.* Sic veteres pro vulg. *secure. Heins. Constiteram* vero eleganter, ut miles paratus ad pugnam proprie dicitur. Vid. ad Petron. c. 19. Val. Flacc. VIII, 133. *Rapta victor consistit in hasta. Burm.* Vid. ad Epist. XVI, 277.

118. *Penthesilea,* regina Amazonum, quae cum Amazonum agmine Troianis auxilio venit et contra Achivos pugnavit. Virg. A. I, 490.

> Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
> Penthesilea furens.

Ubi vid. Serv. et Heyn. Conf. Serv. ad Aen. XI, 661., Quint. Smyrn. I., Dict. Cret. III., Pausan. X. c. 31. *Peltatae* aut peltis armatae passim vocantur. Virg. l. l., Martial. IX, 104., Claudian., Stat., Sabin. Epist. II, 9., al. Vid. Winkelmann's Werke VI. Bd. Taf. 2. *Securi* etiam apud Hor. Od. IV, 4, 20.

120. *Hippolyte.* Sic veteres pro vulgata *Hippolyta. Heins.* Naug.: *Hippolyta.* Vid. ad Epist. XIV, 1. *Hippolyte,* Hippolyti mater, regina Amazonum, quam Hercules, quum ei Eurystheus inter alios labores etiam imperasset, ut balteum Hippolytae ad se referret, illato Amazonibus bello per Theseum vicit et cum balteo in potestatem suam acceptam Theseo praemio dedit virtutis, qui eam in matrimonium assumsit et ex ea Hippolytum genuit. Apollod. II., Serv. ad Virg. A. XI, Plutarch. Thes., Hyg. F. 30., Diod. Sic. IV. Conf. Epist. IV.

Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt,
Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schoeneida cepit:
Tu nunc Hippomenes scilicet alter eris?
At fuerat melius, si te puer iste tenebat,
Quem tu nescio quas dicis habere faces,
More bonis solito spem non corrumpere fraude:
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quae nobis ipse petendus eras?
Cogere cur potius, quam persuadere, volebas,
Si poteram audita conditione capi?
Quid tibi nunc prodest iurandi formula iuris,
Linguaque praesentem testificata deam?

121. *Verba—si verba.* Schema est, quod ἀντίσ̣τασιν vocant, cum idem nomen repetitur diversa significatione. Priore enim loco *verba* proprie sumuntur, altero pro deceptione. *Micyll.* Putidum hoc et minime Ovidianum Burmanno videtur; mihi vero, licet in elegantiis non posuerim, tamen ab huius poetae ratione non abhorrere. Vid. infra v. 143. 144. et supra v. 76. Conf. Epist. XX, 50.

122. *Prudens—dolis.* Heinsius malebat *prudens—doli,* ut Epist. V, 150. *prudens artis.* Sed vulgata proba est, imo melior, quia concinnior: *mihi verba dederunt* praecessit, idque per passivum exponitur *ego capta sum dolis.*

123. *Pomum Schoeneida cepit.* Vid. ad Epist. XVI, 263.

124. Recte Iahn hic loco puncti vulgatorum exemplarium signum interrogandi posuit.

126. *Faces.* De facibus nihil Acontius dixit, at de sagittis v. 231. De facibus Amoris vid. Epist. IV, 15.

127. Sarr., Medic., ed. princ. et edd. Venn.: *More boni.*

128. *Fui.* Vid. Epist. X, 112. ibique not.

129. *Cur, me cum.* Malo cum Medic. (quod exhibent etiam Ven. 1492. et Naug. et al.) *Cur, me cum* loco vulg. *Cur, cum me.* Epist. XV, 41.

At, me cum legeres.

Heins.

Ea, sc. virtutes tuas et genus etc. Vid. Epist. XX, 221. seqq.

131. *Cogere.* Vid. Epist. XVII, 185. ibique not.

132. *Conditione.* Conf. Terent. Andr. I, 1, 52. et vid. ibi interpp.

133. *Quid tibi nunc prodest.* Vid. Epist. XX, 151. *Iurandi iuris* eodem modo divisim dixit Cic. pro Coel. c. 22.: *Socius vestrae religionis iurisque iurandi.*

135. *Quae iurat, mens est.* Al-

Quae iurat, mens est: nil coniuravimus illa;
  Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia iurat,
  Et, nisi iudicii, vincula nulla valent.
Si tibi coniugium volui promittere nostrum;
  Exige polliciti debita iura tori:
Sed si nil dedimus praeter sine pectore vocem;
  Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego iuravi; legi iurantia verba:
  Vir mihi non isto more legendus eras.
Decipe sic alias; succedat epistola pomo;
  Si valet hoc, magnas divitis aufer opes;
Fac, iurent reges sua se tibi regna daturos,
  Sitque tuum, toto quicquid in orbe placet.
Maior es hac ipsa multo — mihi crede — Diana,
  Si tua tam praesens litera numen habet.
Cum tamen haec dixi, cum me tibi firma negavi,
  Cum bene promissi causa peracta mei est;
Confiteor, timeo saevae Latoidos iram,
  Et corpus laedi suspicor inde meum.

ludit ad vulgatum illud Eurip. Hippol. v. 612.

Ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽· ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Ubi vid. interpp. *Micyll.* *Ὅρκον ἀκούσιόν τε καὶ νόθον* vocat Aristaenetus dicto loco.

138. *Iudicii,* animi, voluntatis.

139. Heinsii codices: *valui* loco *volui.*

141. *Sine pectore vocem.* Virg. A. X, 640. *Dat sine mente sonum,* i. e. verba absque iudicio et certa voluntate prolata. *Micyll.*

143. *Legi.* Animadverte illud *verba iurantia legi* et *vir mihi legendus eras.* Vid. not. ad v. 121.

144. *Eras.* Sarr., Guelf. 3. et edd. Venn.: *eris.* Conf. not. ad Epist. I, 108. Quod superest, Sarr., Guelf. 3. et editio Ven. 1474. cum hoc v. desinunt.

145. *Succedat.* Sensus est: „Pomi loco da epistolam. Quid, si hoc valet, aufer ea fraude divitibus opes etc.“ Edd. Venn. (sc. reliquae), Naug. et al.: *alios.*

149. Venn.: *ad ipsa multum.*

150. *Tam praesens — numen.* „Tam validam potestatem, tantam efficaciam.“ De *praesens* hac vi dictum est supra.

152. *Causa peracta.* Ex iure dictum est.

154. *Inde,* ab ira. Vid. not. ad Epist. II, 54.

155. *Socialia sacra.* Conf.

Nam quare, quoties socialia sacra parantur,
  Nupturae toties languida membra cadunt?
Ter mihi iam veniens positas Hymenaeus ad aras
  Fugit, et e thalami limine terga dedit;
Vixque manu pigra toties infusa resurgunt
  Lumina, vix moto corripit igne faces.

Epist. XIV, 25. De *socialia* vid. Epist. XII, 139. et IV, 17. ibique not.

157. *Hymenaeus ad aras.* Libri: *ad aures. Ad aras* cum Schlichtenhorstio legendum. *Heins.* Certe hoc melius, quam cum aliis interpretari *ad aures* dormientis sive aegrotantis, i. e. *positae* Cydippes. Francius: *positis Hymenaeus ab aris,* quod longius discedit a scriptura librorum. *Burm.* Vid. Epist. XIV, 26. et conf. not. ad Epist. I, 110. Coniungendum: *veniens positas ad aras,* h. e., cum iam ad positas aras veniret. Ceterum haec omnia a v. 157—168. intelligenda sunt de Hymenaeo. Conf. Epist. XI, 101. 102. Vid. etiam Metam. X, 3. 4.

160. *Lumina* hic commemorari putem lampadum seu lychnorum, quibus, quoties accendi debebant, toties infundendum oleum. Vid. Prudent. Cathemer. Hymn. V, 13. sqq. et 141. sqq. Ita sane mirum non sit, Hymenaeum, ter iam frustra functum hoc officio, qui se oleum et operam perdere videret in his nuptiis, quartum infundendis luminibus solito pigriorem manum attulisse. Sed vulgatam l. *infusa* haud uno nomine suspectam habuerunt Viri D. ad h. l. Primum enim ad ipsam rem quod attinet, Heinsio loqui noster de facibus videtur. Et negari nequit Hymenaeo magis facem sive *taedam pineam,* quam lampadem tribui solere. Sed sic Amori quoque vulgo fax tribuitur. Ovidius tamen Rem. A. v. 551.:

Est illic Lethaeus Amor, qui pectora sanat,
Inque suas gelidam lampadas addit aquam —

ubi manifestum est veri nominis lampadas significari, in quas pro vino vel oleo instilletur aqua. Verum et in monumento apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. p. 7. plane conspicitur Hymenaeus, manu tenens lampadem, non facem. Denique ne necesse quidem est, ut priori loco memorata lumina ista accipiamus, quae ipsius gerantur Hymenaei manu. Quin diserta mox eorum mentio facta in pentametro tantum non suadere videtur, ut v. 159. potius de aliis cogitemus. Nimirum praeter facem ab Hymenaeo gestatam innumera in celebratione nuptiarum lumina accendebantur facum, lampadum, lychnorum. Ovid. Epist. XIV, 25. Conf. Epist, XII, 138. Plura non addam in re nota. Superest altera memoranda difficultas. „*Infusa,* inquit Heinsius, vix Latinum est.“ Itaque statuebat

Saepe coronatis stillant unguenta capillis,
  Et trahitur multo splendida palla croco:
Cum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem
  Cernit et a cultu multa remota suo;
Proiicit ipse suas, deductas fronte, coronas,
  Spissaque de nitidis tergit amoma comis;

ille cum Broukhusio ad Tibull. I, 2, 3., quibus suffragati etiam videntur Francius et Burmannus ad h. l., *infundi vino* sive *oleo* labentis iam Latinitatis et corrupti sermonis locutionem esse. Quamobrem etiam Advers. II, 15. locum hunc depravatissimum pronuntians, ita corrigi voluit:

> Vixque manu pigra taedis excussa resurgunt
> Lumina — — — —.

Quibus praeferam equidem coniecturam Francii: *toties perfusa,* vel Burmanni illam: *toties incensa;* vix enim est, ut *manu pigra* quicquam *excutias.* Sed nescio an nihil mutandum. Etenim si *olivas, napos aceto infundere* recte dixit Columella R. R. XII, 47, 6. et 54, 3. 4., quidni *lumina oleo infusa* recte hic poeta dixerit? *Infusa* autem semel positum, bis intelligi debet. Lenn. Neque ego de Latinitate huius dictionis dubito, tam ductus iis, quae attulit Lennepius, et analogia, quam quod observasse mihi videor, cum reliquos poetas, tum et inprimis, qui in permultis id genus rebus paullo audacior est, Ovidium omnino saepe liberius uti participiis modi passivi. Ex hoc genere sunt *pudendus, pigendus, placendus, invidendus, carendus, dubitandus, bacchatus, regnatus, erratus,* al. Vid. ad Epist. I, 50. Conf. Metam. VII, 183. *Pigra,* lassa. *Corripit etc.* Sensus est: „Vix ille (Hymenaeus) moto, agitato igne corripit (i. e., incendit ad flammas) faces.“ De *moto igne* vid. Epist. II, 120. ibique not. *Igne corripere* est etiam Fast. II, 524.

> Nunc ipsas igni corripuere casas.

Hymen autem cum face pingebatur, et facem ei addit etiam Catull. 50. et 62. et Ovid. Fast. II, 561.

161. Vid. Epist. VI, 44. ibique not. et XII, 156.

162. *Splendida palla.* Erat palla praeter femineum cultum vestis longior deorum (Amor. I, 8, 59.) dearumque, vatum (Fast. II, 107.), citharoedorum et tragoedorum pone laciniam trahens. (Vid. Christius de Imaginibus Musarum et Broukhus. ad Tibull. IV, 6, 13.) Hinc recte hoc loco et alibi dicitur *trahi. Croco.* Conveniebat enim *croceus color* laetitiae et inprimis nuptiis. Vid. Claudian. Nupt. Honor. 211. et Gierig ad Metam X, 1. Conf. Plin. H. N. XXI, 8. et Burmann. ad Petron. c. 26.

164. *Multa.* Francius malebat *cuncta.* Sed ferri potest vulgata. Nam alia nuptiarum speciem retinere ac prae se ferre poterant, ut apparatus

Et pudet in tristi laetum consurgere turba,
  Quique erat in palla, transit in ora rubor.
At mihi, vae miserae, torrentur febribus artus,
  Et gravius iusto pallia pondus habent;
Nostraque plorantes video super ora parentes,
  Et face pro thalami fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, picta dea laeta pharetra,
  Daque salutiferam iam mihi fratris opem.

mensae atque epularum, splendor et ornatus domus, alia.

165. *Suas, deductas.* Libri cum vulg.: *suas deducta.* Legebam *adducta fronte,* h. e. contracta, quod moestitiae signum est, et a versu sequenti confirmatur. Quanquam et *deducta frons* quomodo *deducta vox,* de qua Macrob. VI. c. 4. Senec. Epist. 58. *Vultum adducit ad tristitiam.* Sueton. Tib. 68. *Adducto vultu. Adducere* et *ducere frontem* idem est, quod aliis *contrahere frontem,* apud Iuvenal. Sat. 9. 1. *obducere frontem* (ubi vid. Rupert.), etiam apud Horat. Epod. 13. *Ducere frontem* est Pont. IV, 8, 14. *Subducere vultum* dixit Propertius, idem *subducere supercilia* saepius. Atque ita vulgata fortasse non sollicitanda, et *deducta frons* accipienda pro *demissa.* Sic frontem *adstringere* et contra *solvere.* HEINS. Ego mallem cum Francio *sua deductas* vel *detractas*; et ita melius cum sequenti versu cohaererent. Amor. I, 6, 67.

> At tu non laetis detracta corona capillis.

Et ita *deducere vestem,* sc. pro *deripere,* Metam. XIII, 264., Fast. II, 698., Amor. I, 6, 67. BURM.

Lectionem *sua deductas* Iahn recepit et ante illum Lennepius, qui tamen pro vetere scriptura attulit Quintil. I. O. XI. c. 3. *Ira contractis* (superciliis), *tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur.* Atque eandem probat etiam Werfer l. l. p. 547. allato Metam. VIII, 178. *sumtam de fronte coronam.* Sed cur non etiam *suas* cum omnibus vett. libris scribamus? *Proiicit ipse suas, deductas fronte, coronas,* quod etiam vim addit sententiae.

166. *Amoma.* Amomum unguenti genus, quod fiebat ex amomi fruticis uvis. Vid. Plin. XII. c. 13. De *nitidis* dictum est supra.

170. *Pallia,* stragula. Vid. Forcellin. Eodem modo Iuvenal. 6, 234.:

> ———— tunc corpore sano
> Advocat Archigenen onerosaque pallia iactat.

Conf. Amor. I, 2, 2.

172. *Et face pro etc.* Similiter Aristaenet. l. c. καὶ πρὸς ἐκφορὰν ἀντὶ νυμφαγωγίας οἱ τεκόντες ἑώρων, ubi vid. Abresch. LENN. Vid. Epist. II, 120.

173. *Picta. Picta* pharetra apud Nasonem persaepe legitur, ut Metam. II, 421., ubi vid. not. Gierig.

Turpe tibi est, illum causas depellere leti,
Te contra titulum mortis habere meae.
Numquid, in umbroso cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Praeteriine tuas de tot coelestibus aras,
Atque tua est nostra spreta parente parens?
Nil ego peccavi, nisi quod periuria legi,
Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Tura feras; prosint, quae nocuere, manus.

174. *Fratris opem.* Vid. Epist. V, 145. 146. et not. ibid. ad v. 139. Conf. Metam. I, 54.

176. *Titulum mortis.* Epist. XV, 190.

177. *Numquid etc.* Actaeonem innuit, de quo dictum est ad Epist. XX, 103. Trist. II, 105.

Inscius Actaeon vidit sine veste Dianam.

178. *Labra.* Fast. IV, 761.

— — nec nos videamus labra Dianae.

Ubi haec bene adnotavit Gierig: „*Labra* vasa maiora variis rebus recipiendis, ut musto expresso, inservientia. Virg. G. II, 6. Sed erant et *labra* balnearia, in quibus lotio fiebat. Itaque Cic. ad Div. XIV, 20. curari vult, ut *labrum* sit in balneo. Nunc fontes intelliguntur, in quibus Diana venatu fessa virgineos artus liquido perfundere rore solebat, qualem noster III. Metam. 161. describit.“ *Labra Dianae* etiam Ibide 479.

179. *Praeteriine.* Sc. ut Oeneus, rex Aetoliae, quem Diana propter neglectum sui cultum apro illo Calydonio punivit. Vid. Metam. VIII, 260. seqq., Hom. Il. IX, 529. seqq., Diod. Sic. IV., Apollod. I. et III., Hyg. F. 171—174. Vid. not. ad Epist. XX, 101. et III, 92. Edd. Venn. 1486. et 1489.: *Praeteriive.*

180. *Atque.* Sic priores (Venn. sc.). Vulg.: *Aque.* Vid. ad Epist. VI, 156. Burm. Fabulam vid. ad Epist. XX, 106.

181. *Periuria.* Acumen Ovidianum.

182. *Docta fui.* Docta prae nutrice, quae carmen illud legere non potuerat ideoque dominae legendum tradiderat. Vid. v. 109. et plenius eadem explicantem Aristaenetum. Lenn. Heinsius coniiciebat *ducta* vel *capta*; sed quid ad sententiam probius et magis e more Nasonis est, quam *periuria legi et in parum fausto carmine doctrinam meam probavi, docta fui?*

183. *Mentiris amorem.* Conf. Amor. II, 19, 11.

185. Venn.: *Cur quoque succenses.*

186. *Non tua sit.* Omnino cum Iahno restituenda est vulgata *sit*, flagitantibus et veteribus libris et ratione gram-

Cur, quae succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua sit, fieri ne tua possit, agit?
Omnia de viva tibi sunt speranda: quid aufert
Saeva mihi vitam, spem tibi diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Aegra superposita membra fovere manu.
Assidet ille quidem, quantum permittitur ipsi;
Sed meminit nostrum virginis esse torum.
Iam quoque nescio quid de me sensisse videtur:
Nam lacrimae causa saepe latente cadunt,
Et minus audacter blanditur, et oscula rara
Accipit, et timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis:
In dextrum versor, cum venit ille, latus,
Nec loquor, et tecto simulatur lumine somnus,
Captantem tactus reiicioque manum.
Ingemit et tacito suspirat pectore, meque
Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes et te iuvat ista voluptas;
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!

maticae, pro Heinsiano *fit*. Edd. Venn.: *Non tua? sed.*

189. 190. Vid. Ep. XX, 134. sqq.

191. *Quantum. Quantum* dictum est, ut in Terent. Andr. II, 5, 12. *Herus, quantum audio, uxore excidit.* Neque opus est coniectura Burmanni:

Adsidet ille quidem (tantum
permittitur ipsi).

193. *Iam quoque.* Vulg.: *Et quoque.* Ed. Ven. 1489.: *Et quoque iam nescio quid.* Lege: *Iam quoque nescio quid.* HEINS. *De me,* pro quo Heinsius coniiciebat *de te,* probum esse satis apparet e v. 195. et 197. et seqq.

194. *Cadunt.* Vid. Epist. VI, 63.

197. *Prodar.* Epist. XVI, 8. et XI, 72.

198. *In dextrum.* Egnatius legendum putat *In laevum,* quod exstat in ed. Micyll. et Bersm., quum decumbentes, dum aversentur eos, qui invisant, in laevum inclinent necesse sit.!!! Sed occurrit Micyllus pendere illud a positu lectorum.

200. *Reiicioque.* Lege: *reiicioque* pro l. librorum *eiicioque.* Fast. I, 435.

Territa consurgens Nymphe manibusque Priapum
Reiicit.

Conf. Amor. I, 4, 34. et Art. Am. I, 695. HEINS. Conf. etiam Amor. I, 7, 62.

202. *Offensam.* Vid. ad v. 48.

Si mihi lingua foret, tu nostra iustius ira,
  Qui mihi tendebas retia, dignus eras.

203. *Hei mihi.* Tam hoc loco quam proxime sequenti versu pro *Si mihi,* quae est lectio librorum, Gronovius recte reponit: *Hei mihi.* HEINS. Pro *voluptas* Heinsio placebat *simultas.* Equidem leniori mutatione malim *voluntas.* Cic. Tusc. Disp. V. c. 37. *Aliena et offensior voluntas.* Nep. Dio. c. 7. *Offensa in eum militum voluntate.* Conf. v. 201. LENN. Probum mihi *voluptas* videtur, quod, si modo illud *iuvat* non impersonaliter accipias pro *delectaris,* sed proprie et modo faciendi, satis commodum praebet sensum. Scilicet postquam exposuit, quam averso saepe in aemulum eius animo fuerit, ad narrata respiciens exclamat: *Hei mihi, quod gaudes et hoc gaudium* (ista voluptas) *te iuvat, te confirmat et excitat ad consilium ac studium tuum in potestatem mei perveniendi tenaciter persequendum.*

204. *Sensus.* Vid. Epist. XVIII, 24.

205. *Si mihi lingua foret.* Vulgo: *Si mihi lingua foret,* inepte prorsus, cum nec elinguatam, nec elinguem Cydippen, sed potius lingua, certe ad iurandum, nimis promptam fuisse ipsa haec historia evincat. *Ni mea lingua foret,* i. e., nisi me temere iurando obligassem, et lenis et ingeniosa est correctio Hieron. Boschii, quam profecto in textum recepissem, nisi diligenter inspicienti mihi superiora, versus potissimum 125—132., item proxime antecedentem v. 204., tum et in sequentibus versus 240. et 247., minus aliena ab Acontio Cydippe visa esset, quam ut hic tam inhumaniter solum iusiurandum suum in caussa esse dicat, cur non eum potius oderit, quam rivalem eius. His perpensis in aliam ipse coniecturam incidi, cuius nunc rationes proferam. *Sensus suos* in v. 204. Cydippe non obscure dixit animi voluntatem, in Acontium propensam, in alterum illum offensam. Conf. v. 202. Eam vero mentem suam ipsa reprehensione dignam arbitratur. Id declarat geminato illo: *Hei mihi* v. 203. et 204. Id, ni fallor, etiam declarare vult ipso hoc versus 205. principio. Itaque nisi manum auctoris, certe sententiam eius adsecuti nobis videmur corrigendo: *Si mens aequa foret,* i. e., si tibi non praeter ius et aequum faveret mens mea. Gronovii coniectura: *Si me digna forem, n. t. i. i. Q. m. t. r. dignus eras,* verbis argutior, sensum a nostra vix diversum habet. Sed est me quidem iudice: *Si me digna forem,* paullo magnificentius dictum, quam pro Cydippes persona. Oudendorpium Ruhnkeniumque consentientes video in retinenda vulgata, quam sic explicant: „Si mihi lingua ad conviciandum foret", citantque, Oudendorpius quidem Suetonium in Aug. 51. et Ciceronem Epp. ad Div. IX, 2., Ruhnkenius vero Livium XXIII,

Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus:
Es procul a nobis; et tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.

3. Sed nec de conviciis quicquam praecessit, nec Epistolam ad Acontium scribenti lingua usui venire ad conviciandum poterat (?). Corruptum locum arbitratus etiam Eldikius, emendandum censuit: *Si mi lingua nocet,* i. e., si iusiurandum in caussa est, cur ego morbo divinitus immisso plectar. *Lenn.* Sensum requirere: *Si tibi non praeter aequum faverem* vel *si non nimis timida essem,* aut simile quid, in manifesto est; sed hoc e Lennepiana illa lectione vix elicias, quae praeterea longissime recedit a ductibus scripturae vulgatae. Quare Lennepio assentiri minime possum. Ego cum Ruhnkenio et Oudendorpio vulgatam retinendam censeo, et cum iisdem viris *linguam* hoc loco accipiendam sensu, quem vocant, praegnanti pro lingua satis audaci, lingua ad conviciandum idonea, ut *os* Amor. II, 1, 12., item Epist. XVII, 102., ubi vid. not. Ed. Ven. 1489.: *At mihi lingua foret.* Cuperus coniecit: *Si mihi digna foret;* Heusinger: *Si tibi iniqua forem;* alius: *At mihi si qua foret.* „Ira nostra, conviciis nostris magis dignus eras, quam ut tales tibi sensus meos, sc. meae erga te et aemulum tuum voluntatis, aperirem.“ In coniunctione verborum: *si foret — eras* cum Handio in censura laudata minime haerendum. Virg. Georg. II, 132.

Et, si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat.

Amor. I, 6, 34.

Solus eram, si non saevus adesset Amor.

Epist. VIII, 28.

Et, si non esses vir mihi, frater eras.

Conf. Epist. VI, 141 — 146.

206. *Retia.* Epist. XX, 45.

207. Conf. Epist. XX, 75. et 133. seqq.

209. *Mirabar, quare tibi etc.* Ego haec duo disticha inepta et Ovidiana elegantia et iudicio plane indigna et sine ullo acumine esse iudico. Sanctiores et integriores poetas religiose ab inficetis illis allusionibus ad nomina propria abstinuisse docet Barth. ad Claud. Cons. Hon. III. init., et Adv. XLVII, 2., et multa in hanc rem collegit Menagius in Antibailleto suo T. I. c. 48. Exempla quorundam Graecorum et Latinorum etiam Columna adduxit ad Ennii Andromach. p. 240.; sed aut ridiculi aut opprobrii caussa fere usurpata videbis: in gravi enim et seriori poemate nullus his ineptiis locus esse debet. In Anthol. Gr. quaedam huius notae, apud Martialem quoque et similis ordinis poetastros obviae hae nugae. *Burm.* Sanctiores, quos Burmannus vocat, poetas non omnino nec in ipso quidem seriori carmine a talibus abstinuisse docet exem-

Certe ego convalui nondum de vulnere tali,
  Ut iaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? Sane miserabile corpus,
  Ingenii videas bina tropaea tui.
Concidimus macie; color est sine sanguine, qualem
  In pomo refero mente fuisse tuo;
Candida nec mixto sublucent ora rubore:
  Forma novi talis marmoris esse solet;
Argenti color est inter convivia talis,
  Quod tactum gelidae frigore pallet aquae.

plum sanctissimi fere omnium Sophoclis, qui ne in gravissimo quidem illud loco invenustum putavit. Ai. v. 430. ed. Brunk.

Αἰαῖ, τίς ἄν ποτ᾽ ᾤεθ᾽ ὧδ᾽ ἐπώνυμον
Τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς;
Νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ
Καὶ τρίς. —

Conf. Aeschyl. Sept. ad Theb. v. 536. et 658.; nec ipse quidem Homerus illud fastidit. Vid. Odyss. XIX, 407. Atque, licet istos lusus ingenii non valde probaverim, meus tamen sensus a sensu Burmanni adeo dissentit, ut vere Ovidiani haec acuminis esse existimem. Denique, quod recte monet Schrader Emendatt. X. p. 195., requiritur hoc distichon a sequenti. De veterum in nominibus ludendi consuetudine vid. Reuvens Collectan. Literar. sive Coniectur. in Attium etc. (Lugd. Batav. 1815.) c. 6.

212. *Eminus icta.* Conf. Epist. XVI, 40.

213. *Sane etc.* Libri: *Sane miserabile.* Heinsius dedit: *Sane ut miserabile,* et coniecturam proposuit: *Anne ut.* Francius legebat: *Ut me et miserabile.* Ita certe *bina* habeat, quo referatur. Sed quaenam, malum! est ista distinctio inter Cydippen et corpus Cydippes. Immo potius intactum relinquatur illud *Sane;* at pro *bina* iam legatur *digna.* Hirt. de B. Alex. c. 32. *Dignum fructum virtutis tulit.* Lenn. *Bina* non sollicitandum recte contendit Hand. *Bina* enim tropaea sunt animi, quem fefellit et carminis illius dolo obstrictum sibi fecit, et corporis, quod languet et aegrotat. *Bina tropaea* etiam legitur Epist. IV, 66. et Epist. XVII, 242. Construe: *Sane miserabile corpus* (reperias et sic) *ingenii tui bina tropaea videas. Sane* hoc loco fere idem valet, quod *scilicet,* et est cum acerbitate affirmantis aut concedentis.

215. *Concidimus macie.* Conf. Epist. XI, 27.

216. *In pomo.* „Qualem colorem memini illius pomi tui fuisse." Non igitur pomum rubris genis, sed subalbidum cogitandum est.

Si me nunc videas, visam prius esse negabis,
„Arte nec est“ dices „ista petenda mea;“
Promissique fidem, ne sim tibi vincta, remittes,
Et cupies illud non meminisse deam.
Forsitan et facies, iurem ut contraria rursus,
Quaeque legam, mittes altera verba mihi.
Sed tamen adspiceres vellem, prout ipse rogabas,
Et discas sponsae languida membra tuae.
Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti;
Tu veniam nostris vocibus ipse petas.
Ne tamen ignores, ope qua revalescere possim:
Quaeritur a Delphis fata canente deo.

220. *Pallet.* Vid. Plin. H. N. XXXVII. c. 10.

223. *Vincta.* Vulg.: *victa.* Lege cum Micyllo et Bersm.: *vincta,* ut Epist. XX, 212.

Esse tuam vinctam numine teste fidem.

Cod. Medic. et margo Bersm.: *iuncta.* Bene. Epist. XX, 215.

Nube, precor, dicet, cui te bona numina iungunt.
HEINS.

Utrumque recte dicitur. Quare *vincta* dedimus, quia illud etiam vulgata, *victa* sc., confirmat.

224. *Meminisse deam.* Vid. Epist. XX, 12.

225. *Facies.* Fortasse *facias* et mox *mittas.* HEINS. Vid. not. ad Epist. IV, 53.

227. *Prout.* Quod Burmannus scribit ad h. l., nullam esse rationem, quae suadeat, aut primam syllabam in *prout* corripi, aut duas in unam coire, nescio an non satis considerate scriptum sit. Nam ut controversum Horatii locum Sat. II, 6, 67., in quo veterem l. *prout cuique lubido est* primus sollicitavit Bentleius, ut illum igitur locum prorsus hic omittam, sane pro synaeresi pugnant exempla vocum *proin* et *proinde;* ipsum vero *prout* hic contractum legitur etiam apud Auson. in Mosella v. 372.:

Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget —

qui locus Bentleium fugit. Sed plura etiam suadent, ut *prout* h. l. dissyllabum habeamus tam priore quam posteriore brevi. *Pro,* sequente consonanti litera, corripitur in compositis *procella, profugus, profanus, propago,* aliisque multis. Quidni rectius etiam corripiatur in *prout* sequente vocali? Brevis, omnium consensu, prima in *proavus,* in *prohibet,* in *prooemium.* Brevis etiam prior in dissyllabo *proin* apud Catull. XX, 16. LENN. De constructione *vellem discas* vid. ad Epist. XVI, 278.

229. *Durius et ferro cum sit.* Nisi fallor, a poeta scriptum fuerat:

Durius ut ferro iam sit.
HEINS.

Proba vulgata: *Et quamvis pe-*

Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur testis habere fidem.

ctus tuum durius ferro sit; tamen tu etc. Margo Bersm.: *si sim.* Edd. Venn.: *ut ferro cum sim.*

231. *Ne tamen ignores.* Nexus est: Quaeritur a deo, canente fata Delphis, qua ope possim revalescere. Vidit iam Ciofanus, a quo discessisse recentiores miror. *Ne tamen ignores* h. l. in principio orationis absolute ponitur, ut apud Cic. ad Attic. XV, 11. positum est in medio sermone *ne sis nescius.* Hic vero orationem illud inchoat, quia non ad unam modo proximam sententiam, sed ad omnem quoque sequentem narrationem pertinet. Quod enim scire Acontium volebat ei iam haud dubie favens Cydippe (vid. infra vss. 240. 247.), inprimis hoc erat, etiam Apollinis responsum pro ipso facere. In v. 232. *Quaesitum a Delphis f. c. d.* mavult Medenbach Wakker Amoenitat. Litt. c. 13. p. 117. Lenn.

233. 234. *Is quoque etc.* Exstat et in hunc locum Wakkeri coniectura l. c.: *Is quoque, nescio quam nunc it vaga fama, sororis Neglectam q. t. h. f.* Sed nobis omnino acquiescendum videbatur in vulgata l., quam eximie cum adstruxit, tum explicuit Burmannus. Testem iurisiurandi sui Cydippe etiam Apollinem habuerat, cui templum supra memoratum v. 105. commune fuisse cum Diana docent collati vss. 91. et seqq. Itaque deus ille, de Cydippes salute postea consultus Delphis, iure querebatur, aliquam puellam sacramenti, quod se teste praestitisset, neglectam ac despicatam fidem habere. Conf., quod ad postremam locutionem attinet, Catull. 59. extr. Ceterum id Apollinis responsum ad notitiam Cydippes vagus rumor et auctore dubio susurri pertulerant. Lenn. Male Van Lennep cum Burmanno illud *testis* refert ad Apollinem. *Testis* refertur ad Dianam (Epist. XX, 221. 222.); sed est generaliter enuntiatum, ut illud *nescio quam,* hac simplicissima ac planissima sententia: *Is* (deus Delphicus) *quoque queritur, nescio quam* (aliquam) *neglectam habere, neglexisse fidem, testis* (alicuius, qui vel quae est Diana), ut *fama, rumor, susurri ad me pertulerunt.* Atque ea loci interpretatio prorsus est ex ratione oraculorum, quae sic generaliter atque infinite de rebus finitis ac singularibus canere solebant. Pro *neglectam habere fidem,* loco neglexisse, Burmannus attulit Terent. Eun. II, 3, 92. *despicatam habere adolescentiam* (ubi vid. Ruhnk. Dictat.), Cic. *domitas habere libidines,* laudans etiam Buchner. de Commut. ratione dicendi c. 21. §. 1. p. 320. *Negligere fidem* dixit vetus poeta apud Cic. offic. III. c. 26. Med. et marg. Bersm.: *Is quoque.* Vulg.: *Et quoque.* Deinde vett. edd.: *nescio quantum.* Ven. 1486.: *magna fama.* Sunt praeterea coniecturae Heusingeri: *abire fidem,*

Hoc deus et vates, hoc et mea carmina dicunt:
Ac desunt voto carmina nulla tuo.
Unde tibi favor hic?... nisi quod nova forte reperta est,
Quae capiat magnos litera lecta deos.
Teque tenente deos, numen sequor ipsa deorum,
Doque libens victas in tua vota manus;
Fassaque sum matri deceptae foedera linguae,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.

Bentlei.: *vocis habere fidem*, Ouwens.: *teste sorore fidem.*

235. Burmannus coniecit: *Et deus hoc vates.* Idem malebat *mihi carmina.* Sine caussa. Bentl.: *Hoc deus, hoc vates, hoc edita carmina.*

236. *Ac desunt.* In hexametro nihil mutandum existimavimus; in pentametro pro *At*, quod Burmannus in *Ah* mutatum volebat, unice veram l. *An* reduximus. Sensus est: *Hoc deus isque vates, hoc Apollinis carmina, hoc et mea mihi carmina obiiciunt, illa scilicet, quibus meam tibi fidem obstrinxi. An igitur nulla plane carmina voto tuo desunt?* Lenn. Ego vero, ut Lennepii coniecturam probare non possum, ut quae vix commodum praebeat sensum, et, quod recte in cens. l. monet Hand, vim insequentis interrogationis omnem tollat, ita neque librorum lectionem probarim *At*, quae quidem particula adversans quid hoc loco sibi velit, non intelligo. Sensus est: *Hoc deus et vates et carmina dicunt*; *et* (sic) *voto tuo plane nulla carmina* (neque tua neque Apollinis) *desunt.* Igitur in tanta literarum *t* et *c* in veteribus mss. similitudine scribendum putavi *Ac;* quod ante me coniecit Hand et recepit Iahn. De usu particulae *ac* pro *et sic* vid. Goerenz ad Cic. Fin. I. c. 7. §. 24. et Bremi ad Sueton. Calig. c. 38. Conf. tamen I. H. Voss. ad Virg. Georg. II, 50.

237. Ven. 1486.: *nisi forte nova.* Ven. 1492.: *nova ni fortasse.*

238. *Capiat*, eludat, fallat, ut v. 104., 115., 122. Male Micyllus: *moveat, delectet.* Burm.

239. *Deos.* Ita legendum, non ut exhibent Venn.: *deo.* Estque conclusio Epistolae. Quando igitur, inquit, tu deos ita tenes, h. e., propitios habes et faventes, et quasi manu tenes; ego quoque numen deorum tuorum sequor. Perinde ut ille apud Virg. A. V, 709.:

> Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur.

Pro *numen* vetus liber: *pacis.* Puto *partes.* Aliae editiones: *nomen.* Heins.

240. *Doque—manus.* Vid. Ep. IV, 14. et not. ad IV, 16.

242. *Lumina fixa tenens.* Libri: *tenet.* Scribe:

> Lumina fixa tenens plena pudoris humi.
> Heins.

Tenens probum est; mutatio

Cetera cura tua est: plus hoc quoque virgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.
Iam satis invalidos calamo lassavimus artus;
Et manus officium longius aegra negat.
Quid, nisi quod cupio me iam coniungere tecum,
Restat, ut adscribat litera nostra? — Vale.

vero *humi* non est necessaria. Eodem modo Horat. Sat. II, 2, 79. dixit *affigere humo.* Metam. XIII, 541.

— et adversa figit modo lumina terra.

Conf. Trist. IV, 2, 29. et Epist. VI, 26.

243. *Plus,* ultra quam virginem decet.

244. *Charta loqui.* Conf. Ep. XVIII, 20.

245. *Calamo.* Calamus proprius intelligendus, quo veteres utebantur (Plin. H. N. XVI, 36.), non penna, qua nos utimur, anserina. Conf. Epist. XI, 3. De sententia conf. Ep. XX, 241.

247. *Nisi quod cupio.* Heinsius coniecit: *cum cupiam.* Ven. 1486.:

Quid nisi cupio mihi iam contingere tecum.

248. *Vale.* Vid. Epist. XX, 242.

A. SABINI

EPISTOLAE.

PROOEMIUM.

Epistolae A. Sabini cum Nasonis Epistolis Heroidum tam arcte cohaerent, ut ab iis prope omne momentum suum habeant, et sine iis intelligi vix queant, quippe quae ad totidem Ovidii Epistolas respondent. Quare ab auctore editionis Venetae a. 1486., quae est earum princeps, prudenter primum institutum est, ut eae Ovidii Epistolis, a quibus quasi concitatae sunt, quarumque quodammodo partem efficiunt, adiungerentur. Id quod hoc commodius etiam factum est, quod haec carmina etiam nonnihil conferunt ad Ovidiana illa illustranda eorumque scripturam confirmandam. Atque ea de caussa et nos, cum illud Ovidianarum Epistolarum edendarum munus susceperimus, has Sabinianas addendas eodemque quo illas modo tractandas putavimus. Sunt autem tres, quarum prima respondet ad Ovidii primam, Penelopae ad Ulixem, altera ad alteram Ovidii, Phyllidis ad Demophoontem, tertia ad Ovidii quintam, Oenones ad Parin.

De Sabino autem ipso admodum pauca memoriae prodita exstant, nec fortasse plura unquam exstiterunt, tam quia primaria, ut videtur, ac maiora eius carmina imperfecta manserunt, quam propter mediocritatem huius Romani ad artem poeticam facultatis. Itaque pro omni de hoc poeta testimonio vetustatis habendi sunt duo loci apud Ovidium (Amor. II, 18. et Epist. ex Pont. IV, 16.) et unus in editione Veneta a. 1486, quos nuper etiam Io. Christ. Iahn in libello Academico, qui inscribitur: *De P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis Disputatio, Pars I.*, commentatus est atque una cum prima Epistola et reliquis,

quae ad horum carminum rationem pertinent, docte illustravit.

Ac locus quidem Ovidii Amorum hic est:

Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus,
  Scriptaque diversis retulit ille locis.
Candida Penelope signum cognovit Ulixis;
  Legit ab Hippolyto scripta noverca suo;
Iam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae;
  Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet;
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit;
  Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

In Epistolis ex Ponto Ovidius sic habet:

Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen,
  Errantem saevo per duo lustra mari;
Quique suam Troezena imperfectumque dierum
  Deseruit celeri morte Sabinus opus.

In editione Veneta a. 1486. haec leguntur: *A. Sabinus, eques Romanus celeberrimus vatesque, Nasonis temporibus floruit. Qui has omnes responsorias et alias edidit, quae non reperiuntur.*

Fuit igitur Sabinus Ovidii aequalis et parili fere cum eo aetate, id quod eo manifestum est, quod Ovidius Epistolas suas, ad quas Sabinus statim, postquam editae erant (Amor. II, 18. *Quam cito etc.*), rescripsit, vix virilem aetatem ingressus composuit (vid. Prooem. Ovid. Heroid. c. IV.), idemque iuvenem *celeri morte* (Pont. l. l.) e vita eum excessisse testatur. Iuxta locum illum editionis Venetae e genere fuit equestri et praenomen habuit *A.* Verum licet ista editio, quod quidem ex tota ratione scripturae, qualem harum Epistolarum exhibet, iudicari potest, in ceteris fideliter e codice quodam manu exarato descripta sit; tamen utrum hoc sit testimonium ab antiquitate traditum, an a librario vel editore confictum, affirmari non potest. Neque illud certum est, utrum, si vere praenomen, quod a litera *A* inciperet, habuit (nam Ovidius eum simpliciter Sabinum appellat),

utrum *A* intelligenda sit *Aulus*, ut Heinsius et alii censuerunt, an *Albius*, qualis fuit ante hunc, de quo quaerimus, temporibus Ciceronis (Cic. ad Attic. XIII. Epist. 4.), vel aliud nomen ab *A* incipiens. Ovidio amicitia atque familiaritate coniunctum fuisse apparet ex illo *meus* Amorum I. 1. et quod Ovidius binis locis ita honorifice tamque multis verbis eius mentionem fecit. Quod autem in libello illo supra laudato et nuper in editione sua Ovidii confirmavit Iahn, Ovidium loco illo Epist. ex Ponto testari, Sabinum et reliquos, qui ibi referuntur, poetas in vita sua ab obtrectatoribus laceratos esse, valde errat Vir Doctissimus, in quo loco Naso nihil aliud dicit, quam cum Sabinus et reliqui, quos longa serie enumerat, floruissent, suum nomen, dum in patria fuisset, a tanto aequalium poetarum lumine non obscuratum fuisse, *Musamque suam*, ut poetae verbis utar (v. 45.), *inter tantos fuisse, quae legeretur.*

Scripsit teste Ovidio loco Epist. ex Ponto I. praeter Epistolas duo alia carmina, de quibus tamen tam propter obscuram eorum operum significationem, quam propter ambiguam versus tertii scripturam certi statui nihil potest. In voce enim *Troezena* admodum variant mss., quae exhibent: *Troezen*, *Trisenen*, *Troien*, *Troicen*, *Troizem*, *Tromen*, *Trocrem*, *Trisam*, *Crozimen*, *Tumesen*, *Timeson*, *Troadem*, *Trezenem*, alia. Micyllus ad hunc locum notavit: „De hoc loco nihil certi habeo, quod sentiam, nisi quod multis nominibus suspectus mihi est. Nam sive legas *Trisenen*, quod in quibusdam reperiri Merula auctor est, ipsa vox insolens est et neque cum Graecis neque cum Latinis nominibus satis convenit, cum tamen probabile sit, eam, quam poeta, de quo hic dicitur, amavit, Latinum aut Graecum aliquod nomen habuisse; sive vero cum vulgata *Troezen*, ut de poematis aut urbis nomine intelligatur, etiam hoc exemplo caret. Nam si de opere in-

telligendum sit, *Troezenis* dicendum fuerat, recto casu, perinde ut *Amazonis*, *Phaeacis*, *Theseis* et similia; sin autem de loco, accusativus *Troezena* futurus erat a *Troezen*, non *Troezen* a *Troeze:* qui nominativus nusquam legitur de eo loco, quem Theseus aliquando tenuit. Deinde autem ut demus, Sabinum poetam Fastorum opus et Troezenida aliquam, hoc est, de rebus circa Troezenem gestis, imperfecta reliquisse, praeventum morte scilicet, quod tamen alibi nescio an nusquam manifesto tradatur: quid caussae dicemus, cur poeta, cum de ceteris, singulis tantum versibus, meminerit, de quibusdam vero etiam singulis commatibus, neque in cuiusdam alterius commemoratione distichon egressus sit, de hoc totum tetrastichon consumpserit? Equidem ut liquido fatear, non solum superiora illa, de quibus modo diximus, sed et ipsum proprium in posteriore pentametro positum propemodum tanquam supposititium ac nothum suspectum habeo. Sunt tamen rursum, qui repudiato utroque nomine pro *Trisene* legunt *Troezena* accusativo casu a *Troezen*, hoc titulo sive nomine opus quoddam a Sabino coeptum fuisse sentientes.“ Haec Micyllus. Cui recte occurrit Iahn: „Poterat Ovidius in Sabino, cui maxime familiaris fuit, diutius morari (quemadmodum moratus est in Cotta v. 41. *L.*). Neque Sabini nomen deesse potest, praesertim cum poeta in reliquorum poetarum aequalium nominibus recensendis tam diligens fuerit. Sin autem hoc distichon Ovidii non est, unde ortum sit, non apparet. Nullus alius scriptor enim de his Sabini operibus, quae nunquam edita sunt, quidquam tradidit, nec seriores habuerunt, cur et unde hos versus fingerent. Locus igitur haud dubie corruptus, sed non spurius est.“ Müller l. l. p. 63. lectionem *Troiam* praetulit et Sabinum carmen de bello Troiano inchoasse suspicatus. Sed est, ut vere monuit idem Iahn, haec lectio facilior, quam quae

tot corruptelis locum dare potuerit. Iahn in libello supra nominato adductus, ut videtur, illo *suam* poetam censuit Sabini amicam indicasse, ac fere in sententiam cessit eorum, qui inscriptionem, a puellae nomine sumtam, esse censuerunt Elegorum, quibus amores suos poeta cecinerit. Verum, ut illud omittam, de Sabini amoribus talibus, quales fuerunt Tibulli, Propertii, Ovidii, Galli, Varronis, Antimachi, Hermesianactis, aliorum, nihil quidquam constare, huiusmodi opus, quod e singulis elegis, inter se minime cohaerentibus compositum erat, non satis apparet, quomodo dici *imperfectum* potuisset. Ego malim eorum auctoritatem sequi, qui nomen urbis esse intellexerunt, sive tragoediam eo poeta significavit, ut Bimanus et Crispinus censuerunt, sive aliud maioris cuiusdam spiritus et operis carmen quodcunque, quo etiam variantes lectiones pleraeque ducere videntur. Carmina autem veterum nominibus locorum inscripta plura commemorantur, ex quo genere sunt *Roma* Propertii, si ea inscriptio vera est, *Salamis* Solonis (vid. Plut. in Vita Sol.), alia. Et vero praebebat *Troezen* carminum materiem atque argumenta, in quam urbem Hippolytus Athenis secessit, ubi, ut quidam auctores tradunt (Pausan. in Attic.), scelestum eius amorem concepit Phaedra, ubi Pitthei nomen tantam erat gloriam adeptum, aliaque permulta memoria et carmine dignissima (vid. Pausan. Corinth.) acciderant. *Dierum opus* illud vel *Fastos,* quales Ovidius ipse composuit, vel *Georgicon,* quale Hesiodi ἡμέραι, interpretantur. Iahno posterius intelligendum videtur; ego nescio an non malim intelligi *Fastos,* quum praesertim, cuius haec verba, *dierum opus,* sunt, Ovidius suos ipse Fastos *dies* appellarit Fast. I, 101., ubi Ianus Ovidium ita alloquitur:

Disce metu posito, vates operose *dierum,*
Quod petis, et voces percipe mente meas.

Certiora habemus de Epistolis, de quibus verissima testimonia sunt dictis locis Ovidii. Qui licet nonnisi sex commemorarit, tamen ad omnes XV primas Heroidum Epistolas Sabinum respondisse, nulla potest esse dubitatio. Id quod tum ex ratione illius Ovidiani loci apparet, in quo et suas ipsius Epistolas Heroidum magis genere significare, quam accurate singulas referre eum voluisse vidimus, tum et magis etiam ex ipso ordine et modo commemorandi I., IV., VII., II., VI., et XV. quam et de suis postremam Naso laudavit. Denique non parum firmitatis ista sententia ab eo habet, quod in his tribus exstat Epistola Paridis ad Oenonen, cuius Ovidius illo loco non meminerit; atque eodem ducit Ovidianum illud:

Quam cito de *toto* rediit — *orbe.*

Scripsit autem eas statim postquam Ovidianae editae erant, id quod, ut supra iam diximus, ex iis manifestum est, quae de tempore, quo Ovidii Epistolae scriptae sunt, attulimus, et ipse Ovidius eodem illo versu, videlicet verbis *Quam cito,* liquido significavit. Primum igitur composuisse Epistolas videtur, et postea duo illa alia carmina, quibus occupatum immatura mors praevenit. Quo vero anno e vivis excesserit, non liquet. Certum est illud ante Ovidii relegationem (a. u. c. 762.) factum esse; alioquin, ut recte monet Iahn, „ille amicissimi viri mortem procul dubio in Tristium aut Ponticarum Epistolarum libris deflevisset", et, quod maius argumentum est, alioquin haud commode immatura eum morte e vita excessisse Ovidius dicere potuisset.

Verum an illae Epistolae, cuius sub nomine exstant cuiusque vulgo feruntur, Sabini vere sint, diu est multumque dubitatum. De qua quidem quaestione cum Iahn in Dissertatione supra memorata copiose disseruerit, ipsa huius Viri Doctissimi verba, mea, si quid erit, quod addam, uncis inclusa inserens, ap-

ponam: „Iam a saeculo XVI. p. C. n. ineunte spuriae et Sabino indignae habitae sunt. Agmini praeivit Aldus Manutius, qui in ed. 1502. post Ovidii Epistolas (Tom. IV. p. 128. Opp. Ovid. Burmann.) haec monuit: „„Sabinus poeta Ovidii temporibus scripsit Epistolas, quibus Ulysses Penelopae, Hippolytus Phaedrae, Aeneas Didoni, Demophoon Phyllidi, Iason Hypsipylae, Phaon Sapphoni respondent. Sed non exstant. Nam tres hae, quae habentur, mihi non modo non videntur Sabini, sed ne excellentis quidem cuiusquam poetae.““ — — — Secutus est Dan. Heinsius, qui ad Ovid. Heroid. init. notavit: „„Sabino quae adscribuntur (Epistolae), ita languent, ut ne hac aetate quidem scriptas ferre possem. In quibus et obscuritas et manifestus in scribendo defectus, sive ut Graeci significantius loquuntur, ἐν τῇ ἑρμενείᾳ ἀσθένεια elucet.““ Accessit G. Io. Vossius de Poett. Lat. c. 2. p. 33.: „„Scio sub nomine Sabini legi ternas — — —. Sed indignae prorsus Sabino, vel aliquo illius temporis poeta: quin neque nostro si aevo scriptae forent, multum laudis mererentur.““ Idem statuerunt Dacier. et Sanadon. ad Hor. Epist. I, 5, 27. Denique Burmannus ad Sabin. Epist. I, 10.: „„Plura in his Epistolis duriora et vere scabra occurrunt, quae fere efficiunt, ut de Sabino auctore dubitem.““ Illorum auctoritate decepti sunt alii plurimi, qui has Epistolas indicta caussa damnarunt. Vid. *Ruperti, Grundriss der Geschichte — der Römer* p. 805., Becher ad Ovid. Epist. X. p. 16. etc. Nostris tamen temporibus rem retractavit Amarus, qui ad Sab. Epist. III. scripsit: „„Lectorem, credo, satis superque instruximus, ut perpensis diligenter utrimque caussis pronuntiet nunc, iudex legitimus, utrum hae tres Epistolae, quae CCC et amplius abhinc annis sub A. Sabini nomine circumferuntur, genuinum sint, an adulterinum huius poetae opus. Si quis adhuc dubitandi locus perlectis Ulixis et Demo-

phoontis responsionibus, (ubi, licet rerum sint inopes, nec ullo fere sententiarum lumine illustrentur, enitent tamen nonnulla, quae Ovidio tribuas non iniuriose) solvitur hac tertia Epistola omnino difficultatis nodus. Quid enim in ea deprehendas, quod Ovidium vel a longinquo referat; sive res ipsas, sive qua efferuntur, verborum vim spectes et elegantiam? Scribentem haec non fallit, viros esse litteratos, quorum grave mihi et appetendum iudicium, qui non sic existiment, et nonnullo in pretio *Sabinianas*, quas ego *Heinsianas* melius dixerim, Epistolas habeant; nec ita parvi ducant faciendas, quae Heinsium vicissim et Burmannum, nuperrime Lennepium exercuerint. Sed hoc ipso, meo quidem sensu, comprobatur, quam foedae, quam pravae e prelo primum exierint, quum vix tantorum medicorum ope collata resanuerint. *Vix* dico, et iure quidem: quot enim, tot iam feliciter emendatis, supersunt emendanda, ut ad Ovidium, iusto semper intervallo, aliquando accedant!"" — Iam vero duo potissimum argumenta fuerunt, quibus has Epistolas damnarent, alterum, quod omnis tractandi ratio ieiuna et manca, alterum, quod verborum nexus et orationis color plurimis in locis parum elegans et Latinus sit. Potuissent addere tertium, quod ab incipiente saeculo XVI. nemo codicem harum Epistolarum manuscriptum vidit, atque unde haec carmina in editionem Ven. 1486. primum venerint, ignoramus. Quatuor enim libri, quos Bersmannus ad Epist. III, 92. commemoravit, editiones sunt, et liber ms., quem Swarthius et Casp. Barthius habuisse dictitarunt, fictus est et horum virorum coniecturas continet. Id non solum docent lectiones, quas inde protulerunt, mirae illae et maxime a vulgato textu distantes, sed confirmat etiam N. Heinsius ad Epist. I.: „„Nullos libros videre mihi contigit manu exaratos, in quibus hae exstarent Epistolae. (Conf. Heinsii Epist. ad Gronov.

273. in Sylloge Burm. Tom. III. p. 335.) In primis etiam cdd. desiderantur. Nec satis constat, cui gloriam inventi huius debeamus. Suspicor tamen idem exemplar, quod Cydippes, ac Sapphus Epistolam integram nobis servavit, et Paridis auctiorem, usibus etiam his publicis consuluisse. Eustathius quidem Swarthius in Analectis I. c. 2. exemplar calamo descriptum Epistolarum Sabini ad partes interdum vocat, quod Casparis Barthii fuerit, eiusdemque ipse Barthius in Adversariis subinde mentionem facit. Sed cum et hunc et illum, dum in vivis essent, per amicos rogarim, ut usum istius libri mihi praestarent, et alter me ad alterum ablegarit, facile intellexi, vanam a me spem foveri. Nec tanti sane sunt, quae ex illo, si diis placet, vetusto codice ab iis promuntur, ut salivam nobis de ipso libro evolvendo excitare debeant.““ — Contra has Virorum Doctorum dubitationes facile proferri possent aliorum, ut Scaligeri, N. Heinsii, Cuperi, sententiae, quibus, sibi has Epistolas genuinas esse videri, professi sunt. Sed hoc modo res non ad liquidum perducitur, et potius, quid contra illa argumenta dici possit, videndum est. Sabinum Epistolas responsorias scripsisse certum est, et ex tribus, quae sub eius nomine supersunt, duae priores etiam titulo cum iis, quarum Ovidius commeminit, consentiunt. Atque quamquam codicibus mss. harum Epistolarum auctor probari nequit, in editione principe tamen sub Sabini nomine leguntur. Neque ab illo editore haec carmina ficta esse videntur. Partim enim fingendi nulla caussa fuit, inprimis cum illo tempore iam invaluerat sententia, e sex postremis Ovidii Epistolis nonnullas a Sabino compositas esse; partim ipsae Epistolae meliores et elegantiores sunt, quam quae saeculo XV. p. C. n. a quoquam scribi potuerint. Neque impostor ille, si quisquam fuisset, alias Epistolas, quam quae ab Ovidio memoratae erant,

finxisset, atque haud dubie Epistolam tertiam non composuisset. Quare auctor editionis principis procul dubio haec carmina e codice ms. sumsit, in quo Sabini nomen prae se ferebant. Neque has Epistolas medio, quod dicunt, aevo fictas esse, sermonis elegantia, qualiscunque est, satis comprobat. (Maxime autem, ut mihi videtur, illud comprobat singularis illa subtilitas in fabulis atque doctrina rerum antiquarum, quae in nullis illius aevi carminibus reperitur. *L.*) Prioribus autem temporibus Sabini Epistolae haud dubie superfuerunt, ut ne novae et spuriae illis supponi possent.————Sicuti autem, has Epistolas a quopiam fictas esse, per se non probabile est, ita etiam reliqua argumenta hanc suspicionem non confirmant. Quod enim horum carminum tractationem et materiam ieiunam et mancam esse dicunt, id vim tantum haberet, siquidem alia Sabini carmina superessent elegantiora et sententiarum luminibus illustriora, quam quae cum his congruerent. Nunc autem in iis rerum inopiam et sermonis tenuitatem tantam sibi sumant, quantam volunt; inde tamen nihil nisi Sabinum ieiunum poetam fuisse sequitur. Recte enim Iul. Caes. Scaliger in Poetic. L. VI.: „„Tres Epistolae, Ulyssis, Demophoontis, Paridis, sane parvi sunt momenti; quas propterea qui negant Sabini esse, si Sabinus quantus fuerit nesciunt, quonam pacto negare audeant? Non meminere illo quoque saeculo exstitisse Marsos, Suffenos, Volusios, Bavios, Maevios, Anseres. Cassii quoque Parmensis scripta minus accurata fuisse prodiderunt.““ Toto coelo autem aberravit Amarus, qui Ovidii carminibus Sabini ingenium metiri voluit. Atque tenuitatem et mediocritatem eius id ipsum, quod imitatoris partes egit, comprobare videtur.———— Omnino autem in Sabini Epistolis non tantus orationis defectus et rerum inopia est, quantum illi voluerunt. Quamquam

enim cum Gisb. Cupero in Epist. ad Heins. 406. T. II. p. 686. stili elegantiam laudare nolo, nimiam mediocritatem tamen agnoscere non possum. In qua re assentientes habeo N. Heinsium, Fr. Heusingerum aliosque. Conf. Ephr. Müller l. c. p. 63. — — Praeterea Viri Docti non satis ad id attenderunt, quod res ipsa, quam poeta tractavit, ieiunitatem quandam attulit. Argumentum enim postulavit, ut Ovidii vestigia sedulo premeret, atque in finibus ab illo praescriptis se contineret. Sterilem igitur materiem habuit, quae omnem liberius se movendi et poeticam facultatem ostendendi occasionem et opportunitatem praeclusit. Nihilominus ille non anxie Ovidium secutus, qui est mos hominum ingenio carentium, quasi verbum verbo expressit, sed ingenium poeticum eo ostendit, quod illius universam sententiam quidem respexit, singula tamen suo more sic tractavit, ut denique nihil, in quo cardo rei vertitur, omiserit. Maxime id, quantum equidem intelligo, in Epistola III. declaravit, quam Amarus, cum magis quam duae priores ab Ovidii sententiarum ordine discedat, omnium pessimam esse putavit. Etenim Ovid. Oenonen eo tempore scribentem induxerat, quo Paris cum Helena e Graecia redux factus et Troiae regis filius agnitus magno honore fruebatur. Nympha autem in Epistola sua id maxime urget, quod nihil commiserit, quapropter a Paride deseri potuisset, et quod in omnibus Helenae praestet, cum prior eum ignobilem amaverit, popularis et magis fidelis sit et nullum periculum afferat. Preces etiam addit, atque se etiam laesam Paridem amare testatur. His autem a Paride, qui ad Oenonen redire noluit, responderi profecto difficile erat. Vide autem, quam acute et prudenter Sabinus se expediverit. Paris Oenones Epistolam paucis respicit et omnibus concessis se reum confitetur. Sed duo maxime urget, alterum, quod amor ratione careat, alterum, quod

suus Helenae amor fatis adiutus sit. Propterea tam multis verbis Amoris potentiam describit, ut nimius etiam in hanc rem exspatiatus sit. Inde etiam comprobat, suum Helenae ardorem tantum esse, ut ne Oenone quidem magicis viribus ei mederi possit. Felici autem et Ovidio digna ratione initio Epistolae se peccasse fatetur, callide v. 27. Oenonen ad opem ferendam inducit et ingeniose v. 79. in amore non mutabili describendo ad ipsam provocat. Mihi quidem in hac Epistola nihil vituperandum esse videtur, nisi quod scriptor in Amoris potentia indicanda nimis verbosus fuit, quod tamen ipsa, quam ingressus est, tractandi via satis excusationis (?) habet. Si autem harum Epistolarum pessima tam idonea ratione (?) composita est, videant adversarii, qua ratione reliquas Sabino indignas esse statuant. Gravius autem argumentum est, quod ab oratione, quae in his Epistolis saepe scabra et parum Latina sit, repetierunt; quamquam ne hoc quidem carminum authentiam impugnat. Etenim non in omnibus sermonem horum carminum ab Augusteo aevo abhorrere dicunt, sed in nonnullis tantum haerent. Ipsi etiam plura enitere fatentur, *quae Ovidio non iniuriose tribuas.* Accedit, quod in multis locis sine iusta caussa haeserunt, quorum plura iam Burmannus, Fr. Heusingerus et Lennepius vindicarunt, alia ego in editione carminum vindicare studui. Qui autem restant loci dubii, plerique ita depravati sunt, ut sensu omnino careant, atque etiam infimae Latinitatis auctore indigni sint. Quae quidem exempla nihil impediunt, quo minus Epistolas a Sabino compositas esse putemus. Recte enim Fr. Heusingerus in Emendatt. Guelferb. p. 11. monuit, gravissimas labes, quibus haec carmina deturpata sint, non ab illorum auctore, sed ab imperitia ac negligentia librariorum adspersas calumniisque inconsiderate iudicantium expositas esse. Recte etiam in his

Augustei aevi splendorem agnovit, quem Nic. Heinsius plurimis in locis ita restituerit, ut Epistolae poeta Nasonis aemulo dignae rursus viderentur. Conf. Heins. ad Epist. III, 91. Argutatus est autem Amarus, qui propter locos Heinsii coniecturis sanatos Epistolas Heinsianas quam Sabinianas dicere maluit. In tanta enim subsidiorum criticorum penuria foedae illae depravationes aliter ac coniecturis vix removeri poterant. Neque his universus horum carminum color pessum datur, sed pauca tantum leviter mutantur. Plurimae enim emendationes, quae in has Epistolas a Viris Doctis scriptae sunt, superfluae et magnam ad partem inde ortae sunt, quod illi in carmine passim corrupto ingenium ostendere voluerunt, neque editiones principes, quae unicae verum emendandi fontem ostendunt, satis respexerunt. Id quod nemini mirum videbitur, qui harum Epistolarum historiam paullo accuratius cognoverit. Prodierunt enim ex veteri codice ms., qui nunc nisi deperditus certe ignotus est. Alium autem codicem ms. ab illo tempore nemo vidit. Princeps editio est Veneta operum Ovidianorum tertia, cuius prior tomus *impressus est Venetiis per Bernardinum de Novaria.* M.CCCC.LXXXVI. *die* XIII. *Januarii*, posterior eodem loco et anno die XXVII. novembris. In qua Sabini Epistolae verbotenus et nulla emendatione facta ex codice repetitae esse videntur, nisi quod fortasse vitia typothetarum nonnulla accesserunt. Ex hac editione deducta est Veneta quarta, quae a. 1489. *opera Lucantonii Florentini, impensa a Matheo Capcasa Parmense accuratissime impressa* prodiit. Hunc librum non vidi, et negligentissime eo usus est N. Heinsius. Neque textum Sabini emendatiorem exhibet, sed ex Veneta tertia repetitum vitiis typographicis ita foedavit, ut inde nihil auxilii exspectandum esse dicant. Vid. Notit. literar. de P. Ovid. Nasone in ed. Bipont. p. LI. E

Veneta tertia *) expressa est etiam quinta, quae *Venetiis per Lazarum de Sabiliano. Anno* MCCCCXCII. *Calendis Aprilibus* forma maxima edita est. Non distat ab illa, nisi quod vitia aliquot emendata, sed plura etiam admissa sunt. In nonnullis locis tamen Sabini Epistolae emendatoris manum expertae et coniecturis mutatae sunt. Inter edd., quae deinceps secutae sunt, primum a vulgari textu discedit Aldina, quae *Venetiis in aedibus Aldi* 1502. in 8. impressa est. Nam non solum vitia typographica pleraque remota, sed etiam plurimi loci felicissimis coniecturis emendati sunt. Accuratior etiam est Aldina II. (*Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri* 1515. 8.), in qua Naugerius plura emendavit et in paucis ad editionum Venn. textum rediit. Secundum Naugerii recensionem etiam facta est Aldina III. (*Venetiis* 1533. 8.), quae, praeter quod Epist. II, 81. *piae* pro *pie* scriptum est, non nisi interpungendi signis a secunda differt. Naugerium secuti sunt omnes editores usque ad N. Heinsium, nisi quod Micyllus pauca novavit et Bersmannus coniecturas nonnullas in margine posuit. Heinsii aetate Swarthius et Douza temeritate et mera coniectandi libidine in Sabinum grassati sunt, qui, praeter quod audacissimis correctionibus coniecturarum numerum auxerunt, nullum in poetam meritum habent. Melius rem egit N. Heinsius, qui plura egregie emendavit. Sed aberravit in eo, quod multa, quae sana erant, mutavit, alia autem levibus emendationibus sananda audacter correxit. Graviter autem vituperandus est, quod editiones Venn.

*) Imo repetita videtur ex ed. Ven. 1489., cuius in bibliotheca acad. Heidelb. servatae collationem accuratiorem propterea desidero, quod mihi suspicio est, eam non tam ex ed. Ven. 1486., quam e codice ms. expressam esse. Id enim probabile reddunt variae lectiones et emendationes ed. Ven. 1492. haud raro ita comparatae, ut non editori et typothetae deberi videantur.

duas, quas ad manus habuit, negligentissime consuluit, et Naugerianam editionem nimis presse secutus est. Hinc accidit, ut aliquot in locis non tam vitiosam editionis principis lectionem corrigeret, quam Aldi et Naugerii coniecturas coniecturis sollicitaret. — Burmannus paucas Heinsii correctiones refutavit, sed plures de suo addidit. Ceterum tanta morositate et iniquitate haec carmina tractavit, ut in plurimis de sermone satis Latino et sensu commodo dubitaret, et prae ceteris sententiam de oratione horrida et scabra Sabinoque indigna foveret et commendaret. Quare Fr. Heusingero id potissimum agendum fuit, ut versus tentatos a Burmanni dubitationibus vindicaret et singula verba dictionesque satis Latinas esse exemplis comprobaret. Emendationibus suis si non ubique rem acu tetigit, non multum tamen a vero aberravit. Patris vestigia, uti par erat, pressit Conr. Heusingerus in editione sua; quamquam eum in nonnullis illi minus obedientem fuisse malim. In sex septemve locis suas etiam emendationes exhibuit. Denique Lennepius sobria et prudenti ratione his Epistolis auxilium tulit, priorum interpretum mutandi et corrigendi temeritatem plerumque feliciter vitavit, atque in iis tantum locis verum non vidit, in quibus id ex editione princ., quam non habuit, solum repeti potest. Reliqui interpretes et editores his Sabini carminibus aut parum aut nihil profuerunt.*) — Verum ut

*) Etenim Burmanni textum repetierunt Fischerus (Lips. 1758. et 1773.), editores Bipont. (1783. et Argent. 1802.), Wernsdorf. (Helmstad. 1788. et 1802.), et Schoenberg. (Viennae 1807.). Idem fecit Mitscherlich. (qui Ovidii Epistolis tam fructuosam opem tulit) in editione prima (Gottingae 1796.), ex qua fluxerunt edd. Tauchnitianae (Lips. 1812., 1815. et 1820.) et Baumgarten-Crusii (Lips. 1824.). In secunda autem nonnullas Lennepii emendationes recepit. Hunc textum verbotenus exhibet ed. Tauchn. 1825., cui Ant. Richterus, quia typothetarum plagulas correxit, nomen suum inscripsit. Amarus (in ed. Lemairii

redeam, qua digressus sum: in Epistolis praeter aliquot apertas librariorum corruptelas nihil reperitur, quod ab Augusteo aevo abhorreat, aut Sabinum carminum auctorem esse redarguat. Neque orationis tenuitas et obscuritas et sententiarum languor et defectus, si qui est, huic auctori adversatur. Quare nihil obstare videtur, quo minus Ovidii testimonio et editionis principis auctoritati obedientes has Epistolas Sabino suo reddamus, adversariorumque sententias iustis argumentis non probatas sine haesitatione reiiciamus." — Haec fere sunt, quae Iahn ad probandum has Epistolas, cuius feruntur, Sabini esse, diligenter docteque disseruit. Si autem de harum Epistolarum dignitate atque virtutibus summatim atque universe iudicandum est, vereor, ne, uti e Iahni disputatione iam ex parte quidem apparet, parum iis laudis tribuere possimus. Nam etsi oratio earum, si nonnullas aliquanto periculosiores constructiones verborum et unum et alterum locum prorsus corruptum atque desperatum excipias, fere nihil habet, quod vituperari merito possit et ab usu atque dicendi consuetudine optimae aetatis abhorreat, nec non vivo illo colore poetico satis commendatur; tamen reliquas boni carminis virtutes si spectes, admodum tenues eas atque steriles esse reperies. Sagacitatem inveniendi, sententiarum lumina rerumque copiam atque ubertatem, veritatem affectuum et ingenii acumen, quae in Ovidii Epistolis elucent, plerumque desiderabis. Accedit, quod quidem in Epistola I. et III. insigne est, fri-

Paris. 1820.) aliquoties quidem ab Heinsio et Lennepio recessit, et editionum antiquarum lectiones revocavit; sed id fere in iis tantum locis fecit, in quibus antiqua lectio aut nullum aut ineptum sensum habet. Consilium igitur et rationem in textu mutando non adhibuit. Temere etiam aliquot locos correxit Bentleius, cuius emendationes in Diario Anglorum classico 1819. N. XXXVIII. editae sunt, sed tanti viri ingenium non produnt.

gidum quoddam studium atque affectatio doctrinam ostentandi. Nam cum Ovidius in Epistolam Penelopes multa belli Troiani momenta eleganter et cum ingenii iudicio intexuisset; hic noster hac parte ita usus est, ut in summum fastidium legentium omnia illius belli facta et multa quoque alia cumulare videatur. Atque eadem ex parte laborat Epistola III., quam fere totam consumsit, ut Amoris summam potestatem esse exemplis ostenderet. Quae quidem vitia, licet, ut vere monuit Iahn, aliquam ex eo excusationem habeant, quod ratio argumenti liberius sese movendi facultatem fere praecluserat; tamen, quid in hoc genere praestari possit, vel Ovidii Epistola XIX. satis declarat. Ac praeterea boni poetae est, argumenta carminum sibi eligere ingenio suo accommodata, et in quibus vim suam atque facultatem possit ostendere.

A. SABINI

EPISTOLAE.

INDEX EPISTOLARUM.

A. SABINI

EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

ULIXES PENELOPAE. *)

Pertulit ad miserum tandem tua casus Ulixen,
  Penelope, chartis verba notata piis.
Agnovi caramque manum gemmasque fideles:
  Solamen longis illa fuere malis.

*) Respondet poeta Ulixis nomine Ovidii Epistolae primae, unde in edd. Venn. 1486. et 1492. inscriptio est: *Rescriptio Ulyxis ad Penelcpen.* Vulgarem inscriptionem retinui. Non multum autem interest, quid praeferas; neutra enim inscriptio a poeta profecta est. *Iahn.*

1. *Ulixen.* Edd. ante N. Heinsium omnes h. l. et v. 129.: *Ulyxem,* qui accusativus Latinae formae, si veteres edd. audiamus, praeferendus est. Eodem enim modo in edd. Venn. *Parim, Phylacidem, Alcidem, Anchisem, Idem, Spartem* et alia leguntur. Sed in talibus editores morem sui aevi secuti sunt, neque libri impressi manuscriptique magnam auctoritatem habent. In his igitur vulgarem morem sequi malui; praesertim cum Sabinus Graecas formas amasse videatur (occurrunt enim *Tritonidos, Pallados, Ismaron, Pylon, Medonta,* alia), et infra v. 74. metri caussa *Atriden* scribendum sit. Similem ob caussam *Ulixen* per *i* servavi. *Iahn.* Vid. ad Ovid. Epist. I, 1.

3. *Caramque manum gemmasque fideles. Coramque,* ut est in edd. Venn., fere nullo sensu est, certe admodum friget. Vera certe est correctio Aldi, quam etiam ab antiqua manu in meo exemplari ed. Ven. 1486. reperi, *caramque,* quae et optimo sensu est et sequentibus *gemmasque fideles* apte respondet. *Gemmae* intelligendae sunt annulis inclusae, quae h. l. positae sunt pro annulo signatorio vel sigillaricio, ut alii appellant. Vid. I. D. Fuss Antiquit. Rom. §. 311. et 295. et conf. not. ad Ov. Epist. XVIII, 18. Ceterum hunc locum respicere videtur Ovidius Amor. II, 18, 29.

5. *Mallem quoque forsitan esse.*

Arguis ut lentum: mallem quoque forsitan esse,
Quam tibi quaeque tuli dicere quaeque feram.
Non hoc obiecit mihi Graecia, cum mea fictus
Detinuit patrio litore vela furor;
Sed thalamis nec velle tuis nec posse carere;
Causaque fingendae tu mihi mentis eras.

Fortasse: *mallem quod.* HEINS. Proba est l.: *mallem quoque,* quod Iahn recte gradationi inservire dicit. Sensus est: „*Arguis* ut lentum; mallem quoque (etiam) *esse,* quam etc." De positione illa particulae *quoque* ante vocem *esse,* ad quam pertinet, conf. not. ad Ov. Epist. IV, 4.

6. *Tuli—feram.* Aut *fero* corrigendum videtur, aut totus versus sic constituendus:

Quam tibi, quae tulerim dicere, quaeque feram.
HEINS.

In compositione verborum *dicere, quae tuli* non haerendum esse, ea, quae dicta sunt ad Ovid. Epist. X, 86. et Epist. XV, 4., satis ostendunt. *Feram,* quod alii male interpretati sunt, est coniunctivus et significat, *quae* (iam) *me exerceant, in quibus* (iam) *verser.* Indicativus et coniunctivus ita coniuncti leguntur apud Virg. Aen. III, 367. et Propert. II, 13, 30. aliisque locis, quos attulimus ad Ov. Epist. X, 86.

7. *Hoc,* recte Aldus reposuit. Venn.: *hic.*

8. Recte Lennep. in fine huius versus minore interpunctionis signo distinxit. Vulgo punctum ponitur. Intellige: „Non *hoc* obiecit, sed *non velle carere.* Fabulam autem, Ulixen, ut expeditioni se adversus Troiam subtraheret, insaniam simulasse, tradunt Hyg. F. 95., Serv. ad Virg. Aen. II, 81., alii, quos laudant Heusinger et Gernhard ad Cic. de Offic. III. c. 26., qui totam rem tragicorum inventum esse contendunt. Vid. Ov. Epist. I, 44. et Gierig ad Ovid. Metam. XIII, 36. Conf. not. ad Ovid. Epist. I, 63.

10. *Fingendae mentis.* In *fingendae mentis* frustra vitium suspicatus est Burmannus. *Fingit mentem,* qui mentem aliam simulat atque est, mentem dissimulat. Ita *vultum fingere* Caesar dixit de B. G. I. c. 39., ubi conf. Davis.: nec aliter *ficto ore* pro composito ad simulationem Ovid. Epist. XVII, 15.
LENN.

Eodem modo *frontem confingere* dixit Quint. I. O. XII. c. 3. §. 12. Fr. Heusinger, quem Eichhofius sequutus est, *mentem,* mediae significationis vocem, pro *furore* dictum esse, e Virg. Georg. III, 267. et Ovid. Metam. X, 320. collegit. Sed priore loco, ut recte ei occurrit ad h. l. Iahn, pro *indole ac natura,* posteriore pro *cogitatione et consilio* dictum est; neque furoris notio unquam huic voci inesse potest.

11. *Curas,* i. e., tibi curae est, cupis ut nil rescribam. Similis verbi notio est in for-

Nil tibi rescribam curas, properemque venire:
  Dum propero, adversi vela tulere Noti.
Non me Troia tenet, Graiis odiosa puellis,
  Iam cinis et tantum flebile Troia solum;
Deiphobusque iacet, iacet Asius, et iacet Hector,
  Et quicumque tui causa timoris erat;
Evasi et Thracum caeso duce proelia Rheso,
  In mea captivis castra revectus equis;

mulis: *curo redire, te coniungere curas, curabo sentiat.* Nic. Heinsius correxit: *curae est* (quod glossam vulgatae lectionis dixerim) idque explicuit: *mihi curae est.* Receperunt hanc coniecturam editores cum Burmanno omnes. Sed primum hoc miro modo dictum esset, *curo nihil rescribere* pro simplici *nihil rescribo* vel *nihil rescribam*; deinde Ulixes aperte respexit Penelopes mandatum Ovid. Epist. I, 2.

> Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.

Tibull. I, 1, 57.

> Non ego laudari curo, mea Delia, etc.

12. *Tulere,* abripuere. Vid. ad Ov. Epist. I, 116. et XII, 200. *Noti.* Vid. ad Ov. Epist. III, 58.

13. *Graiis.* Edd. Venn. et Aldinae: *Grais,* ex vulgari (ut videtur), quae tunc fuit, scribendi ratione. Conf. Ovid. Epist. I, 3. IAHN.

15. *Asius.* Ed. Dan. Heinsii 1647.: *iacet Asinus,* ridiculo errore. IAHN. Sed fuit, cum *typothetae,* quam nostris temporibus, doctiores essent taliaque nonnunquam auderent; quo tempore etiam in praefatione quadam, qua scriptor librum suum principi dedicabat, verba *magnum decus civitatis* conversa littera *d* maligne in *magnum pecus civitatis* mutarunt. Et notum est famosissimum illud, quo iidem ab Erasmo Rotterdamo, quod xenia ipsis non persolvisset, poenas exegerunt: cum in *Vidua* eius, quam Ungariae reginae dedicaverat, in sententia: *Atque mente illa usa ea* (sc. sanctissima femina) *semper fuit, quae talem feminam decet,* duas illas voces *mente illa* scelestissime in unam corrumperent, quam e similitudine litterarum quisque facile coniicere potest, sed pudor afferre vetat. *Asius* autem fuit Hyrtaci filius, Iliad. II, 837. sqq. et alibi commemoratus. Interfectus est ab Idomeneo. Iliad. XIII, 184. et sqq.

16. *Timoris erat.* Aldus scripsit *erant,* quod Nauger., Vinc., Micyll. et Bersm. tuentur. Sed Nic. Heinsius restituit *erat.* Respexit Sabinus Ovid. Ep. I, 13. sqq. et noster locus confirmat ibidem v. 16. lectionem: *Antilochus nostri causa timoris erat,* quam alii propter vv. praecedentia *timui* et *timoris* frustra tentarunt. Vid. ad Ov. Epist. I, 40.

Tutus et e media Phrygiae Tritonidos arce
Fatalis palmae pignora capta tuli;
Nec timui commissus equo, male sedula quamvis
Clamabat vates „Urite, Troës, equum!
„Urite: mendaci celantur robore Achivi,
„Et Phrygas in miseros ultima bella ferunt!“
Perdiderat tumuli supremum munus Achilles;
Sed Thetidi est humeris redditus ille meis.

17. *Evasi,* inquit, Thracum gentis pugnacissimae arma, cum necopini et sopiti cum Rheso duce a me opprimuntur. *Heins.* Conf. Ov. Epist. I, 39. sqq. ibique not. Ed. Ven. 1486.: *ceso,* ex vetere scribendi ratione. Vid. ad Ov. Epist. III, 29. *Equos* Rhesi autem eximie commemorat poeta, quia ut fatales summi ad Troiam expugnandam fuerant ponderis atque momenti. Vid. ad Ov. Epist. I. Conf. Iliad. X, 489. sqq. De *captivis* conf. Ovid. Epist. I, 52.

19. *Tritonidos.* Burmannus edidit: *Tritonidis,* quod edd. sequentes occupavit. Vid. ad vers. 1.

20. *Pignora palmae,* i. e. Palladium, parvum simulacrum Palladis, quod e coelo lapsum in arce Troiae servabatur. Fatale autem erat, si Troia illud ablatum esset, urbem a Minervae tutela relinqui. Hoc Ulixes et Diomedes clanculum in urbem ingressi abstulerunt. Vid. Serv. ad Virg. Aen. I, 14., II, 13., IV, 402. et Ovid. Metam. XIII, 99., Quint. Calab. X, 346. et conf. Meziriac. l. l. T. I. p. 60. Vid. etiam not. ad Ov. Epist. I, 28. Ceterum cumulat hoc loco notiones poeta: „Ego tutus cepi et tuli ex arce Palladis Troianae pignora palmae fatalis, pignora, quae palmam nobis promitterent Troianis fatalem.“

21. *Male sedula,* i. e., cuius molesta et inimica nobis, equo inclusis, sedulitas erat, ut apud Ovid. Metam. X, 438. *male sedula nutrix* dicitur, cuius fuit noxia et scelerata sedulitas. *Lenn.*

22. *Vates.* Cassandra, de qua vid. ad Epist. XVI, 119. *Mendaci,* quod nihil aliud se esse, nisi ligneum equum, simulat. Res notissima est e Virg. Aen. II, 35. sqq. et Hom. Odyss. XI, 522. sqq. et IV, 272. sqq.

24. *Ultima bella.* Mallem *ultima tela. Heins.* Mihi *ultima bella* recte dici videntur, quae finem bellandi factura sint, nec displicet enuntiatio *bella ferunt.* Ovid. Epist. VIII, 26. *Fr. Heusing.*

25. *Perdiderat.* Achillis corpus ab Ulixe e pugna relatum et hostibus ereptum esse tradit etiam Ovid. Metam. XIII, 284. Aliter rem narrant Antisthenes et Quintus Smyrnaeus. Vid. Gierig. ad Metam. l. l. *Iahn.* Conf. Sophocl. Philoctet. v.

Nec laudem Danai tanto renuere labori:
  Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago sunt obruta. Non mihi classes,
  Non socii superant: omnia pontus habet.
Solus adhuc mecum, qui me tot casibus unus
  Duravit, patiens ad mala perstat Amor.

373. ed. Buttm. Homerus de hoc Ulixis facto nihil prodidit. Vid. Odyss. XXIV, 24—86.

27. *Danai.* Ulixen cum Aiace Telamonio de possessione armorum Achillis concertasse eaque totius exercitus iudicio impetrasse a multis veteribus scriptoribus memoratur. Hom. Odyss. XI, 542. seqq., Antisthen. Decl., Quint. Calab. V, 180—316., Ovid. Metam. l. 1., al.

31. *Unus.* Heinsius male coniecit *unum.* Nihil enim ad rem facit, quod Amor Ulixem tantum neque alios etiam comitatus est. Sed id urget, quod praeter Amorem nullum comitem habet, et Amor unus est comitum, qui mari non periit. *IAHN.* Conf. Ovid. Epist. XII, 135. 136.

32. *Perstat.* Male Ven. 1492.: *praestat.* Vid. Ov. Ep. XVI, 25.

33. *Nereia virgo.* De Scylla haud dubie agit, quam quomodo *Nereiam* appellet virginem, fateor me non videre. Ne quid te morer, refinge *Niseia virgo.* Virg. in Ciri:

> Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo.

Recte, inquis. Agitur enim illic de Scylla Nisi. Sed quid hoc ad alteram a Glauco amatam, Phorci et Crateidis Nymphae filiam, sive, ut Scholiastae in Hom. Odyss. aliisque placet, ex Phorco et Hecate genitam, quam Sabinus hic innuit? At confundunt promiscue ambas poetae. Ovidius Metam. VIII., XIII. et XIV. etsi manifeste distinguat, tamen in Rem. Am. 737. et Fast. IV, 500. Nisi filiam facit. Eodem modo Philomelam ubique Ityli matrem facit Ovidius, in Metamorphosi Prognen. Ibidem Oenei filiam Deianiram, at Dexameni in Ibide. *HEINS.* Vid. not. ad Epist. XI, 5. „Heinsii coniecturam Burmannus et reliqui receperunt. Atque hanc utriusque Scyllae confusionem facile admitterem, si libri in hac lectione consentirent. Difficultatem autem movet, cum coniectura lectio illata sit, neque utramque virginem a Sabino confusam esse aliunde sciamus. Quare, si quid mutandum est, desidero potius nomen a Phorco aut Crateide vel Hecate deductum. Mihi servandum esse videtur *Nereia,* i. e. marina. Sic enim non solum *Nereus* pro mari ponitur, et *Nereiae lymphae, Nereiae baccae, Nerinae aquae* et similia leguntur, sed etiam aliae deae marinae, ut Helle Stat. Achill. I, 24., Nereides dicuntur. *IAHN.*

34. *Tumidis. Timidis* Ven. 1492. De Charybde et Scylla dictum est ad Ovid. Epist. XII, 123. et 125.

Illum non avidis canibus Nereia virgo
Fregit, non tumidis torta Charybdis aquis;
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore discors
Parthenope, blandis insidiosa modis;
Non quod Colchiacas Circe tentaverit herbas,
Non quod solemnes altera diva toros.

35. *Ferus Antiphates.* Antiphates, notus ex Odyss. X,81. sqq., rex Laestrygonum, qui unum e sociis Ulixis comedit, et ope civium suorum totam eius classem, una Ulixis navi excepta, mersit. Vid. Ovid. Metam. XIV, 233., ibique Gierig.

Discors Parthenope. *Dissors* reponendum. *Dissors,* quod diversae sortis est aut naturae, cui opponitur *consors,* vox Ovidio usitata. Sic et *exsors,* sine sorte, ἄκληρος; ita *exsortem honorem* apud Virg. interpretatur Servius. Sic *compar, dispar, separ, congrex* et *segrex.* Error hic frequenter apud optimos auctores commissus, ut *discors* pro *dissors* legatur voce parum nota hactenus. HEINS. *Discors* Parthenope, quod diversa et duplex eius natura ac forma in uno corpore coniuncta non congruebat, sed dissimilis erat. IAHN.

Ov. Metam. VIII, 133.

Discordemque utero foetum tulit (sc. Minotaurum).

Lucret. V, 892. Centauris et Scyllae *discordia* membra tribuit; Senec. Med. 773. *Typhoeus discors.* Fuit autem *Parthenope* una Sirenum, quae prae dolore, quod praetereuntem Ulixem cum sociis in scopulos cantu pellicere non potuissent, in mare se praecipitarunt. Superiorem partem habebant virginis, inferiorem gallinaceam. Fulg. Myth. II, 11., Sil. It. XII, 33.

37. *Circe.* Edd. Venn.: *arte,* unde Aldus, ut metrum salvum esset, fecit *artes.* Aldum secuti Naug., Vinc., Mic., al. Utrique lectioni subiectum deest, quod e seqq. *altera* vix repeti potest. Palmaria est autem Nic. Heinsii emendatio, qua *arte* in *Circe* mutavit. „Divide, inquit, τὸ *a* in duas literas et habebis *ci.* *Cirte* pro *Circe.*“ Atque hoc nomen non solum horum versuum nexus postulat, sed etiam v. 45. confirmat. Idem Heinsius, cum editiones Venn. non diligenter inspexisset et in iis *Colchiacas arte t. herbis* exstare putaret, correxit: *Non quod Colchiacis Circe t. herbis,* quod Burmannus, Lenn. et Mitscherl. ediderunt. Contra Bentlei. *Iolciacas* (?) *herbas* suasit, et Fr. Heusinger coniectura *Colchiacas herbas* et *tentaverat* scribi iussit. Recepit hoc Conr. Heusinger. Sed coniunctivus et ratione grammatica et exemplis recte defendi potest. Vid. Ovid. Metam. VII, 705. ibique Voss. in Bothii Vindiciis p. 172. Adde Bentl. ad Terent. Eunuch. V, 8, 34. *Tentare herbas,* uti nostrum *Kräuter probiren,* est *herbis amoris mutandi periculum facere.* Vid. Ovid. Medic. Fac.

Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque posse vias;
Te tamen hac etiam spreta mercede petivi,
Passurus terra tot mala totque mari.
Sed tu femineo nunc forsan nomine tacta
Non secura leges cetera verba mea;

38. Neque a Latinorum usu abhorret, quod sequenti versu hoc verbum notione *insidiandi* cogitando repetendum est. Talia enim permulta leguntur. De constructione *illum non fregit virgo, non quod etc.* vid. ad v. 8. *Altera diva* est Calypso, quae *solennes,* i. e., legitimos toros tentavit. Vid. Ovid. Metam. VII, 49. *Iahn.* De *quod* cum coni. vid. ad Ov. Epist. IV, 157. Rem copiose narrat Homerus, ac de Circe quidem vid. Odyss. X., de Calypso autem ibid. V. et VII.

39. 40. *Demere fila* dicitur, ut *demere vincula.* Porro *posse* non seorsim spectandum, sed *demere posse* iungendum est. Vid. not. ad Ovid. Metam. X, 132. et XI, 117. ed. Gierig. „Utraque ea potentia se esse dicebat, ut *mortalia fila* (fila, quibus Parcae sortem meam mortalem esse iusserunt) et *Stygias vias demere posset* et (quod cogitando addendum est) si remanerem, demtura esset.“ *Demere vias* pro auferre vias, facere, ut ne Stygiae viae obeundae sint, propter praecedens *demere fila* per zeugma dictum esse videtur, cuius rei exempla dant d'Orvill. ad Charit. p. 395. et Burmann. ad Claudian. II. Consul. Stil. 6. p. 378. et ad Propert. I, 1, 24. et II, 25, 13. *Iahn.* Ovid. Epist. XII, 3. et 4.

Tunc, quae dispensant mortalia fata, sorores
Debuerant fusos evoluisse meos.

De illo *demere posse* conf. Ov. Epist. VII, 3. *Stygias vias,* i. e. aquas, quas transire defuncti omnes debebant, ut ad manium sedem et locos pervenirent. Vid. Virg. Georg. IV, 480., ubi Heyn. laudat Claudian. XXXIII, 33. et Stat. Theb. IV, 524.

44. *Cetera verba mea.* Amarus offensus trium verborum in *a* desinentium ingrato sono: „Ne hac nostra quidem aetate, inquit, quantumvis literarum antiquarum incuriosa (?!), vel ipsis tironibus condonandum istius modi hemistichium.“ Quem docte atque intelligenter refellit Iahn: „Sed eodem modo Prop. IV, 1, 132. *libera sumta toga,* Ovid. Metam. III, 57., Epist. V, 16., Metam. IV, 109., 440., V, 572., VI, 368., VII, 421., VIII, 814., 836., IX, 127., 634., XI, 444. et quae notavi ad Met. I, 299., IV, 522. et X, 3., ad Horat. Od. IV, 6, 6. et Virg. A. VI, 310. In eiusmodi minutiis veteres scriptores aut raro aut numquam haeserunt.“ Vid. not. ad Ovid. Epist. XIX, 63.

Quaeque mihi Circe, quae sit mihi causa Calypso,
Iamdudum ignoto sollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi,
Heu toto sanguis corpore nullus erat!
Tot iuvenes inter, tot vina liquentia semper —
Hei mihi, quo credam pignore? — casta manes?

45. *Quae sit mihi causa Calypso* exquisitius dictum pro *quae sit mihi causa cum Calypso;* qualis est locutio apud Ciceronem XIII. ad Div. 19.: *Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus. Sed ea caussa etiam cum aliis compluribus; familiaritas tanta nullo cum hospite;* et Or. de prov. Consul. c. 17.: *Non alienum esse arbitror explicare breviter, quae mihi sit ratio et caussa cum Caesare.* Quibus in locis, etiam a Broukhusio citatis ad Tibull. III, 2. in fine, *caussa* idem est, quod res, negotium, necessitudo. *Lenn.* Duplex illa constructio vocis *forsan* cum indicativo et coni. nihil habet insoliti. Vid. infra ad v. 127.

47. *Antinoum etc.* Sic locum recte restituit Aldus. Ed. Ven. 1486.: *cum alcynoum: polibumque: meduntaque legi.* Ven. 1492.: *cum anthinoum: polibum: meduntaque.* Vid. ad Ovid. Epist. I, 91.

48. *Heu toto.* Francius corrigebat: *In toto.* N. Heins. coniiciebat: *Ut toto.* Sed haud raro *heu* sic sententiis interponitur et locum fere proprium in his habet. Vid. infra v. 130., III, 38., Ovid. Epist. I, 68. *Iahn.* De re conf. Ovid. Ep. III, 60.

49. *Vina liquentia.* Etsi non ignorem *vina liquentia* Virgilio etiam dici Aen. V, 238. et 776., hoc tamen loco magis apposite *licentia* legatur. Quod Barthio Adversar. XLIV, 2. etiam Swarthioque est visum. *Libera vina* dixerat Horat. Art. Poet. 85. Sic *licentes Faunos* Stat. Theb. IV, 695. et *licentem ludum* Theb. V, 195. et Silv. I. Saturnal. *Licens Lupercus* Propert. IV, 1. Noster ipse paulo post *vacantia vina,* quo vacuae et otiosae mentes teneantur, dixit. *Heins.* Recte Amarus et Iahn. revocarunt *liquentia,* quae l., etsi elegantia alteri concedat, tamen h. l. ferri potest, igiturque novare non licet. Est autem, recte interpretante Iahno, appositum quod dicitur ornans, ut *liquentes undae* apud Ovid. Met. VIII, 457.

50. *Hei mihi etc.* Edd. veteres: *Hei mihi, quid credam? pignore casta manes,* et Bersmannus postrema verba explicat: *cum pignore,* i. e. *Telemacho filio, casta manes.* Sed rectissime Barthius locum sic emendavit, ut edidimus, quod iam Swarthius, Heinsius et reliqui probarunt, nisi quod post *manes* punctum posuerunt. Sed sunt haec dubitantis et interrogantis verba. *Iahn.*

51. *Si sunt in fletibus.* Eodem modo dicitur *in armis, in spe, in luctu, in squalore* esse, εἶναι

Curve placent ulli, si sunt in fletibus, ora,
  Deperit et lacrimis non decor iste tibi?
Pacta quoque es thalamo, nisi mendax tela moretur
  Et coeptum revoces callida semper opus.
Ars pia; sed, quoties oculos frustrabere lana,
  Successum toties ars dabit ista tibi?

ἐν θυσίαις, ἐν ποτῷ, ἐν τρυφῇ. *Fr. Heusing.*

Ven. 1486.: *ore* pro *ora*, et v. 52.: *lachrymas non decor ista tibi.*

53. *Pacta quoque es thalamo.* Ven. 1486.: *Pacta est,* solemni errore librariorum. Vid. ad Ovid. Epist. I, 24. *Pactus* vi modi passivi saepe reperitur. Vid. not. ad Ovid. Epist. II, 4.

54. *Callida.* Ven. 1486.: *revocas pellida.* Ven. 1492.: *ceptum revocas pallida super opus.* Edd. Aldd. et sqq.: *coeptum revocas pallida semper.* Vocula *pellidus* nusquam legitur; sed uti *rapax* et *rapidus* in usu sunt, sic praeter *pellax,* sive hoc a *pellicere* sive ab antiquo *pellare* deducis, *pellida* duci potuisse, certe analogia comprobat. *Iahn.* Mihi vera videtur coniectura Heinsii, quam etiam Burmannus et reliqui recentiores editores dederunt, *callida,* quae sequenti *ars pia* non parum confirmatur, et *callida* cum voce *pallida* confunditur etiam Ovid. Metam. VI, 576. *Revoces* recte correxit idem Heinsius. De dolo telae retextae vid. Hom. Odyss. II, 96. et Broukhus. et Burmann. ad Propert. II, 7, 43.

55. Edd. Venn. ubique: *quotiens* et *totiens,* ex antiqua scribendi ratione. Laudat autem, ut recte Heinsius monuit, Ulixes artem et dolum, sed de diuturno eius successu dubitat et desperat. Quare non recte (ut vere monuit Werf. l. l. p. 529.) in fine distichi punctum vulgo ponunt. Sensus est: *Ars pia est: sed totiesne ista ars tibi bene succedet, quoties oculos procorum lana,* i. e. *tela illa, frustrari voles ac studebis?* Offendit autem, quod poeta pro *frustrari voles* simpliciter *frustrabere* dixit. Quod quamquam quodammodo defendi potest, omnis tamen sententia mira est. Vix igitur dubito, quin cum Burmanno scribendum sit:

> Ars pia: sed quoties oculos frustrabere lana?
> Successum quoties ars dabit ista tibi?

Quod etiam Heinsius suasit et Conr. Heusinger recepit. *Iahn.* Ego miri nihil in illa sententia reperire possum; nam quod *frustrabere* positum est pro *frustari studebis,* a Latinitate non abhorret; notissimus enim est usus verborum *de conatu,* de quo dictum ad Ovidii Epistolas. Immo mihi quidem l. vulgata sententias arctius vincire videtur et bonitate sensus altera illa longe praestare.

57. *Superatus.* Turbavit locum Swarthius, e codice suo reponens: *At melius, P., tuo si pransus etc.* Sed Ulixes dolens haec pronuntiat, cui rei part. *ah* proprie inservit, cum *at*

Ah melius, Polypheme, tuo superatus in antro
Finissem ingratos ad mala tanta dies;
Threicio melius cecidissem milite victus,
Ismaron errantes cum tenuere rates;
Crudelemve illo satiassem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi, nequicquam quod me tuà litera celat,
Sospes digresso quae mihi mater erat.
Retulit illa domus eadem mala, meque querentem
Fugit, ab amplexu ter resoluta meo.

potius sit cogitantis et consilium mutantis aut etiam cum indignatione rem invertentis. Neque *superatus*, pro *quo* Burmann. *si prensus*, N. Heinsius *deprensus* et Conr. Heusing. *superestus* correxerunt, sollicitandum est. Etenim poeta non respicit, quod Polyphemus socios Ulixis aliquot devoravit, sed quod immanis ille gigas in suo antro ab Ulixe victus et elabi eum passus est. Vid. Hom. Odyss. IX, 375. sqq. et 515. sqq. *Iahn.*

58. *Ad mala tanta.* Iunge *finissem ad mala tanta*, ut sensus sit: *Tantis imminentibus, instantibus, malis, dies ante adventum eorum finissem.* Sic Ovid. Epist. XXI, 45.:

Et mihi coniugii tempus crudelis ad ipsum
Persephone nostras pulsat acerba fores.

Conf. Burm. ad Val. Flacc. III, 48. *Lenn.*

59. *Threicio.* Respicit poeta id, quod narrat Hom. Odyss. IX, 39—68. Sc. postquam Ulixes, secundo vento Troia profectus, tempestatibus Ismarum et ad Cicones in Thracia delatus erat, multam ibi praedam fecit urbemque devastavit. Verum quum sociis, ut iter statim persequerentur, frustra persuadere tentasset, Cicones (*Threicius miles*) collectis viribus securos aggressi multos occiderunt.

61. 62. *Crudelemve etc.* Innuit Ulixis iter ad inferos, quo, hortante Circe, ad Tiresiam vatem de reditu consulendum descendit et unde feliciter evasit. Vid. Odyss. X, 487. et XI. *Dis* nomen Plutonis, de quo vid. Cic. de Nat. D. II. c. 26., I. H. Vossii not. ad Virg. Georg. IV, 467. Ven. 1486.: *Quo regii stigiis fate.* Veram l. exhibet Ven. 1492.

63. *Celat.* Edd. Venn., Aldi 1502. et Vinc.: *litera cessat,* quod sensu caret. Quae nunc vulgata est, optima est correctio Naugerii in ed. Ald. 1515.

64. *Mater.* Ulixis hunc cum matre apud inferos sermonem narrat Hom. Odyss. XI, 154. sqq.

66. *Ter resoluta.* Malim *revoluta;* non enim amplectebatur umbram maternam, sed conabatur amplecti. Vid. Virg. Aen. VI, 449. *Heins.* Recte

Phylaciden vidi: contemtis sortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum coniuge: laeta per umbras
Illa suum fortes it comitata virum;
Nec dum illi Lachesis dictos numeraverat annos,
Sed iuvat ante suum sic cecidisse diem.
Vidi — nec lacrimas oculi tenuere cadentes —
Deformem Atriden, hei mihi, caede nova.
Illum Troia virum non laeserat; ille furentem
Nauplion Euboicos transieratque sinus.

quidem monet Heinsius, Ulixem non amplexum esse umbram maternam, sed tantum amplecti conatum. Attamen, quin eiusmodi conatus recte *amplexus* dicatur, a quo mater *resolvitur* eo, quod revolvitur et recedit, non est quod dubitemus. *IAHN.* Rem narrat Hom. l. l.

67. *Phylaciden.* Edd. Venn. et Micyll.: *Philacidem.* Ald. 1502. et reliquae: *Phylaciden.* Vid. ad Ov. Epist. XIII, 35., XIV, 73., XV, 57., VII, 97.

68. *Intulit.* Ovid. Ib. 612. *in quem Intulit armatas ebria turba manus. IAHN.* Res narratur Ovid. Epist. XIII.

70. *Fortes it. Fortes it* refer ad *umbras*, quod praecessit. Edd. Venn. 1486. et 1492.: *forte sit,* quod Swarthius feliciter in *fortes it* mutavit. *Fortes umbrae* autem sunt manes heroum, quibus *Laodamia* se immiscuit. Scilicet Laodamia dolorem amissi coniugis non sustinens, in pyram, qua pater imaginem Protesilai (vid. ad Ovid. Epist. XIII. fin.) comburi iussit, se immisit et flammis consumta est. Hyg. F. 104. et 103. Conf. Lucian. Dial. mort. Ven. 1486.: *Ille.*

72. *Ante suum—diem.* Vid. Ovid. Epist. XV, 62. ibique not.

74. *Caede nova.* De re vid. not. ad Ovid. Epist. VIII. *Caede,* h. e. sanguine. Conf. Propert. II, 7, 21.

75. *Ille furentem.* Hyg. F. 116. Ilio capto Danai cum domum redirent, ira deorum, quod fana spoliaverant, et quod Cassandram Aiax Locrus a signo Palladio abripuerat, tempestate et flatibus adversis ad saxa Capharea (Euboeae) naufragium fecerunt, in qua tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerva ictus; ceteri noctu cum fidem deorum implorarent, Nauplius (Euboeae rex) audivit, sensitque tempus venisse ad persequendas filii sui Palamedis iniurias. Itaque tanquam auxilium eis afferret, facem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat. Illi credentes humanitatis caussa id factum, naves eo duxerunt. Quo facto plurimae earum confractae sunt, militesque plurimi cum ducibus tempestate occisi sunt.

Quid refert? animam per vulnera mille profudit,
Iam reduci solvens debita vota Iovi.
Tyndaris has illi laeso pro foedere poenas
Struxerat, externos ipsa secuta viros.
Ah mihi quid prodest, captivas Teucridas inter
Cum staret coniux Hectoris atque soror,
Defectis Hecuben potius legisse sub annis,
Ne tibi suspectus pellicis esset amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa
Fecit: non membris ipsa reperta suis,

——— Agamemnon cum Cassandra in patriam pervenit. Conf. Serv. ad Virg. Aen. XI, 260. et Hom. Odyss. III, 132. sqq.

77. *Per vulnera mille.* Swarthius e cod. suo, dummodo verus ille esset, attulit; *per adultera tela.* *Iahn.* Rem narrat Hom. Odyss. XI, 408. Conf. Ov. Epist. VIII.

78. *Reduci — Iovi.* Vid. ad Ovid. Epist. XIII, 50.

79. *Laeso pro foedere.* Vulgo: *laetas pro foedere poenas.* Swarthius *laetas* dici opinatur εἰρωνικῶς, sed non persuadet. Puto scribendum *laeso pro foedere,* lecti scilicet. Ad Cassandram ab Agamemnone amatam refer. Hom. Odyss. XI, 420 — 422. *Heins.*

80. *Externos,* sc. *Aegisthum.* Hom. Odyss. III, 272.

Τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγεν ὅνδε δόμονδε.

Conf. Odyss. IV, 517. 518.

Viros. Malim *toros;* haec enim duo in Ovidianis codd. frequenter confunduntur. *Heins.* Nihil hic mutem; *sequi* enim *virum* rectius libidinosa mulier, quam *torum* dicitur. Propert. II, 35, 8.

— et ignotum nonne secuta virum?

Vid. Ov. Epist. XVI, 323., V, 77., Val. Flacc. VIII, 12. et ad Petron. c. 81. *Burm.*

82. *Coniux Hectoris atque soror,* Andromacha et Cassandra.

83. *Hecuben,* uxorem Priami. Aldus edidit *Hecubam,* quod secundum Bothium Vindic. Ovid. p. 136., qui *Hecuben* formam aut Graecam aut Latinam esse negavit, verum est. Conf. Conr. L. Schneider Gramm. Lat. Vol. II. P. I. p. 29. Sed minores sunt Sabini poematum reliquiae, quam ut in his de eius ratione et observatione pro certo statuere possimus, et fieri potuit, quod Iahn recte monuit, ut Latini suum *Hecuba* Graeca terminatione in *Hecube* mutarint. Pro *potius* in ed. Ven. 1492. legitur *potui,* quod vitium etiam edd. Ald. 1502., Vinc., Mic., Bersm. occupavit. De re vid. Ovid. Metam. XIII, 425. et Eurip. Troad. v. 1285.

84. *Ne tibi.* Margo Bersm.: *Nec tibi.* Vid. ad Ovid. Epist. XIX, 68. Ven. 1486.: *suspectis pellici.*

86. *Non membris ipsa reperta suis.* Non intelligo haec, nec

Latratu miseras finivit moesta querelas,
Et stetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abstulit aequor,
Aeolus infusis incubuitque Notis.
Pervagus hinc toto non felix differor orbe,
Et, quocumque vocat fluctus et aura, feror.
Sed si Tiresias tam laeti providus augur,
Quam verax vates in mala nostra fuit;
Et terra et pelago, quicquid mihi triste canebat,
Emensus, fato iam meliore vagor.
Iam mihi nescio quo comitem se in litore iungit
Pallas, et hospitibus per loca tuta trahit;

Latina esse puto. *Burm.* H. e., reperta, cum non amplius haberet sua membra, sed aliena. Nam *stetit in rabidam protinus acta canem.* Similiter Horat. Sat. II, 3, 72. *Cum rapies in ius malis ridentem alienis,* i. e., non suis, sed animalis, cuius ille, dum nexus a te rapitur, derepente figuram induit. Sequitur enim *Fiet aper, modo avis.* Withof. Spec. Gunth. p. 143. pro *ipsa* h. l. *prima* legit, ut in hexametro, parum probabiliter! *Lenn.* Equidem crediderim, poetam a nemine reprehendi merito posse, qui dixerit, Hecuben, quae subito in canem mutata sit, *non suis membris repertam esse.* Pronomen *ipsa* vero mihi adeo non displicet, ut singularem eius suavitatem sentire videar. *Non ipsam suis membris repertam esse Hecuben* interpretor, id, quod repererint, fuisse Hecuben, cui Hecube (i. e. forma Hecubae) fuerit adempta. Saepe autem veteres, quum animum, virtutes, vitia, dignitatem, statum, etiam formam ac speciem hominis dicere vellent, *hominem ipsum* dicebant. *Fr. Heusing.* Metam. IV, 590.

Cadme, mane, teque his infelix exue monstris.

87. *Latratu.* Ven. 1486.: *Latratum,* h. e., ut latraret; quod etiamsi, quod ad Latinitatem, ferri possit, tamen, ut recte monet Iahn, nimis argutum est. *Latratum* suum *m* a sequenti voc. *misera* accepit, et recte Ald. et reliqui cum Ven. 1492. ediderunt *Latratu.* Canem factam Hecubam, testantur Ov. Metam. XIII, 567. et quos ibi laudat Gier., I. Pollux V, 5., Dictys V., Strabo XIII. p. 812., Hyg. F. 111. ibique Muncker, Cic. Tuscul. III, 26., Serv. ad Virg. Aen. III, 6.

90. *Aeolus.* Edd. Venn.: *Solus infusis,* quod Aldus recte in *Aeolus infusis* mutavit.

91. Margo Bersm.: *totum.*

92. *Quocumque.* Heinsius primus edidit *quocumque,* laudans Virg. Ecl. III, 49. *veniam quocumque vocaris.* Vett. edd.: *quacumque.* De erroribus Ulixis vid. Hom. Odyss., Hyg. F. 125.,

Nunc primum Pallas versae post funera Troiae
Visa mihi: medium temporis ira tulit.
Quicquid Oilides commiserat, omnibus unus
Peccavit; Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cuius modo moverat arma,
Eximit; errato tu quoque ab orbe venis;
Non Telamone satum capta de coniuge Teucrum;
Non ipsum, pro quo mille fuere rates.
Felix Plisthenide, quacumque in sorte fuisti,
Coniuge cum cara non gravis illa fuit:

Horat. Epod. 16., Ov. Metam. XIV, 223. et Strabo Geogr. I, 2.

96. Ed. Ven. 1486.: *fatis iam melioris augur.*

101. *Quicquid Oilides.* Edd. Venn. et Ald.: *Quicquid et Oenides commiseras* (Ven. 1492.: *commiserat*) *omnibus unus Peccavi etc.*, quae sensu carent. Recte autem locum emendavit Naugerius in Ald. 1515. et 1533.: *Quicquid Oilides commiserat, omnibus unus Peccavit.* Sermo est enim de Aiace, Oilei filio. *Iahn.*

102. *Ira.* N. Heinsius corr.: *omnibus ille nocens,* quo omnem loci vim infregit. Bentl.: *illa.* Sensus est: Aiacis facinus, quod unus commisit, ad omnes Graecos translatum est, et Palladis odium omnibus, nullo, ne Tydide quidem excepto, nocuit. *Iahn.*
De facinore illo vid. ad v. 75. et conf. Virg. Aen. I, 39. sqq. ibique Heyn. — Ut Sabinus: *omnibus unus peccavit,* sic Virg. l. l.:

— — Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?

103. *Moverat.* Vett. edd.: *noverat.* Scribe *foverat.* Ovid. Trist. I, 5, 41.

Causa mea est melior, qui non contraria fovi
Arma.

Heins.
De re Hom. Iliad. V. init. et passim.

104. *Errato — ab orbe.* Vid. ad Ovid. Epist. XXI, 160.

105. *Telamone satum etc.* Vid. Iliad. VIII, 282. sqq. Errores eius post captam Troiam non liquent, sine dubio a cyclicis cantati.

106. *Non ipsum,* Menelaum. De eius erroribus vid. Hom. Odyss. III, 278. sqq., IV, 81. sqq. et al.

107. *Plisthenide.* Edd. Venn., Aldd. et Vinc.: *Plistenides;* Mic. et Bersm.: *Plisthenides.* „Imo Plisthenide; Menelaum haec spectant, cum Helena uxore ad paternos lares contendentem Troia iam capta.“ *Heins.*
Erant autem Menelaus et Agamemnon (secundum alios) filii Plisthenis, fratris Atrei, qui cum iuvenis adhuc diem obiisset, illorum curam Atreus suscepit, unde Atridae appellati. Eodem modo Agamemnon

Seu venti fecere moras sive aequora vobis,
  Ad nulla est vester damna retentus amor;
Oscula nec venti certe tenuere nec undae,
  Promtaque in amplexus brachia semper erant.
Sic utinam errarem: faceres tu mollia, coniux,
  Aequora; te socia nil mihi triste foret.
Nunc quoque Telemacho tecum mihi sospite lecto
  Omnia sunt animo iam leviora mala.
Quem tamen infestas rursus queror ire per undas
  Herculeam Sparten Nestoreamque Pylon.
Ingrata est pietas, cui tanta pericula subsunt:
  Nam male commissus fluctibus ipse fui.
Sed labor in fine est: occursum in litore vates
  Dixit. — In amplexus, care, ferere tuos!

Plisthenius appellatur ab Ov. Rem. A. v. 778. Vid. Apollodor. III.

112. *In amplexus* emendavit Aldus in ed. 1502., quod omnes receperunt. Sed edd. Venn.: *in amplexu.* Quamquam autem *brachia in amplexu esse* recte dici possunt: sic tamen voc. *promta* nude et absolute positum offendit. *Iahn.* Ovid. Epist. XIII, 121. 122.

> Semper in his (osculis) apte narrantia verba resistunt;
> Promtior est dulci lingua referre mora.

115. *Lecto.* Ita Swarthius et ad Prop. IV, 4. Livineius. Recte. Vett. edd.: *tecto.* *Heins.*

117. *Rursus.* Iunge, non *rursus ire,* quod Burmanno aliisque fraudi fuit, sed *rursus queror;* et sic optime respondebit praecedenti disticho. *Lenn.*

120. *Nam — fui.* Vulg.: *fuit.* — *Nam* caussam, cur pietas ingrata sit, indicat. Heinsius corr.: *Iam* (*fuit*), quod vehementer languet. Sensus enim esset: „Ingrata quidem est pietas; sed iam commissus fuit fluctibus — iam sospes evasit.“ *Iahn.*

122. *Care.* Pro *cara* ed. Ven. 1492.: *charce.* Friget illud *care* a Tiresia dictum Ulixi; nec sanum puto *amplexus tuos* pro amplexus tuorum. Docet quoque versus sequens de Penelope sermonem esse. Itaque non dubitanter correxi *In amplexus, cara, ferarque tuos.* *Lenn.* Videtur enim ridiculum esse, si Ulixes soli Telemacho noscendus venire velit, et tamen Penelopae haec scripserit. Sed videtur tantum. Poeta enim in his presse Homerum sequutus est, et Ulixem in virorum coetu (Penelopen enim in interiore domus parte versantem ab his seiunctam esse innuit) soli Telemacho notum futurum esse indicat. Nexus igitur est: „Vates Tiresias dixit occursum filii in litore. Tu

Noscendus soli veniam tibi: tu preme sollers
  Laetitiam et tacito gaudia conde sinu.
Non vi certandum nec aperta in bella ruendum.
  Sic cecinit laurus ille monere suas.
Forsitan ante dapes interque vacantia vina
  Ultoris pharetris utile tempus erit;
Et modo despectum subito mirentur Ulixen.
  Hic, precor, ut properet ille venire dies,

igitur, care fili, me vises; tibi soli noscendus veniam etc.“ Ad Penelopen autem versu ultimo demum se convertit. *Amplexus tui* autem sunt, quos tu, fili, expetis quique tibi debentur. Bene haec vidit Eichhof., qui in versione vernacula omnia recte expressit. Nihil igitur mutandum est; et abrupta oratio Ulixi laetanti et gaudio exsultanti bene convenire videtur. *Iahn.*

126. *Sic.* Apud Homerum quidem XI, 119. non plane *sic*, qui habet *ἠὲ δόλῳ, ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλκῷ.*

127. *Vacantia vina* hic dici, quibus vacuae et otiosae mentes teneantur, recte notat Heinsius ad v. 49. Burmanni argutiae „Non video, qui *ante dapes* et *inter vina* recte iungantur, cum notissimum sit, vina apud veteres non apposita, nisi dapibus et mensis remotis“ satis confutantur ipso Homeri loco XXII, 9. sqq., 20., 21. Ceterum *forsitan* hic in eadem sententia cum duplici modo construitur, quod in diversis sententiis modo indicativo iungi, modo coniunctivo, saepe apud Ovidium notavimus. Vid. Epist. IV, 50. Sed per legem grammatices nihil obstat, quominus ita in eadem sententia cum utroque modo coniungas, quum inter *forsitan* cum futuro indicativi et praesenti coniunctivi modi nihil discriminis sit, nisi quod futurum tempus rem paullo certius atque confidentius enuntiat. Conf. Ovid. Epist. VII, 133—138.

130. 131. *Hic.* Edd. Venn.: *Hic—renoves*; prior 1486. etiam: *properes.* Aldus scripsit: *Heu pr. ut properet ille v. d. A. renovet.* Quod ab omnibus servatum est. Nic. Heinsius suasit: *Hic pr. hic properes velle venire dies*; Burm.: *Heu pr. heu properes ille v. d. A. renoves*; Francius: *Quam* (vel *Hic*) *pr. ut properet velle v. d.*; Lennepius: *Heu p. ut properans ille v. d. A. renovet tibi laetus* (vel *laetus tibi*) *foedera lecti, Et tandem etc.* Sed formae *properes* et *renoves* ex sequenti *incipias* ortae videntur; certe propter illud offensioni sunt. Recte autem *hic ille dies*, i. e., „hic dies, qui ille est, quem vss. 127—129. poeta descripsit.“ Exempla dabunt Wunderl. et Bach. ad Tibull. I, 3, 93., qui tamen in interpretatione horum pronominum errarunt. Particula *heu* hoc l., quippe in re laeta, vix admitti potest. *Iahn.*

Antiqui renovet qui laetus foedera lecti;
 Et tandem incipias coniuge, cara, frui.

Quod autem *hic* et *ille* pluribus verbis interpositis disiuncta sunt, condonandum poetae videtur; nam quod Iahn ipse coniecit *huc*, ut *huc venire* pro *advenire* dictum sit, dubito, an ferat usus loquendi.



EPISTOLA II.

DEMOPHOON PHYLLIDI.

Phyllidi Demophoon patria dimittit ab urbe,
  Et patriam meminit muneris esse tui.
Nec face Demophoon alia nec coniuge captus,
  Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Thesea, quo socero nequicquam, Phylli, timebas,
  Impulerit ne ignes forsitan ille tuos, —

1. *Phyllidi—dimittit.* Videtur scribendum:

Phylli, hanc Demophoon patria tibi mittit ab urbe —

ut imitatio sit Ov. Epist. I, 1. *Heins.*

Hanc tibi ex Burmanni coniectura recepimus. Cum glossator voci *tibi* nomen adscripsisset *Phyllidis,* hoc ita deinde textum occupavit, ut non *tibi* solum, sed et *Hanc* extruderet, unde lectio profecta est vulgata, in qua frustra quaeras, quid ei dimittat. *Hanc,* i. e. *Epist.,* ut Ov. Epist. I, 1. Nomine autem *Phyllidis* eo hic facilius caremus, quoniam et mox reperitur in v. 5. *Lenn.* *Mittere* sine accusativo rei nihil habere insoliti dictum est ad Ovid. Epist. Vide Indic. *Dimittere literas* autem est etiam apud Liv. XXXVIII. c. 1. Ven. 1492. et Ald. 1502.: *Phyllida.* Bersm.: *demittere.* C. Heusing. dedit: *Phyllidi....tibi mittit.*

2. *Meminit etc.,* nec oblitus est, reditum in patriam se tibi debere. Conf. Ov. Epist. XII, 206.

3. *Face. Fax* pro amore passim. Vid. Epist. III, 20. et Horat. Od. III, 9, 13.

4. *Quam tibi notus erat.* Receptam lect. post Ven. 1486. et Aldd. omnes tuentur. Heinsius coniiciebat: *Esset tam felix;* Burm.: *Sed non tam felix, q. t. fidus* (vel *certus*) *erat;* Heusing. dedit: *quam tibi natus erat;* Iahn. e Ven. 1492. *Sed tamen felix* suspicabatur: *Sed tamen infelix.* Mihi plana et sana videtur vulgata, hoc sensu: *Sed tam infelix erat,* quam tibi notus, h. e., quam tu eius in te amorem cognitum atque exploratum habebas, quam tibi fidus erat.

5. Burmann. cum Heinsio: *tumebas.*

6. *Impulerit ne.* Ven. 1486.: *Impulerit quae.* Vulg.: *Impuleritque.* Scribe: *Impulerit ne,* h. e., ne amores tuos averterit. *Bersmann.*

Idem Amar et Iahn. *Impuleritque,* quod Burmannus dedit, sensu caret. *Quo socero* est casus absolutus *οὐ πενθεροῦ ὄντος.* Vid. Ov. Epist. II, 13. In consecutione temporum ne hae-

Turpe pati nobis — regno ferus expulit hospes:
Hunc illi finem longa senecta dedit.
Qui modo peltiferas fudit Maeotidas armis,
Alcidae magni, non minor ipse, comes;
Qui soccrum Minoa gravi sibi fecit ab hoste,
Mirantem monstri cornua victa sui.
Arguor exsilii — quis credat? — causa fuisse:
Nec tacitum frater me sinit esse reum:
„Dum thalamos“ inquit „dilectae Phyllidos urges,
„Et tuus externo cessat in igne furor;
„Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci,
„Praevenitque tuas flebilis hora moras.
„Forsitan aut nondum factis occurrere rebus,
„Aut poteras factis utilis esse tamen;

reas, vid. ad Ovid. Epist. XVI, 278.

7. *Regno — expulit hospes.* Mnestheus. Vid. Plut. in Thes.

8. *Hunc.* Sic corr. Nauger. Venn., Ald. et Col.: *Nunc.*

9. 10. Vid. ad Ov. Epist. IV, 117., XXI, 117., Plutarch. Vit. Thes., Hyg. 30., Diod. Sic. IV. Conf. Meziriac. l. l. T. I. p. 318. *Minor ipse.* Vett. edd.: *minor esse.* Scribe *minor ipse.* Epist. XVI, 86.

— — pulcrae filia Ledae
Ibit in amplexus, pulcrior ipsa, tuos.

Amor. III, 2, 32.

Cum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.
Heins.

11. 12. Vid. Ovid. Epist. IV. et X. ibique notata.

13. *Exsilii,* diuturnae, longae post captam Troiam absentiae. *Quis credat?* Ven. 1486.: *quis credit,* Ven. 1492.: *qui credis,* Ald. et sqq.: *quem credis.* Scribo non audaci coniectura: *si credis,* vel: *quis credat,* per parenthesin interrogatoriam. *Heins.* Ac posterius cum Burmanno omnes recte sunt sequuti.

14. *Nec tacitum—me.* Edd. vett.: *Nec tacitum frater nec.* Corrigendum, si quid video: *Nec tacitum frater me s. e. r.* Tacitum non sinit esse reum, quia palam et aperte accusat.
Heins.

16. *Externo.* Vid. Ov. Epist. V, 102. et Propert. I, 3, 44.

18. *Praevenitque.* Sic Ald.; Venn.: *Pervenitque.* „Et ante moras tuas finitas, antequam morari desiisti, ingruit tristis domus nostrae fortuna.“.

19. *Nondum factis occurrere rebus.* Reponendum tam hoc, quam sequenti versu *fractis* pro *factis,* sic postulante sententia. Malim etiam *succurrere* quam *occurrere.* Ov. Trist. I, 5, 35.

Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis.

Fractae res, ut Horat. Sat. II, 3, 18.:

„Cum potiora tibi Rhodopeia regna fuere,
„Quaeque magis regnis cara puella fuit.“
Intonat his Acamas; eadem mox obiicit Aethra,
Infelix functae iam prope sortis anus;
Et quod non condant nati sua lumina palmae,
Fecisse haec nostras arguit usque moras.
Non equidem infitior; multum clamavit uterque,
Staret Threiciis cum mihi puppis aquis:

— postquam *omnis* res mea Ianum
Ad medium fracta est —

et *fractas opes Teucrum* Virg. Aen. III, 53. Heins. *Occurrere* elegans; est enim opem ferre, antequam mala invaluerunt, praevenire. Iustin. XXIX. c. 4. *Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat.* Iuvenc. Hist. Evan. I, 279., ubi alia exempla habet Reuschius. Pro *praesto esse* usos veteres docuere Gronov. ad Liv. XXIX. c. 34. et XXXI. c. 29. et Graev. ad Sueton. Caligul. 26., Vorst. ad Val. Max. IV, 4, 7. et alii. *Et nondum* edd. Mic. et Bersm. Burm. *Factis* utroque loco satis commodum sensum habet, ideoque non sollicitandum.

20. *Aut poteras.* Eaedem edd. Mic. et Bersm., etiam Bas., Vinc. et Col.: *At poteras.* Vid. ad Ov. Epist. XII, 13. et X, 112.

21. *Potiora tibi. Potiora mihi* eaedem edd. Mic. et Bersm. Burmannus Heinsianam coniecturam *Cur potiora—fuit?* recepit, eumque sequuti sunt multi alii horum carminum editores. Sed C. Heusinger iure revocavit lectionem veterum librorum *Cum,* quae etiam sententiae bonitate praestat.

23. *Acamas.* (Edd. vett.: *Athamas* ex frequentissima literarum *c* et *t* permutatione et vetusta scriptura *Achamas.*) Lege *Acamas.* Is enim Thesei filius, Demophoontis frater, ex belli Troiani, cui cum Demophoonte interfuit, scriptoribus notus. Vid. Tzetz. in Lycophr., Tryphiod. Carm. de capta Troia, Quint. Calab. XIII., interpr. ad Hyg. F. 108. et Heins. ad Virg. Aen. II, 262. et Meziriac. l. l. T. I, 121. *Aethra,* mater Thesei. Vid. ad Ovid. Epist. X, 131. *Nati,* Thesei. De re vid. ad Ovid. Epist. I, 102.

26. *Haec.* Edd. vett.: *Hic.* Puto *haec;* de Aethra enim est sermo, non de Acamante. Heins.

Iahn edidit *hoc,* quod et idem ferri potest. Sed mihi retinenda videtur scriptura Heinsii; solent enim poetae sic pronomina eleganter inferre. Vid. infra v. 35., Ovid. Epist. I, 114.

27. *Infitior* Heinsio debemus; vett. edd.: *infiteor. Uterque,* frater et Aethra. Namque Aethra cum Demophoonte apud Phyllida in Thracia una fuerat, quae primum a Castore et Polluce in captivitatem Spartam ac deinde cum Helena a Pa-

„Poscunt, Demophoon — quid cessas? — carbasa venti;
„Demophoon, patrios respice, dure, deos;
„Respice, et exemplum, qua gaudes, Phyllida sume:
„Sic amat, ut terra nolit abire sua,
„Utque redire velis, non ut comitetur euntem,
„Te rogat, et praefert barbara regna tuis.“
Me tamen haec inter tacitum convicia saepe
Adversis memini vota tulisse Notis;
Saepe abitura tuo ponentem brachia collo
Gavisum in fluctus aequora mota truces.
Nec metuam hoc ipso coram genitore fateri:
Libertas meritis est mihi facta tuis
Dicere: „Non duro dilectam Phyllida liqui
„Pectore, nec praeceps vela ferenda dedi.
„Et flevi, et flentem solando saepe remansi,
„Cum staret cursus iam mihi certa dies.
„Denique Threicia veni rate: non dare Phyllis
„Quam potuit, iussit tardius ire ratem.“

ride Troiam abducta, Troia autem capta a filiis liberata et in patriam reducta est. Ea Demophoonti et Acamanti caussa fuerat in bellum Troianum proficiscendi. Vid. Hyg. F. 79., Quint. Calab. XIII., Schol. Eurip. et Meziriac. l. l. T. I. p. 126. Vid. not. ad Epist. XVI, 257. *Clamavit.* Conf. Ov. Epist. XIII, 36. et V, 102.

28. *Threiciis—aquis,* in portu tuo.

30. *Dure.* Edd. vett.: *iure.* Scripserat Sabinus: *respice, dure;* nisi praefers: *iture.* Sed alterum praestat. *Heins.*

35. *Haec.* Venn., Ald., Col., Mic. et Bersm.: *hic,* quod Nauger. recte mutavit in *haec,* orto errore e compendio scripturae.

36. *Adversis.* Sic Ald.; Venn.: *Adversus. Adversis,* quia copiam apud Phyllida manendi praeberent.

37. *Ponentem.* Ven. 1486.: *petentem.* Ven. 1492.: *ponente.* Aldus: *ponentem.* Construe: *Saepe, cum brachia abitura in c. t. p., gavisum esse (memini) aequora in (zu) fluctus truces mota esse.*

41. *Dicere.* Vett. edd.: *Dices.* Verum, ut a superioribus haec aptius dependeant, legendum: *Dicere. Heins.* „Adeo de me meruisti, ut libere ei dicere possim etc.“ Olim male puncto distinguebatur post *tuis,* unde ortum videtur *Dices.*

45. *Threicia veni rate.* Atqui suis navibus, sed refectis, rediit Demophoon; et remigium tantum dedit Phyllis. Ovid. Epist. II, 45. Neque etiam sen-

Ignoscet fasso: memor est Minoidos ipse,
  Antiquus necdum pectore cessit amor;
Et, quoties oculis circumdat sidera, dixit:
  „Quae fulget coelo, nostra puella fuit.“

sum video in vulgatis. Si enim venit Demophoon *Threicia rate,* quomodo Phyllis non potuit illi dare ratem? Refingerem, si audacia detur:

Remige Threicio veni; nam non dare Phyllis
  Quam voluit, iussit tardius ire ratem —

vel:

Remige Threicio veni; rate nam dare Phyllis
  Quam potuit iussit tardius ire meam.

Ut excuset Demophoon suas moras, quas in remiges confert, quibus instruxit classem Phyllis Demophoontis, et simul illis mandavit, ut tardius impellerent naves, nunc demum refectas. Ipsa aut poterat dare integram et recentem, sed noluit accipere. (??) *Burm.* Waddelus: *Denique Thr. rate non veni, d. Ph. Q. potuit: iussi t. i. meam.* Nihil scriptura vulgata sanius. Nam quod iuxta Ovidium Phyllis remigium tantum dedit, hoc autem loco *ratem* dedisse fingitur, non satis intellexisse videntur illi viri eruditi, esse hunc locum Demophoontis suum in Phyllida amorem et apud eam moras apud patrem excusantis, et caussas morandi ingeniose invenientis. Quomodo autem, si Demophoon *Threicia rate* venerit, *non dare* illi ratem Phyllis potuerit, planum erit, si modo Threicium regnum Phyllidis esse memineris.

47—49. *Ignoscet — — — dixit.* Vulgo: *Ignosce et fasso; memor es Minoidos ipse, Ant.* (Ven. 1492.: *Ignosce, et faxo memores Minoidos: ipse Antiquus.*) Opinor, a Sabino v. 49. relictum fuisse:

Et, quoties oculis circumstant sidera, dixti —

ut perstet Demophoon in incepto ad patrem sermone; aut, si propius insistendum vulgatae lectioni:

Et quoties oculos circumstant sidera, dixit.

Sed tum paullo ante refingatur:

Ignoscet fasso: memor est Minoidos ipse.

Heins.

Versu 47. illud *et* nihili est; et sequentia quoque *circumdant, dixit,* tertiam hic personam requirunt; ut nihil verius esse videatur, quam Heinsii coniectura. Sed v. 49. vulgata non movenda; est enim *circumdat oculis sidera* pro *ut stella apparet,* caput (oculos) sideribus (stellis) vestit, ornat, sc. Minois, Ariadna. *Dixit* autem cum Lennepio in *dicit* mutare equidem non audeo, quod est, ut saepe, perfectum cum potestate *solere.* Margo Bersm.: *dicis.* Olim scribendum videbatur:

Et quoties oculos circumdant sidera, etc.

De sententia v. 47. conf. Ov. Epist. VIII, 39. Ven. 1486.: *Circuerat.*

51. *Cedere.* Construe: „Bac-

Illum dilecta Bacchus sibi cedere iussit
  Coniuge; desertae crimen at ille subit.
Exemploque patris periurus dicor et ipse,
  Nec quaeris causas, Sithoni dura, morae;
Nec satis ampla putas redituri pignora, si me
  Non amor alterius, non amor ullus habet.
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
  Theseos et miserae retulit acta domus?
Non laqueos audis carae me flere parentis?
  Flebilior laqueis, heu mihi, causa subest!
Non fratrem Hippolytum? cecidit miserabilis ille
  Praeceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuso reditus, licet undique fata
  Accumulent causas: tempora parva peto.

chus, dilecta eius coniuge, illum iussit sibi (deo) cedere, at ille, qui cessit, concessae, desertae crimen subit.“ Ven. 1492.: *credere.*

52. *Desertae crimen at ille subit.* Vid. Ov. Epist. II, 76. Conf. not. ad Epist. X.

55. *Redituri,* me rediturum esse.

59. *Laqueos carae.* Edd. vett.: *cari.* De laqueis Thesei nihil mihi lectum; et de patre, ut adhuc vivo, sed exsule regni, mox locuturus est. Quare legendum: *carae me flere parentis,* et ita citat hunc locum Meursius in Theseo c. 30., ut Phaedram intelligat, quae laqueo vitam finivit. Sed an recte unus idemque Demophoon doleat Hippolyti casum et maternae mortis infamiam, viderit Sabinus; nisi per illa verba: *Flebilior laqueis heu mihi causa subest,* indicet, matris crimina caussam esse tristiorem ipsa eius morte. Burm. Recte locum intellexit Burm.: Fabula nota est. Nam quum Phaedra privignum amaret, neque ille huius amori obsequi vellet, apud patrem detulit, tanquam stuprum sibi per vim inferre voluisset. Theseus re audita optavit a Neptuno filio suo exitum. Itaque cum Hippolytus equis iunctis veheretur, repente e mari monstrum apparuit, quo exterriti (*attoniti* v. 62.) equi Hippolytum distraxerunt vitaque privarunt. *Hinc flebilior laqueis causa.* Phaedra se ipsa suspendio necavit. Hyg. F. 47., Euripid. et Senec. Hippol., Virg. Aen. VII, 761. sqq., Ov. Fast. III, 265. et VI, 737., Cic. de Nat. D. III. c. 31., de Offic. I. c. 10. et III. c. 25. ibique Beier., Meziriac. l. l. T. I. p. 317. et 323.

63. *Non tamen excuso reditus,* pro: Non tamen has excusationes adfero, ne redeam. Similiter plane Tacitus Annal. I. c. 44.: *Reditum Agrippinae*

Thesea, quod superest, patrem tumulabimus ante;
  Succedat tumulo non sine honore decens.
Da spatium veniamque, peto: non perfidus absum,
  Nec mihi iam terra tutior ulla tua est.
Quicquid mite fuit post diruta Pergama, quicquid
  Aut bella aut pelagi detinuere morae,
Sola fuit Thrace. Patria quoque iactor in ipsa:
  Auxilium superes casibus una meis.
Si modo mens eadem, nec, quod sit tam mihi dives
  Regia Cecropia nunc minus arce, movet;

excusavit ob imminentem partum et hiemem. LENN.

64. *Causas,* sc. morandi. *Tempora parva peto* imitatio est Ovid. Epist. VII, 178.

66. *Decens.* Legendum *decet.* Par est, parentem honorifice mandari terrae mortuum. *HEINS.* Imo; *decens* est pro *decenter.*

68. *Tutior.* Mallem *gratior* vel *laetior.* Heinsius malebat *mitior.* BURM.
Lectio *tutior* satis confirmatur sequentibus: *Quicquid aut bella etc.,* et *patria quoque iactor in ipsa.*

70. *Detinuere.* Quidquid morae detinuere bella et pelagi, h. e., quidquid, quantumcunque temporis cessarunt bella et pericula maris, solum fuit tempus illud, quo in Thracia commoratus sum. Per solas in Thracia moras a bellis et pelagi periculis tutus fui.

71. *Thrace.* Venn.: *Thracae.* Aldus: *Thrace.* Deinde vett. edd.: *in illa*; sed *in ipsa* scribendum. De turbata Thesei domo iam fuse supra a Demophoonte est actum. *HEINS.* *In illa* sensu caret. *Patria in ipsa* rectum est, quod opponitur vel potius respondet *bellis* et *pelagis* v. 70.

72. *Superes.* Tu una c. m. a. superes. Ven. 1492.: *superes;* reliquae vett.: *superest.*

73. *Nec, quod etc.* Ven. 1492., Ald. et sqq.:

— — — nec quod sit iam mihi dives
Regia, Cecropia non minor arce, movet.

Haudquaquam idoneo sensu, quod probe animadvertens Heinsius malle se scripsit: *nec tam quod sit tibi dives Regia etc.* Sine dubio *tibi* legendum etiam Burmannus pronuntiat. Nobis nihil esse caussae videbatur, cur non ordinem duntaxat verborum, quem vulgata habet, servaremus; ceterum Heinsio, partim etiam Burmanno obtemperantes dedimus: *nec quod sit tam tibi dives,* tum magnorum virorum auctoritate, tum et eo moti, quod Phyllidis regiae mentio fiat etiam Epist. Ov. II, 89. Neque immerito tamen alicui scrupulum iniiciat, quod, quae sequuntur, omnia ad Demophoontem pertinent, quibus ut priora responderent, ita fere procedere sententia debebat: „Si modo

Nec patris offendunt casus nec crimina matris,
Nec iam non felix omine Demophoon.
Quid, si Phoebeam peterem te coniuge Troiam,
Perque annos sequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis: toto laudatur in orbe,
Exemplum fidi non leve facta tori.
Illa piae — sic rumor ait — mendacia telae
Struxit et instantes distulit arte procos;

mens tibi eadem est erga me, quae fuit ante domus meae calamitatem, *nec movet te, quod divite regia exciderim,* nec Thesei patris casus te offendunt, nec Phaedrae matris crimina, nec infausta mihi cuncta iam auspicia." Quid, si in hunc sensum legas: *nec quod iam non mihi dives Regia, Cecropia non minor arce, movet* — ut hic *arx Cecropia* (sicut apud Ovid. Metam. VI, 70.) intelligatur rupes sive *πέτρα Κεκροπία,* quam altitudine regia aequaverit? *Lenn.*

In Lennepiana coniectura, ut mea quidem opinio fert, nimis quaesita est interpretatio illius *Cecropia arce minor,* nec triplex illa in eadem sententia negatio facile probari potest. Quid, si legamus:

— nec, quod sit tam mihi dives
Regia Cecropia nunc minus arce, movet —

„nec movet, quod nunc minus (non amplius) regiam divitem in arce Cecropia habeo."

76. *Omine.* Ven. 1486.: *omnia,* solemni permutatione.

77. *Phoebeam.* Vid. ad Ovid. Epist. I, 67. et XVI, 182.

79. *Audis: toto laudatur i. o.* Malo:

Penelopen audis, toto laudetur ut orbe —

quomodo in Trist. Naso V, 14, 37.:

Cernis, ut Admeti cantetur et Hectoris uxor.

Heins.

Minime opus est; nec sententia iuvari mihi videtur recepto a Iahno post voc. *audis* signo interrogandi.

80. *Exemplum.* Ven. 1486.: *Exemplum sibi cum leve.* Margo Bersm.: *fidei,* quae est interpretatio *fidi tori.*

81. *Piae.* Edd. Venn. et Ald. 1502. et 1515.: *pie.* Heinsius ex Ald. 1533. recte probat *piae.* Vid. not. ad Epist. I, 17.

82. *Procos.* Vulgo: *toros.* Sed diu est, quod *procos* corrigendum vidi. Confirmat id ed. Ven. 1492. Ovid. Pont. III, 1, 107. 108.

Aemula Penelopae fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.

Metam. X, 568.

— — — — instantem turbam violenta procorum
Conditione fugat.

Heins.

83. *Noctu.* Vulgo: *noctis.* Margo Bersm.: *noctu.* Recte; ut *palam* sit luce, interdiu; (Nuc. v. 147.

Cum properata palam revocaret stamina noctu,
Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant spreti connubia Thraces,
Phylli, times. — Uni nubere, dura, potes;
Estque tibi pectus cuiusquam accedere taedas,
Obstat perfidiae nec metus iste tuae?
O tibi quantus erit facti rubor; ah tibi quantus
Tum dolor, adspicies cum mea vela procul:
Damnabisque tuos sero temeraria questus;
„Demophoon" dices „hei mihi, fidus erat.
„Demophoon rediit, et saevos forsitan Euros
„Passus, et hibernas dum quoque currit aquas.
„Ah cur nescio quam properavimus, hei mihi, culpam;
„Rupi, quam ruptam sum mihi questa, fidem?"

Quid tamen hoc prodest, media si luce palamque
Verberor —)

cum Penelope stamina palam properata revocaret noctu. *BURM.*

85. *At tua etc.* Vid. Ov. Epist. II, 81.

86. *Uni.* Aldus: *Ulli,* quod ortum habere videtur ex illo *cuiusquam* versus sequentis.

87. *Taedas.* Quod hodie vulgatur *taedae,* coniectura Heinsii est. *Accedere* cum accus. recte construi, docet Forcell. *Taedae* pro nuptiis, ut passim.

89. *O tibi.* Burmannus cum Heinsio: *Ah tibi.... ah tibi.*

93. *Demophoon rediit.* Ald., Naug., Bas.: *redit huc.* Sed edd. Venn., Mic. recte: *rediit.* Producit enim ultimam syllabam in *rediit, adiit, abiit, subiit, iniit* Ovidius, nec sine aliorum poetarum exemplo. Vid. ad Ovid. Epist. VI. *HEINS.* *Rediit* etiam Bersm. Sed in margine Bersmannus notat alios legere:

En mihi Demophoon et saevos redditur Euros
Passus, et hibernas, dum freta sulcat, aquas.

94. *Et hibernas dum quoque currit aquas.* Sic locum correxit Aldus. Venn.: *dum quoque credit.* Heinsius coniecit: *dum properavit,* vel: *dum freta currit;* Francius: *huc ubi currit;* Burmannus: *et hibernas, dum modo currat, aquas.* Mihi legendum videtur: *et hibernas, dum neque curat, aquas. LENN.* „Demophoon rediit, dum forsitan et saevos Euros passus est et hibernas quoque aquas currit." Certe et sensu non mala scriptura Aldi, nec longe discedit a literarum ductibus Venetarum *credit.* De *currere* cum accus. dictum est ad Epp. Ovidii.

95. *Properavimus.* Francius coniecit: *properavi credere;* Lennep.: *properans mihi fingere culpam.* Nihil mutandum videtur: *properat Phyllis culpam* statim

Sic tamen ah potius, sic perstes; quam mihi de te
Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor.
Quos tibi -- me miserum! -- laqueos, quae fata minaris?...
Et nimis audaces gens habet ista deos.
Parce, precor, famamque domus mihi, crimen habentis
Perfidiae, gemina ne preme, dura, nota.
Excuset patrem fatis in parte relicta
Gnosis: non merui, cur ferar ipse nocens;

de Demophoontis perfidia cogitando.

97. *Sic perstes*, attamen sic potius perstes, sc. perfidum me credens, quam ulterior me de te dolor tangat. Innuit enim *laqueos*.

98. Ven. 1486.: *pectore*, et v. seq.: *fata minoris*. Ad v. 99. conf. Ov. Epist. II, 141. 142.

100. *Deos*. Ego illam deorum audaciam confiteor me non intelligere. Plures versus, cum quibus hic versus cohaeserit, puto excidisse. Olim de Baccho cogitabam; verum quid tum esset illud *ista gens*? Burmannus cum Francio putabat *manus*, et periculosius et contextui parum conveniенter.

101. *Famamque*. Sic recte Nauger. primum dedit. Venn., Ald., Bas.: *flammasque*. Mic. et Bersm.: *flammamque*. Pro *mihi crimen* Heinsius malebat: *iam crimen*, vel *male crimen habenti* (*habenti* est in Ven. 1486.); Burmannus: *modo crimen*. Frustra, ut mihi videtur. Construendum: *Parce, precor, neque famam domus meae, quae crimen perfidiae* (propter Ariadnen a patre in Naxo relictam) *habet*, *gemina* (sc. ut mea quoque culpetur) *mihi nota preme*. Ven. 1486.: *gemine — notae*.

103. *Excuset*. Receptam lectionem Aldus primum reposuit. Ven. 1486.: *relicta: Gnoside non merui. cum frater ipse noces*. Ven. 1492.: *relicta Gnoside: non merui, cum ferar ipse nocens*. Margo Bersm.: *Accuset p. fatis praedaeque relicta Gnosis etc*. Constructio paullo impeditior, cuius hic est nexus: „Relicta Gnosis excuset patrem in parte fatis;" sensus autem huiusmodi: „Ariadne, quod sit relicta a patre meo, illum in parte excusare potest fatis;" siquidem *illum dilecta Bacchus sibi cedere iussit Coniuge*. (Vid. supra v. 51. Conf. etiam Schol. Theocrit. ad Id. II, 45.) Itaque fatorum legibus ac divinae voluntati obtemperare quamvis invitus debuit. Inde tamen *crimen subiit desertae* (vid. supra v. 52.), nocens est habitus ab Ariadna, quae *excusare* eum, nisi omnino, certe *in parte* debebat *fatis*. At ego quidem, inquit Demophoon, prorsus non merui, cur nocens ferar. *In parte* idem est, quod aliqua ex parte. Quintil. V. c. 7. *Patronorum in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio est*. *Excusare aliquem aliqua re* phrasis est notissima. Vid. Ov. Trist. III,

Nec venti mea verba ferant, qui vela tulerunt.
Est animus reditus; sed pia causa tenet.

14, 52., ex Pont. II, 57. Lenn. Heinsius coniecit: *Accuset p. f. si forte r.*; Burm.: *Accuset p. f. si nocte r.;* Withof.: *Excuset p. f. in rupe relicta G.;* Bentlei.: *Excuset p. f. non sponte r.*

105. *Nec — ferant.* Vulgo: *Nunc — ferant.* Ad Ovidianae Epistolae II, 25. hic respici, ac proinde *Nec — ferant* legendum esse, recte vidit Medenb. Wakker. Amoenit. Liter. c. 14. p. 231. Lenn. Confirmat eam l. totus loci contextus et inprimis illud *Est animus reditus.* Quam facile autem *nec* in *nunc* corrumpi potuerit, nemo, qui veterem scripturam novit, ignorat.



EPISTOLA III.

PARIS OENONAE.

Quae satis apta tibi tam iuste, Nympha, querenti
  Rescribam, fateor quaerere verba manum.
Quaerit, nec subeunt: sentit sua crimina tantum;
  Solvere, quae sentit, non sinit alter amor.
Si levat hoc iras, ipso me iudice damnor.
  Quid refert? Causa tu meliore cares;
Damnatumque tibi non sub sua iura Cupido
  Retrahit; alterius sic quoque praeda sumus.

2. *Rescribam.* Malim *rescribat.* *Heins.* Cum praesertim sequentia *quaerit* et *sentit* de manu dicantur. Verum talia apud poetam, praesertim tam parum elegantem, qualis Sabinus est, non videntur urgenda.

4. *Solvere, quae sentit.* Alter, novus amor (Helenae) non sinit, dissolvere, ponere, crimina, quorum sibi conscia est. Ven. 1486.: *Solve que sentit: non fuit a. a.*

5. *Hoc.* Edd. vett.: *hic. Hoc* Gronovius; nec dubium, quin recte. *Heins.* Vid. Epist. I, 7.

6. 7. *Cares etc.* Vett. edd.: *cares.* Heinsius *cales* dedit, h. e. irasceris, indignaris, quod cum Burmanno amplexi sumus. *Cades,* quod iam Bersmannus coniecerat, nec ipse Heinsius improbat, non satis congruere mihi videbatur cum sequentibus: *Damnatumque.* Is enim, cui damnatur alter, certe *caussa cadere* dici non potest. *Lenn.* *Cares* dedi cum vulgatis libris, quod hanc habere videtur sententiam: „Quid refert, quid me non ipse damnem; caussa enim tua hoc non melior erit (sequitur huius expositio), et Cupido eum (me), qui tibi damnatus sit, non sub sua (legitimi coniugii) iura retrahit; sic (licet tibi damnati) quoque alterius (Helenae sc.) praeda sumus.“ Locum corruptum me intelligentiori emendandum relinquo. *Damnatumque tibi* (sc. Oenonae) dictum est, ut Cic. Verr. II. c. 8.: *Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat;* Senec. de Ben. IV. c. 4.: *Sic debitori suo creditor saepe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit, quam ex credito petit.* Pro *non sub sua* edd. Bas., Mic., Bersm.: *me sub sua.* Heinsius coniecit: *non sub tua*; Burm.: *me sub nova.*

9. *Fassusque iuventam.* Parum elegans locutio: *amor noster iuventam fassus est te primum coniuge accepta,* pro *iuventam egi, iuvenilis amor fuit.*

Prima meis tu pacta toris, fassusque iuventam
Te primum accepta est coniuge noster amor.
Nondum tantus eram, — quo me genitore superbum
Arguis, hoc dominus tunc retinendus eram —
Non ego Deiphobum sperabam aut Hectora fratrem,
Cum pastos agerem te comitante greges;
Reginamque Hecuben non matris nomine noram.
Et fueras illi digna manere nurus.
Sed non est rationis amor. Te consule, Nympha:
Laesa es, sed laesam scribis amare tamen;

12. *Hoc dominus tunc retinendus eram.* Sic praeter Ven. 1486. (quae exhibet *dominis*) edd. vett. omnes. Inepte, etiamsi cum Withof. in d. Spec. p. 146. pro *tunc* legas *nunc*. Gronovius probabiliter *hoc domino*. Nobis tamen elegantius videbatur *huic domino*. Pro *huic domino t. retinendus* Heinsio placebat *huic domino t. renuendus*. Sed hoc nimium. *Tenere* ut *retinere*, ut sunt universe verba possessionis et dominii, ita proprie *retineri dominis* dicuntur servi. Vid. L. 1. §. 1., L. 3. §. 3. 4. 5., L. 4. pr. §. 1. et 2. D. de Homine Libero exhibendo. Lenn. Et hic locus mihi non aptum praebere sensum et plane corruptus videtur. Est Withofii coniectura: *hoc dominus nunc*, Gronov.: *hoc domino*, Lennep.: *huic domino*, Heinsii altera: *Arguis, hoc domino, te retinendus hera*. Conr. Heusing. dedit: *hic domino iure timendus erat*.

15. *Non matris nomine.* Vett. edd.:

Reginamque Hecuben nisi matris nomine noram.

Scribendum, ni fallor:

Reginaeque Hecuben, non matris nomine noram. *Heins.*

Mihi a Sabini manu videtur, quod cum margine Bersm. dedit Iahn:

Reginamque Hecuben non matris nomine noram.

Quod etiam egregie respondet versui 13.: *Non* sperabam Deiphobum aut Hectora *fratrem*, (tanquam) reginam Hecuben noram, non *matris* nomine. Withof. d. l. emendabat: *sine matris nomine*.

18. *Laesa es, sed.* Ven. 1486.: *Laederes et*, unde Vossius in Arte Gramm. coniectabat: *Laederis et*, quod nuper recepit Iahn. Reliquae vett. edd.: *Laesa es et*, unde Heinsius et Burmannus et reliqui dederunt: *Laesa es, sed.* Quam facile autem e vetusta scriptura *Laesa es set* oriri potuerit *Laesa es et*, nemo non videt. Margo Bersm.: *Laesa es te. Laesa es*, sc. a me, propter spretum tuum amorem. Vid. infra v. 32., 71., 72. et inprimis v. 49. *Amare*, sc. me, ut patet e disticho sequenti et vv. 47—49.

Cumque petant Satyri connubia, cum tua Panes,
  Reiectae memor es tu tamen usque facis.
Adde, quod hic fatis amor est adiutus, et illum
  Praescia venturi viderat ante soror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi sederat aure,
  Et cecinit Graios illa vocare toros.
Omnia vera vides: superant mea vulnera tantum,
  Utque tuam supplex poscere cogar opem.

19. *Satyri.* Vid. Ovid. Epist. V, 135. et seqq.

20. *Reiectae.* Edd. vett.: *Deiectae.* Emenda: *Reiectae.* Byblis Ov. Metam. IX, 512.

Ergo ego, quae fueram non reiectura petentem,
Ipsa petam?

Ibid. v. 607.

Et si reiicerer, potui moritura videri.

Reiici idem quod *repelli* in re amatoria. Horat. Od. III, 9, 19.

Si flava excutitur Chloë,
  Reiectaeque patet ianua Lydiae.

Heins.

„Tamen usque amoris mei memor es." Venn.: *memores,* quod Aldus primus divisit.

21. *Adde, quod hic meus amor fatis est adiutus.* Edd. Plant., Mic. et Bersm.: *his fatis.* Ven. 1486.: *est aditurus.*

22. *Soror,* Cassandra. Vid. Ov. Epist. V, 115.

24. *Et—toros.* Vett. edd., etiam Burmann.: *Nec cecinit* (Ven. 1486.: *cecinis*) *Graios illa vocare viros.* Pessime. Illud quidem ex antecedentibus dubium non est, quin facta fuerit in hoc versu mentio Paridis cum Helena coniugii, iam praedicti illius a Cassandra ante cognitum Paridi ipsum nomen Helenae. Itaque probabilis certe emendatio Heinsii, quam amplexi sumus: *Et — — — toros.* Supplendum autem *me* ex antecedente *mihi,* nisi malis *Me cecinit* (ut dedit Heusinger).

Lenn.

Sensus est: *Et cecinit, vaticinata est, a Graio* (sc. Helenae) *me coniugio vocari.* Altera est Heinsii coniectura: *Hanc c. G. i. v. viros.* Cuper coniecit: *Et cecinit G. bella v. viros;* Burm.: *Cum cecinit G. i. v. viros,* vel: *Cum cecinit Graias mille movere rates;* Gronov.: *Hanc cecinit G. i. tenere toros.* Ad sententiam conf. Ov. Epist. XVI, 20. et 35. sqq.

25. *Vides.* Ed. Bersm.: *fides.*

26. *Utque—cogar.* Venn., Ald., Naug., Bas., Vinc. et Col.: *cogor.* Lege (cum Micyllo et Bersm.): *cogar.* „Omnia, inquit, quae soror praedixerat, facta esse, vera esse vides; *tantum* enim mea vulnera (meus in Helenam amor) superant, *et ut cogar tuam* (sc. medendi) *opem exposcere.*"

28. *Victuri.* Ven. 1486.: *Victure* (i. e. *ae*) —*pectore.* Heinsius coniecit: *Victa viri;* Burm.: *Fixa viri.* C. Heusinger dedit: *sumo.* Sed vulgatum bene interpretatus est Lennepius: „Si

Te penes arbitrium nostrae vitaeque necisque:
Victuri iam nunc pectora sume tibi.
Flevisti, memini, tamen hac in voce canentis,
Et „Mala“ dixisti „sint precor ista procul;
„Nec sic fata ferant, tulerint sic cetera quamvis,
„Ut possim Oenone perdere laesa Parin.“
Tot superare metus, qui me, nec cedere cogit, —
Ignoscas — idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille deus: cum vult, in cornua tauri,
Cum vult, in pennas destruit ille Iovem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris — heu flammis nata puella meis! —;
Si sua non cycno mutasset Iupiter ora.
Fluxerat in Danaës aureus ante sinus,
Piniferamque Iden falsus lustraverat ales,
Inter Agenoreas constiteratque boves.

tanta potestas est tibi, iam nunc pectora (animum, amorem) eius, qui tuo beneficio victurus sit, tanquam debita tibi sume, tibi adscisce, vindica.“ Conf. infra v. 79. et seqq.

32. *Laesa Parin.* Sic dedit Heins. Vett. edd.: *Parim.* Vid. ad Epist. I, 1.

33. *Cedere.* Vulgo: *credere.* Scripsi *cedere,* et interpretor: „Amor, qui me cogit tot metus superare et non cedere, (ignosce, me hoc dicere), idem te quoque fallit, superat.“ Unde ad potestatem Amoris ulterius describendam abripitur.

34. *Ignoscas.* Ven. 1486.: *Ignoscat.*

35. *Imperat ille deus. Deis* scribendum. Hinc *θεῶν δυνάστης* Anacreonti Cupido dictus. Conf. Ovid. Epist. IV, 12. *Heins.* Et sic post Heinsium editores ad Amarum usque omnes. Sed cum Amaro et Iahno et vett. edd. omnibus scribendum esse *deus,* vss. 43. et 47. satis ostendunt.

36. *Destruit,* a maiestate sua deiicit. Ven. 1486.: *destulit.* Ed. Bersm.: *instruit.*

40. *Fluxerat.* Fabula exposita est ad Ovid. Epist. XVI, 250.

41. *Piniferamque Iden.* Idem appositum Idae tribuit Stat. Silv. III, 4, 12.: *Pinifera multum felicior Ida.* Virg. Aen. V, 449.

Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Sic et *pinifer Simois* Statio dictus Theb. XII. Est enim Phrygia pineis silvis instructissima; unde et Idaeae Matri haec arbor sacra. *Heins.* Conf. Ov. Epist. XVI, 105. Edd. Venn.: *Piniferumque.* Ven. 1486. et Naug.: *Idem.* Vid. ad Epist. I, 1.

42. *Inter Agenoreas.* Vid. ad Ovid. Epist. IV, 55.

Victorem Alciden dominae quis pensa tenere
Crederet? At lanas nere coëgit Amor.
Dicitur et Coa sedisse in veste puellae;
Illa Cleonaeo tecta leone fuit.
Te memini Phoebum, Oenone, — mea crimina dico —
Fugisse, et nostros praeposuisse toros.
Non ego praestabam Phoebo; sed tela Cupido
His in te voluit legibus ire sua.
Consolere tamen digna tua pellice damna:
Quam tibi praetulimus, nata puella Iove est.
Sed quod nata Iove est, minimum me tangit in illa;
Quod non est facies pulcrior ulla, nocet.

44. Vid. Ovid. Epist. IX, 73. et seqq.

45. *Coa.* Edd. vett.: *Coae.* Lege *Coa in veste.* Omphale enim Lyda, non Coa. Propert. I, 2, 1. 2.

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?

Et II, 1, 6.

Hoc totum e Coa veste volumen erit.

Tibull. II, 4.

Hic dat avaritiae causas et Coa puellis
Vestis.

In hac insula Pamphilen, Latoi filiam, primum invenisse subtilioris texturae artificium scriptores tradunt. Vid. Salmas. ad Solinum p. 101. Possis etiam interpretari: *Coae in veste puellae,* quam puella *Coa* laboravit; sed minus bene. *Heins.* Lectio *Coa* firmatur etiam v. sequenti: „Ille sedit in Coa veste puellae suae (Omphales) et puella tecta fuit Cleonaeo leone Herculis.“ De re vid. Ov. Epist. IX, 101. et 111. De *Cois vestibus* vid. Forcell. v. *Cous,* Mitscherl. ad Hor. Od. IV, 13, 13. et inprimis Heindorf. ad Horat. Sat. I, 2, 110. *Cleonae* oppidum Peloponnesi prope Nemeaeam silvam. Plin. H. N. IV. c. 6. Hinc *Cleonaeus leo* pro Nemeaeo, de quo dictum est ad Ovid. Epist. IX, 60.

48. *Fugisse.* Vid. Ovid. Epist. V, 141.

50. *His legibus,* sc. ut me amares et Phoebo praeferres.

51. *Consolere.* Vulgo nunc e Heinsii coniectura editur *consolare.* Nos cum edd. Mic. et Bersm. dedimus *consolere,* quae l. firmatur etiam lectione veterum edd.: *consuluere.* Quod ad constructionem *consolari damna* attinet, vid. Ovid. Fast. II, 821. et Virg. Aen. XII, 110. et Georg. IV, 464. *Pellice.* Vid. ad Ovid. Epist. XIV, 95.

53. *Minimum.* Venn.: *nimium.* Aldus primus dedit *minimum.* De gen. neutro pro adverb. dictum est ad Ov. Ep. XVIII, 82.

54. *Nocet.* Heinsiana coniectura *movet* facile carere pos-

Atque utinam formae iudex incallidus essem
Creditus Idaeis, Pegasi Nympha, iugis:
Non mihi Iunonis nec obesset Pallados ira,
Laudata est oculis quod Cytherea meis.
Dividit haec aliis flammas celeresque paresque,
Ut libitum est, nati temperat ipsa faces;
Non tamen evaluit vitare domestica tela,
Quos aliis arcus, et sibi dura tulit.
Deprensam coniux illam in Mavorte dolebat;
Testibus hic divis cum Iove questus erat.
Iam dolet et Mavors. Terras, utroque relicto,
Praetulit Anchisen haec habitura suum.

sumus. Conf. Ov. Epist. II, 10.

56. *Idaeis.* Vid. Ovid. Epist. XVI, 53. et XVII, 115. Sensus est: „Utinam incallidus formae iudex habitus essem, neque illud mihi esset iudicium in Idae iugis delatum.“ De *Pegasi Nympha* vid. ad Ovid. Epist. V, 3.

61. *Non tamen.* „Neque tamen ipsa Amoris violentiam potuit effugere.“ *Domestica,* domus suae, filii. Conf. v. 70.

62. *Quas aliis arcus etc.* Eodem modo Veneri arcus filii tribuit Euripid. Med. 632.

Μήποτ', ὦ δέσποιν', ἐπ' ἐμοὶ
Χρυσέων τόξων ἐφείης,
Ἱμέρῳ χρίσασ', ἄφυκτον οἰστόν.

63. *Deprensam — dolebat.* Sic recte cum Ven. 1492., Mic. et Bersm. nunc vulgo editur. Ven. 1486. et aliae vett. edd.: *deprensa c. illa.* Burmannus coniiciebat: *cum Marte.* Sed mihi poeta illud *in Mavorte deprehendere* cum acumine quodam dicere videtur. Conf. Ov. Amor. III, 6, 25. et 41.

64. *Testibus hic.* Burmannus sine omni caussa coniiciebat: *Testibus et.* Turpissimos hos Martis cum Venere concubitus et Vulcani apud deos questus, et Martis, postquam Neptuno rogante vinculis, quibus detinebatur, a Vulcano absolutus erat, in Thraciam fugam lepide narrat Hom. Od. VIII, 292. sqq. Quem imitatus est Ovid. in Metam. IV, 171. seqq.

65. *Terras utroque relicto.* Vulgo nunc editur:

Iam dolet et Mavors terras ultroque reliquit.

Quod etiam vett. edd. tuentur, nisi quod Ven. 1486. exhibet *et Mauros terras ultorque,* Ven. 1492.: *relinquit,* et margo Berm.: *coelo terrasque relicto.* Sed non intelligere me fateor, quid sibi velit illud *terras ultroque reliquit* de Marte dictum, et ad quod Mavortis factum illud referatur. Quare mihi ex corrupta scriptura marginis Bersm., et ex coniectura Frid. Heusingeri *utroque relicto* pro *ultroque,* scribendum videtur:

Anchisen propter voluit formosa videri,
Visaque postlatum iacuit ulta deum.

Iam dolet et Mavors. Terras, utroque relicto,
Praetulit Anchisen haec habitura suum.

Haec (Venus) utrumque (Martem et Vulcanum) et cum iis coelum reliquit, et terras praetulit (vid. Hom. Hymn. in Ven. v. 57. sqq.) habitura Anchisen suum. Ceterum hoc l. mire variant libri. Venn.: *hic habitura*; Ald. et Naug.: *hic abitura* (vid. ad Ovid. Epist. IX, 38.); Bas., Vinc., Col. et Mic.: *hinc abitura*; ed. Bersm.: *hunc abitura*; margo Bersm.: *hinc abitura* vel *haec abitura*. Heins. et Burm. ediderunt: *huic habitura*. Burm. coniecit: *terras ultorque reliquit, Praetulit A. haec habitura suum*. Conr. Heusinger dedit, ut Fr. Heusing. coniecit, nisi quod *relictis* pro *relicto*:

Iam dolet et Mavors. Terras, utroque relictis,
Praetulit Anchisen hic habitura suum.

Iahn ut Burmannus et vulgo; sed pro *huic* dedit *haec*. De re, Iul. Firmicus de Error. Profan. Relig.: *Venus in adulterio deprensa detegitur, et post dei nuptias Anchisae hominis cubile sectatur*; Arnob. IV. p. 146.: *Post Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchisae nuptias arsisse ipsam illam Venerem, Aeneadum matrem et Romanae ditionis auctorem*. Vid. Hom. Hymn. in Ven. v. 53. seqq.

68. *Visaque postlatum—deum.* Sic edd. vett., de qua lectione Heinsius „Locus, inquit, inquinatissimus, quem sic constituendum opinor:

Divaque postlatos marcuit ulta deos —

vel *languit*, amore scilicet, ulta in semet ipsa toros Vulcani et Martis posthabitos. Possis etiam:

Bisque ita (vel Bis dea) postlatos marcuit ulta deos —

idque verius reor.“ Apparet Heinsium suis ipsum coniecturis hic diffidere, qui modo sic, modo aliter legendum existimet, nec tam id agere videatur, ut nobis, nisi verba ipsa, certe sententiam auctoris, quam ut sententiam duntaxat aliquam probabilem exhibeat. Nimirum respici debet ad proxime antecedentem versum:

Anchisen propter voluit *formosa videri* —

inter cuius partem extremam et huius principium *Visaque*, uti nexum aliquem intercedere manifestum est, ita semel animadversus ille nexus etiam ad reliquas difficultates expediendas, sententiam pentametri inveniendam, verba vitiosa corrigenda viam nobis sternat haud difficilem. Illa enim, quae dixi, conferentibus facile liquebit in utroque versu sermonem esse de nobili illo formarum iudicio, cuius iam supra ab se memorati v. 55. et sqq. denuo Paris hic mentionem facit ad probandum ipsam quoque Venerem, quamvis deam et Amoris matrem, aeque tamen ac mortales, filii sui faces experiri, quae, in Martis

Quid mirum est, potuisse Parin succumbere Amori,
  Immunis sub quo non fuit ipsa parens?
Quam laesus Menelaus amat, non laesus amavi;
  Adiice, non laeso quod comes ipsa fuit.
Et magnos, video, cogit mihi rapta tumultus,
  Armataeque petunt Pergama mille rates.
Non vereor belli ne non sit causa probanda:
  Est illi facies digna movere duces.
Si mihi nulla fides, armatos respice Atridas:
  Quam sibi sic repetunt, sic retinenda mihi est.

primum adulterio *deprensa*, Marti iam Anchisen, hominem deo, praetulisset, eumque tam perdite amaret, ut propter hunc maxime *formosa* prae ceteris deabus videri voluisset, aliasque deas in certamen secum pulcritudinis descendere indigne tulisset, quas tamen ulta esset, visa Paridis iudicio formosissima.

> Anchisen propter voluit formosa videri
> Visaque collatas sic fuit ulta deas.

Ita si legas, erunt, ni fallor, omnia perspicua. LENN. Sed quae haec futilis fabulae perturbatio, ut Venus propter Anchisen maxime formosa prae ceteris videri voluisse fingatur, atque illud *ulta deas*, ubinam usquam ulla Veneris irarum facta reperitur mentio! Heusinger dedit:

> Visaque, postlatos maeruit ulta deos.

Iahn coniecit:

> Visaque postlatum iactat inulta deum.

Quod propter bonitatem sensus suscepimus reliquisque lectionibus praetulimus: „Et visa (formosa) iacuit (cum sensu nequitiae) ulta postlatum (spretum) Vulcanum.“

69. *Quid mirum est etc.* Edd. vett.:

> Quid mirum est, potuisse pari succurrere amori,
> Immunis sub quo non fuit ipse (Bersm.: ipsa) Paris.

Marg. Bersm.: *ipsa Parin.* Nihil etiam hic sani apparet. Erunt tamen omnia perspicua, si reponas: *Parin succumbere Amori*, et v. seq.: *ipsa parens.* Praecedentia abunde confirmant hanc lectionem. HEINS.

71. *Laesus*, licet spretus ab ea sit.

72. Ed. Bersm.: *ipse fuit.*

73. *Cogit.* Vett. edd.: *cogi.* Lege *cogit.* HEINS. Et sic exhibet margo Bersm. Lennep. malebat etiam *At* pro *Et*, „ut esset obiectionem occupantis.“ Sed potest obiectio etiam lenius per partic. *et* inferri; sed hoc loco nulla obiectio est.

75. *Non vereor — probanda.* Propert. II, 2, 49. respexit:

> Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
> Vel Priamo belli causa probanda fuit.
> HEINS.

78. *Sic retinenda mihi est.*

Quod si vertendae spem mentis concipis huius;
Cur cessant herbae, carmina curve tua?
Cum te nec Phoebi sollertior artibus ulla est,
Phoebeaeque Hecates somnia vera vides.
Te cum sideribus coelo deducere lunam,
Nubibus et memini surripuisse diem.

Vulgo (etiam Amar): *sic metuenda*, nullo satis idoneo sensu. *Retinenda*, ut cum Bersm. et Mic. legit Heinsius, optime respondet praecedenti *repetunt*. LENN.

79. *Huius*, qualem tibi exposui.

81. *Cum*. Sic vett. edd. Heinsius, „ut Latinitatis ratio habeatur," primus dedit: *Nam*, quod nunc pro vulgata est. Verum si quid mutandum esset, leniore mutatione scriberetur *Dum*. Sed *Cum* recte habet. Est enim fere pro *quando*. Vid. Forcellin. in Lexico et conf. Ov. Epist. XXI, 151. et Amor. III, 9, 35. De re, conf. Epist. V, 147. et seqq.

82. *Somnia vera*. *Omina vera* Passeratius legit ad Propert. IV, 4, 23., quomodo Propertius ipse *omina lunae* illic dicit. Vid. Ov. Epist. IX, 40. HEINS.

Phoebeae Hecates, quia Hecate vel, quae eadem dea est, Diana soror Phoebi est; atque eadem poetis Proserpina est, regina inferorum. Vid. ad Ov. Epist. XII, 79. et 168. *Somnia* autem Hecates dicuntur, quia in tartaro domicilia sua habere et filiae noctis finguntur. Hesiod. Theog. 212. *Vera somnia*, quia domiciliis ibi diversis habitantia altera *vera*, altera *falsa* creduntur. Hom. Odyss. XIX, 560.

83. *Te cum etc.* Secuti hic sumus lectionem ab Heinsio probatam Advers. I. c. 12., licet ipse postea in adnotationibus suis ad Sabinum alteram hanc praetulerit:

Te cum sideribus tectam deducere lunam
Nubibus, et memini surripuisse diem —

quam equidem, ut priore, a nobis recepta, longe deteriorem, ita meliorem tamen existimo vulgata et veterum editionum lectione:

Tecum sideribus, tecum deducere lunam
Nubibus, et memini surripuisse diem.

Non ferendum illud *tecum, tecum*. Paris enim quidvis potius quam artes magicas callebat, ad quarum adeo miracula sese obstupuisse dicit in sequentibus. Itaque recte quidem Heinsius incipiente versu *Te cum* disiuncte legendum, medio corrigendum esse vidit. At felicius me iudice in Advers. *coelo*, quam in nota ad h. l. *tectam* correxit; felicius etiam ibi quam hic distinxit. *Coelo lunam cum sideribus deducere, deripere, devocare, excutere*, locutiones sunt in re magica solemnes. Virg. Eclog. VIII, 69.

Pascebam tauros: interque armenta leones
Obstupui placidos vocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoënta vocatum
Adiiciam cursus non tenuisse suos?
Ipse pater Cebren, natae male tutus ab ore,
Cantatas quoties restitit inter aquas!

Carmina vel coelo possunt deducere lunam.

Horat. Epod. 5, 45.

Quae sidera excantata voce Thessala,
Lunamque coelo deripit.

Epod. 17, 2. 4. 5.

— oro regna per Proserpinae
Per atque libros carminum valentium
Defixa coelo devocare sidera —

(ubi vid. Mitscherl.) et 77. 78. Tibull. I, 2, 43.

Hanc ego de coelo ducentem sidera vidi.

Vid. Lucan. VI, 499., Sil. It. VIII, 501. Nec vero *tecta* erat nubibus *luna*, cum deducebatur; immo potius ex ipso aspectu eius, quod illam pro serena pallidam aut sanguinei coloris observarent, magorum eam carminibus deduci veteres vulgo colligebant. Vid. Ovid. Amor. II, 1, 23., 5, 37. Lucan. VI, 500. seqq. At *nubibus* magae *diem surripiebant, Solis equos tenebris abdebant, nubila* (coelo) inducebant, *calido Phoebo praeducebant*. Vid. Ovid. Ep. VI, 86., Metam. VII, 202., Lucan. VI, 466. Ut autem *diem nubibus surripuisse* Oenone hic dicitur, ita apud Virg. est Aen. I, 88.:

Eripiunt subito nubes coelumque diemque.

Burmannus malebat:

Tecum sideribus cinctam deducere Lunam —

iis de Luna, satellitio quasi siderum cincta, additis, quae nescio an ad hunc locum non pertineant. *Lenn.*

85. *Pascebam.* Ven. 1486.: *Pascebant,* et Ven. 1492. v. seqq.: *Obstupuit.* De re vid. ad Ovid. Epist. VI, 85.

89. *Ipse pater Cebren — tutus ab ore.* (Vett. edd.: *Ipse pater, seu* [Vinc., Mic. et Bersm.: *ceu*] *rem natae male tutus haberet.*) Diu me exercuit hic locus et quidem frustra; nec tamen defuit successus. Scriptum fuerat primo a librariis: *Ipse pater ceu rem,* unde *seu rem* postea factum, cum nil mutari debuerit; promiscue enim duae istae literae *u* et *b* inter se confunduntur. *Ceu ren* igitur pro *Cebren,* quomodo Oenones pater dictus. Deinde pro *haberet* suspicor *habore* vel *haboret* exaratum fuisse, addita temere aspiratione (vid. supra ad v. 66.). Quare omnia iam sint perspicua, si refingas versum hoc modo:

Ipse pater Cebren, natae male tutus ab ore etc.

Cebrenem Oenones patrem fuisse testantur Parthenius in Eroticis c. 4., Apollod. III., Lycophr. Scholiastes. Hinc *Nais*

Nunc locus Oenonae est, nunc illam ostende; parabis
Sive tuos ignes pellere, sive meos.

Lucano dicta IX, 972. In Nasonis Epist. V, 10. fluminis filiam se dicit Oenone, dissimulato tamen patre. Ceterum quam familiaris error sit literae *B* in *V* mutatae, neminem latere potest, qui membranas antiquas versavit, eiusque naevi exemplum versu proximo denuo occurrit. *Heins.* De *Cebrene* fluvio vid. Stephan. Bizantinus de Urbibus in *Κεβϱηία,* Harpocr. et Strabo XIII.

91. *Nunc locus Oenonae est, etc.* Edd. vett.:

> Nunc locus Oenone est, nunc illas tende, paravit —

praeter quod in Mic. et Bersm.: *parabit,* in marg. Bersm.: *parabis* legitur. Ne suspensum te teneam, lector, locus mendosissimus hoc modo est constituendus:

> Nunc locus Oenonae est: nunc illam ostende: parabis
> Sive tuos ignes pellere, sive meos.

„Nunc tibi locus est, nunc ostende illam Oenonem potentem, quam modo dixi.“ *Illam ostende,* ut apud Sen. Hercul. Oet. Act. 12. *coniugem ostende Herculis.* (Conf. Ovid. Epist. IX, 149—151.) Sic Ov. Epist. VII, 5. *meritae famam,* pro *merita et famam.* Saepe ita a librariis peccatum est. — — Atque haec sunt, quae medelam qualemcunque hisce A. Sabini Epistolis, quae tres ex pluribus supersunt, allatura credidi. Si quis post me manum secundam iis castigandis pari sedulitate admorit, fore auguror, ut pristino nitori maxima sui ex parte restitutae mox legantur. *N. Heinsius.*

VARIAE LECTIONES.

Sequuntur variae lectiones codicum manu exaratorum; et quidem non, ut titulus praefert, codicum duodecim, sed tredecim. Quum enim confecto hoc libro eo consilio, ut ad haec studia Nasonis rite persequenda novas mihi copias criticas pararem, singulare iter suscepi, hac usus opportunitate codicem Argentoratensem (bibliothecae publicae Argentoratensis dico) in ipso illo oppido diligenter contuli atque excussi. Itaque non ingratum lectoribus huius libri futurum existimo, si a titulo atque proposito tantum declinarim, ut illius codicis varias lectiones integras accurateque descriptas adiiciam; praesertim quum eaedem receptam a me scripturam multis in locis mire confirment.

Ceterum de undecim prioribus codicibus, quorum variae lectiones hic proponuntur, in Praefatione huius libri breviter dictum est. De duodecimo autem deque eo, qui nunc decimus tertius accessit, restat, ut paucis dicamus.

Est autem duodecimus codex bibliothecae publicae civitatis Francofurti ad Moenum. In illo codice continentur Ovidii, quae quidem hodie adhuc habemus, carmina omnia, et quae sub eius nomine circumferuntur praeter Medicamina faciei, Halieuticon fragmentum et Consolationem ad Liviam. Est membranaceus optimeque conservatus ac scriptura et luculenta et eleganti. Exaratus videtur saeculo decimo tertio. Sed, quod dolendum est, in Epistolis Heroidum permultis in locis ab altera manu, quae parili fere aetate est, prima lectione erasa, nova primae scripturae, praeter quod nigriore plerumque atramento distinguitur, simillima est substituta; ut permultis in locis primam huius codicis, et exemplaris, unde descriptus est, scripturam non habeamus, quamvis recentior illa saepe emendatior sit. Cautius et prudentius fecit tertia manus, multo illis recentior ac saeculi, quantum ego iudicare possum, decimi quinti, a qua variae lectiones scripturae duarum illarum priorum minutissimis litteris superpositae sunt. In hoc codice continetur etiam Epistola decima quinta, quam in plurimis desiderari in Prooemio et ad hanc ipsam Epistolam diximus; verum neque ab eadem, quamvis non multo recentiori, est manu, neque ut in vulgatis libris

decimum quintum locum tenet, neque ut in aliis codicibus vicesimum primum, verum reliquis Epistolis praemissa est, absque omni titulo, relicto tamen vacuo ad inscriptionem et Prooemium spatio. Versus autem 39—142. Epistolae XVI. et Epistola XXI. a v. 13. in hoc codice, ut in plerisque omnibus, desunt. Mediocri nota hunc codicem notandum censeo. Ceterum hunc codicem, maxima parte primi voluminis iam typis descripta, excutere demum contigit, indeque factum est, ut ibi de undecim meis codicibus saepe dictum sit.

Codex Argentoratensis, si schedulae, quae ei praefixa est, fides habenda, ante aliquot saecula Constantinopoli in Germaniam translatus est, itaque sine dubio e liquido et vere antiquo fonte manavit. Continentur in eo praeter Epistolas Heroidum etiam Epistolae ex Ponto. Aetate usque ad saeculum decimum tertium pertinere videtur. Scholia fere nulla continet praeter paucissimas singularum vocum circumlocutiones, quamvis multo usu admodum detritus sit. Luculentissime atque accuratissime est exaratus, nisi quod nomina propria saepe depravata sunt, et tam pallido scriptus est atramento, ut multis in locis vel intentissima oculorum acie optimisque instrumentis legi vix satis queat. In hoc codice Epistola XV., item CIV illi versus decimae sextae desunt, atque inde coniici merito potest, ab initio vicesimam quoque primam a v. 13. defuisse, de quo, ut nunc est codex, non satis iudicari potest, quum a v. 236. Epistolae vicesimae desinat, et unum et alterum folium periisse, facile, sed quot folia exciderint, non satis appareat. Hunc codicem in melioribus numerandum censeo.

Quod reliquum est, et huius codicis et Francofurtensis variae lectiones, quales hic proponuntur, etiam ex eo momentum habent, quod nobis documento possunt esse, quam negligenter Burmannus varias lectiones enotarit, quantaque levitate eas ad scripturam horum carminum emendandam atque confirmandam adhibuerit.

EPISTOLA I.

V. 1. Dresd., Helmst. *ulixes*. XX priores vv. codicis Giess. legi non possunt. 4. Trev. *troiaque tota*. 5. Guelf. 1. *tum cum*. 8. Trev., Guelf 1. *non*. 9. Goth. 1. *non*. 11. Goth. 1., Erf. *maiora*. 13. Goth. 1. *in me*. 14. Trev. *hectorio*. 15. II Goth., Erf., Franc. *antilocum*. 16. II Goth., Erf., Franc. *antilocus*. Helmst. *doloris*. 17. *menaciadem*. Franc., Arg. *meneaciden*. 19. 20. Goth. 2. *teoptolomus, teoptolomi*. Trev., Goth. 1.,

Franc. *tritolemus, tritolemi.* Dresd., Arg. *triptolomus, triptolomi.* 20. Trev. *causa.* Goth. 1., Erf. *poena.* 21. Giess., Guelf. 4., Goth. 2., Franc. *si quis.* 24. Franc. *cinerem.* 28. Giess., Dresd. *troia.* (Male cum Burmanno in annotatione diximus Arg. et Franc. exhibere *troia,* qui habent *troica.)* Trev., Giess., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *facta;* sed Trev. et Franc. a rec. m. *fata.* 29. Dresd. *que* non habet. 31. Guelf. 1., Goth. 1., Franc. *iamque.* 32. Trev. a sec. m. *proelia.* 33. In Guelf. 3. *hac est* desiderantur. Giess. *hic est.* Giess. *singeima.* Trev. a sec. m. *sycheia.* 35. II Goth., Erf. *ulysses.* 36. Trev. a pr. m., Giess., Guelf. 1. et 4., II Goth., Erf., Dresd., Helmst., Franc., Arg. *alacer miss.* Arg. *missas — equas.* 38. Guelf. 1. *gnato.* Giess. *ipse mihi.* 39. In Trev., II Goth., Erf., Arg. *que* deest. 42. Trev., II Goth., Erf. *troica.* Trev. et a sec. m. Erf. *frangere.* Giess. *captus.* 45. Helmst. et a 2. m. Goth. 2. *tremuere.* Giess. et a 2. m. Trev. *metuere.* 46. Franc. *hismariis.* Trev. *himariis.* Idem Trev. a. 2. m. *ausus.* 47. Erf. *deiecta.* 48. Guelf. 2., 3., 4. *Ilion.* Guelf. 1. *esse solum.* Giess. *an solum.* Trev. a 2. m. *quo* vel *qui fuit.* 50. Helmst. (?) *abes.* 51. Giess. *obruta.* Trev. *mihi soli.* Guelf. 3., II Goth., Erf., Franc. *soli mihi.* 52. Helmst. *captiva.* 57. Arg. *scire licet.* Guelf. 2., Erf., Dresd., Franc. *morandi est.* 59. Arg. *in haec.* Guelf. 3. *peregrina — puppi.* 60. Trev. a 2. m. *rogandus.* 63. Arg. *nelcida.* 64. In Giess., Dresd. *est* desideratur. Franc. *pilon.* 65. Goth. 2. *sparte est.* 66. Erf., Franc. *terras habitas.* Giess. *eras.* Guelf. 3. *abis.* Guelf. 4. *agas.* 70. Giess. *vita* pro *iuncta.* 72. Giess. *paret.* 74. Trev. *viae.* 75. In Goth. 2. *est* desideratur. 77. Guelf. 2., Goth. 2., Dresd., Franc. *narras.* Guelf. 3. *enarras.* Arg. *enarres.* Giess. *mihi.* Guelf. 3. *rustica sit tibi.* Arg. *coniunx* constanter. 78. Trev., Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Erf., Dresd., Franc. *sinit.* 79. Erf. *evanescat.* 81. Trev. *icareus.* 82. Trev. a 2. m. *iussit.* 83. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Arg. *sim.* 86. Giess. *flectitur.* Omnes praeter Guelf. 1., 2., 3. *ille.* 87. Arg. *tenet.* Trev., Franc. *iacintos.* Giess. *tacintos.* 88. Giess. post *turba* habet punctum. 91. Giess., Guelf. 3. *polidum.* Goth. 2., Helmst. *polidon.* Franc. *polipum.* Guelf. 2. *medunta.* Franc. *medenta.* Guelf. 2. *dirum p. medunta.* Guelf. 4. *memorem med. dirum,* et *Polybum* omittit. 92. Giess., Franc. *antonoi.* Goth. 1., Arg. *antonii.* Erf. *alcinoi.* Trev. *alchinoi* et a 2. m. *antilochi.* 95 Giess. *melancius.* Guelf. 2., 3, 4., II Goth., Dresd., Helmst., a r. m. Franc., Arg. *auctor.* 96. Guelf. 3., 4. *accedit.* 99. Trev. *est* omittit. Erf. *ipse.* 100. Giess. *invictis.* Trev. *omnibus inv. d. p. ire pilon.* 101. Giess., Goth. 1. *faciant.* Giess. a 2. m. *iubeant.* 102. Guelf. 3., 4. *atque tuos.* 103. Guelf. 1. et a 2. m. Franc. *haec faciunt.* 105. Giess. *ut* omittit. Giess., Trev. *fit* pro *sit.* Trev. a 1. m., IV Guelf., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *annis.* Margo Erf. et Trev. a sec. m. *armis.* 106. Omnes praeter Dresd. (?) *potest.* 110. Omnes praeter Helmst. et Dresd.

aura. Sed Guelf. 1. a 2 m. *ara*. Trev. a 1. m. *mihi*, a 2. *tuis*. 111. Giess., Goth. 2. *mihi*. 113. Trev. a 1. m., Giess. *claudas*. Goth. 1. *cui* pro *ut*. 114. Guelf. 1. *fatis*. 116. Trev. a 1. m., Giess., Guelf. 1., II Goth., Erf., Franc. *venias*.

EPISTOLA II.

V. 1. Giess. *demorphum*. Arg. *rodopegia*. 3. Goth. 1. *simul*. 6. Trev., Guelf. 2., II Goth., Franc. *sithois*. Guelf. 4. *sytois*. 7. Guelf. 1., Goth. 1., Erf. *quae nos num*. Helmst. *numeras*. Trev. pro v. l. *sperantes*. 8. Trev., Giess., Helmst. *suum*. 9. Guelf. 4., Franc. *quae tarde*. 10. Trev. pro v. l. *nocens noces*. *Nocens* etiam Franc. Giess. *invicta*. Guelf. 1. *invito nunc et amore noces*. Guelf. 4. *invita nunc in amante*. 11. Goth. 2. *notavi*. 13. Goth. 1. *demitt*. Giess. *nolit*. 16. Giess. *for. liquida*. 17. Giess., Trev. pro v. l., Erf. pro v. l. *venires*. Giess. *duplex*. Vss. 18. 19. in omnibus excepto Giess. desiderantur. Giess. v. 18. *cum prece turmoniis sum venerata sacris*. 20. Trev., Guelf. 2., Dresd. *ipse*. 23. Giess. *recedunt*. 24. Goth. 1. *victus*. 25. Guelf. 1., Helmst., Franc., Arg. *et vela et verba*. Goth. 2. *et velaque verba*. Erf. *ventis verba*. 26. Erf. *vela q. r. vela c.* 27. Goth. 1. *nisi quod*, in marg. *nisi non*. 28. Giess. *carmine*. Guelf. 1. a 1. m. *promeruisse*. 30. Giess. *si* pro *sed*. 31. Guelf. 3., Goth. 1., Franc. *ubi sunt*. 34. Guelf. 1. *qui tibi*. 35. Trev., Guelf. 4., Goth. 2., Erf., Franc. *agitatur iniquis*. Trev. pro v. l., Guelf. 1. a 2. m., Goth. 1., Dresd., Arg. *ag. et auris*. Helmst. *et auram*. Giess. *per tumidum ventis ag. in undis*. 37. Giess. *ubi*. Trev. a 2. m., Dresd. a 1. m., IV Guelf., Erf. *fictus*. Dresd. a corr. *falsus*. 39. Arg. a 2. m. *nocentia*. 43. Giess. *munera*. 44. Goth. 2. *in poenis*. 45. Giess., Guelf. 1., 3., Franc., II Goth., Erf. *ha*. Franc. a 2. m. *at*. In Erf. superscr.: *vel at vel et*. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Dresd., Franc., Arg. *puppes etiam*. Erf. *laceras puppes quas*. 47. Guelf. 1. *quod me f. haberes*. Goth. 1. *fugitivus*. 49. Guelf. 3. *quorum est tibi*. Erf. *verbis—blandis*. 50. Omnes *numinibus* praeter Helmst. et Guelf. 3., qui posterior exhibet *muneribus*. 51. Giess., II Goth., Erf., Dresd. *et* omitt. Trev., Goth. 2., Arg. *videntur*. Trev. pro v. l. *iubentur*. Margo Trev. *docentur*. 52. Erf. *artes habent*. Guelf. 1., Erf. *quoque iub*. 53. Giess. *quod iam t. p. prosunt*. *Prosunt* etiam Goth. 2., Erf. Dresd. *quo*. Erf. *tot iam*. 54. Giess. *ante capi*. Trev. *ipsa c*. 56. Guelf. 1., 2., Helmst., Franc. *haec*. 57. Arg. *maculasse*. 58. Goth. 2., Erf. *continuasse*. 60. Erf., Trev. a 2. m. *potuit*. 61. Trev., Guelf. 2., Goth. 1., Erf., Franc., Arg. a 1. m. *quia te*. Arg. a 2. m. *quia me*. Goth. 1. *quod me*. 62. Giess. *queror ex merito*. 67. Goth. 2. *magna in urbe*. 69. Trev., Guelf. 3., Goth. 2. *lectus chiron*; *chiron* etiam Dresd., Erf., Goth. 1. Franc. *lectus schiron*. Arg. *chyron*. Dresd. *procustes*. 70. Dresd. *cinis*. Trev., Goth. 2., Franc. *senis*. Goth. 1., Arg. *scinis*. Pro *mixtaque* Giess. *minota*, Trev.

mistica. 72. Giess. *pursata.* Goth. 2. *celsa.* Guelf. 2., 4., Dresd. *ditis.* 73. Giess. *his* pro *hoc.* Guelf. 1. *post alios.* Guelf. 3. *post illis.* Guelf. 2., 3., 4. *haec—titulos.* Helmst. *titulum.* 75. Trev., Guelf. 2., Goth. 1., Franc. *turba rerum.* 76. Giess. *ingrino.* Goth. 2. *sedet et ing.* 77. Goth. 2. *hoc solum.* Giess. *excusas.* Guelf. 1. *incusat.* Guelf. 2., 4., Erf. *solum hoc imitaris.* 79. Giess. *non.* 80. Goth. 1. *illa sedet.* 81. Giess. *externi.* Erf. *decepti.* 82. Guelf. 1., 2., 3., Giess. *ferar.* 83. Trev., IV Guelf., Franc., Arg. *iam nunc doctas.* 84. Trev. *armiferamque.* Guelf. 1., 4., Goth. 1., Erf. *armigeram.* 86. Giess. *notita.* 88. Trev., Franc. *consiluisse.* Iidem v. 87. *consilui;* sed Franc. a 2. m. utroque loco ut vulg. 88. Goth. 1. *dicor.* 89. Guelf. 1. *neque—tanget.* Helmst. *thraciat.* 90. Giess. *fessave.* 95. Trev., Giess. *lacrimas lacrimis.* Helmst. *profundere.* Goth. 1. *infundere.* Goth. 2. *effundere.* 96. Goth. 2. *quaeque.* 97. Guelf. 4., Helmst. *suprema discedens.* 98. Guelf. 4., Goth. 2., Erf., Franc., Arg. *face.* Helmst. *fac philli.* Giess. *exsp. tu demorphuum.* 102. Trev., Guelf. 1., 4., II Goth. *et tua.* 103. Goth. 2. *te iam.* 104. Goth. 2. a 1. m. *fallit,* a correct. ut vulg. 105. Guelf. 3. *atque.* Giess. *excedimus.* 106. Goth. 2. *roges.* 107. Giess. *demophum.* 108. Giess., Franc. *traicios.* Arg. *trehitios.* 111. Giess. *subegi.* 112. Goth. 2. *non satis.* 113. Giess. *ad ebrum.* 114. Guelf. 1. *exiit.* Trev. a 1. m. *excipit.,* a 2. m. ut vulg. Goth. 1. *amissas.* 117. Giess., Franc., Arg. *thesiph.* Guelf. 4. *in istis.* 120. Goth. 1. *limina nota,* superscr. vulg. 121. Giess. *fumosaque.* 122. Guelf. 1., Franc., Arg. *quaeque.* Omnes *litora.* Guelf. 1., Goth. 2. *nota.* 123. Goth. 2. *pulsatur,* pro var. l. *lassatur.* 123. 124. in Giess. vocabula *frigida* et *sidera* transposita sunt. 125. Goth. 2. *sed quaec.* 128. Trev. a 2. m. *quo.* 129. Goth. 1. a 1. m. *minus,* a correct. *magis.* 130. Giess., Goth. 2. *accipienda.* Erf. *cadens,* a correct. *cado;* idem a 1. m. *ab anc.* 131. Erf., Goth. 2. *abductos.* Goth. 1. *curvatus.* 132. Trev. *molle.* 133. Goth. 2. *hic.* Erf. *undis.* 134. Franc. *pergit.* 135. Erf. *at.* Goth. 1. *ad t. proi. me fl.* Goth. 2. *ad t. me port. proi. lit. fl.* Trev. *flumina port.* 137. Giess. *f. superas.* II Goth., Erf., Dresd., Helmst. *duritie.* Trev., Guelf. 4., Goth. 2., Giess. *ut ferrum.* 138. Giess. *nunc.* 140. Giess. *traiecta.* Helmst. *transictam.* Arg. *traiecto.* 141. Guelf. 3. *quae se.* 142. Guelf. 1., 3., II Goth. *pracbuerant.* Guelf. 2. *praebuerint.* Giess., Guelf. 3., Goth. 2., Dresd., Helmst. *libet.* 141. 142. Guelf. 4. omittit. 143. Goth. 1. pro var. l. *miserum.* 144. Franc., II Goth. *electum.* 148. Giess., Helmst. (?) *neci.* Franc. *ipsa.*

EPISTOLA III.

V. 1. Arg. *ab.* 4. Guelf. 2., 3. *haec.* Helmst. *hac.* 6. Arg. *loquar.* 7. Giess., Guelf. 2. *sim.* Helmst. *reddita.* 8. Guelf. 1., 2., Dresd., Franc., Arg. *haec quoque.* 9. Giess. *erubates me tarribiusque.* 11. Giess., Guelf. 2., Dresd., Franc., Arg. *vultum.*

13. Goth. 1. *potuit.* 14. Goth. 1. *hei tibi.* Giess. *multa.* 15. Trev. pro var. l. *et* vel *sed.* 16. Erf., Trev. a 2. m. et margo II Goth. *rapi.* 18. Guelf. 4. *sed qui me.* 19. Giess., Franc. *ne forte.* 21. Goth. 2. *sim.* Giess. *danda fur t. n. absens.* Helmst. *quamvis.* Trev. *assum.* 22. Goth. 2., Erf. *non.* Guelf. 4. *est* omittit. 23. Giess. *menacides.* Guelf. 1. *tum.* Trev., Franc. *in aure.* 24. Trev. *cur fles.* 25. Trev. *nec.* Giess. *pugnas ne rerdar.* Guelf. 1. *est* omittit. 26. Giess. *nomen habere stude.* 27. Trev. *aminthone.* Giess. *amitone.* 28. Guelf. 1. *iste gradu.* Dresd. *proprior.* 29. Helmst. *lerte.* Arg. *laertae.* Dresd. *laerta.* 30. Omnes, praeter Giess., Helmst., Franc., *blandas.* 31. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Helmst. *lebetes.* 32. Franc. *tripodes.* 34. Guelf. 2., 3., 4., II Goth. a 2. m., Erf., Dresd., Helmst., Arg. *bis septem.* Trev. *currere.* Arg. *equae.* 35. Helmst. *est* omittit. 37. Giess. *non* omittit. 39. Guelf. 1., 2., 4., Erf., Goth. 2. *atride.* 40. Dresd., Arg. *ipse.* Guelf. 4. *neges.* 41. Trev. *villis.* 42. Giess. *tacito* pro *tam cito.* 44. Guelf. 1. *melior hora; hora* etiam Goth. 1. Guelf. 4. *odora.* 45. Trev. *lernesia.* Giess. *ternesia.* 47. Guelf. 1. *vidi et cons.* 50. Arg. a 2. ut videtur m. *matrum.* 51. Trev., Dresd., Erf. *admissis.* 53. Trev. a rec. m. *iurasti.* 55. Guelf. 2., 3. *si licet.* Giess. *doctata veniam.* 57. Dresd. (?) *eos.* Franc. a rec. m. *aura.* 58. Guelf. 3., II Goth., Franc. *linea.* Trev. et Erf. a 2. m. *candida vela;* iidem a 1. m. *lintea plena.* 60. Goth. 2. *animae.* 61. Franc. *relinquis.* 63. Franc. *misero,* a rec. m. ut vulg. 65. Trev., Giess., Franc. *phiciis.* Guelf. 4., Arg. *pithiis.* Guelf. 4., Erf., Trev. a 2. m. *spumescant.* Trev. a 2. m. *ventis.* 66. Giess. *classes.* 67. Goth. 2. *reditus placeant.* 71. Guelf. 2., 3., Trev. *inter et achaidas; inter et* etiam Goth. 1., Dresd., Guelf. 4. Guelf. 4. *achadias.* Arg. *acheiadas.* 72. Goth. 2. *coniux in thalamos.* 74. Trev. *velis.* 75. Guelf. 1. *trahamus.* 76. Guelf. 2. *colus.* 79. Trev. *scindi coram.* 80. Franc. *et leniter.* 81. Giess., Guelf. 1., 2., 4., Goth. 1. *non.* 82. Trev., Giess. *timor.* Helmst. *tremor.* Erf. a 2. m. *concitat.* 84. Giess., Guelf. 3., Erf. *tuos—pedes.* 86. Erf., Dresd. *laceras.* Giess. *impiger danaas.* 87. Guelf. 1. *aeacides.* Goth. 2., Dresd., Giess. *aeacida.* 88. Guelf. 2., 3. *comprime.* 91. Guelf. 3. *putes.* 95. Omnes, praeter Giess., *bello,* quod velim, posita post *fero* media interpunctione, retinuissem. Trev. et Erf. a 2. m. *marte.* Giess. *decessit.* Erf. *recessit.* 97. II Goth. *flexit coniux.* 100. Heusinger de lectione huius versus e IV Guelf. nihil annotavit, nec Kuinoel e II Goth., Erf., Dresd. Sed confirmare ausim omnes habere *domini,* ut reliqui exhibent. L. *dominum* orta est e vetere scriptura, qua, cum *i* punctum non haberet, *doni* vix a *dom* distinguebatur. 101. Giess., Goth. 2. *me dom. mem. quaedam.* Erf. *me quondam.* 104. Trev. *insidiis.* Erf. *mihi.* 106. Guelf. 2., 4. *cum patr. pro patr.* 107. II Goth., Erf., Arg. *quod.* 113. Goth. 1. *tenentur.* 115. Guelf. 1. *et quisquam.* Goth. 1., Erf., Arg. *et quisquis;*

sed Goth. 1. et Erf. a 2. m. *atque aliquis.* Guelf. 2. a 2. m., Helmst., Dresd., Franc., Arg. *quaerit.* Goth. 2. a 1. m. *quaeret.* Erf. *recusas.* 116. Goth. 2. *merumque iuv.* Guelf. 2. *iuvat.* 117. Trev. *tenuisseque puell.* 118. Giess., Franc. *traiciam.* Arg. *trehitiam.* 119. Guelf. 2., 3. *substituisse.* 121. Goth. 2. *dum tibi,* a 2. m. *sed t.* Guelf. 3. *si tibi.* Erf. *pro meritis.* Vss. 122. 123. Trev. omittit. 122. Goth. 1. *gloria maior.* 123. Guelf. 4. *bella placebant.* Dresd. *at tant.* Goth. 2. *cuperes.* Erf. *parabas.* 124. Guelf. 4., Helmst. *laus tibi.* 127. Goth. 1. *o danai.* 128. II Goth. *mixtaque — multa.* 131. Trev., II Goth. *solitis collum.* 132. Guelf. 1., 4., Trev. a 2. m., Franc., Giess., Arg. *praesentisque.* Trev. a 1. m., Guelf. 2., Helmst., II Goth., Dresd., Erf. *praesentesque.* Giess. *meis.* 134. Giess. *imminuere.* 136. Guelf. 4. *meis.* Trev., Guelf. 4., II Goth., Dresd., Erf. *in arma.* Arg. *phyrrus.* 138. Arg. *urge.* 139. Helmst., Erf., Dresd. *at.* Trev. a 2. m. *at vel sed.* 142. Guelf. 2. *haec.* Guelf. 2., 4., Helmst., Franc., Dresd., Erf., Trev., Arg. *animi.* Goth. 1. *mei.* 143. Giess., Guelf. 1., Helmst., Franc. *destituor.* 144. Guelf. 2. *non.* Erf., Trev. *magnificum est.* 145. Giess., Goth. 1. *pectora.* 147. Trev. *ille modo.* 149. Trev., Goth. 1., Dresd. *ah.* Trev. *serves potius n.* Goth. 1. *nostram serves.* Trev., Goth. 1. *tua numina.* 150. Goth. 1. *quae.* Erf. *quam.* 151. Trev., Guelf. 2., Erf. *possis melius.* Franc. *quod.* 154. Franc. *iure.*

EPISTOLA IV.

V. 1. Trev. (pro v. l. *qua),* Guelf. 4. et pro v. l. Erf. *quam.* Giess., Erf. *dederas.* Erf. a 1. m. *salute,* pro v. l. *non est habitura salutem.* 3. Goth. 2. *quidquid est.* Trev. pro v. l. *ep. nostra.* 4. Dresd., Franc. *iuvat.* 6. Trev. pro v. l. *aspicit.* 7. Trev., Giess. *cognata.* 10. Erf. *quod.* 11. Guelf. 2., Goth. 2. *quidquid iussit amor.* Dresd. *hoc quod.* 12. Trev. a 2. m. *dominum—suum,* Giess. *suos.* 13. Erf. *iussit,* pro v. l. *dixit.* 15. Helmst. *avidus.* 19. Erf., Trev. pro v. l. *urit.* Franc. *gravior.* 20. Trev. *secum.* Giess. *tecum.* Arg. *vulnera pectus.* 21. Giess. *laedant.* Dresd. *prima—iuga.* 22. Trev. *subit teneros.* 24. Goth. 1. *vix sedet.* 25. Trev., Guelf. 2., II Goth. *ut a.* Conf. Epist. XV, 1. Goth. 1. *teneris addiscitur.* Giess. *crimenque addiscitur.* Trev., Guelf. 2. *cum discitur,* sed Schol. Trev. ut vulg. 26. Goth. 2. *exapto,* a corr. *exacto.* 27. Guelf. 3. *carpis.* Trev., Goth. 2. *capies.* Erf., Franc. a rec. m. *formae.* Goth. 2. *vitae.* 28. Guelf. 3. *fiat.* 29. Giess., Arg. *ramis—plenis.* 31. Franc. *sed t.* Trev. pro v. l. *sed vel quod t.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., Dresd., Helmst. *sic t.* Guelf. 1. *et tamen.* Goth. 1. *et sic ille.* 32. Giess. *tabe.* 33. Trev. pro v. l. *et.* Guelf. 1., Giess., Helmst., Franc., Arg., Erf. *igni.* 34. IV Guelf. (?) *abest.* 36. Trev., Franc. *praeposuisse.* Giess., II Goth., Dresd., Erf., Helmst. *videar.* Guelf. 1. a 1. m. *videt,* a correct. ut vulg. 37. Goth. 2., Guelf. 3., 4. *credas.* Franc. *credis.* Trev.,

Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., Erf. *mittor.* Guelf. 1., Goth. 2., Dresd. *mutor.* Erf., Dresd. *ad artes.* Vss. 39. 40. in Giess., Guelf. 2. et 4. post 41. 42. positi sunt. 39. Giess., Trev. *cornu.* 40. Guelf. 2., 3., 4., Erf. *subsequar.* 41. II Goth., Franc. *que* omittunt. Guelf. 1., Erf. *prensisque.* Trev. *cervisque ad r. prensis.* Vss. 41. 42. Helmst. omittit. 45. Giess. *servare.* Goth. 2. *cursus.* 46. Giess. *ferocis.* Franc. a 1. m. *sequacis,* a recent. *ferocis vel fugacis.* 47. Trev., Giess., Helmst. *eleides.* Arg., a 2. m. Trev. *neleides.* Giess. *aptae* cum gloss. *agitatae.* 51. Helmst. *iamque.* Arg. *fato generis.* Guelf. 3. *reddemus.* Giess. *credamus.* Trev. pro v. l. *sectamur.* 54. Giess., Goth. 2., Dresd. *e.* Guelf. 1. *ex nostra.* Guelf. 1., a corr. 2., 3., Arg., Erf., Goth. 1., a 2. m. Goth. 2. *petit.* Franc. *petet* et pro v. l. *petat.* 55. Guelf. 1., Helmst., Franc. *Europen.* 56. Goth. 1. *virum.* 57. Trev., Arg., Franc. *pasiphe.* Arg. *honus;* et sic fere constanter hic codex, qui contra in aliis vocabulis, a litt. *h* vulgo incipientibus, *h* omittit. 60. Giess. *refugit.* Trev. *fugiit.* 61. *nunc* Dresd. omittit. Trev., Arg. *minoida.* Giess., margo Erf. *dicar.* 63. Trev., Guelf. 2., 4. *duobus.* Schol. Trev. et a corr. Guelf. 2. *duabus.* 64. Goth. 2. *soror est.* 65. Trev., Franc., Arg. *theseides.* 66. Franc. *sumite.* Trev. *de vestra.* Trev., II Goth., Erf., Franc., Arg. *trophea.* 67. Erf. *visa est.* Dresd. *iussa est.* Giess., Goth. 1., Guelf. 4. *vobis.* Franc., Helmst. (?) *eleusin.* 68. Giess. *nossia.* Trev. *detenuisset.* 72. Goth. 1. *cinxerat.* Helmst. *fronte.* 74. Dresd. *erit.* 75. Trev. *cumti.* 77. Goth. 1. *ille.* 78. Goth. 1. *exiguo,* quod fluxit e v. 80. 79. Erf. *reflectis;* margo tamen ut vulg. 81. Trev. a 2. m., Goth. 2. a correct., Erf. a 1. m., Goth. 1., Dresd., Franc. *vastum.* 82. Arg. *versa in se.* 83. Goth. 2., Erf. *cornua.* 84. Guelf. 1., Goth. 2. *iuvas.* Trev. a 1. m., Guelf. 1., Erf., Franc. *agas.* Trev. a 2. m. ut vulg. Trev., Goth. 2., Helmst. *denique quidquid ag. lumina nostra iuv.* 85. Giess., Dresd., Helmst., Franc., Arg. *duritiem.* 86. Trev. a 2. m. *nam sum.* 87. Guelf. 3., Erf. *studium.* 90. Trev., Guelf. 4. *membraque fessa.* Trev., Guelf. 4., II Goth., a 1. m. Erf., Arg. *levat.* Margo Erf. ut vulg. 91. Trev., Guelf. 2., 3. *sint.* 92. Trev., Guelf. 4. *cessas.* 93. Giess., Guelf. 2., Goth. 1., Erf., Dresd., Franc. *cephalus silvis.* Helmst. (?) *herbam.* 94. Goth. 2. *deciderant.* 95. Franc. *non,* a rec. m. *nec.* 96. Franc. *de sene.* 97. Trev., II Goth., Erf. *cinaraque.* Franc. *cineraque.* 99. Trev. *eonides in nironia* cum schol. *i. e. menelaia.* Giess. *altei ataelta* pro *atalanta.* 101. Goth. 1., Erf. a 1. m., pro var. l. Trev. *pridem.* Erf. a corr. *primum.* Goth. 1. *numeramur.* Erf. *in illa.* 105. Trev., Arg. *hismon.* Dresd. *hismodo.* 106. Guelf. 4. *ambit.* 107. Trev. *Phideida.* Franc. *phiteia.* Arg. *phitegia.* Giess. *phiteaque.* 108. Giess., Goth. 1., 2. *gratior.* Goth. 2. *et p. — mea est.* 110. Guelf. 1., 2. *perithoi.* Guelf. 3. *perithoy.* Franc. *pirithoy.* Giess. *destinet.* Trev. *hora.* 111. II Goth., Dresd., Erf., Franc. *negamus.* Franc. a rec. m. *negemus.*

112. Guelf. 1., 2., 3. *perithuum* bis. 113. Guelf. 3. *sola nec ad nos hec.* Guelf. 4. *hec* omittit. Erf. *in illo.* 114. Trev. *lesi rebus.* Guelf. 4. *utrique.* 117. Erf. *securiferas.* 118. Guelf. 3. *genuit.* Helmst. *favore.* 119. Goth. 2. *quaeris.* 120. Guelf. 2., Goth. 2., Dresd., Franc., Arg. *mater tanto.* 121. Goth. 1. *at non.* Goth. 2. *quidem est.* 123. Guelf. 2. *addidit ex me fratres tibi.* 124. Goth. 1., Erf., Helmst. *ipse.* 125. Trev. pro var. l. *regum.* 126. Trev. *nixu.* 127. Guelf. 1. *si meriti.* Guelf. 2., 3. *immeriti.* Franc., Helmst. *sic meriti.* Goth. 2. (?) *i meriti.* Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1. *vereare.* 128. Guelf. 1., Goth. 1. *ipse.* Giess. *quod fugit.* 129. Erf., Trev. a 2. m. *videor.* 131. Goth. 1. *illa—mor. sequenti.* Post v. 132. Trev., Giess., Dresd., Erf., Goth. 2. exhibent distichon illud, quod in annot. ad hunc versum allatum est. Giess. tamen *sub iove mundus erit, regna tuere iovis.* Trev. a 1. m. *iura,* a 2. *iussa sequere iovis.* Erf. *s. i. m. adest, iura sequere iovis.* Goth. 2. *s. i. m. adest iura i. s.* 137. Goth. 2. *pudor.* 139. Giess., Helmst., Goth. 2., Dresd. *amplexos.* 141. Erf. *nec.* Giess. *post.* 142. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2., Franc. *nec.* 143. Franc. a 1. m. *una nos,* a rec. m. *u. duos.* 146. Franc. a 1. m. *conspicere,* a rec. m. *conspiciare.* 147. Guelf. 4. *oro* pro *tantum.* Guelf. 1., Erf. a 1. m. *gaudia.* Erf. a 2. m. *foedera.* 150. Trev. *heu mihi. nunc.* Erf. *heus mihi.* 151. Trev. *nec pugnare.* 152. Trev. *si quis.* 155. Giess., Dresd., Erf. *relinquit.* 157. Giess. *tibi.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst. *quid mihi sit.* Guelf. 3., Trev., Erf., Goth. 2. *quid mihi si.* Franc. a 2. m. *quid quod* et post *mihi* punctum. Arg. *quod mihi sit.* Dresd. (?) *quo mihi quod.* 158. Guelf. 3. *qui veniat.* Guelf. 4. *quid.* Helmst. *veniunt.* Goth. 1., 2. *quidve iuvant.* Goth. 1. *missa.* 159. Guelf. 4. *quid.* Franc. *quodque avus.* Guelf. 2., 4., Dresd., Helmst. *velatus.* Guelf. 3. *frontem radiis vellatus.* 160. Guelf. 3. *tepido.* Goth. 1. *vehit.* 161. Giess., Erf. *meorum.* Goth. 2. *precantis.* 164. Guelf. 1. *mea.* 165. Guelf. 2., 3. *ferox.* Trev. *fl. tuos animos,* pro var. l. *fl. feros vel ferox an.* 167. Helmst. *est* omittit. 169. Giess. *dea—tibi.* 170. Helmst. *praedandos.* 171. Trev., Helmst., Goth. 2. *fauni.* Guelf. 4. hoc distichon post v. 174. collocat. 172. Trev. *sic cadat.* Goth. 1. *aversa.* 173. Giess., Goth. 1. *dant.* 174. Erf. *lenet.* 175. Guelf. 3. *his verbis lacr.* Erf., Guelf. 4., Helmst. *lacrimas prec.* Guelf. 4. *cum verba precantis.* 176. Giess. *at.* Guelf. 1., a corr. 2., 3., Trev. *perlege et lacr.* Schol. Trev. *perlegis potest cum interrogatione legi.*

EPISTOLA V.

Erf. quoque distichon illud, quod in prima annot. ad hanc Epistolam allatum est, exhibet, sed in hex. pro *suus* habet *meus.* 1. Giess. *p. hanc c. p. n. perlegere.* Guelf. 3. *nova prohibet.* 2. Giess. *mencea.* Erf. *scripta.* 4. Trev. *querar.* Trev., Giess. *ipsa.* 5. Trev. *sua nostris.* 6. Giess. *tibi.* 7. Trev. *levi-*

ter. Helmst. *est* omittit. 10. Giess. *manno.* 11. Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 2., 3., Helmst., Goth. 2., Erf., Dresd. *adsit.* Guelf. 2., 4., Goth. 2. *veri.* 12. Trev. *n. diva tuli.* 15. Giess. *stramine.* Trev. a 1. m. *stramen,* pro v. l. *gramen.* 16. Trev, Giess, Guelf. 1., 4., II Goth., Erf. *deprensa.* Guelf. 2., 3., Helmst., Franc. *depressa.* 17. Trev. *monstrabit,* pro v. l. *monstrabat.* Giess. *saltusque.* Franc. a 1. m. *venantibus.* 18. Erf. *quid.* 19. Erf. *distenta.* 20. Giess., Trev. pro var. l., Guelf. 1., Goth. 1., Franc., Arg. *longa.* 23. In Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd., Erf., Arg. haec duo disticha (vss. 23—26.) transposita sunt. Erf. *tua.* 24. Trev., Guelf. 1., 3., Helmst., II Goth., Erf., Franc. *recta.* Dresd. *recte.* Giess. *aucta.* 25. Hoc distichon Guelf. 1. omittit. Trev., Giess., Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2., Erf., Dresd., Franc. *rivo.* Guelf. 2. *conscia.* Trev. *concita.* Erf. *condita.* 26. Trev. pro v l. *facta.* (Vid. v. 2.) 27. Helmst. *margine consita.* Dresd. *in margine.* Trev. *concita.* 28. Trev., Guelf. 4., Arg. *nomen.* Schol. Trev. *carmen.* 29. Goth. 2. *potuit.* Erf. *poteris.* 30. Guelf. 1. *Xancti.* 33. Trev. *miserae fatum mihi.* Trev., Erf. pro v. l., Franc. *duxit.* 34. Goth. 1. *zodiaci,* a correct.: *mutati.* 35. Dresd. *detentior.* 36. Giess. a 1. m. *numina* pro *Minerva.* Guelf. 3. *arbitrio—tuo.* Trev. pro v. l. *flava minerva.* 37. Giess. *metuere.* Erf. *tremuere.* Helmst., Franc. *recurrit.* 38. Franc. a rec. m. *cum mihi.* Trev. *timor.* 39. Goth. 1. *nec enim.* 40. Trev. *longa vos.* 41. Giess. *septaeque.* Helmst. (?) *peracta.* Kuinoel de IV suis, sc. II Goth., Erf. et Dresd. nihil notavit, qui igitur et iidem *peracta* habere videntur. 42. Helmst. *caelatas.* Franc. *adspicit.* 45. Helmst. *et madidos.* Trev. *vidistis.* 47. Erf. *nec sic.* Trev. *oppositis.* Giess. *victibus.* 49. Guelf. 2., 3., 4., Trev. pro v. l. *ha.* Trev. a 1. m. *o quotiens.* Giess., Guelf. 1., 2., 3., Franc., Arg. *cum te vento.* Malc itaque in annot. ad hunc versum diximus omnes nostros tueri *vento cum te.* 52. Giess. *quamvis.* Arg. *quam vis.* 54. Erf. *sustulit.* Trev. *canat.* 55. Guelf. 3. *persequor—albentia vella.* 57. Erf. *atque.* Trev., Franc. *nereides.* 59. Franc. *aliis.* 60. Trev. *heu.* Giess., Guelf. 1., Franc., Goth. 2. *et mihi.* Helmst., Arg., pro v. l. Trev. *dura.* Trev. *digna fuit.* 62. Giess. *aequoreas—aquas.* 63. Trev., Helmst., II Goth., Erf. *prima—vela.* 65. Arg. *fulxit.* 66. Erf. *non fuit.* 68. Giess. *vides.* Trev. *ungue madente genas.* 73. Guelf. 1., Dresd. (?) *iden.* 74. Giess., Helmst., Franc, Arg. a 1. m. *illic.* Arg. a corr., Trev., Erf. *illinc.* 76. Guelf. 4. *illa.* 77. IV Guelf., II Goth., Dresd. *tecum ven.* Guelf. 2. *et tecum veniant.* Trev., II Goth. *sequuntur.* 78. Trev., Goth. 1. *destituuntque.* IV Guelf., Helmst., Arg., Franc. *viros.* 79. Trev., Arg. *pastor—pauper.* 80. Giess. *nulla tibi.* 81. Trev. *te mea regia.* (Vid. Epist. II, 89.) 82. Giess. *ne dicar priami de tot ut.* Franc. *nec quaero de tot dicar.* 84. Giess. *non* pro *aut.* Trev. a 1. man. *dissimulata.* 85. Trev. *et* omittit. 86. IV Guelf. *possunt.*

Trev., Guelf. 4., Goth. *quae—tenere.* Trev. pro v. l. *quas—decere.* 92. Trev. *thalamis—tuis.* 94. Trev., Giess., Arg. *deiphebo.* Trev. *polimedunta.* 95. Giess., Guelf. 1., 2., 3., II Goth., Erf., Dresd., *censcat.* 97. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Dresd. *rudimentum est.* 98. Guelf. 3. *parat.* 99. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Arg. *si cupias.* Glossa cod. Trev. *i. e. si sapias.* 100. Trev. *cum sit.* 102. Helmst. *ex illo.* Erf. *eterno.* 103. Helmst. *reparaberis.* 104. Guelf. 4. *est* omittit. 105. Goth. 2. *amabat.* 106. Erf. *viduae.* Giess. *flebilis ille.* 110. Trev. *manent,* pro v. l. *volant* vel *cadunt.* Erf. a 1. m. *cadunt,* a corr. ut vulg. 111. Guelf. 2. *quam in summa.* 113. Guelf. 2., Helmst. *haec tua.* Goth. 2. *memini* superscr. *recolo.* 114. Erf. *sic tu diff.* 115. Trev. pro v. l., Arg. *iactas.* 116. Giess., Guelf. 1., Helmst., II Goth. Erf., Dresd. *bubus.* 117. Guelf. 4. *graeca.* 118. Trev. *perdet.* Guelf. 4. *graeca.* Erf. *puella.* 119. Giess., a corr. Trev., Erf., Dresd. *di mergite.* Franc., Arg. *dimergite.* 120. Franc. *ipsa vehit.* 121. Trev. *dixerat et cursu.* Erf. *curru.* Goth. 1. *famuli.* 123. Trev., Giess., IV Guelf., Erf., Dresd., Franc. *miserae vates.* Arg. *miserae mihi v.* Trev. *ha.* 124. Trev. *p. an saltus.* Guelf. 1. *graica* et Erf. *graia iuvenca.* 125. Goth. 2. *ins. facie quamvis.* Guelf. 4. *vere est.* 126. Giess., II Goth., Dresd., Erf. (?) *patrios.* Goth. 1. *hospita.* Erf. *capta toros.* Arg. *c. suo.* 128. Trev., IV Guelf., Helmst., II Goth., Erf. *arte sua.* Guelf. 1. a corr. *ante.* Arg. *nescio qui.* 130. Helmst., Franc. *haec.* 131. Trev. *appellas.* Guelf. 4., Erf., Franc. *celes.* Trev. *celas.* 132. Trev., Giess., Goth. 2. *illa.* 133. Goth. 2., pro v. l. Trev. *fallaci.* 135. Goth. 2 *me sil. sat. cel. ego t. latebam,* a corr. *iacebam.* 136. Trev., IV Guelf., Helmst., II Goth., Erf., Franc., Arg. *quaesierant.* 138. Trev., Erf. *faunus et imm.* Trev. post *faunus* punctum habet. 139. Trev. pro v. l. *dominator.* 141. Trev. *ante cap.* 143. Trev. *nec.* Giess., Helmst., Dresd. *aurumve.* 144. Trev., Guelf. 2., 3. *in sua.* II Goth. *manus — meas.* 146. Trev., Guelf. 2., 3. *in sua.* 149. Goth. 2. *sanabilis.* Goth. 1. *med. arte.* 150. Guelf. 4., Goth. 2. *destituor.* Goth. 1., pro v. l. Trev. *deficio.* 151. Trev., Giess., Guelf. 4., Franc. *per herbas.* Giess. a 2. m. *phereas.* Guelf. 1. *fereas.* Guelf. 2., 3. *phareas.* Goth. 2. *phoebeas.* 152. Trev., Guelf. 1., 2., 4., Franc., Goth. 2., Erf., Dresd. *e nostro.* Guelf. 3. *ex nostro.* 153. Trev., Guelf. 1., 2. *quod nec.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2., Erf., Dresd. *creatis.* 154. Helmst. *dare.* 156. Giess. *gero.* 158. Guelf. 2. *et quod nunc sup.* Erf. *hoc tua.*

EPISTOLA VI.

V. 3. Arg. *ipse.* Helmst. *ipsum.* 4. Giess. *meo.* 5. Trev. *prope.* 6. Guelf. 1. *dum.* 7. Trev., Guelf. 2., 3., 4., et a corr. 1., Helmst., Erf., Dresd., Franc., Arg. *quaelibet.* Trev. *averso.* Giess. *mitetur.* 8. Trev. *hipsiphile.* Franc. *isiphile.* 9. Goth. 1.

prius. Giess., Guelf. 1., Helmst., Franc. *pr. de te quam litt.* In Franc. super *de te* est glossa *nuntia.* Trev., Erf. *littera nuntia.* 10. Goth. 2., Giess. *marti.* Giess. *penda.* 11. Trev. *adolere.* 12. Goth. 1. *sua.* 13. Franc. *servare.* 15. Trev. *non ego.* Trev. p. v. l., Guelf. 1., 4., Goth. 1., 2., Erf. *hoc ego.* Giess. *cum poss.* Arg. *possum.* Goth. 2. *isto.* 16. Giess. *dixit.* 17. Guelf. 1. *cur quer.* Trev. *precor,* sed Schol. *queror.* Arg. *lenta.* Trev., Goth. 1., Erf., Franc., Arg. *cessare.* 18. Trev., Erf. *officium,* sed Schol. Trev. bis *obsequium.* Trev. *maneam.* 20. Trev., Giess., Guelf. 3., 4., Dresd. *parte futura t.* 21. Goth. 1. *dementia,* sed in marg. *temer.* 24. Giess. *venef. tantum.* 25. Giess. *exonides.* Helmst. *agat.* 26. Guelf. 2., 4. *hec et.* Guelf. 2. *apposita.* Giess. *lumine dixit humo.* Guelf. 4. *fixit.* Goth. 1. *humi.* 27. Guelf. 2., 3., II Goth., Dresd. *raptis.* Helmst. *scissis.* 28. Guelf. 1., Erf. *vocant.* 29. Giess. *timidumque virum i. c.* IV Guelf., Helmst., Goth. 2., Erf., Arg. cum vulg. *timidumque mihi.* Trev. *timide,* pro v. l. ut vulgatum est. Dresd. *timidumque ait.* 31. Giess. *utque animo red.* Trev., Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Arg. *utque animus red.* Goth. 2., Dresd. *utque redit a.* Erf. *postquam a. r.* Goth. 1. *ut a. r.* 32. Giess., Helmst. (?) *n. aenipedes.* Trev., Guelf. 1., 3., II Goth., Erf., Franc., Arg. *n. aeripedes.* 35. Guelf. 2. *terrigenos.* 37. Erf. *devictum serpentem.* Trev. *devicto serpente,* pro v. l. ut vulg. Giess., Guelf. 2. *vivit.* 39. Trev., Helmst., Goth. 1. *cursu studioque.* 40. Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst. *facta* pro *nostra.* Erf. *tuo.* 41. Trev. pro v. l., Guelf. 1., 4., II Goth. *heus.* Giess., Erf. *heu mihi—ubi sunt c. i.* Goth. 2. *ubi sunt connubia iura.* Trev. *ubi connubia. iura.* 42. Trev., Goth. 1., Erf. *digna subire r.* 43. Guelf. 1. *non ego f. sum.* Trev., Giess., IV Guelf., II Goth., Franc. *furto.* 44. Trev. *certis.* Franc. a 1. m. *cunctus,* a 2. *vinctus.* 49. Trev., Giess., Guelf. 4., Franc. *fulvo spect. auro. Auro* etiam Guelf. 1., 2., Erf., Arg. 50. Guelf. 2., Dresd., Arg. *non.* Arg. *senioris.* Trev., Franc., Arg. *oete.* Trev. ante *lemnos* habet punctum. 51. Giess., Guelf. 3., Goth. 1., Dresd. *mala f.* Goth. 2. *facta,* a corr. *fata.* 53. Giess. *lemniadaeque.* 54. Franc. a rec. m. *ripa.* 56. Goth. 1. *mihi.* Trev., Guelf. 1., 4., II Goth., Erf. *bis aestas.* Goth. 2. a corr. *bisque.* 59. Trev. *ipsiph.* Arg. *ysiph.* Trev., II Goth., Dresd. *si dent modo.* Trev. pro v. l. *s. d. mihi.* Goth. 2. *s. d. mea.* Helmst., Goth. 2. *facta.* Guelf. 2., Goth. 1. *recursum.* 61. Giess. *quid.* Guelf. 2. *gravido.* 62. Dresd. *sumus.* 63. Guelf. 3. *hac t.* Trev. pro v. l., Giess. *fluentibus.* 65. Giess. *contendis.* Trev., Guelf. 1., 2., 4., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *argon.* 66. Franc. a 1. m. *cum cava,* a 2. *concava.* 67. Trev. *subtrahitur,* pro v. l. ut vulg. 68. Guelf. 1. *insp.* Guelf. 4. *consp.* Erf. *prosp.* Goth. 1. *a nobis.* 69. Guelf. 4. *est latus.* Trev. *c. aequor.* 70. Erf. *a lacr.* Guelf. 2. *madunt.* 73. Giess., IV Guelf., Helmst., Franc., Arg. *adde.* Franc. a rec. m. *addo.* Goth. 2., Erf. *verba.*

Guelf. 4. *pudori.* 74. Goth. 2. *te q. n. s.* 76. Franc. *cur sol.,* et a rec. m. *ac* pro *atque.* 77. *t. nostrumque i. p.* Guelf. 1. a 1. m., Helmst. *perdo.* 78. Guelf. 3. *concitet.* Giess., Guelf. 3., 4. *concidat.* Franc. *concidit.* 80. Giess. *agricola.* 81. Erf. *argolidas.* 82. Giess. *munus,* id. *exspectata.* Arg. *ab ore.* 83. Franc. *non vultu.* Giess., Helmst. (?) *meritisve.* Giess., IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Dresd. *carmine movit. Carmine* etiam Arg.—Goth. 2., Trev., Franc. a rec. m. *carmina movit.* Erf., Franc. a 1. m. *carmina novit. Novit* etiam Arg. 84. Erf. *duraque.* 85. Guelf. 2. *reduc.* Giess. *curru.* 86. Goth. 2. *mittitur.* Guelf. 2., 4., Goth. 2., Dresd. *addere.* 87. Goth. 2. *carmina sist.* 88. Goth. 2. *trahit,* margo *movit.* 89. Giess., Trev., Guelf. 2., 4., II Goth., Dresd. *sparsis.* Guelf. 3. *parsis.* Guelf. 2., Helmst., Dresd. *distincta.* Erf. *p. furibunda c.* 90. Goth. 1. *cunctaque.* 91. Giess. *frangit.* 93. Giess., Guelf. 2., Erf. *et quod nesc.* Guelf. 3. *et quoque.* Trev., IV Guelf., II Goth., Erf., Dresd., Franc. *mage* pro *male.* Arg. ante *male* punctum. 94. Guelf. 1., 3., Franc. a 1. m. *mobilis.* Guelf. 2. *nobilis.* 95. II Goth. *receptus.* 98. Trev. pro v. l. *mulsit.* 100. Giess., Guelf. 1., 3., Helmst., Goth. 1., Arg. *se favet.* Goth. 1. pro v. l. *se facit.* Franc. *se volt.* Goth. 2., Dresd. *se volet.* Dresd. *aut* pro *et.* 101. Arg. *pro te* pro *peliae.* 102. Giess., Helmst. *credit.* 103. Giess., Erf. *sed filia regis oetae.* Guelf. 1., Arg. *filia phasias etae.* Guelf. 3. *fil. phasias dete.* Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *f. phasis oetae.* Helmst. *f. phasis aetae.* Goth. 1. *f. phasidis oetae.* 104. Trev. pro v. l., Goth. 1., Goth. 2. a rec. m., Erf., Arg. *revulsit.* 105. Giess., Goth. 1. *alchimene.* Trev., Erf., Dresd., Arg. *alcimene.* 106. Guelf. 1. *non probat a gel.* 107. Giess. *illa sitheae tanaisque p.* Guelf. 1., 3., Trev., II Goth., Dresd., Erf., Franc., Arg. *tanais.* Guelf. 2. *danays.* Guelf. 4. *thanays.* Iidem omnes *a* omittunt. Trev. *scicieque.* Trev., Giess., IV Guelf., Dresd., Arg. *undae.* Erf. *undis.* Goth. 1. *orae.* 108. Guelf. 3. *fasidis.* Guelf. 4., Helmst. *phasidos.* 109. Trev., Guelf. 1., 3., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *esonides.* Guelf. 2. *exonide.* 110. Giess., II Goth. *pollicito.* Erf. *sollicito.* Guelf. 2. *pondera.* 111. Guelf. 4. *aberas.* Trev., Guelf. 4., II Goth., Erf., Dresd. *cur non meus inde r.* 114. Trev. *an ego.* 116. Goth. 2. *tuis.* 117. Trev., Giess., Erf., Franc. *erat.* Trev. pro v. l. *erit.* Arg. *ingenuosa.* 118. Guelf. 1., Helmst., Arg. *m. q. quod tal.* Guelf. 3. *m. q. quid tal.* Guelf. 4. *m. q. tu t.* Guelf. 2. *res* omitt. 119. Trev. *duobus.* 120. Giess. *grandae* pro *grav.* Trev., Giess. *actor.* 123. Trev. *si quaeras.* 124. Franc. *norint,* a rec. m. *unt.* 125. Giess. *pede* pro *paene.* Guelf. 2. *legandos.* 126. Guelf. 1., Erf. *captas.* Giess. *manus* pro *vias.* 129. Trev., Giess. *laniata.* Trev. pro v. l. *lacerata.* Trev., Erf., Dresd. *potuit fr.* 131. Erf. *hanc o tu.* Guelf. 2., Goth. 2. *que* omitt. 132. Trev. *isiph.* Arg. *hysiph.* Guelf. 2. *ysiphyl.* Franc. *hisiph.* 135. Guelf. 1. *de clade.* 137. Trev.,

Giess., Guelf. 1., 4., II Goth., Erf. *q. referam.* Franc. *referat.* Guelf. 1., Franc. *vincet.* Guelf. 2., 4., Erf. *vincat.* Guelf. 4., Goth. 2. *ipsa.* In Trev. vss. 139. 140. post 142. leguntur. 139. Trev. *culpo fac.* 140. Guelf. 1. *quodlibet ad facinus.* Trev. pro v. l. *quilibet ad fac.* II Goth. *quamlibet ad fac.;* Goth. 2. tamen pro v. l. *iratis.* Guelf. 3. verba *quael. irat.* cum proxime praegresso hemistichio omittit. Trev., Giess., Goth. 1., Erf., Arg. *arma—ipse.* Goth. 1., Erf. pro v. l. *furor.* 142. Trev. *duxque comesque.* Arg. *comesque tuus,* pro v. l. *meos.* 143. Guelf. 1., Arg. *comitante.* 144. Trev. pro v. l., Erf. *nonne.* Trev., Giess. *rogata.* Guelf. 1. *his ecce nonne t. t. r. fuit.* 145. Trev. *nato.* 147. Trev., Guelf. 4. *tutus per me.* Goth. 1. *sospes tutusque.* Erf. *hospesque.* Erf. *ipsa equidem.* 151. Trev., Guelf. 1. a 2. m., Guelf. 4., Goth. 1., Arg. pro v. l. *si quis.* Guelf. 1. a 1. m., Trev. pro v. l. *si quid.* 151. Arg. *ades.* 153. Trev. *quod gemis.* Trev. *ysiph.* Franc., Arg. *hysiph.* Guelf. 2., 3., 4., Dresd., Arg., Helmst. *succuba.* Arg. a 2. m. ut vulg. 154. Guelf. 1. *nunciat,* pro v. l. *senciat.* Arg. *illa suas.* 155. Guelf. 3. *destituor mater m. d.* Goth. 1. *uxor mat.* Goth. 2. *mater coniuxque.* 156. Trev., Giess., IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Franc., Arg. *sit illa viro.* Trev. pro v. l. *cum tot n.* 157. Erf. *pacta.* 158. Dresd. *exulat.* Franc. *quaeret,* a rec. m. *quaerat.* 162. Trev., Guelf. 2., 3., Helmst., Dresd. *expers.* Guelf. 4., II Goth., Erf. *inops mentis.* Giess. *manu* pro *sua.* 163. Trev. *thoantidas.* 164. Goth. 1. *femina v.*

EPISTOLA VII.

Goth. 2. et Erf. in praefixo illo disticho habent *verba leges.* Erf. etiam *verba* pro *carmen.* 3. Guelf. 4., Helmst. *sp. n.* Erf. *sperem prece n.* Goth. 1. *non ideo quia te sper.* 4. Dresd. *vovimus.* Giess. *novimus.* 5. Omnes *meriti famam.* Trev., Goth. 1. *corpus* sine *que.* 6. Helmst. *est* omittit. 7. Omnes *didon.* 8. Giess. *atque ita.* Trev., Guelf. 1., Goth. 2., Erf. *ferunt.* Trev. pro v. l. *ferent.* Trev., Goth. 1. *verba* pro *vela.* 10. Giess. *italia.* 11. Trev., Franc., Erf. pro v. l. *nec mea.* Trev. pro v. l. *nova.* Erf. *cingentia.* 12. Giess., Guelf. 4., Goth. 1. *regna* pro *summa.* Giess. *tuo est.* 14. Trev. *est* omittit. 15. Guelf. 2. *quis enim tibi tr.* 16. Guelf. 1. a 1. m. *terenda.* Goth. 2. *colenda.* Trev. *regna ten.* 17. Trev., Guelf. 2., 4., Helmst, Goth. 1., Dresd., a corr. Erf. *alt. am. tibi r. h.* Goth. 2. *a. a. t. constat h.* Erf. *a. a. t. exstat h.* Guelf. 3., Franc., Arg. *a. a. t. et exstat h.* Guelf. 1. *a. a. t. et elstat habenda et alt. d.* Guelf. *didon.* 21. Giess., Guelf. 2. *omnia subveniant.* Trev. *omn. ut invenias,* sed pro v. l. ut vulg. Erf. *omnia si even.* Guelf. 1., 4., Helmst., Dresd., Arg. *o. si veniant.* Goth. 2. *omniaque ut veniant.* Guelf. 4., Goth. 1. *tua fata.* Giess. *morantur.* 22. Goth. 1. *nulla tibi.* 23. Giess. *cerat. stipite flammae.* Vss. 24. et 25. in IV Guelf., II Goth., Dresd. non leguntur.

24. Erf. *tura focis.* 25. *vigilatis semper.* Erf. *vigilantibus haeret.* Trev. *uror et eneas oc. vig. inh.* 26. Guelf. 1., Arg. *eneanque.* Giess., Guelf. 4., Dresd., Erf. *eneamque.* Trev. *eneam.* Goth. 1., Erf. *diesque ferunt.* 27. Trev., Giess., Goth. 2. *numina.* Schol. Trev. *munera.* Trev. *tardus,* sed Schol. *surdus.* 28. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2., Erf., Franc., Arg. *cogitet.* 30. Guelf. 3. *conqueror.* 31. Helmst. *dirum.* 32. Erf. *ipse.* Giess. *suis.* 33. Helmst. *en ego.* Guelf. 1., 2., Erf., Helmst. *aut ego quae.* Goth. 2., Erf., Franc. *nec enim.* 35. Giess., Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd. *ipsa.* Trev. *falso,* sed Schol. *false,* q. e. *falsae.* 36. Giess. *suo.* 40. Giess., II Goth. (?), Erf. (?), Dresd. (?) *quod.* 41. Erf. *instat.* 42. Guelf. 1., Goth. 2. *concitat.* Erf. *concutit.* 43. Guelf. 1., 3. *quid.* Guelf. 1. a 2. m. *quod.* Guelf. 4. *quae.* Giess., Guelf. 1. *debueram.* Helmst., Goth. 1., Erf., Dresd. *debuerim.* Erf. pro v. l. ut vulg. 45. Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Trev., Dresd., Arg. *quod non* pro *quamvis.* Franc. *quam tu.* Trev., Giess., Guelf. 1., Erf. *censeris.* Guelf. 2., 4., Dresd. *mediteris.* Helmst. *meditaris.* Franc. *dimittis.* Arg. *cessaris.* Guelf. 3. *ces....* Guelf. 1. *iniqui.* 46. Giess. *aut p.* Erf. *per me dum.* 47. Erf. *odio.* Dresd. *et* omittit. Goth. 1. *magna.* 48. Guelf. 2., 3. *me dum.* Guelf. 1., 2., 4., Franc. *fugias.* Franc. a rec. m. *careas.* Trev., Guelf. 4., II Goth. *velle mori.* 49. Giess. *pon. ven.* Goth. 1. *cessant strata estque.* 50. Guelf. 4., Trev. pro v. l. *ceruleus.* 53. Giess., Goth. 1., Erf., Dresd. *nescieris.* Giess. *quae aeq.* Trev., Helmst., Goth., 1., Erf., Dresd., Franc. *possint.* IV Guelf. *possunt.* Giess., Arg. *poscunt.* Trev. pro v. l. *possent.* 54. Guelf. 2. *iam male.* 55. Giess. *recunabicula.* 56. Giess. *pontus—latus.* Erf. *laetus.* Franc. a rec. m. *multa quidem.* 57. Erf. *non.* 59. Arg. *quo* pro *quia.* Giess., Helmst., Erf. *amoris.* 60. Giess. *cytharentis.* Guelf. 4. *cytheriis.* 61. *noceamque.* 62. Trev., Goth. 2. *ne.* Erf. *nec.* 63. Helmst. *potius.* 64. Giess., Goth. 1. *ferare.* 65. Guelf. 2., Arg. *trepido.* 68. Trev., Giess., Guelf. 1., Helmst., Dresd., Franc. a rec. m. *tyria.* Trev. pro v. l. *phrygia.* Goth. 2. *frigida.* Erf. *et tua sic dido.* Trev. pro v. l. *atque tua.* Franc. *didon.* 71. Guelf. 2. *quicquid erit.* Guelf. 1., Arg. *qui tanti est.* Guelf. 3., Franc. *dicas.* Arg. *dicis.* 72. Dresd. *flumina.* 73. Trev. *spatium saev.* Arg. *pel. tuique.* Giess. *pel. viaeque.* 74. Goth. 2. *mor. spatium.* 75. *at tibi cum parcas.* Guelf. 1., Arg. *tu curae.* Trev. *si mihi non parcas,* sed Schol. *nec mihi tu.* Guelf. 3. *n. m. parcatur.* 77. Giess. *ut metuere* pro *q. d. m.* Trev., Goth. 2. *ascan. vel quid m. p.* 79. Guelf. 2. *nec mihi quae.* 80. Trev., Guelf. 2., 4. *paterna.* Erf. *parata.* 81. Giess., Guelf. 1., Goth. 2., Erf., Dresd., Franc. *nec enim.* Giess. *tua perfida lingua.* 82. Guelf. 1., 3., Goth. 1. *plectar.* 83. Guelf. 2., Helmst., Arg. *quaeris.* 84. Guelf. 2. *diro.* 85. Trev. *hoc.* Giess., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Goth. 2., Erf., Dresd., Franc. a corr. *narrabas.* Pro *at me* Guelf. 3. *ad me;* Guelf. 2. *at socii me;* Trev. *ac*

me; Arg. *nam me;* II Goth., Erf., Dresd., Helmst. *nec me.* Trev., Giess., Guelf. 3., Goth. 2., Erf., Franc., Arg. *novere.* 86. Guelf. 1., Trev., Arg. pro v. l. *inde* pro *illa.* Goth. 2. *unde.* Franc. *iure.* Trev. pro v. l. *illa;* idem *timor* pro *minor.* 87. Trev. pro v. l., Guelf. 2., Erf., Dresd. *te mea.* Franc. a rec. m. *me tua.* 89. Trev. pro v. l. *regione.* 94. Trev. p. v. l. *ceruleis.* 95. Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 1. *vocem.* 97. Giess. (.), Dresd. (?) *sichaeo.* Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Franc. *sicheu.* Guelf. 3. *sichey.* Goth. 1. *sichaee.* Erf. *violateque laedi.* 98. Giess. *ad quem.* Trev. *plena timoris.* 100. Giess. *oppone.* Trev., IV Guelf., II Goth., Erf., Helmst., Franc., Arg. *oppositae.* Trev. pro v. l. *appos.* 101. Trev. pro v. l., Guelf. 4. *vocari.* Arg. *hunc—citare.* 102. Trev., Franc. *elisa.* 103. Guelf. 4. *est venio quondam tibi.* Guelf. 3., Helmst., Goth. 1., Franc. a corr., Arg. *dedita.* 104. Trev., Giess., IV Guelf., Helmst., Erf., Dresd. *sum* pro *sed.* Guelf. 1., Helmst., Goth. 1., Dresd., Arg. *amisso—meo.* Guelf. 3., 4. *amisso—mei.* Guelf. 2. *admisso—meo.* 105. Trev. pro v. l. *culpae* pro *fassae.* Goth. 2. *actor.* 106. Helmst. *detrahat.* 107. Trev. pro v. l. *potens.* 108. Guelf. 1. *tori.* Margo Erf. *tui.* 110. Trev. *pudendus.* 111. Trev. *duret,* pro v. l. *durat.* Guelf. 4. *nostraeque—vitae.* 113. Trev., IV Guelf., Helmst. *in terras.* Trev. pro v. l. *ad t.* Erf. *in terris.* Goth. 1. pro v. l. *infelix.* 115. Trev. *relinqui.* 118. Trev., Giess., IV Guelf., Goth. 2., Erf., Dresd. *emi.* 119. Guelf. 3., 4., II Goth., Arg. *finxi.* Trev., Helmst. *feci.* 120. Franc. a rec. m. *procis.* 121. Erf. *illa.* 122. Trev., Guelf. 2. *ad arma.* 123. Trev., Goth. 2. *petiere.* Trev. pro v. l. *cupiere.* Dresd. *cogere.* Erf. *quaesiere.* 124. Giess. *imposuisse.* Trev., Giess., Guelf. 1., 4., Helmst., Dresd., Arg. *meis.* 125. II Goth., Dresd. *victam.* Trev., Helmst., Goth. 2. *getulo me tradere.* Dresd. *vetulo me tr.* 126. Giess., Guelf. 3. (a 1. m.), 4., Helmst., Goth. 1., Erf. *praebueram.* 127. Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 2., 3., Helmst., Goth. 1. *poscit.* 128. Giess. *nostri.* Guelf. 4. *respargi.* 133. Omnes, praeter Helmst. (?), *didon.* Goth. 2., Erf. *did. grav.* Guelf. 1., 4. *relinques.* Trev., Guelf. 2., 3., Goth. 2., Erf., Franc., Arg. *relinquis.* 135. Giess. *matr. fat.* Franc. a 1. m. *accedat,* a corr. *accedet.* 136. Trev., Goth. 2. *actor.* 138. Trev., Erf. *afferet.* 139. Trev. pro v. l., Guelf. 1., 2. *si iub.* 140. Helmst., Dresd. *ne.* 142. Franc. a rec. m. *geris.* Dresd. *eris.* Erf. *rigido.* 143. Guelf. 4. *tanto fuerant.* Trev. pro v. l. *adeunda.* Guelf. 1. *bibis* pro *petis.* 146. Giess. *quo fugis.* 147. Helmst., Goth. 1., Franc. a rec. m. *usque latet.* Arg. *utque lat. evitetque.* Guelf. 2., pro v. l. Franc. *refugitque* pro *vitatque.* Guelf. 1., 2., 3. *obstrusa.* Trev. *utque lat. via tuta tuis obstrusa* (vel *obtusa) carinis.* Giess. et marg. Trev. *utque iuvat* (m. Tr. *iuvet) remusque tuas ventusque carinas.* Guelf. 4. *utque iuvet velumque tuas ventusque car.* Trev. (nam Trev. duos habet in textu versus), Goth. 2. *ut moveas remoque tuas veloque car.;*

idem exhibet Erf. nisi quod *veloque—remoque.* Franc. a corr. *utque vivet remisque tuas ventisque car.* Schol. Trev. etiam vulgatum exhibet. 148. II Goth., Dresd. *continget.* Giess., Guelf. 1., Helmst. *pot. pop.* Guelf. 2. *in dote.* Trev. *amb. remissa.* 150. Dresd. *accipe ut.* Giess., Guelf. 4. *adductas.* Erf. *advertas.* Trev. *avectas.* Giess. *hospes.* 152. Giess., Guelf. 1., 2., 4., Goth. 2., Erf., Dresd., Franc., Arg. *inque loco regis.* Guelf. 3., Helmst. *inque locum r.* Goth. 1. *hicque loco r.* Guelf. 1. *regia sceptra.* Trev. *nostraque sc.,* pro v. l. *sacraque.* Erf. *sceptra tenenda.* 153. Guelf. 2. *belli est.* Trev. *quaerat.* Erf. *quod quaerit.* 155. Giess. *quod sup.* Goth. 2. *superat.* Guelf. 2., 4., Goth. 1., Erf., Dresd., Arg. *desit ne quid.* 156. Trev. pro v. l. *dabit.* 157. Helmst., Erf. *te modo.* Trev., Giess., IV Guelf., Goth. 2., Dresd. *patrem.* 159. Erf. *sua.* Giess. *de g. t. q. r.* 160. Giess. *damnis.* 163. Dresd. *tradet.* 164. Erf., Arg. *amare.* 165. Trev., Giess. *phicias.* Guelf. 1. *pytia,* 2. *pithya,* 3. et Franc. *pythia,* 4. *pithia.* Trev., Guelf. 2., Helmst. *que* omittunt. 166. Guelf. 2., Helmst., Goth. 1., Dresd. *non.* Omnes, praeter Dresd. et Franc., *steterant.* 168. Franc. *didon.* Trev. p. v. l., Guelf. 1, 4., Dresd. *quaelibet.* Guelf. 2. *qualibet.* Goth. 2., Erf. *quodlibet.* Helmst. *ferar.* 169. Giess. *tibi.* Erf., Helmst. a 1. m. *tangentia.* 170. Giess. *dentque.* 172. Guelf. 3. *sed levis.* Trev. pro v. l. *detinet.* Giess. *alta.* Helmst. *navem.* 173. Trev., Guelf. 1., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd. *serius ibis.* 174. Giess., Guelf. 3., Helmst., Goth. 1. *cupies.* Giess., IV Guelf., Goth. 1. *ipse.* 175. Giess. *posc. requiem.* 176. Dresd. *postulet.* 177. Guelf. 3., Arg. *ultro.* 179. *tempore usu.* Guelf. 1., Goth. 1. *d. fr. mitescant et a. d. forte tepescat* (Goth. 1. *tepescit*). Helmst. *mitescant.* Guelf. 2., 4. *temperet.* Trev., Franc., Arg. *mitescant—temperet.* Dresd. (?) *tempore et usu.* 180. Trev., Guelf. 1. *ediscam.* Schol. Trev. *forsitan ediscam vel edisco.* Giess. *et discam.* 181. Trev., Giess., IV Guelf. *si min.* Giess. *animis.* 187. Trev., Goth. 1., Franc. *facto.* Franc. a rec. m. *fato.* Goth. 2. *tua numina tuo.* Erf. *nostro—fato.* 188. Giess. *impensis.* 189. Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2., Erf., Dresd. *primum.* Trev. pro v. l. *ferro.* Guelf. 2. *bello.* 190. Giess. *levi.* 191. Giess. *male* omittit. Guelf. 4. *anna vale male conscia.* 193. Giess. *elipsa.* Franc. *elisa.* 194. Trev. pro v. l. *nomen.* Erf. *tituli.* 195. Guelf. 2. *caussas.* 196. Erf. *icta,* Giess. *ita manu.*

EPISTOLA VIII.

Primum distichon nonnisi unus Goth. 1. exhibet. 3. Trev., II Goth., Dresd., Franc. *achilleides.* Arg. *achilliades.* 5. Erf. *quam.* Pro *renui* Giess., Guelf. 4. *feci.* Dresd. *tenui.* Helmst. *invicta.* 7. Trev. *facit aeacides.* 8. Guelf. 4. *cum dom.* Guelf. 4., Dresd. *domino est—suo.* Giess. *pure.* Guelf. 1., 3. *est* omitt. 9. Trev. pro v. l. *durior.* Guelf. 1. *oresti.* Franc. *fixit,* a rec.

m. *traxit.* 12. Trev., Giess., Helmst., Erf. *caperet.* Trev. pro v. l. *rap.,* idem pro v. l. *domus.* 15. Erf. *tu causa.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd. *orestes.* 18. Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2., Franc. *feres.* Franc. a 2. m. *feras.* 19. Trev. *sic socer,* prima lectio fuit *si soc.* Vss. 20. 21. in Trev., Giess., IV Guelf., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. desunt. 23. Guelf. 2., 4., Erf. *non tu.* Trev. *furiosa.* Guelf. 1., 2., 4. *pararis.* Franc. *parares.* 24. Goth. 1. *non.* Omnes, praeter Dresd. (?), *numerum,* quod velim in textum revocassem. 25. Trev. pro v. l. *sic fueram.* Erf. *tibi* pro *tamen.* Guelf. 4., Arg. *marito est.* 26. Giess. *bello raro.* Goth. 2. *pro caro est arma.* 28. Giess. *vir meus.* Goth. 2. *vel si.* 31. Dresd. (?) *tindareos.* Giess. *victa.* 33. Guelf. 4. *me pater.* 34. IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Dresd. *posset.* Erf. *poscit.* Goth. 1., Erf. *quo qui.* 35. Goth. 2. *dum.* 36. Giess. *puro.* 37. Trev. a 1. m. *ignoscat,* pro v. l. ut vulg. 38. Trev., II Goth., Erf. *ille.* 39. Giess., Erf. *promisit.* Guelf. 1. a 1. m., 3., II Goth., Erf. *concedit.* Guelf. 1. a 2. m. ut vulg. Trev. *concedat.* 40. Erf. *amata.* 41. Trev., Guelf. 3., 4., Helmst., Arg. *pater est.* Erf. *pater est matri quas.* Trev., IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Dresd., Erf. *gesserat.* 42. Giess. *purus.* Erf. *agat.* 43. Guelf. 3. *patris.* 44. Giess. *et quae tu.* Goth. 2. *at tu.* Guelf. 1., 3., 4, Helmst., II Goth., Dresd., Erf., Trev. *facta.* Guelf. 2. *fata.* 45. Trev. *omnis.* 47. Franc. *pel. pro.* 48. Trev. a 1. m. *et bene si num.,* pro v. l. *si mel. num.* 50. Giess. *sed quid tu.* Omnes *patrem.* 51. Trev. *fuisset.* 52. Guelf. 2. *nec.* 55. Goth. 2., Arg. *crimine.* 57. Goth. 2. *rigescunt.* 58. Giess. *calent.* Trev., Goth. 2. *rigent.* Trev. pro v. l. *dolent.* 59. Giess., Erf. *coram si quicquam.* Trev. a 1. m., Goth. 2., Dresd. *quicquamne.* Trev. pro v. l. *quisquamne.* Franc. a corr. *oreste.* 61. Arg. *certe flendo.* Guelf. 1. a 1. m. *dispargimus iras.* Trev. post *licet* punctum. 62. Guelf. 1. *inque sinum.* Helmst. *sinus.* 63. Giess. *has semp. lacrimas habeo.* Guelf. 1. *has solas hab. semp. solasque p.* Guelf. 2., 3., Goth. 2., Erf. *has semp. sol. hab.* Guelf. 4., Goth. 1., Dresd. *has sol. semp. hab.* 64. Franc. *vivent,* a rec. m. *hument.* 65. Guelf. 1., Erf., Franc., Arg. *fato.* Franc. a rec. m. *fatum.* Erf. *erret.* 66. Giess. *acta.* 69. Trev., Guelf. 1., Erf., Arg. *destinat.* Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd. *detinet.* Erf., Trev. *proiectus.* Goth. 2. *isthmon.* Trev., Arg. *hismon.* 74. Trev. *movit.* Giess. *viros* pro *manus.* 77. Guelf. 3. *phebiti.* Franc. *phebique.* 78. Arg. *iovemque suum.* 79. Helmst. *ipsaque.* Giess., Guelf. 2., 4., Franc. *tunc.* Guelf. 1. *tum.* 81. Guelf. 3. *iam coni.* Helmst., Trev. pro v. l. *ne nunc.* 82. Trev. hic et v. 115. *neothol.* 83. Giess. *vitasses.* 84. Giess., Guelf. 4. *parens.* 85. Giess., Guelf. 3. *nec non.* Guelf. 2., Helmst. *nec iam.* 87. Giess. *quod mea.* Trev. pro v. l. *quae mihi.* Goth. 1. *facit.* 88. Trev., Erf., Dresd. *quodve mihi mis.* Trev. pro v. l. *quodve mea mis.* Goth. 2. *quidve mihi mis.* Guelf. 4. *quodque m. m.* 89. Guelf. 2., 4., Dresd. *gerebat.* 90.

Trev. *erant.* 91. Giess., Helmst., Goth. 2. *ab annis.* Trev. *non tibi.* 92. Trev. pro v. l. *dedi.* 94. Guelf. 4. *nec sedi gremio.* Arg. *sarc. magna,* pro v. l. *grata.* Erf. *grata puella tuo.* 95. Goth. 2. *non pacta.* 97. Trev. post *reduci* punctum. 99. Trev., Guelf. 1., 4., Goth. 2., Erf. *helenam.* Guelf. 2., 3. *helenem.* Franc. *quia.* 100. Giess. *tibi* omitt. Erf. *requirebat.* 102. Giess. *his quoque.* Guelf. 3. *pugnat.* 103. Goth. 1. *raptam.* 104. Giess. *munus ad hoc.* Guelf. 1. *hoc munus nobis.* Guelf. 2. a 2. m., 3., 4., Dresd. *et minus a nobis.* Guelf. 2. a 1. m. *et minus nobis.* Goth. 1. *et munus nobis.* Goth. 2. *in munus n.* Erf. *et hoc mun. n.* Goth. 1., Guelf. 2., 4. et pro v. l. 3. *fuit.* Guelf. 1. *tulit.* 105. Trev. *non tamen,* pro v. l. *cum t.* 106. Goth. 1. *perfruar.* 110. Trev. pro v. l., Giess., Franc. *virum.* Erf. *quamque.* 112. Trev. pro v. l., Franc. *tiria.* 113. Trev. *tecta,* pro v. l. *tracta.* 115. Giess., Helmst. *oreste.* 116. Franc. *excitat,* a rec. m. *exit et.* 117. Guelf. 2., 4., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., pro v. l. Trev. *oro.* 118. Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Dresd. *et sua.* 120. Guelf. 1. *quid sic sub.* Giess., Guelf. 4. *quae se sub.* Trev. *quae t. debent* || *se. quod sub titulo f. u. i.* 121. Goth. 1., Arg. *primo atque.*

EPISTOLA IX.

V. 1. Trev., Giess. *oetal.* Goth. 1., Trev. pro v. l. *vestris.* 3. Giess., Goth. 2., Arg. *pelasgiades.* Goth. 1. *pelasgiacas.* Goth. 2. a corr., Helmst., Franc. a rec. m. *ad urb.* Trev. pro v. l., Giess. *ad aures.* 4. Trev. pro v. l., Giess. *discolor.* Trev., Franc., Arg. *inficienda.* Franc. a rec. m. ut vulg. 6. Giess. *suppos.* 7. Franc. *erytheus.* 8. Trev. pro v. l. *labeqûe—laeta.* 9. Trev., Franc. *ipse.* Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 1., 2., II Goth., Franc., Arg. *venis.* Guelf. 3. *venit.* Guelf. 4. *cui si nox cred.* 10. Trev., Giess., Franc., Arg. (et fortasse omnes reliqui) *tanti.* 12. Giess., Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Dresd., Arg. *humilis.* 13. Giess. *pactam tum.* 15. Dresd. *pærs.* Goth. 2. *lata.* 16. Goth. 2. *solus.* 17. Giess. *prior.* 18. Giess., Guelf. 4., Guelf. 1. a corr. *fulcit.* 19. Guelf. 1., 4., Arg. *quid tibi.* Trev., Goth. 1. *est* omitt. Guelf. 1. *pudoris.* 20. Giess. *cumulus.* Guelf. 4., II Goth., Dresd. *maculas.* Trev. *cumules.* Franc. a rec. m. *cumulo—notas.* Guelf. 2., 3. *strupi.* 21. Giess. *gem. ten. press. tenaciter,* pro priore *tenaciter* m. 2. *angues.* Goth. 1. *te referunt.* 24. Guelf. 4. *dissimilis.* 25. Giess. *stelenus.* Trev. *steleneius.* Franc. *stellenius.* Arg. *stenelegius.* 26. Trev. *nec pot.* 28. Trev. *tonas.* 31. Trev., Giess., Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Dresd., Franc., Arg. *ferentes.* Goth. 1. *minorem.* 32. Guelf. 3. *velis.* 33. Giess. *et* omitt. Erf. *est* prò *et.* 34. Dresd. *proseq.* 35. Guelf. 1., Franc. a 2. m. *domi.* Guelf. 3. *domo in vid.* Trev., Guelf. 2., 3., Helmst., Goth. 2. *operosa.* Trev. pro v. l. *operata.* 36. Trev. *conqueror,* a corr. *torq.;* idem *inviso.* 37. Trev., Giess., Guelf. 1, 2, 4., Helmst, Goth. 2., Dresd. *que* post *apros*

omitt. 38. Trev., Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Franc. a rec. m. *hesuros.* Guelf. 2. *exuros.* Trev., Guelf. 2., 4., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Franc. a. r. m., Arg. *cerno per ossa,* quae verba in Guelf. 3. desunt. 39. Giess. *me cubitum.* Erf. *somno.* 40. Guelf. 2. *monent.* 43. Trev. pro v. l., Guelf. 3., Goth. 2. *tonanti.* 44. Trev. *ilus.* 46. Guelf. 4. *deae est.* 47. Guelf. 1. *hoc.* II Goth., Dresd. *est* omitt. 49. Trev., Giess., Arg. *anguem.* Franc. *anguen.* Guelf. 1., Erf. *violatam.* 51. Trev., Guelf. 2., Dresd. *nec tibi.* Goth. 2. *non mihi.* Trev. pro v. l., Dresd. *erit.* Guelf. 4. *turbae.* Trev., Guelf. 4. *sororum.* 52. Trev. pro v. l. *numero.* Guelf. 3. *est* omittit. 53. Giess. *refcit.* Guelf. 2. *fertur.* Guelf. 3., Helmst. a rec. m., Dresd. *refertur.* Franc. *praefertur.* Trev. *narratur,* idem pro v. l. *adult. virgo.* 55. Giess. *qui se concludit in orbem.* Dresd. *menander.* Erf. *maeander.* Trev. *qui tot. terr. err. meander in hisbo.* Franc. *errat eisdem.* 56. Trev., Guelf. 2., 3., Helmst., Franc., Goth. 2. *lapsas.* Trev. pro v. l. *lassas.* 58. Giess. *ille cui.* 59. Trev. *nonne pudet,* pro v. l. *non puduit.* 60. Guelf. 1., 3., 4., II Goth., Dresd., Franc. *oppos.* Trev., Erf. *impos.* Trev. *gemm. sol.* 61. Trev. *nemea,* idem pro v. l. *pellis.* 62. Giess. *tedmeria.* Trev. *reddidit,* sed pro v. l. *edidit.* 64. Helmst. *herculeae est.* Guelf. 1. *alta.* Guelf. 2. *comae est.* 65. Trev. *non te.* 66. Giess. *putent.* 67. Erf. *nec.* 68. Trev., Guelf. 1., Franc. *equas.* Trev. pro v. l. *equos.* 69. Trev. *si te bus. c. v. in isto.* 70. Guelf. 3. *sic victor.* Trev. *victo victor.* Arg. *hic victor—erit.* 71. Erf. *detrahet.* Guelf. 2. *diro.* 72. Giess. *pudeat.* Guelf. 1. *et pig.* Guelf. 4. *nec pig.* 73. Trev. *inter et ion.* 75. Trev. pro v. l. *non pudet.* Goth. 2., Franc. a rec. m. *non pudet alcidem.* Goth. 2. *victorem.* Giess. *ferarum.* 77. Guelf. 2., 4. *grossaque.* Giess. *deducis.* 78. Guelf. 1. *tu quoque form.* Guelf. 4. *hec quoque f.* 79. Guelf. 4. *ha quoties.* 81. Hic v. in Guelf. 3. deest. Trev., Guelf. 4., Goth. 1., Dresd. *diceris.* Goth. 2. *pertimuisse minas* || *dumque paras veniam, pudet ah celanda recense,* || *ante pedes dominae procubuisse tuae.* 83. Guelf. 3. hunc v. omittit. Goth. 1. *pompis immania semina laudum.* 84. Guelf. 1. *narrabis.* Trev. *diss. tuis,* sed pro v. l. *tibi.* 85. Trev. *elisis immanes.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd., Arg. *elisos.* Goth. 2. *immensos.* 86. Giess. *infantem viduum invol. manu.* Goth. 2., Erf. *nuda dilacerasse manu.* Trev. *nuda inv. manu.* Dresd. *infantem cunis.* 87. Goth. 1. *utque.* Trev. *ut tegeus.* Omnes, praeter Giess. et Arg., *aper in cupressifero.* 88. Giess., Guelf. 3., Franc. *incubuit vasto.* Goth. 2. *incubet—laedat.* Guelf. 3. etiam *laedat.* Giess. *laesit.* Trev. *pulsat hum.* 89. Guelf. 2., 4. *thraiciis.* Goth. 2. *infixa.* 90. Omnes, praeter Trev. et Goth. 2., *equae.* 91. Guelf. 4. *que* omittit. 92. Omnes, praeter Helmst. et Franc., *gerionis.* 93. Trev. pro v. l. *inque vices.* 94. Guelf. 3., Franc. *cerberos.* 95. Franc. *quique.* Helmst. *fecundabat.* 96. Trev. pro v. l. *fertilis est.* Trev., Giess., Guelf. 1.

Goth. 2. *dicior ipsa.* Franc. *ipse suis.* 97. Guelf. 2., 4., Helmst., Dresd., *quodque inter.* Guelf. 4. *quodque levum latus inter.* Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd. *dextrumque lacertum.* Erf. *inter dextrumque latus lev. lac.* 98. Goth. 2. *comprensa.* 99. Erf. *confixum.* 100. Guelf. 1. a 1. m. *thessaliis.* 102. Helmst. *nec.* 103. Goth. 2. *sic quoque n. suis.* Trev., Giess., Erf., Dresd., a rec. m. Franc., Arg. *dardanis.* Goth. 1., Franc. a 1. m. *tuis ingentibus induit armis.* 104. Goth. 2. *a capto.* Trev. pro v. l. *bina troph.* 105. Arg. *i nunc atque animos.* Guelf. 1., 3., Goth. 2. *fort. gesta.* 106. Giess. *quo tu.* 107. Guelf. 1., 4. *quo.* 110. Giess. *tuo est.* Guelf. 1. *tuae est.* Guelf. 2. *tua est.* 111. Trev. *proh pud.* Goth. 2. *ah pud.* IV Guelf., Helmst., Erf., Dresd. *o pud.* Guelf. 1. *hirsutae.* Giess., Guelf. 1., 4., Franc. *costas.* Franc. a rec. m. *costis.* Trev. *exusta,* pro v. l. *exuta.* Goth. 2. *erupta.* 113. Giess. *sunt* omittit. 114. Helmst., II Goth., Erf., Franc. *illa.* Giess. *ipsa.* Trev. pro v. l. *feri.* 115. Arg. *tincta ven.* 117. Giess. *instituit illa manum.* 119. Giess., Guelf. 3. *haec tantum.* 120. Erf., Franc. *sed venit.* Guelf. 1., 3., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Arg. *en venit.* 121. Erf. *deduc.* 122. Giess. *non.* 123. Trev. *non sinit.* Goth. 2., Erf., Arg. *adverti.* 124. Guelf. 4. *consp.* 125. Helmst. *hec.* 126. Giess., Erf. *vultu falsa tegente suam.* Goth. 2., Franc. *vultum falsa tegente suam.* Reliqui omnes, ut vulgatum est, nisi quod Guelf. 3. *fortuna,* Arg. et Goth. 1. *vultus—suos,* Dresd. *vultu,* Guelf. 2. et Trev. *falsa* (Schol. Trev. *fassa),* Guelf. 1. et Helmst. *suum.* 127. Trev. pro v. l. *multo spect.* 128. Goth. 2., Erf., Franc. *tyria,* Franc. a rec. m. *phrigia.* Trev. *cultus erat.* 129. Trev., Guelf. 1., 2., 3., Helmst., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *sublime sub herc.* Guelf. 4. *sublimiter herc. v.* Arg. post *victo* punctum. 130. Trev. *oecal.* Guelf. 1. *oethal.,* G. 2., 4. *oetal.,* G. 3. *oechalidam.* Franc. *putas.* 131. Omnes, praeter Guelf. 2. et Arg., *expulsa.* Guelf. 1. *forsan et exp.* Arg. *oethol.* Giess. *oetalide.* 133. Trev., IV Guelf., Goth. 2., Dresd., Franc. *que* omitt. Trev. *et ins.,* pro v. l. *atque.* Helmst. *e. i. alcide fortis ubique.* Goth. 2. *e. i. alcide fortis virque.* Dresd. *e. i. insani alcide et fortis virque.* Giess. *eurides ioles et insani alcide dracones.* 134. Trev., Guelf. 2., Erf. *formosus.* Trev. *iunxit.* Guelf. 3., 4., Goth. 2. *iungit.* Franc. *iungat,* pro v. l. *iunget.* 136. Giess. *fata.* 138. Trev. *nec pig.* Giess. *bis quoque c.* 139. Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 1., Erf., Dresd. *rapidis* (Giess. *impedis) acheious in undis.* Trev. *ripis—in undis.* Goth. 2., Trev. pro v. l. *liquidis—undis.* 140. Franc. *corpora.* Erf. *cornua.* Goth. 1. *mergit.* Goth. 2. *rasit.* 141. Giess. *lerneoque.* Guelf. 1. *lenfero.* Guelf. 2., 4., Goth. 1. *lernifero.* Dresd., Arg., Franc. *lerniferoque.* Helmst., Goth. 2. *letiferoque.* Guelf. 3. *lorifero.* Giess., Guelf. 1., 2., 4., Goth. 1., 2., Dresd., Helmst., Arg., Franc. *veneno.* Guelf. 3. *eveneno.* Trev., Erf. *lernei tabe veneni.* 143. Giess. *haec* omitt. Guelf. 1. *hoc referam.* Guelf. 1., Franc.,

Arg. *scribendo,* Franc. a 2. m. *scribenti.* Arg. post *scribendo* signum interrog. 144. Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd., Erf. *labe.* Trev. pro v. l. *periisse.* 145. Trev. *heu.* 147. Guelf. 1. a 1. m. *iactabitur.* Goth. 2. *medio.* II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *etna.* Trev. *enthna.* 148. Guelf. 2. *et sc.* Guelf. 1., 2., 3., Helmst., II Goth., Dresd., Arg. *viva* pro *causa.* 149. Giess., Goth. 1., Dresd. *si quid.* Goth. 2. *at quid.* 150. Trev. pro v. l., Erf. *dicar.* Guelf. 1., Erf. *mors mihi.* Trev. pro v. l. *p. habet.* 153. Arg. *en devota.* Trev., Giess., Helmst., Erf., Dresd., Arg. *acrior.* Goth. 2. *actius.* Franc. *acrios.* Trev. pro v. l. *solio sed. altus amico.* 156. Trev. pro v. l. *perit.* 157. Franc. *mater—ferrum.* 159. Trev. *sacra* pro *iura.* 160. Giess., Guelf. 2., Dresd. *thalamis — tuis.* Guelf. 1., Goth. 2. *titulis — tuis.* Trev. pro v. l. *thalamis vel titulis—tuis.* Guelf. 4., Goth. 1., Arg. *nostris—toris.* Giess., Erf. *invidiosa.* Franc. *ne videare tuis invidiosa toris.* 161. Trev. *nexus.* 162. Arg. *hic vires dixit.* 163. Guelf. 1. *tibi misi.* 166. Dresd. *et* ante *patriae* omitt. Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Erf. *meae.* Arg. *et patriae pater et frater.* 167. Franc. *at tu.* Arg. *nec non.* 168. Guelf. 2., 4., Dresd. *sed ut poss.* Trev., Franc. *yle.*

EPISTOLA X.

Guelf. 4. primum distichon ponit post v. 6. V. 2. Goth. 2. *quod tibi.* 3. Guelf. 2., 3., 4., Erf. *quam leg.* Trev. *quod.* 6. Dresd. *tuis.* 9. Guelf. 4. *an somno.* 10. Trev., Giess., Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Erf., Franc. *pressuras.* 11. Franc. a rec. m. *retrahoque.* 12. Giess., pro v. l. Trev. *perterr.* 16. Guelf. 3., II Goth. *e somno.* Goth. 2. *rupta.* 17. Giess. *specto non quid per litt.* Goth. 2. *sed quid.* 18. Giess., Dresd. *quid.* Giess. *valeant.* Goth. 2. *nil nisi pontus.* Guelf. 2., Goth. 2., Erf. *erat,* Erf. pro v. l. *habent.* 19. Giess. *ab* pro *et.* Trev. *et* omitt. 21. Trev. pro v. l., Franc. *clamavi,* Franc. a rec. m. *clamanti.* Dresd. *in littore.* Goth. 1. pro v. l. *conscia.* 23. Giess. *et toties ego.* Trev., II Goth., Erf., Dresd. *ille.* Erf. *vacabat.* 26. Trev., Goth. 2., Erf. *hic.* Helmst. *tantis* pro *rauc.* Erf. *mutis.* Trev., Guelf. 4., Helmst., Franc. *obesus.* Trev. pro v. l. *et scop.* 27. Goth. 2. *atque ego late.* 29. Giess. *non* pro *nam.* Guelf. 4. *unde ego.* 30. Omnes, praeter Guelf. 3., Arg., Franc., Giess., *tensa.* 31. Guelf. 1. *a. v. aut tanquam quae me vid. putavi.* Goth. 2. *aut fuerant quae me v. putavi.* Guelf. 2. *cum te,* idem *putavi.* Arg. *quo me.* Giess. *dum.* Trev. *aut certe cum me v. putabam.* 32. Giess. *exonimis,* reliqui *semian.* 36. Guelf. 3., Franc. *ista.* 37. Trev. pro v. l., Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Dresd. *hoc.* 39. Trev. pro v. l. *audisset.* 43. Giess., Goth. 2., Erf., Dresd. *tunc.* 45. Goth. 2. *quod* pro *quid.* Erf. *te* pro *me.* 46. Goth. 1., Guelf. 3. *desieram.* 49. Giess. *org.* Trev. *orgeo;* idem *deo est.* 52. Trev. *sed nec.* Goth. 1. *exceptos.* 53. Trev., Giess., Helmst., Goth. 2., Erf., Dresd., Arg. *qua.* Arg. *parte*

pro *pro te.* Erf. *cerno.* 54. Arg. *meis.* 56. Trev. *redde tuos.* 57. Erf. *hic.* 60. Giess. *culta boum.* 61. Guelf. 2., 4. *nusquam est.* 63. Giess. *mihi—dari.* Goth. 2. *ratesque.* Guelf. 2., 4. *ventosque secundos.* 65. Arg. *laber.* 66. Trev., Dresd., Erf. *et* pro *ut,* Trev. pro v. l. *ut.* 67. Guelf. 2. *disiecta.* 69. Trev., Goth. 2., Erf., Franc. a corr. *et pat.* Trev. pro v. l. *nam pat.* Guelf. 2. *regnante.* Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Goth. 1., Erf., Dresd. *parente.* 70. Guelf. 2., Helmst. *fato.* 71. Omnes *victus.* 73. Trev., Goth. 2. *cum tu dic.* Trev. pro v. l., Goth. 1. *tum mihi.* Trev. etiam pro v. l. *cum mihi.* Erf. *tunc mihi.* Giess. *haec peric.* 74. Giess., Guelf. 1., Goth. 1., Erf., Arg. *vivet.* 75. Trev., Giess., Guelf. 2., 3., Helmst., Franc., Guelf. 1. a 2. m. *vivis.* Goth. 1., Erf., Arg. *vivet.* Trev. pro v. l. *vivit.* 77. Trev. pro v. l. *pro diri* pro *peri.* Giess. *qua* omitt. 78. Giess. *esses.* Trev. *dederat.* 79. Giess. *non e. nunc.* Erf. *non e. non.* 81. Dresd. *occurrent.* 83. Trev. pro v. l. *illuc.* 84. Giess. *lacerant.* Trev., Erf. *nostra* pro *dente.* Erf. *avidos visc.* 85. Trev. *vehit.* Guelf. 3. *alta ista.* Giess., Arg. *alat.* 86. Trev. *qui.* Giess. *aut haec.* Guelf. 2., Helmst., II Goth., Franc. *tigrides ins.* Arg. *insula tigres.* Guelf. 3. *habet* omitt. 87. Trev., Guelf. 1. a corr., 2., Goth. 1., Erf., Dresd., Franc. *magnos.* Trev. pro v. l. *magnas.* 88. Giess. *quis.* 89. Franc. *dura religer.* Trev. *releger.* Erf. *relegar.* 92. Trev. *iuncta* pro *pacta.* 93. Goth. 2. *ferarum,* sed a corr. *deorum.* 96. Guelf. 1., 3., Arg. *rabidis.* 97. Trev. *habitantve.* 99. Giess. *androgus.* Trev., Guelf. 1., 2., 4., Franc. *androgeus.* Guelf. 3. *androg.* omitt. Franc., Dresd. *ne.* Guelf. 1. pro v. l., 4. *fata.* Trev., Guelf. 3., Franc. *luisses.* Guelf. 2., 4. *tulisses.* Dresd. *utinam androgeus viveret ne fata l.* 100. Arg. *suis.* 101. Goth. 2. *nod. mact.* Trev. *mactasses.* 102. Trev. pro v. l. *laeva* pro *ardua.* 103. Guelf. 2. *monstrassent.* 104. Franc. *abductas.* 105. Goth. 2. *cum stat.* Trev. *sententia,* pro v. l. *victoria.* 106. Trev. *sanguine tinx.* Gloss. Guelf. 1., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd., Franc., Arg. *stravit.* Erf. *pulsat.* Giess. *pressit.* Guelf. 1. *texit.* 107. Goth. 2. *nec—telis.* Dresd. *fingi.* 108. Trev. *tegeret,* pro v. l. *es.* Goth. 2. *corpore.* Giess. *cortice.* 110. Trev. *habet.* 111. Trev. *cur me—inermem,* pro v. l. *inert.* 112. Goth. 2. *aut.* Franc. *an.* Trev., Goth. 2. *externa.* Giess. *morte.* 114. Helmst., Erf., Arg. *lacrimis—meis.* 115. Trev. pro v. l. *dextraque.* Goth. 1. *necarat.* 117. Goth. 2. *ventus somnusque.* Goth. 1. *iuravit.* 118. Helmst. *perdita.* 119. Goth. 1. *ego non.* Goth. 2. *ego ne.* 120. Giess. *digitus.* Trev. *claudat.* 121. Giess. *peregr. impleat auras.* Trev. *tanget,* pro v. l. *unget.* IV Guelf. *iunget.* 125. Goth. 2. *cecropio portu.* Trev. *patriamque.* Erf. *receptos.* 126. Guelf. 1. *dum.* Giess., II Goth., Erf. *urbis celsus in arce t.* Guelf. 1. pro v. l., 2., 4., Helmst., Dresd., Franc. a rec. m., Arg., Trev. pro v. l. *honore.* Trev. pro v. l. etiam *in arce* et *in orbe.* 127. Giess., Arg., Franc. a rec. m. *narraris.* Franc. a 1. m. *nota-*

ris. 129. Omnes, praeter Giess., *solam.* 131. Giess. *fiteid.* Trev. *nec pater egeus nec phitheid.* 133. Trev. *turre.* 134. Trev. pro v. l. *et moveat.* 135. Erf., Trev. pro v. l. *me* pro *nunc.* Guelf. 3. *quod potes.* Erf. *si* pro *sed.* 136. Erf. *qua — currit.* 137. Giess., Helmst., Goth. 2., Dresd. *in ore.* 139. Goth. 2., Dresd. *horrent.* 141. Trev., Giess., Erf. *nec te.* Erf. *bene.* 143. Giess. *sed non.* Guelf. 1. *sed ne.* 144. Trev., Arg. *cum tu sis mihi.* 145. Franc. *ast.* 147. Guelf. 3. *hos quoque.* Franc. *superent.* 149. Helmst. *verto* pro *vento.* Erf. a corr. *cursu.* 150. Giess. *leges.*

EPISTOLA XI.

Erf. sic orditur: *Aeolis aeolide quam non habet ipsa salutem || mittit et armata verba notata manu.* 4. Giess. *capta.* Guelf. 3. *et patet.* Trev. pro v. l., Guelf. 4., Goth. 2., Erf., Franc. *notata.* Franc. a rec. m. *soluta.* 6. Goth. 2. *viro.* 7. Trev. pro v. l. *adesses.* 8. Trev. *actoris* et sic fere constanter pro *auct.* Erf. *exhiberetur.* 9. Guelf. 1. *utque ferus m.* Erf. *crudelior.* Trev. *undis,* pro v. l. *eur.* 10. Trev. pro v. l., Erf. *spectaret.* Arg. post *genis* signum interr. 11. Guelf. 4. *sevis convivere.* 13. Giess. *ipse.* Trev. *zephyroque sithonioque.* 14. Guelf. 1. *et ventis.* 15. Trev., Goth. 2. *timidae.* 16. Goth. 2. *heu* pro *et.* 17. Giess. *adiunctam proavorum.* 19. Trev., Dresd., Arg. *non min.* 23. Dresd., Giess. *nunquam.* Trev. *plus unq. cur me.* 26. Guelf. 2. *tremente.* 27. Erf. *maciesque.* Guelf. 1., 2., Goth. 2. *abduxerat.* Guelf. 4., Franc. *obduxerat.* 28. Trev. pro v. l. *oraque nostra c.* 30. Guelf. 4. *gemitus.* Trev. *dedi.* 31. Guelf. 1., 4., Erf. *hoc.* Giess. *nec hec cur.* Goth. 2. *potui.* Giess. *dicere* pro *redd.* 32. Giess. *nec noscens.* 33. Goth. 2. *praescivit.* 35. Giess. *erubuique pudore gremio d. o.* 40. Dresd. *manum.* 42. Guelf. 3., Franc. *exueretur.* Guelf. 4. *visc. nostris exc.* Franc. a rec. m. *excut.* Trev. *honus,* et sic fere constanter. 43. Trev., Guelf. 2., 4. *ha nim.* Goth. 1. *extitit.* 44. Goth. 2. *tut. tect.* Guelf. 1. *et tectis.* Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2., Helmst., Arg. *tectus.* 45. Trev. *fuit.* Erf. a corr. *dignissima.* 46. Franc. *nonaque.* 47. Guelf. 1. *nescio.* Trev. pro v. l. *nescio vel nescia.* 49. Giess. *ait* omitt. 51. Trev. *facerem.* 52. Trev., Guelf. 1., Erf. *pudor—timor.* Trev., Guelf. 1., 2., 4. *vetat.* 53. Trev., IV Guelf., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Franc. *continuo.* Margo Erf. *continuos.* Trev. pro v. l. *contineo;* idem pro v. l. Goth. 2. et margo Erf. Trev. pro v. l., margo Erf. *repono.* Helmst. *rependo.* In Goth. 2. super *cont.* superscriptum *occurrunt.* 54. Giess. *cohibere.* 55. Guelf. 1. *morior.* Guelf. 1. a 2. m., Guelf. 2. *moriar.* Guelf. 3. *mor....* Giess., Goth. 2. *mihi* pro *quoque.* Goth. 2. *munus erat.* Guelf. 4. *erit.* 57. Trev. pro v. l. *tunc,* et Goth. 2. *et* pro *cum.* 59. Trev. pro v. l., Giess., Helmst. *vive precor soror o.* Giess. *suavissima.* Trev. pro v. l. *pulcherrima.* Trev. pro v. l. etiam: *et mihi dixisti soror o car. vive.* Guelf. 1. *aisti.* Franc. *dixisti.* Franc. a rec.

m., Trev., Guelf. 2. *disti.* 61. Trev., II Goth., Franc. *dat.* Trev. *nam fratri.* Giess., Erf. pro v. l. *germano* pro *fr. nam.* Guelf. 2. *tu* pro *nam* et Guelf. 4. *sis;* idem *fratris.* Franc. *est,* a rec. m. *es.* Dresd. *es* omitt. Goth. 2., Erf. *fratri tibi nubere sit spes.* 62. Trev., Giess. a 2. m., Erf., Gloss. Guelf. 1. *es* pro *et.* II Goth. (?), Dresd. (?) *illius es de quo m.* 63. Guelf. 2. *vix* pro *tamen.* 64. Guelf. 1. *utero—meo.* 65. Trev. *quod tibi.* 66. Trev. *suis* pro *patris.* 67. Giess., Erf. *frugibus.* 70. Giess., Franc. *dant pop.* Franc. a rec. m. *dat.* 72. Guelf. 1., Franc. *ipse suo.* Erf. *proditus—suo est.* 74. Erf. *clamat.* 75. Trev. *ut m. cum trem. constring.; constring.* etiam Goth. 2. 76. Guelf. 2., 3., 4., Dresd. *et* pro *ut.* Trev. *tremulo.* 77. Franc. *librari,* a rec. m. *vib.* 78. Giess. *oppos.* 79. Dresd. *irruat.* Arg. *vulg. nostr.* 81. Giess. *furib.* Arg. *lacr. profundere quivi.* 83. Trev. *iamque dari canibus puerumque avibusque nep.* 84. Helmst. *et* pro *in.* 85. Giess. *ille dedit.* Trev. *puer* pro *mis.* 87. Giess. *credas.* 88. Dresd. *iam.* Goth. 2. *collig. ex an. iam potes ipse t.* 89. Trev. pro v. l. *ad* pro *in.* 91. Goth. 1. *exieram.* Guelf. 1. *dum.* Guelf. 1. a 2. m., 4., Arg. *tum.* Helmst. *cum.* Trev., Helmst. *denique.* Trev., IV Guelf., Helmst., Goth. 2., Erf., Franc. a corr., Arg. *planxi.* 92. Dresd. *contingit.* Erf. *convenit.* Giess. *inde* pro *inque.* Erf. *ipse* pro *ire.* II Goth., Franc. *comas.* Guelf. 4. *genas—meas.* 93. Guelf. 2. *patris.* Goth. 2. *toto.* 95. Guelf. 1. *mitt. ens.* 96. Goth. 2., Erf., Arg. *quid ipse v.* 97. Giess. *violato.* 102. Guelf. 4., Helmst. *effuge.* Trev. pro v. l. *decepto.* 103. Helmst. *forte fac.* Goth. 1. *erinides.* Arg. *herinnides.* Goth. 2. *himenid.* Trev. *heumenid.* Giess., Erf., Dresd. *eumenid.* 104. Guelf. 1., 2., Goth. 2., Dresd., Arg. *et meus.* Trev. *lugeat.* 105. Trev. *fatales,* pro v. l. *fel.* 106. Franc. *amissi;* idem *am.* v. 107. et 110., sed hoc loco a corr. *admissi.* Guelf. 1., Arg. *amissae.* 109. Guelf. 1. *si meruisse necem poterat.* 110. Giess. *perditur.* Trev., Guelf. 2., 4. *ha.* Arg. *amisso.* 111. Goth. 1., Arg. *rabid.* 112. Trev. *heu.* Franc. *et m.* 115. Dresd. *nec.* Goth. 2. *effund.* Trev. pro v. l. *multis* pro *iust.* 116. Trev. *ire* pro *ferre.* 117. Giess. *frig. sensi carsi.* Trev., Helmst. *sumsi.* Trev. pro v. l. *carpsi.* 118. Franc. *eripiunt.* Trev. pro v. l. *deripiant.* 119. Helmst. (?) *infantes.* Giess., Goth. 2., Erf., Dresd., Arg. *perseq.* 124. Giess. *mereat.* Guelf. 1., 4., Helmst. *quaelibet.* 125. Trev., Giess., Guelf. 3., II Goth., Erf. *vulnere.* Guelf. 1., 2., Helmst., Goth. 2. a corr., Franc., Arg. *funere.* Helmst. *nostris.* 127. Trev., Giess. *te r.* Trev. pro v. l. *tu r.* Franc. a rec. m. *et r.* Goth. 2. *tu modo.* Guelf. 1. *dilectae nim.* 128. Giess., Guelf. 2. *profer.* Trev., Guelf. 1., 3., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *perfer.* Guelf. 4. *praeter.* Helmst. *mandatum.* Giess. *mandato.* Helmst., Trev. pro v. l. *prosequar.*

EPISTOLA XII.

V. 1. Trev., Guelf. 1., 2., 4, Helmst., Goth. 1. *ut.* Trev.

pro v. l. *at.* Goth. 2. *vocavi.* 2. Erf. *dum.* 3. Giess. *dispensent.* Guelf. 2., Dresd. *facta.* Giess., Goth. 2., Erf. *fila.* 4. Dresd., Erf. *suos.* 5. Trev., Goth. 1., Guelf. 3., Helmst., Franc. *tum.* Trev. pro v. l. *tunc.* 6. Trev., Guelf. 1. *vitam.* 7. Giess. *nunq.* 9. In Guelf. 3. *Argo* deest, reliqui omnes *argon.* 13. Trev. pro v. l., Franc. *an.* Giess., Arg. *aut.* Erf. *ut.* 15. Omnes *praemeditatus.* Goth. 1. *angues.* 16. Goth. 2. *adusta.* 17. Giess., Guelf. 1., Arg. *totidem quid* (Arg. *quod.* Guelf. 1. *quot) seminat hostes.* Guelf. 1. et Giess. pro v. l. ut vulg. Guelf. 3. *totidemque sumps.... et host.* Guelf. 4. *sensisset.* Helmst. pro v. l. *quod semina.* Erf. *ut hostes.* 18. Guelf. 1. *et cad.* Trev. pro v. l. *sed c.* Goth. 2. *et ipse.* 20. Goth. 2. *capta.* 21. Goth. 2., Franc. a rec. m. *voluntas.* 22. Guelf. 1. *hec ex te.* 23. Arg. *avert.* 25. Goth. 2. *haec.* Giess. *hac illac.* Guelf. 1., Goth. 1., Erf., Franc. *fuit.* Dresd. *illic med. fui haec.* 27. Goth. 1., Helmst. *scythiam—nivosam.* 29. Trev., Guelf. 1., Goth. 1., Erf., Helmst. *iuvenes pater oeta* (Helmst. *aeta).* Guelf. 2., 3., 4., Franc., Arg. *iuvenes oeta.* Dresd. *pelasgo.* 30. Goth. 2. *presserunt* pro *et prem.* Trev. *medos* pro *pict.,* idem pro v. l. *pectora.* 31. Trev. pro v. l., II Goth., Arg. *quis.* 32. Goth. 2. *menti.* 34. Goth. 1., Dresd. *picea.* Goth. 2. *spicea.* Guelf. 2. *punica eda deos.* Guelf. 3. *uror* pro *ardet.* 35. Goth. 1. a corr. *mala.* 43. Dresd., Goth. 1. a corr., Helmst. *aeripedes.* Giess. *cornibus.* Trev. *ora* pro *aera.* 44. Goth. 2., Erf. *efflatus.* 46. Goth. 2. *laeta.* 48. Helmst. *erat.* 51. Guelf. 1. *dix. haec oetes.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., Franc., Arg. *dix. oetes.* 53. Giess., Goth. 1., Franc. *tum.* 54. Trev. *creuntis.* Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2. a corr., Erf., Dresd. *erat.* 55. Erf., Arg. *persequor.* 56. Guelf. 2. *et tenui dix.* 57. Trev., Guelf. 1., 2. *et* pro *ut.* Guelf. 4. *ut pos. in thalamo tet.; thalamo tet.* etiam Goth. 1., Dresd., Arg. 58. Guelf. 4. *actaque per.* 59. Giess. *ante ocellos tauri nostros segetesque profanae.* Trev., Guelf. 1., 2., Helmst. *taurique meos.* Erf. *ante meos oculos tauri.* 61. Trev. *hic* pro *hinc.* Erf. *urget.* 62. Goth. 2. *thal. nocte rec.* Erf. *thal. est cara rec.* 63. Helmst. *disiectas—iacentes.* Arg. *avers.* Trev. *mota iac.* Dresd. *iactantem.* 64. Guelf. 2. *et* omitt. 65. Trev. *minium,* sed Schol. *miniis.* Guelf. 2., 3., 4. *alter* (Guelf. 3., 4. *altera) petit et* (Guelf. 3. *et* omitt.) *alter habebit; habebit* etiam Franc. a rec. m., Goth. 1. et Dresd., Guelf. 1., qui tamen pro v. l. *habebat.* 66. Guelf. 4., Goth. 2. *petit.* Helmst. *quod soror illa.* Trev. *arma damus.* 68. Trev., Guelf. 2., Goth. 2., Franc. *illic.* Helmst. *illic et.* Trev. pro v. l. *illud.* Arg. *radios.* 69. Franc. *sunt in quo.* Omnes *fuerant certe,* nisi quod Guelf. 1. *certae* et pro v. l. *cincte.* Guelf. 4. *ut fuer.* 71. Trev., Arg. *nescio.* Giess., Guelf. 2., 3., Dresd., Erf., Goth. 1. *nescis.* Guelf. 1., 2. a corr., Helmst. *noscis.* Trev., Guelf. 3., Arg. *exciderint.* Guelf. 2. *exierint.* Guelf. 1., II Goth., Erf. *exciderant.* Guelf. 1. *animo* pro *mecum.* Trev., Giess., II Goth.,

Erf. *illic.* 72. Trev., Giess., Guelf. 1., 2., Helmst., Franc. a rec. m. *ausus.* Trev. et Helmst. pro v. l. *orsus.* Erf. *prius.* 75. Giess., Dresd. *satis* pro *sat est.* Guelf. 4. *si quam.* Trev., IV Guelf., Franc., Arg. *ipsa pot.* 76. Franc. a rec. m. *at.* Goth. 2. *gratia,* superscr. *gloria.* 79. Giess., Guelf. 3., II Goth., Erf. *triplicis.* 80. Giess. *alios.* 81. Arg. *priorum.* 83. Guelf. 2. *pelasgon.* 84. Giess. *unde deosque putem.* Guelf. 1., Goth. 2. *arbitror unde* (Goth. 2. *esse) deos.* Erf. *auguror esse d.* Guelf. 2. *unde deosque meos.* Guelf. 4. *esse putabo d.* Trev. *unde putabo d.* 85. Guelf. 1. *vanescet.* 86. Franc. *nisi tu thal.* 87. Giess. *toris,* a rec. m. *sacris.* 89. Dresd. *iam an.* Trev., Giess., Guelf. 3., II Goth., Franc. a corr. *quota* (Giess. *tota) pars horum,* quod velim recepissem. Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Dresd., Arg. *q. pars possunt.* Erf. *pars poterant removere.* Arg. *movere* omitt. Goth. 1. *puellas.* 91. Trev. *vidi quoque,* superscr. *etiam.* 94. Goth. 2. *nomine.* Helmst., Dresd. *scindis.* Erf. *findis.* 96. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Dresd., Erf., Goth. 2. a corr., Franc. a corr. *habens,* quod nunc Nasonianum mihi videtur. 98. Helmst. *video.* 99. Goth. 2. *mirabile.* 100. Giess. *concretas connexuere.* Goth. 1. *in se strictas.* Guelf. 2., Goth. 2., Arg. *in se constrict.* Guelf. 3. *inter constr.* Helmst. *inter se constr.* Trev. pro v. l. *inseruere.* 101. Guelf. 1. *incorpor ecce vigil.* Franc. a rec. m., Arg. *serpens ecce vig.* Erf. *pervigil et serpens.* Goth. 2. *pennis.* 102. Trev., Erf. *et toto,* Trev. pro v. l. *torta.* Goth. 1. *tota.* Helmst. *in horto.* Goth. 2. *tortam.* Goth. 1. *vertit.* 103. Guelf. 4. *ubi tunc et regia coni.* Trev. *dotis opes ubi illae erant, ubi erat.* Erf. *ubi erat trinacria coni.* 104. Guelf. 1., Erf., Arg. *destinat.* Guelf. 3., Franc. *destinet.* Helmst. *desinet.* Trev., Guelf. 2., 4., Dresd., Goth. 2. *detinet.* Giess. *separat.* Franc., Arg. *hismos.* Trev. *hismon.* 109. Trev. *traditur,* pro v. l. *prod.* Dresd. *relinqui.* 110. Trev., Guelf. 1., 4., II Goth., Dresd., Erf., Franc., Arg. *quod licet.* Guelf. 2., 3. *quodlibet.* Trev. pro v. l. *quolibet.* 112. Goth. 2., Erf. *cara est.* 113. Guelf. 2. *at te non.* Helmst. *sed te non.* Trev. *at modo te.* Dresd. *relinqui.* 115. Trev. *quae—ausa est mea,* pro v. l. *quod.* 117. Trev. *non.* 118. Giess., Helmst., Franc. a rec. m. *tamque.* 119. Trev. *meritas ubi diis sub.* Erf. *nunc tibi pacta fides meritas.* 120. Trev., Erf. *crudelitatis.* Trev. *habes,* pro v. l. *ego.* 123. Giess., Trev. *aut nos.* Trev. pro v. l. *at n.* Franc. *at,* a corr. *aut.* 125. Trev., Guelf. 1., 3., 4., Goth. 2., Erf., Franc. *totid. fluit.* 126. Giess. *tenacri.* Goth. 2. *tenariae.* 127. Trev. *victo revert.* 128. Arg. *barbara,* pro v. l. *aurea.* 129. Giess. *nat. pel.* 130. Guelf. 1. *laesaque.* Guelf. 4. *scissaque.* 133. Erf. *tua.* Goth. 1. *mea.* 136. Trev. *et sequitur qui me.* 137. Trev. pro v. l. *cum.* Dresd. *et.* Giess. *ut subito dona ymo cant.* Goth. 2. *clamatus.* 139. Giess., Guelf. 3., Arg. *effundit.* Trev. *solatia.* II Goth., Erf., Dresd. *nobis.* 140. II Goth., Dresd., Guelf. 3., 4., Trev.,

Helmst. *funesta*. Guelf. 4. *lyra*. 141. Trev. *tantum nec adhuc*. Giess. *scelus* omitt. 142. Trev. pro v. l. *corpore*. 143. Trev. *et* ante *hym.* omitt. Trev., Guelf. 1., 2., 4., Helmst. *hymenaea*. Franc. *frequentes*, a corr. ut vulg. Trev. pro v. l. *turba ruunt hymeneumque vocant*. 144. Giess. *tamen* pro *hoc*. Guelf. 1. *haec vox*. II Goth. *vox haec*. Trev. *nox*. Guelf. 3. *est* omitt. 145. Giess. *famuli*. Trev. *divisi—cogebant*. 147. Erf. *iubebat*. 148. Giess. *qua* pro *sed*. Giess., Guelf. 4., Helmst. *mens mihi*. 149. Dresd., Erf. *iussu*. Goth. 2. *stud. loquendi*. Franc. *iuvandi*, a corr. *vid.* Trev. pro v. l. *lusu* vel *visu*. 150. Trev. *lumina*. Guelf. 1. *abstitit*. Erf., Dresd., Goth. 1. *astitit*. 151. II Goth. *hic*. 152. Giess., Goth. 1., Dresd. *ducet*. Trev. *adductos*. 155. Trev. pro v. l. *ipse* pro *ire*. Trev., Guelf. 2., 3. *agmine*. 157. Trev. *quin sim*. 158. Post h. v. in Trev. hi duo additi sunt: *ipse nocet mihi nunc, cui saepe nocere solebam* || *ipsa ego quae potui laedere, laesa queror*. 161. Guelf. 4. *amisso*. Trev. *admissis*, sed Schol. *am.* 163. Goth. 2. *potui domuisse feroces*. Erf. *taurosque feroces*. 165. Trev., Giess., Goth. 2., Erf. *rapui*. Guelf. 1., 2. *pepuli*. Erf. *angues*. 166. Erf. *possum*. Trev. *potui*. 167. Dresd. *herbae*. Trev. *cantus artes herbaeque relinq*. 170. Giess. *duro*. Trev. pro v. l., Guelf. 1., 2., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *teneram misero*. Guelf. 3. *ne tacito miseret p.* Giess. *nec tener in duro p. s. adest*. Trev. pro v. l. *inest*. 171. Goth. 2. *quae te non potui, pot.* Erf. *dormire*. 175. Trev. *dum te stultae iactaris amicae*. 176. Goth. 2. *ini. artibus*. 177. Dresd. *figis*. Giess., Trev., Guelf. 1. *finges*. 179. Goth. 2. *sedeat*. 180. Erf., Goth. 2., Guelf. 2., Giess. *ardores sentiet* (Giess. *sentiat*) *illa* (Guelf. 2. *usta*) *meos*. Trev. pro v. l. *sentit*. 181. Trev. *flammae ferrumque*. 183. Trev. pro v. l. *qua si*. 185. Trev., IV Guelf., Helmst., Goth. 1. *nam tibi*. Trev. pro v. l. *nunc*. Trev., Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Arg. *quod tu mihi*. Erf. *quod non mihi*. 186. Erf. *nec pudor*. Trev. pro v. l. *nec pudet*. 188. Trev. pro v. l., Giess. *seviat*. Trev., Erf. *seva* pro *dira*. Trev. pro v. l. *dura creusa*. 189. Trev. *tibi sunt sim.* 192. Erf., Trev. pro v. l. *cara* pro *nostra*. Trev. pro v. l. *adde*. 194. Trev. *redde*. 199. Trev. *dos tibi sit quaeris campum numeramus* (v. *redeamus*) *ad illum* (v. *in illo*). Guelf. 1., 2., 4. etiam *numeramus in illo*. Guelf. 3. *numeremus in illo*. Giess. *numerabimus illo*. 201. Franc. *fulvo — aureo*, a rec. m. *villo — auro*. Trev. *fulvo — auro* v. *villo aureo*. Guelf. 3., Dresd., Arg. *sp. albo*. 202. Giess. *quam tibi si dicam dos m. r. n.* Guelf. 1. *dos tibi quam*. Goth. 2. *quid dicam si mihi*. 203. Erf. *grata*. Trev. pro v. l. *graeca*. 204. Goth. 2. *refer*. Trev. pro v. l. *isiph*. 205. Trev. *socerum nuptamque nepotem*; *nepotem* etiam Goth. 2. Franc. *potentes*, a rec. m. ut vulg. 207. Erf., Franc. a corr. *perdam* pro *act.* Franc. pro v. l. ut vulg. Idem *siquid*. 209. Giess. *ipsa* pro *ira*. 210. Trev. pro v. l. *at* pro

et; idem *consiluisse.* 212. Giess. *manus* pro *maius.* Helmst., Erf., Dresd. *habet.*

EPISTOLA XIII.

V. 2. Trev. *laodom.* Giess. *hemonica* pro *hemonio.* 4. Giess. *at.* Goth. 1. *hic me.* Guelf. 2. *hanc cum fugeres me.* Guelf. 3. *ha me.* 5. Trev., Guelf. 2. *tunc.* Giess. *hunc.* Helmst. *nostris.* 8. Giess., Guelf. 2., II Goth., Erf., Franc. *plura.* Guelf. 2. *verba tua* pro *multa tibi.* 9. Giess. *mea vela.* Trev. *qua* v. *qui.* 13. Trev., IV Guelf., Goth. 2., Erf., Franc. *mandatis.* IV Guelf., II Goth., Erf., Franc., Arg. *reliquit.* 14. Guelf. 1. *istud.* Giess., Helmst., Goth. 1., Erf., Dresd. *potuit.* Goth. 2. *valuit.* 15. Guelf. 1., Helmst., Goth. 1., Dresd., Arg. *abrept.* Guelf. 2. *adrept.* Guelf. 2., 4., Goth. 2. *erept.* 16. Giess. *erit.* 18. Trev. *sumque secuta tuos usque meis oculos.* 19. Giess. *utque.* 21. Giess. *at posterior te.* Trev. *fugentia.* Franc. *fugantia.* 22. Trev., Giess. *littus.* Trev. pro v. l. *pontus.* 23. Giess., Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Franc., Arg. *tenebris* omisso *que.* Goth. 1. a corr. *lacrimis.* Guelf. 2., 3. *abortis.* 25. Erf. *vix pater isyphius.* Dresd. *ysiphides.* Goth. 2. *isiphilus.* Guelf. 1. *isiphyclus.* Franc. *ysichius.* Arg. *hyphicus.* 29. Trev., Giess., Dresd., Erf. *utque redit animus.* II Goth. etiam *redit.* Guelf. 1., 4., Helmst., Franc. *utque animus rediit.* Arg. *ut rediitque an.* Erf. *colores.* 31. Erf. *pectendis—capillis.* 32. Trev. pro v. l. *licet.* 34. Trev. pro v. l. *dicitur.* Guelf. 3., Franc., Dresd. *qua.* 35. II Goth. *phillacides.* Erf. *inachides—dicunt.* Trev. *phylacid.* Guelf. 2. *phylaceidos.* Franc. *matres phillacidesque requirunt,* a rec. m. *phillados et mihi cl.* 36. Trev. *laodom.* 37. Giess., Erf. *feram.* Goth. 2. *lanas.* 38. Goth. 1., Franc. *gerat.* Guelf. 3., Helmst. *gerit.* Erf., Goth. 2. *ipse.* 39. Trev. *caput* v. *comas.* Trev., Giess., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., II Goth., Arg. *pectam.* Erf. *pectem.* Guelf. 1., 2., Goth. 1., Helmst., Franc. a 1. m., Arg. *prematur.* Franc. a 2. m. *premetur.* 40. Giess., Erf., Helmst. *geret.* Franc., II Goth. *ferat.* Goth. 1. *vir meus arma.* 41. Arg., Goth. 2. *qua.* Trev., Goth. 1. *quo possum imitata tuos squalore.* Goth. 2. *dolores.* 42. Trev. *dicar ut.* Guelf. 4., Erf. *hoc.* Guelf. 3. *hic.* Guelf. 4. *tempore.* 43. Giess. *furiose.* Guelf. 2., Arg. *priamides.* Helmst. *hic.* 45. Guelf. 3. *at te.* Trev. *tenacriae.* Guelf. 4. *tyndaridae.* 47. Giess. *dolebas.* 49. Giess. *dum.* 50. Goth. 2. *ut sua.* Erf. *dat.* Guelf. 4. *vir precor.* 51. Trev., IV Guelf., II Goth., Erf., Franc., Arg. *quotiens subiit.* Dresd. *quotiens timeo.* 52. Goth. 2. *sole manente cadunt.* Trev. pro v. l. *fluentis.* 53. Goth. 1. *simois et.* Goth. 2. *simois quoque x.* Trev. *tenedon simois xanthus et ide.* Franc. etiam *tenedon.* 55. Erf. *ausus erat nisi.* 60. Giess., IV Guelf. *quota quaeque* 61. Helmst. *his quoque.* 65. Giess. *quidquid.* Franc. *fida,* a rec. m. *cara.* 66. Giess. *semper signatum.* 68. Goth. 2. *illuc.* 71.

Guelf. 1., Franc. *si fas est cadere argolico.* Franc. a rec. m. *cadet.* In Trev., Guelf. 1., 3. vss. 74. et 75. et in II Goth. vss. 75. et 76. desunt, in Goth. 2. tamen in marg. leguntur. 74. Franc. a corr. *tollat,* a rec. m. *rapiat.* 75. Erf. *causis.* Helmst. *vicit.* 76. Trev., Erf. *in med.* Giess., Helmst. *est* omitt. 77. Trev. *vincere,* a 2. m. *vivere.* Erf. *dispar causa tua est.* Goth. 2. *evolvere pugna.* 78. Trev. *inque tuae* vel *pios.* 80. Trev. *ex isto.* 81. Trev. *nudo* vel *sevo.* 82. Guelf. 4. *duraque.* 83. Trev., Erf., Dresd. *qui p. amore.* Guelf. 3. *quam pugnat.* II Goth. *cum p.* 86. Guelf. 2. *suscitat.* Erf. *auspiciis lingua retenta malis.* Guelf 2. etiam *retenta.* 89. Guelf. 2. *et vidi et gemui.* 91. Erf. *recolo.* Giess. *almis.* 92. Trev. pro v. l. *sed meus.* 94. Guelf. 2., Goth. 2., Erf., Dresd. *tanget.* Guelf. 3., Goth. 1., Trev. a corr. *tangit.* 98. Dresd. *fatigatis.* Giess. *findat.* Helmst., Dresd. *versat.* 100. Giess., IV Guelf., Goth. 1., Erf., Franc., Arg. *properes.* 102. Erf. in marg. *pedem.* 103. Trev. *astat.* 111. Erf. *a somno.* 113. Trev., Guelf. 2., Goth. 2., Erf., Dresd. *lacrimasque.* Trev. *fero* pro *super,* pro v. l. *super.* Erf. *super* omitt. Dresd., Goth. 2. *qua sp. relucent.* Trev., Guelf. 1., 3., Erf. *quae sp. relucent.* Goth. 1. *quam sp.* Guelf. 2. *sparsa relucentque* omisso *qua* v. *quae.* Nunc, si liceret, scriberem: *qua sp. relu c e n t.* 114. Guelf. 4., Goth. 2., Dresd., Helmst., Arg. *effuso.* Guelf. 1., 2. *a fuso.* Trev. pro v. l. *vena* pro *flam.* 116. Trev., Erf., Goth. 2. *tristitia,* Trev. pro v. l. *laet.* 119. Guelf. 2. *dumque mihi referas; referas* etiam Guelf. 1., Franc. 120. Trev., IV Guelf., II Goth., Dresd., Helmst., Franc. *rapies.* 121. Trev. pro v. l., Guelf. 4., II Goth., Erf. *narrantis.* 122. Giess., Guelf. 4. [II Goth., Erf., Dresd. (?)] *retenta mora.* 125. Trev. *quod prohib. venti exire carinis.* 126. Giess. *invictis.* 127. Giess. *retinente.* 128. Guelf. 1. *ab.* Goth. 2. *negante.* 129. Arg. *nept. iter non praebet.* 131. Helmst. *sonantes.* Dresd. *ventantes.* Franc. a rec. m. *ruentes.* In Helmst. vss. 131. et 132. positi sunt ante 129. 134. Trev., Erf. *inachidae,* Trev. pro v. l. ut vulg. 135. Pro *sed quid ego revoco haec* Trev., Guelf. 3., Goth. 1. *sed quid ego revoco;* Guelf. 2., Helmst., Goth. 2., Dresd. *sed quid ego haec revoco;* Guelf. 4. *sed quid ego revoco hic;* Trev. pro v. l., Guelf. 1., margo Arg. *sed quid ago revocans.* Deinde Arg. a 1. m. *omen revocantis abesto;* idem a rec. m. *si iam lis omnis ab.* et in marg. ut vulgatum est; Franc., Helmst. *dictis his omen ab.;* Goth. 2. *saevae alitis omen ab.;* Goth. 1., Trev. pro v. l. *levum procul omen ab.;* Trev. a 1. m. *sevum p. o. a.* 136. Arg. *secundat.* 137. Giess. *troades.* Trev. pro v. l. *invenio.* Helmst. (?) *si.* 138. Guelf. 2., Trev. pro v. l. *conspiciunt.* Guelf. 2. *erat.* 139. Giess. *bene* pro *nova.* 140. Franc. *barbara et.* 143. Guelf. 3. *perducetque.* 144. Trev. *dices.* IV Guelf., Erf., Dresd., Giess., Franc. *arma—ista* (Giess. *illa).* Giess., Franc., Erf. *face.* Goth. 2. *vir* pro *fac.* 146. Arg. *prospicietque.* 147. Omnes, praeter

Giess. et Helmst., *exuet et.* Goth. 2. *gal.—clyp.* 148. Giess. *sinu—suo.* Giess., Goth. 1., Franc, Arg. *pectora.* Goth. 2. *laxa.* 150. Goth. 1. *possent.* 151. Guelf. 4., II Goth. *geres.* Trev. pro v. l., Guelf. 1., 3., Erf., Franc. *geras.* Trev. a 1. m. *feras.* Erf. pro v. l. *feres.* 153. Goth. 2. *dedita.* 154. Trev. *diximus* vel *dicimus.* Goth. 1. *dicitis.* Trev. pro v. l. *accipit.* Giess., Helmst., Trev. pro v. l. *tuos.* 159. Goth. 1. *per nostrum* pro *per red.* Trev. *munera.* 163. Trev. pro v. l. *iuberis.* 165. Guelf. 4., Goth. 2., Dresd. *claudatur.* Trev. *quod claudat.* 166. Giess., Goth. 1., Erf. *si tibi.* Giess., Erf. *tui—mei.* Guelf. 3. *tibi* secundo loco omittit. Guelf. 1., 4., Goth. 2. *sit mihi cura tui.*

EPISTOLA XIV.

V. 1. Trev. hic et v. 53. *hypermestra.* 2. Trev. *iacent.* 3. Erf. *duris exercita.* 5. Trev., IV Guelf., Franc. *dimitt.* Erf. *committ.* 7. Trev. *praestet,* pro v. l. *praestat.* Goth. 2. *piam.* 9. Giess. *violabimus.* 10. Trev. *in ore,* var. l. *ora.* 11. Trev. *aut hoc me iug.* Guelf. 2., Dresd. *iuguler.* Giess., Goth. 1. *ensem.* 12. Trev. a 1. m. *et—cadat,* pro v. l. *ut—cadam.* Erf. *aut—cadat.* 14. Dresd. *non es.* Giess. *non sum.* 15. Giess. *dan. scel.* 16. Giess. *dolet.* 17. Giess. *sceleratae.* 18. Franc. *ora timor; timor* etiam Guelf. 4., Helmst., Goth. 1., Trev. pro v. l. Franc. a corr. *tremor.* 19. Giess. *putas.* 21. Trev. *experior,* pro var. l. *ar.* 22. Guelf. 3. *noctis—lucis.* 23. Trev. pro v. l. *dicimur.* 23. Giess. [II Goth., Erf., Dresd. (?)] *tyranni.* 24. Giess., Guelf. 3., 4., Franc. a 1. m., Arg. *ille nurus.* Franc. a 2. m. *ipse.* Erf. *ense nur.* Helmst. (?) *aede nur.* 25. Erf. *praecinct. praeluc.* Guelf. 2. *perluc.* 26. Trev. pro v. l. *turpia.* 27. Trev., Giess., IV Guelf., Helmst., Goth. 2., Dresd., Franc., Arg. *hymenaea.* Giess. *nocent.* 29. Trev. *comites.* 30. Giess. *nova.* 31. Goth. 1. *laeti fratres.* Giess., Guelf. 4., Goth. 2. *laeti iuvenes.* Erf. *sequuntur.* 33. Erf. *inque.* Trev., Goth. 2. *somnoque—vinoque.* 34. Trev. *per agmen.* Dresd. *per agros.* 35. Franc. a 1. m. *iubebar,* a corr. *vid.* 36. Trev., Guelf. 4. *audivi,* Trev. pro v. l. ut vulg. Guelf. 2., Goth. 1. *auditum.* Helmst. *audibam.* In Guelf. 3. *aud.* deest, relict. vacuo spatio. 37. Guelf. 2. *abiit.* Trev., Erf. *color.* Giess., II Goth., Dresd., Helmst. *relinquit.* 39. Omnes, praeter Franc. et Helmst., *utque levi.* Guelf. 3., Giess., Helmst. *fragiles.* 42. Trev., Helmst., [II Goth., Erf., Dresd. (?)] *dederant.* Trev. pro v. l. *causa* pro *vina.* Goth. 1., Dresd. *saporis.* 43. Erf. *metus.* Trev. pro v. l., IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Dresd. *violentia.* Franc. *violenta.* Goth. 2. *violentaque.* 45. Giess., Guelf. 3, Helmst., Franc. *loquar.* 46. Goth. 1., Guelf. 2., 3. *cecidit.* Dresd., Guelf. 4., Franc. a corr. *concidit.* Franc. a rec. m. ut vulg. Giess. *decedit.* 47. Trev. a 1. m. *tandem victa mei seva formidine patris.* Trev. pro v. l., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2., Erf., Dresd. *at* (Giess. *et*) *rursus monitis iussuque coacta parentis.* In Franc. hic v. deest. V. 49. Goth. 2. *sine me tibi*

vera fateri pro *tela paterna tuo.* 49. Trev. *et vel sed.* 55. Giess. *et virgo* omitt. 56. Trev., Erf. *bella.* 57. Giess., Dresd., Franc. a corr. *dumque licet.* Guelf. 3. *dumque placet.* 59. Helmst. *possit.* Giess. *bellum.* 60. Guelf. 3., Goth. 1. *domini—sui.* 61. Guelf. 1. *non.* Trev., Guelf. 4., Franc, Arg. *haud.* Guelf. 2., Goth. 1., Helmst., Dresd., Franc. a rec. m. *aut.* Guelf. 3. *hu.* Trev. pro v. l. *hac.* Giess., Goth. 2., Erf. *hanc.* Guelf. 1. *timendo.* 62. In Franc. post hunc versum sequuntur vss. 113. et 114., qui infra a 2. manu adscripti sunt; et in Goth. 1. post hunc v. sequitur v. 114., qui et infra legitur, sed *patre* ibi pro *sene.* 63. Guelf. 2. *mori—viros.* Erf. *necem—viros.* 65. Goth. 1. *quid tibi cum.* Erf. *telo.* Dresd. *quo bellica.* Erf. *quod bellica.* 67. Arg. *hoc ego.* Erf. *dum meditor lacrim.—mea; mea* etiam Goth. 2. Guelf. 2. *lacr. haec mea verba.* 68. Franc. *cadent.* 72. Giess., Franc. *expulerunt.* Goth. 1., Erf. *verba tuos.* 74. Trev., Guelf. 1., 3, II Goth., Dresd., Franc., Arg. *properas.* 78. Franc. *tum fugis.* Arg. post *sinit* punctum habet. 79. Erf. *madentes.* Helmst. *cruentos.* 80. Trev. *numerat et summae.* Guelf. 4. *abest.* 81. Trev. *iactura.* 83. Trev., Goth. 2., Erf. *manibus* pro *ped.* Guelf. 3., Goth. 2, Erf. *a patris.* 84. Trev. *meruis.* 86. Trev., Guelf. 4., Goth. 2., Franc., Arg. *dea est.* Guelf. 4. *est* post *homine* omitt. 87. Goth. 1., Dresd. *ah.* Trev. pro v. l. *an.* Franc. *aut,* a rec. m. *ut.* 88. Erf. *et modo.* 89. Erf. *constitit.* 90. Giess. *liquidis.* 91. Giess., Goth. 2., Guelf. 2. *et conata loqui.* Guelf. 1. *conatoque queri.* Trev. *cognataque queri.* 92. Guelf. 2. *sua est.* 93. Trev., Guelf. 4. *quid fugis;* Trev. pro v. l. *furit.* Trev., Guelf. 2., Erf., Dresd., Franc. *undis.* Franc. a corr. *unda.* Guelf. 4. *in umbra.* 95. Giess., Guelf. 1., Franc., Arg. *illa.* Trev., Goth. 2. *pellex magni.* 96. Guelf. 1. *levat.* 98. Guelf. 4., Erf. *ne te.* Trev. pro v. l. *ut* pro *et.* 99. Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd., Franc. *possis;* Franc. a corr. *posses.* 100. Guelf. 1., Franc. a corr. *uda nuda.* Guelf. 2., Goth. 2., Helmst. *dura nuda.* Guelf. 3. alterum *nuda* omitt. Trev., Erf. *gelida nuda.* 101. Giess. *conatque.* 105. Guelf. 2. *sequeris refugisque.* Arg. *inache.* 106. Erf. *mihi.* 107. Dresd. *portusque.* Guelf. 4. *demissus.* Helmst. *immissus.* Giess. *ad aequor.* 108. Giess. *exuis.* 109. Trev. pro v. l., Erf. *mihi causa.* Arg. *longa senect.* 110. Trev., Franc. *animi;* Franc. a corr. *anni.* Franc. *quod quer.* Goth. 2. *ipsa* pro *ecce.* 112. Guelf. 4. *eiectas.* 113. Guelf. 1. *solio solus.* 115. Trev., Giess., Erf. *restas.* 117. Guelf. 1. *nam tibi.* 118. Trev. *turba suos.* 120. Dresd. *quod.* 122. Arg. a 1. m. *cadente,* a corr. *vivente.* 123. Guelf. 3. *aut* pro *at.* Helmst. *linceu est* pro *linceu;* Trev., Erf., Guelf. 1., 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *line est;* Goth. 1. *line et;* Arg. *line;* Giess. *cemam.* 125. Franc. *deme neci.* Giess. *victa.* 126. Trev. *finitimis* pro *furt.* 127. Guelf. 4. *ora.* 130. Giess. *quod.* Guelf. 2. *mortem quam.* 131. Giess. *lapsa.* Erf., Guelf. 1. a 1. m., Franc. *pressa.*

EPISTOLA XV.

V. 1. Gud. 1. 2., Scriv. *numquid.* Franc. *ut.* 2. Gud. 2. *est* omitt. 3. Omnes *saph os.* Scriv. *sapphos.* 4. Franc. *veniret.* 5. Scriv. *requires.* Franc. *requiras.* 6. Scriv. *sum.* 7. Franc. *elegi quoque.* Reliqui etiam *elegi.* 8. Gud. 1., 2., Scriv. *barbiton.* 11. Scriv. *celebret.* 13. Gud. 1., Scriv. *iungam quae.* Gud. *iungam per.* 15. Gud. 1., 2. *nec mihi pierides subeunt naiadesque puellae.* Gud. 2. tamen *dryades* pro *nai.* 16. Gud. 2. *thespiadum—iuvat.* 17. Gud. 1., 2., Scriv. *amatorie.* Gud. 1., Franc. *cydro.* Gud. 2. *clio.* Scriv. *sydro.* 18. Gud. 1. *athoys ante.* Gud. 2. *athois ante.* Scriv. *anthoys ante.* 19. Gud. 2., Scriv., Franc. *non sine.* 23. Scriv. *pharetras et eris.* 30. Gud. 1. *sonat.* 33. Gud. 1., 2., Scriv. *nec me despicias, si sum tibi corpore parva* ‖ *mensuramque brevis nominis i. f.* Scriv. *gero.* 35. Scriv. *sim.* 41. Gud. 2. *tibi iam.* 45. Gud. 1. *me quoque.* Gud. 2. *hoc q.* Franc. *omni tibi a p.* 48. Franc. *sono.* 49. Gud. 1., Scriv. *at simul amb.* Gud. 2. *at ubi iam a.* Franc. *ecquid.* 51. Gud. 1., 2., Scriv. *sicilides.* 52. Iidem *sicilis.* 53. Gud. 1. *ne vos.* Gud. 2. *nec vos.* Scriv. *neu vos.* Iidem *errorem.* Gud. 2. *admittite.* Scriv. *vestrum.* 54. Gud. 1., 2. *sicilides m. sicilidesque.* 55. Gud. 1. *ne.* 61. Gud. 1., 2., Scriv. *sic mihi.* Gud. 2. *inerant.* 67. Gud. 2. *et me.* 68. Scriv. *hoc mihi l.* 69. Franc. *et t. desit, quae me hic sine fine cura fatiget.* Gud. 1. *ut nunquam.* 70. Gud. 2. a 1. m. *accumulas.* 76. Franc. *non arabum n. dona c. habet.* 77. Gud. 2., Scriv. *color.* Gud. 2. *laboro.* 79. Gud. 1., 2., Scriv. *levibus cor est.* 82. Omnes *nec.* 83. Omnes *magistras.* 85. Franc. *quid miserum.* 88. Scriv. *certe prima.* 90. Scriv. *eris.* 93. Scriv. *o ne adultus nec iuvenis puer.* 96. Gud. 1. *sed quod.* Gud. 2. *sed ut.* 98. Gud. 1., 2. *aspice sit quantum hoc.* Scriv. *aspice sit quanto.* 100. Franc. *et mihi.* 103. Omnes *nec te.* 104. Gud. 1. *ammoneat.* Scriv. *admonui.* Omnes *quod tu.* 105. Gud. 1., Scriv. *nec enim.* 107. Scriv. *discedet.* 112. Scriv. *pectore frigus.* 113. Gud. 1., 2., Scriv. *planxi.* 116. Scriv. *ferret.* 117. Gud. 1., 2., Scriv. *carasis.* Gud. 2. *a nostro.* 120. Scriv. *quid dolor hic.* 122. Scriv. *volgus.* 125. Scriv., Franc. *quamvis.* 129. In Gud. 1., 2. et Scriv. hoc distichon sequenti postpositum est. 129. Franc. *lingua.* 133. Gud. 1., 2., Scriv. *ulterius pudet hic.* 134. Franc. *siccae.* 135. Gud. 2. *at se cum.* Scriv. *ah cum se.* 139. Scriv. *illic.* Franc. *enyo.* 140. Gud. 1., 2., Scriv. *attulit.* Franc. *attigit.* Gud. 2. *latente.* 142. Scriv. *qui—erat.* 144. Scriv. a 1. m. *haec multa.* 145. Gud. 1., 2., Scriv. *silvae dominumque meumque.* 151. Gud. 1., 2., Scriv. *positis rami.* 152. Scriv. *dulces mille.* 153. Gud. 1., 2., Scriv. *prius.* 154. Gud. 1. *claunias.* Franc. *daunias.* 155. Gud. 1., 2. *saphos.* Franc. *saphon.* 156. Gud. 1., Franc. *in media.* 159. Gud. 1., 2. *expandit.* 161. Scriv. *fessos.* 162. Gud. 1., 2., Scriv. *formosus puer est visus adesse mihi.* 163. Gud. 1., Scriv. *quae nunc non.* Gud. 2. *nunc*

quae non. 164. Franc. *Ambrachia.* Scriv. *tibi est.* 165. Franc. *quando.* 166. Gud. 1. *atteum.* Gud. 2. *ast illum.* Franc. *actiacum.* Scriv. *leucadionque.* 169. Gud. 1., Scriv. *iussus amans— laetissima.* Gud. 2. *usus amans laetissima.* Franc. *fugit lent. mersi.* 173. Scriv. *pallida.* 174. Franc. *nec lacrimas oculi continuere mei.* 175. Scriv. *o lymphe.* 177. Gud. 1. *melior.* 178. Scriv. *haec mea.* 180. Franc. *aqua.* 182. Franc. *erunt.* 183. Gud. 1., 2., Scriv. *posuit—poetica.* Gud. 2. *saphos.* 184. Gud. 2. *illa tibi—illa mihi.* Scriv. *conv. ille m.* 185. Gud. 1., 2., Scriv. *mestam me.* Gud. 1., Scriv. *cur mihi.* Gud. 2. *cur nunc.* 188. Omnes *formae meritis.* 189. Franc. *omni.* 191. Gud. 1., 2. *ah.* Scriv. *ha.* Gud. 1., 2., Scriv. *quantum.* Franc. *tecum—iungi.* 194. Gud. 2. *sunt oculis invidiosa tuis.* 195. Gud. 1., 2. *forem.* 196. Scriv. *sustulit — magis.* 199. Gud. 1., Scriv. *nupturae.* Gud. 2. *nuiturae.* 200. Gud. 2. *numina.* 201. Gud. 1., 2., Scriv. *amare.* 203. *quae nobis ante placebant.* 205. Gud. 1. *nostra.* 207. Gud. 1., Scriv. *et quid.* 208. Franc. *piget.* 210. Scriv. *faceres.* 211. Gud. 1., 2. *puppisque—paramus.* In Scriv. totum hoc distichon desideratur. 213. Gud. 1., 2., Scriv. *eunti.* 214. Gud. 2. hoc versu finit epistolam. 217. Scriv. *sapphon.* Franc. *saphon.* 218. Franc. *nec.* 219. Gud. 1., Scriv. *o saltem.* In his Epistolae XV. variis lectionibus mirus videtur codicis Gudiani I. et Scriveriani consensus.

EPISTOLA XVI.

V. 1. Erf. *mittit.* 3. Goth. 1. *eloquor.* Erf. *nostrae.* 5. Goth. 2., Giess., Helmst., Arg. *malim lateat.* Trev. *dantur.* 7. Erf. *enim bene celat amorem.* 9. Goth. 2. *sed tamen.* Trev. *exspectes.* 10. Trev. *nunc et habes,* pro v. l. *uror.* 11. Trev., Guelf. 3., 4. *duro c. vultu.* 13. Trev., IV Guelf., Goth. 2., Arg. *recepta est.* 14. Goth. 2. *recipi tempore posse.* 15. Trev. pro v. l. *quod.* II Goth., Erf. *sint.* Helmst. *ne* pro *nec.* 17. Trev. *iamque,* Erf. *namque huc.* Franc. *nec* pro *ne.* 19. Trev. *si non.* 21. Dresd. *dubia.* 22. Trev., Giess., Guelf. 1., Arg. *feraclea.* Guelf. 3. *feracla.* Guelf. 2. *ferex ea.* Dresd. *pharetrea.* Goth. 2. *longa ferente dea per.* Guelf. 4. *per freta longa faces.* Erf. *nave vias.* 23. Erf. *ipsa.* Giess. *ventos aurasque.* 24. Trev., Guelf. 2. a 2. m., Guelf. 3., Arg. *nil mirum.* 25. Guelf. 3., Erf., Dresd., Arg. *praestet.* Guelf. 4. *praestitit ut.* Dresd. *aut* pro *et.* 26. Trev. *vota meos.* Helmst., Erf. *vota tuos.* 28. Trev. *hei mihi.* 29. Dresd. *nec nos.* Arg. *hic* pro *huc.* Giess. *impulit.* Erf. *attulit.* 30. Erf. *tenacris.* Goth. 2. *terra classe petita mea.* 32. Dresd. *scindere.* 35. Giess. *lecto pep.* Erf. *nostro pep.* *V. a. lecto.* 38. Trev. *vultus prima tui nuntia fama fuit.* — Qui sequuntur vss. CIV, sc. 39—142., in nullo horum XIII codicum leguntur. — 143. Trev. *credis in hoc,* Erf. *credas hoc,* reliqui omnes *credis et hoc.* 144. Guelf. 1. *maligna fuit.* 145. Guelf. 4., Goth. 1. *promiserit.* 146. Guelf. 2., 4.

materna. 147. Helmst. *quia.* 148. Goth. 2., Erf. *est.* 149. Helmst. *tua.* Erf. *liquida.* Trev. *palustre.* 150. Erf. *victa.* 151. Trev. *quod te dedit,* pro v. l. *redd.* Guelf. 1. *quod laudo rapuit.* 152. Guelf. 1. *nudis mixta puella viris.* 154. Trev., Giess., Guelf. *extraherere.* 155. Giess. *nunquam—vellet.* Erf. *nostrae nunq.* 156. Trev. pro v. l. *thoro.* 159. Trev., Guelf. 4., Helmst. *vel tua virg.* Guelf. 2. *foret.* 160. Helmst. *potuit.* Giess., Guelf. 4. *capi.* 161. Guelf. 2. *mihi quae sit.* Trev. *paridis quae sit.* Dresd. *nosce.* 164. In Trev. et Goth. 2. post hunc versum sequuntur hi duo: *cum venus et iuno pallasque in vallibus idae* ‖ *corpora iudicio supposuere meo;* quibus Trev. addit: *primaque cum regnum belli daret altera sortem* ‖ *sed te promissa non mihi cura fuit.* 165. Giess. *utque.* 166. Giess. *contactaque.* Post hunc v. in Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Erf., Dresd., Franc. iidem duo versus sequuntur, quos ad v. 164. attulimus. In Goth. 2. post hunc v. haec leguntur: *virtutem belli pallas laudemque ferebat* ‖ *tertia coniugii laude frueris ait;* et in margine eiusdem codicis haec: *primaque cum regnum belli daret altera sortem* ‖ *tyndaridos coniux tertia dixit eris.* Conf. Epist. XVII, 117. 167. Trev., Giess. *non.* Trev. *haut nonquam,* pro v. l. *nunquam.* Franc. *an nunquam.* Erf. *et nunq.* Omnes praeter Helmst. *elegisse.* 168. Helmst. *spes.* Trev. *meo.* 169. Trev. *nec.* Guelf. 1. *patiere.* 170. Giess., Helmst. *te precor.* 171. Goth. 1. *generosum.* 173. Trev., Giess., Guelf. 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *pleiada.* Guelf. 2., 3. *plyada.* Trev., Guelf. 2., 3., Erf., Goth. 1., Dresd. *quaeris.* Guelf. 1., Helmst. *quaeres.* Dresd. *de* pro *in.* 175. Guelf. 1., 2., Dresd. *hora est.* Guelf. 3., 4. *ora est.* 176. Franc. *abeunda,* a rec. m. *ob.* Goth. 2. *adeunda.* 178. Helmst. *dices.* 179. Goth. 2. *moenibus.* 181. Guelf. 1. *de narrem turba.* Franc. *turbis.* 183. Trev. *matr. agmine longo.* 184. Trev. *capiant—menia nostra.* 185. Dresd., Erf. *ah.* Franc. *dicas.* 186. Giess., II Goth., Dresd. *quasvis.* Helmst. *quavis.* 187. Giess. *componere.* Dresd. *nostram.* Goth. 1. *terram,* in marg. *vestram.* 188. Trev., Guelf. 2., 4., Erf. *est* omitt. 189. Goth. 1. *est* omitt. IV Guelf., Franc. *es* omitt., in Franc. a rec. m. additum est. 190. Trev. *ille.* 191. Trev. pro v. l. *largis.* 192. Guelf. 2. *novis—decet.* 193. Trev. pro v. l. *hunc vid.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Dresd., Goth. 2. *cultus.* Dresd. *de nostra gente.* Goth. 2. *virosque.* 194. Giess., Guelf. 4., Helmst., Erf., Dresd., II Goth. *quales.* Guelf. 1., 2., 3., II Goth., Dresd. *dardanias.* Erf. *dardaneas.* In Guelf. 4. versus 195. et 196. leguntur post versum 198. 196. Giess., Goth. 2. *theranneo.* Erf., Arg. *theramneo.* Goth. 1. *pheranneo.* 197. Trev., Erf. *et genitus de nostro.* Guelf. 3., Franc. *et gen. nostro de.* 198. Trev., Guelf. 3., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Arg. *potando.* 201. Giess., Guelf. 1., 4., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *etiam.* 202. Trev. *gaudet et ideis.* 203. Trev. *collatus.* Trev., IV Guelf., Helmst., II Goth.,

Franc. *et armis.* 205. Trev. *non.* 206. Dresd. *tepidos.* Trev., Guelf. 2., Erf., Dresd. *vertit.* Guelf. 4. *sidera.* 207. IV Guelf., Goth. 1., Dresd., Franc. *priamo pater.* Goth. 2. *soc. priamo de caede fugatus.* 208. Guelf. 4., Erf. *sanguine.* Guelf. 1., 2., Goth. 1., Erf., Franc. *signat.* Goth. 2. *fingit.* Helmst. *tinget.* 209. Franc. *captentur.* 211. Guelf. 4., Erf., Goth. 1. *refero.* Trev. *quid tantum prodest,* pro v. l. ut vulg. 213. Goth. 2. *tantis.* 216. Guelf. 2., Helmst. *laedunt.* 218. Trev. *qualiacunque mero.* 219. *te spect.* 220. Trev., Goth. 1., Guelf. 1., 2., 4., Erf., Dresd., Arg. *ille tuo.* Giess., Goth. 2. *imposuit collo.* 221. Pro *quid enim non* Guelf. 3., 4., Dresd., Franc. a corr. *quid non tamen;* Giess., Franc., Arg. *quid nunc tamen;* Guelf. 1. *quidne tamen;* Guelf. 2. *quod tamen;* II Goth., Erf. *quid enim tamen;* Trev. *si quid tamen.* 225. Guelf. 2., Goth. 1., Dresd., Arg. *dimitto.* Giess. *altius.* 229. Giess., Guelf. 1., 2., 4., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *meam.* Guelf. 3. *meo am.* Giess. a 2. m. *mero.* 233. Guelf. 2., 3., II Goth., Dresd., Franc. *illa videre.* 234. Guelf. 4. *dolor est facie.* Goth. 2., Dresd., Guelf. 2. *tua est.* 235. Arg. *qua libet.* Goth. 1. *dolorem.* 237. Giess. *nec tua.* Guelf. 1. *murmura,* superscr. *vulnera.* 239. Trev., Guelf. 2., 4. *ha.* 240. Guelf. 1. *ipse.* 241. Trev., Guelf. 2. *ha.* Guelf. 1., 2., 4., Goth. 1., Dresd., Arg. *aliquem* pro *iuvenum.* Helmst. *aliquam.* Erf. *iuvenem.* IV Guelf., II Goth., Dresd., Arg. *amorem.* 244. Guelf. 4. *ipse ego.* 245. Franc. a 1. m. *possim.* Giess. *speculantibus.* 246. Giess. *dissimulata.* 247. Erf. *lapsa.* 248. Arg. *a me oculis,* a rec. m. *atque oc.* 249. Trev. *niv. pur.* 252. Erf., Dresd. *decidit.* 256. Trev. *dedi.* 257. Trev., Guelf. 4. *aethram* (Trev. pro v. l. *aethran) clymenenque.* Franc. *clymonem.* 258. Trev., Guelf. 1., 2., 3., Goth. 2., Franc., Arg. *ausus cum.* 259. Trev., Guelf. 1., Goth. 2. *nil aliud.* 260. Dresd. *deseruisse.* 261. Arg. *di faciant.* Giess. *pretium* omitt. Helmst., Erf., Franc., Arg. *magni pretium.* 262. Giess., Guelf. 1., Goth. 2., Helmst., Franc. *victor posset.* Pro *toro* Dresd., Helmst. *sinu,* Guelf. 2. *sunn.* 263. Trev., Arg. *cencida.* Giess. *ceneydes.* Loco versus 264. in Guelf. 2., 4., Helmst. leguntur haec: *quae proprio* (Helmst. *propero) cursu vicerat ante procos,* ‖ *sic et tu phrygias venias* (Helmst. *venies) regina per urbes.* In Goth. 1., Erf., Dresd. et Giess. prior tantum horum versuum legitur, sed Giess. et Erf. exhibent *propero* et Giess. *vinceret* et Goth. 1. *preces* pro *procos.* 264. Trev. *Hippodomia.* 265. Trev. *hercules ille ferus,* pro v. l. ut vulg. 267. Guelf. 1., 3., 4., Goth. 2., Erf. *victoria.* Giess. *fortior.* Guelf. 3. *esset* pro *isset.* 268. Guelf. 4. *honus,* q. e. *onus.* 270. Guelf. 2. *pedes—tuos.* 273. Guelf. 2. *te repetam sigeos coni.* 274. Giess., Goth. 2. *aut ego ten.* Erf. *aut haec tenacria.* 275. Giess. *destricta.* 277. Guelf. 1. pro v. l., Guelf. 2., 4. *recolo.* Guelf. 4. *fore quod coel.* 282. Giess. *aut pudet aut.* Goth. 1. *tacente.* 283. Goth. 1. *ven. met.* Goth. 2., Helmst. *pudicam.* 284. Trev.

solvere pro *fall.* 285. Trev., Guelf. 2., 4. *ha.* 286. Trev. *an fac.,* pro v. l. *hanc.* Guelf. 4. *putes.* 287. Giess. *muta.* Trev. *non sis.* Helmst. *est* omitt. 291. Goth. 2. *vires si sunt.* IV Guelf., Goth. 2., Erf., Franc. a rec. m., Arg. *si sint.* Giess., Guelf. 1., 4., Dresd. *amorum;* Guelf. 2. *amoris.* 293. II Goth., Dresd., Guelf. 1., 2., 3., Franc., Arg. *tum.* Helmst. *tu sis.* Goth. 1. *te cum mea.* 295. Giess., Helmst., II Goth., Erf. *corrigat.* Guelf. 1., 3., Dresd. *corrigit.* 298. Giess. *neve tui.* Goth. 2. *hospitis hospes abest,* a corr. *obest.* 299. Goth. 2. *cressica.* 301. Goth. 1. *esset et.* Guelf. 1. *esset ut.* Guelf. 3. *ibant et.* Guelf. 2., Helmst., Dresd. *ipse abiit et idei.* Guelf. 4., Arg. *ipse abit idei.* Dresd. *manda.* Trev. *ideis.* 303. Arg. *tyranni.* 305. Helmst. *speres.* 306. Trev. *tuae—satis.* Giess. *tyndaris.* 307. Giess. *ignoras vero si bona mala putaret.* Trev. *putares.* 308. Helmst., Goth. 1. *ille,* reliqui *illa,* quod nunc ego reciperem. 309. Guelf. 2. *ut nisi te mea vox et nos meus.* Guelf. 3. *ut ne te.* Guelf. 4. *ut nec te.* Goth. 2., Arg. *excitet.* Erf. *error.* 311. Helmst. *si sic.* 312. Franc. *habebit.* 313. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Arg., Dresd. *manibus ad te.* Trev., Guelf. 4., Goth. 2., Erf., Dresd. *deduxit.* Guelf. 2. *reduxit.* 314. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Erf., Dresd. *mandatis.* Trev. pro v. l. *calliditate.* 316. Guelf. 2. *medio lecto.* Erf. *nudus.* 318. Dresd. *media.* Trev. *ipsa die.* 320. Giess. *abstringam.* Guelf. 2. *astringar.* Trev., Guelf. 2., 4. *in tua iura meis.* Giess., Guelf. 1., 3., Goth. 1., Erf. *in tua iussa meis; meis* etiam Dresd. Franc. *in tua sacra.* 321. Guelf. 1., 4., II Goth., Erf., Franc. *nostra.* 323. Guelf. 1. a 1. m. *ne tu vid.* Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Dresd., Arg. *aut* pro *et.* 324. *ipse ego sine te.* 325. Guelf. 1. *sequor,* a corr. *sequar.* Goth. 2. *fratrum factumque.* 326. Goth. 1., Dresd. *propriore.* 329. Giess., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *troia.* 330. Guelf. 1., Erf. *faciunt.* Guelf. 1. a 2. m., Trev., Helmst., Franc. *faciant.* 333. Goth. 2. Dresd. *flammae.* Erf. *flammis.* 334. Guelf. 4., Goth. 2., Dresd. *tanget.* Guelf. 4. in marg.: *al. tinget.* 335. Erf. *que* omitt. 336. Giess. *dabant.* Erf. *dabunt.* Guelf. 4. *iliades omnes.* 337. Trev. *heu.* Guelf. 4., Dresd. *vix a me pars.* 338. Goth. 2., Erf. *quam quod.* 340. Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Goth. 1., Dresd., Franc., Arg. *magna* pro *tota.* 341. Trev., Giess. *adductis quae est repetita* (Giess. *recepta) p. a.; adductis* etiam Erf. Erf., Dresd., Guelf. 3., Arg. *et quae est.* Guelf. 2. *quae est rep.* Guelf. 4. *quaeque est.* Helmst. *quaenam est.* II Goth., Franc. *et quae—arma est.* 342. Dresd. *varios.* 343. Trev. *cretide traces.* Giess. *erictida.* Arg. *herichthida.* 344. Goth. 2. *tutaque de bello.* 345. Giess. *phasiadaque* omisso *puppe.* Trev., Arg. *pegasaeus.* 346. Guelf. 1., Arg. *neque.* Guelf. 2. *colchi.* Franc. *nostra,* a rec. m. *terra.* 348. Trev. *cret. min.* 349. Goth. 1. *his terror maior,* a corr. *vestro maior.* 350. Guelf. 1. *quodque.* Guelf. 2., 3. *quaque.* Trev., Guelf. 4. *licet,* Trev. pro v.

l. *libet.* 352. Goth. 2. *bella.* 353. Trev., Giess. *nostrae.* Guelf. 1. *terrae—vestrae.* 357. Goth. 2. *adducta.* 359. Giess., Guelf. 3., Dresd., Erf., Franc. *var. iuv.* Franc. *varios.* Dresd. *vinci.* 360. Franc., Arg. *deiphebusque.* 361. Trev., Guelf. 1. *neve putes paridem nisi c.* Guelf. 2. *neve putes et me nisi c. e. timendus.* 362. Dresd. *fingitur.* Trev., Guelf. 4., Goth. 2. *in viso.* 363. Omnes, praeter Goth. 2., *non.* Trev. *hoc* pro *haec.* 364. Omnes, praeter II Goth., Arg., Franc. *non.* 365. Trev., Guelf. 4. *nunquam.* Trev. *dabit.* 366. Guelf. 1., Franc. *habet.* 367. Arg. *et me tua robura.* 369. Erf. *belli nullo.* 371. Erf. *non.* Trev., Giess., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., II Goth., Erf., Dresd., Franc., Arg. *indignor.* Giess. *coniuge* pro *sumere.* Trev., Guelf. 1. a 2. m., 3., 4., Arg. *ferrum.* 372. Giess. *sumere* pro *coni.* Guelf. 1. *magna manent.* 373. Guelf. 1. *et tu si.* Goth. 2. *pro te.* Trev., IV Guelf., Dresd., Erf. *contenderet.* 376. Trev. *numina.* Giess. *facta.*

EPISTOLA XVII.

V. 2. Goth. 2. *iussa.* 4. Trev. *legitimae.* 7. Trev., Guelf. 1., 4., Helmst., Dresd. *a.* Guelf. 2. *ex.* Giess. *non est div. quamv. exigente v.* 9. Erf. *tanti* pro *nostri.* 10. Guelf. 1., 4., Goth. 2. *hostis an hosp.* 13. Erf. *sim certe.* 15. Giess., Helmst., Arg. *vultus—tristis.* 16. Giess. *nec videor,* idem *duris* omitt. Guelf. 4. *torvis dira.* 17. Guelf. 2., 3., Helmst., II Goth., Arg. *lusi.* 18. Guelf. 1. *de me laudem.* 19. Guelf. 4. *quod magis.* Guelf. 2., 3., Helmst., Goth. 1., Dresd., Arg. *coepto.* 21. Goth. 2. *non quia.* Trev., Guelf. 1., 4., Arg. *intulit.* 23. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Helmst. *delinita.* Erf. *si non irata.* Giess. *delibuta.* 24. Guelf. 1. *sum.* 25. Giess. *fulmen* pro *fructum.* 27. Guelf. 2., 4., Helmst., Dresd. *luctando.* 28. Franc. *ipse.* 29. Guelf. 1. *quae tibi neq.* Guelf. 2. *est* omitt. Erf. *contentus abisses.* 30. Guelf. 4., Erf. *tibi.* 31. Giess. *rediit.* Arg. *que* omitt. 32. Trev. pro v. l. *putes.* 34. Trev. pro v. l. *in orbe.* Goth. 1. *meo.* 35. Giess. *succensisset.* 37. Guelf. 2. *haec etenim.* 38. Guelf. 1., 2., Erf. *tibi.* Franc. *bene—mea.* 40. Erf. *vestraque—verba.* Trev., Goth. 2. *creduntur.* Dresd. *nostra.* 41. Erf., Trev. pro v. l. *ut* pro *at.* Trev., Guelf. 2., 4., Erf., Goth. 2., Dresd., Franc. *peccent,* Franc. a rec. m. *ant.* 42. Goth. 1., Helmst. *quid.* 43. Trev. pro v. l. *an* pro *nam.* Erf. *iussa.* 44. Trev., Guelf. 1. a 2. m., Guelf. 2., Giess., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *putas.* 45. Giess., Arg. *amisso.* 46. Guelf. 1. a 1. m. *erit.* 47. Helmst. *possim.* Arg. *possem.* 49. Trev., Erf. *ista,* Trev. pro v. l. *illa.* Franc. *levavit* pro *redemit.* 51. Trev., Franc. *quid genus.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd. *et genus.* 52. Guelf. 4., Franc. *dom. sat.* Trev. *est* omitt. 53. Arg. *proav. soc.* 54. Guelf. 1., 3., *tyndaridaeque.* 56. Trev. *fovet.* 58. Omnes *priamo laomedonta,* praeter Guelf. 1. et Franc. Erf. *refert.* 59. Trev., Guelf. 1. *suscipio;* Trev. pro v. l. ut vulg.

Pro *qui* Trev. a 2. m. *quae,* Giess. *quid.* 60. Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Erf., Goth. 2. *sanguine.* 61. Guelf. 2., Franc. *reor.* Guelf. 1. *terrae,* gloss. *troiae.* 62. Goth. 1. *maiora.* 63. Guelf. 4. *sed iam.* 64. Dresd. *ac.* 66. Goth. 1. *possunt,* Goth. 2. *possent.* Erf. *ista.* 67. Giess., Helmst. (?) *fin. vellem.* 68. Goth. 1., Guelf. 2. *maior.* 69. Trev. *perpetuam.* Giess. *sine fine.* 71. Trev., Guelf. 3., 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *atque;* Franc. a rec. m. et Schol. Trev. cum reliquis *utque.* Helmst. *nec tamen haec.* 72. Giess. *actor.* 73. Helmst., II Goth. *doloris.* 74. Trev., Guelf. 2., 3., Goth. 1., Dresd., Franc., Arg. *tam per.* Erf. *tam quod per.* Franc. *spes tibi.* 75. Erf. *ista.* 76. Giess. *voco.* Arg. *experior.* Trev., Guelf. 1. *experiar quamv.* 77. Guelf. 1., 3., 4., Goth. 1., Erf, Dresd., Franc. *spectes.* Guelf. 2. *me exspectes.* Guelf. 4. *quomodo me.* 78. Erf. *quod vix.* Trev. pro v. l. *luctantes.* 79. Goth. 2. *proxima poc.* 80. Guelf. 1., 2. *bibo.* Guelf. 3. *bibis — bibo.* 85. Omnes *longo.* 86. Erf. *haec nostra.* Goth. 2. *hunc et vox non mea.* 87. Erf. *o saepe in mensa.* Trev. *vestro.* 88. Trev. *meo* pro *mero.* 90. Trev. *heu ego.* Giess. *quoque* pro *ego.* Guelf. 4. *ei mihi nam.* 93. Trev., Guelf. 2. *clara,* Trev. pro v. l. *rara.* 95. Guelf. 1., Erf. *vel* pro *sed.* Guelf. 2. *altera iam felix uxor.* 97. Giess. *formose.* 98. In Erf. reliqua omnia inde ab hoc versu desiderantur. Trev. *placidis.* 99. Giess., Goth. 1. *credas.* Trev. *optasse.* 100. Guelf. 1., 4., II Goth., Dresd. *sapiunt.* Trev. *habet.* 101. Goth. 2. *plus tu* pro *sed plus.* 102. Trev., Guelf. 4. *non* (Guelf. 4. *nec) tu plus c. sed minus o habes; sed minus* etiam Guelf. 1., 2., 3., Arg., Helmst.; Goth. 2. *nec minus. Non tibi* etiam Goth. 1., Dresd., Helmst. Goth. 2. *inest.* 107. Trev., Guelf. 1., 4. *praereptaque.* Helmst. *percept.* Trev. pro v. l. *tardus.* 108. Giess. *venit.* 109. Guelf. 1. *ut nunc optas.* IV Guelf. (?), Helmst. *troïa.* Helmst., Giess. *tibi* pro *tua.* 110. Trev., Guelf. 1., Dresd., Franc. a corr. *sic me non,* Gu. 1. ante corr. *nec.* Giess. *non sic me.* Guelf. 2., 4., Goth. 2., Arg. *non me sic.* Guelf. 2. *invictam.* 111. Guelf. 1. *mihi vellere.* 112. Trev., Helmst. *quam tu dicis.* 113. Giess. *tribuit.* Trev., Guelf. 1. a 1. m., Guelf. 4., Goth. 2. *natura.* 115. Goth. 2. *et,* Helmst. *haec.* 118. Helmst. (?) *tyndaridos.* Arg. *altera* pro *tertia.* 119. Giess. *possum.* 122. Trev. pro v. l., Guelf. 2., 4., Dresd., Franc., Arg. *dicar,* Franc. a rec. m. *dicor.* 123. Trev. *non ego tanta mihi.* 126. Giess., Guelf. 2., 4., Arg. *insidiosa.* 127. Trev., Goth. 2., Franc. *infirmor.* Franc. a corr. *infirmo.* Trev. pro v. l. *infitior.* 128. Giess. *concupit* pro *quod c.* 129. Goth. 2. *creditur.* 131. Trev. *est* omittit. 132. Guelf. 2. *magna* pro *summa.* 134. Giess. *helenes.* 135. Giess. *virtus sum.* 136. Trev., Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd., Franc, Arg. *sum.* Franc. a rec. m. *sim.* Goth. 2. *amo.* 137. Guelf. 2., 4, Helmst, Goth. 2. *recuso.* 140. Dresd. *ipsa.* Giess., Helmst., Goth. 1. *neget.* 141. Giess. *furtus veneris.* 142. Guelf.

1., 3. *sunt.* 143. Guelf. 2. *hoc quoque.* 147. Trev. *iam tunc.* 148. Giess. *deesse.* 149. Dresd. *mea.* 151. Trev., Dresd. *nisi tu.* Guelf. 1., 2. *si* omitt. Guelf. 4. *nisi sit.* Goth. 2., Guelf. 3. *nisi te.* Giess. *nisi iam.* 155. Giess. *te* pro *re.* Trev. *rate conveniente profectus.* 156. Goth. 2. *malaque.* 157. Omnes *at sic,* Giess. excepto. 163. Trev. *cretem.* 164. Guelf. 1. *non adeo.* Giess. *lucere.* 168. Trev. *nostro.* Guelf. 1. *fortius.* 169. Goth. 2. *est* post *damno* omitt. 170. Giess. *foret.* 172. Goth. 2. *formae.* 177. Giess, Guelf. 2., 3., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Franc. *voluptas.* Franc. a rec. m. *volunt.* 178. Trev. *et satis in dubio.* 179. Giess. *et nos sine.* 182. Trev. *una domus est.* 183. Guelf. 2. *invitent.* 185. Giess. *quam male.* Guelf. 3., Goth. 1., Franc. *possis.* 186. Trev. *tum mea.* Guelf. 1., 4., Franc. *ut mea,* Guelf. 2. *et mea,* G. 3. *tu mea.* Guelf. 3., Helmst. *fuit.* 188. Trev. pro v. l., Guelf. 4., II Goth. *ipsa,* Helmst. *si* pro *esse.* Trev., Guelf. 1., 2., Helmst., II Goth., Dresd., Arg. *forem* pro *velim.* Arg. a corr. *velim.* 189. Giess., Guelf. 2., 4, Arg. *coepto pot.* 190. Guelf. 2. *recedit.* 192. Guelf. 2., Franc. *fuit.* Giess. *certius.* 193. Trev., Franc. *isiphile est,* et in fine versus *est* omittunt, quod etiam Giess. omittit. Arg. *hisiph.,* idem *minoida.* 194. Guelf. 1., 3., Arg. *utraque iusta.* Dresd. *utr. iura.* Guelf. 4., Goth. 2., Arg. a corr. *utraque iuncta.* Guelf. 2., Helmst. *utr. victa.* Goth. 1. *utr. digna.* Trev. *utraque laesa.* 196. Trev. *dixeris.* Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2. *deseruisse.* Guelf. 3. *praeposuisse..* 179. Guelf. 2. *hoc non ipse negas.* Goth. 2. *hoc non ipse neg.* 199. Franc. *et,* a rec. m. *ut.* 200. Guelf. 4. *expedient.* 202. Franc. *quem,* a rec. m. *qui.* Goth. 1. *feret.* Guelf. 2. *ventus adest.* 203. Guelf. 1. *relinquis.* Arg. *relinquens.* 206. II Goth. *et nurus.* 208. Goth. 2., Dresd. *terr. probr.* Guelf. 2. *terram opprobriis.* Arg. *ista meis.* 209. Helmst. *sparte pot.* Arg. *tanta* pro *tota.* 210. Trev., Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd. *aliae.* In Giess. vss. 210. 211. post 212., 213. leguntur. 211. Franc. a corr. *censeat.* 212. Trev. *priamidesque.* 213. Trev. *poteras.* Giess., Franc. *tibi me* pro *fore me.* Trev. *spectare,* pro v. l. *sperare.* 217. Guelf. 3. *dicas.* 220. Giess. *obruet.* 223. Guelf. 4. *namque* pro *nempe.* 226. Guelf. 1., 3., Goth. 2., Helmst., Franc., Arg. *ipsa.* 227. Guelf. 1., Giess., Helmst., Franc. *succurrat.* 228. Goth. 2., Franc. *fratris.* Guelf. 2., Arg. *fratrum.* Arg. *opes.* 230. Goth. 1. *iasonia.* 230. Trev., Giess., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., Dresd., Franc., Arg. *non.* Guelf. 1. *ipsa* pro *illa.* 231. Trev., Franc., Arg. *oetes.* Arg. *ad quam.* Giess. *dispecta.* 232. Trev. *yxea.* Guelf. 2. *yssea.* Guelf. 1. a 1. m., Dresd., Franc. *non er. ipsa* (Guelf. 1. *ipse) parens calidiopeque* (Gu. 1. *chalciopeque),* Franc. a corr. et a corr. Guelf. 1. *ypsea.* Guelf. 3. *non ipsa parens.* Trev., Goth. 2, Franc., Arg. *calliopeque.* 235. Giess. *iuvenes* pro *inven.* Goth. 2. *altum.* 236. Trev., Giess. *in portu.* 237. Giess. *me* omitt. Franc. *quam me.*

239. Giess. *mon. tim.* 240. Giess., Helmst., Goth. 2. *arsuram.* 241. Guelf. 1., 2. *quae* pro *quia.* Trev., Guelf. 2., II Goth., Dresd. *vincit.* 244. Trev., Guelf. 4., Goth. 2., Arg. *deae* pro *duae.* Giess. *tenuisse.* 245. Giess., Guelf. 2., Dresd. *proseq.* Trev. *arma sequantur.* 248. Trev. *atrahis—hippodomia.* Giess. *hispocaphia.* 249. Trev. *tu fera.* Guelf. 2., 3., II Goth., Dresd. *lent. iusta.* 251. Dresd. *quid.* Trev., Goth. 2., Dresd., Franc., Arg. *loquaris* pro *recens.* 252. Goth. 2. *ipsa.* Guelf. 3., Helmst., Goth. 1., Dresd., Franc., Arg. *suis.* 253. Trev., II Goth., Helmst., Franc. *sint.* Guelf. 2. *sit.* 254. Guelf. 3. *gerent.* 255. Goth. 2. *iactas.* 256. Guelf. 2. *operi—tui, tui* etiam Guelf. 2., Giess., Dresd. 259. Guelf. 3. *aut ego quod faciam posito. f. p.* Franc. *dolore,* a corr. *pudore.* Helmst. *timore.* 260. Goth. 2. *aut.* 261. Franc. *quae p.,* a rec. m. *quod.* Giess., Guelf. 1., Helmst. *plura,* Franc. *pauca loq.* 262. Trev., Giess. *captas.* Trev. *notes.* 263. Trev. *si nim.,* pro v. l. *sed;* idem *est* omitt. 264. Goth. 1. *nec m.* Guelf. 2., 3., 4., Dresd. *fit.* Goth. 2. *voto sarcina grata tuo.* 267. Guelf. 4. *aethram clymenenque.*

EPISTOLA XVIII.

V. 2. Giess., II Goth., Dresd., Helmst., Franc. *unda mar.* Trev. *sexta.* Giess. post hunc v. addit distichon hoc: *quam cuperem solitas hero tibi ferre per undas* ‖ *accipe leandri dum venit ipse manum.* 3. Dresd. *sint* pro *si.* Guelf. 3. *et* omitt. Dresd. *vel* pro *et.* Trev., Guelf. 4., Franc., Arg. *et sint.* 6. Guelf. 2., Helmst., II Goth. *nec.* 8. Giess., Guelf. 1., Dresd. *obeunda.* Guelf. 3. *abeunda.* 10. Guelf. 2. *traditur.* Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Franc., Arg. *e portu.* Giess. *solvit.* 11. Guelf. 1., 2., Giess. *dum.* 12. Franc. a corr. *solverat.* 13. Margo Goth. 2. *vel pudores vel dolores.* 14. Trev. *nec.* 15. Dresd., Guelf. 2. *o litt.* 18. Guelf. 2. *rumpere cum.* Margo Guelf. 4. *al. dente parat.* 21. Guelf. 1., Arg. *ah.* Giess., Guelf. 2., 4. *ha.* 23. Guelf. 3. hoc distichon omittit. 24. Dresd. *et tamen est.* 25. Guelf. 4., Goth. 1. *quo.* Guelf. 1. super *ut: vel quo i. e. ex quo.* Guelf. 2., 3., Helmst., Arg. *quod mare.* 27. Dresd. *is ego.* 28. Trev. *noctibus et insani.* 29. Goth. 2. *cerno tua.* Dresd. *spector mea.* 34. Goth. 1. *corpore nud.* 35. Guelf. 3. *timidum iuvenalibus.* 37. Trev. *raptis,* pro v. l. *rapidis.* 38. Trev. *geras.* 39. Trev., Giess. *nec.* Trev. *aequore.* 40. Trev. *faceret.* 41. Trev. *nam gel.* 42. Helmst. *neges.* 45. Trev., Goth. 1., Dresd., Guelf. 2. *moderantius.* 47. Trev. *immurm.* Goth. 2. *unda* pro *ipse.* 50. Trev., Guelf. 3. *hinc prope.* 52. Dresd. *non d.* 54. Helmst. *parva mei.* Trev. *mea.* 56. Guelf. 2. *patr. for.* 57. Goth. 1. *deposita.* 58. Trev. *br. nuda.* 59. Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd., Franc. a corr. *luna mihi.* Goth. 1. *luna freto,* Guelf. 3. *fretro.* Dresd. *lumen praebebat.* 60. Dresd. *meas.* 61. Trev. pro. v. l. *aspic.* Guelf. 2., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd. *o* pro *dea.* 62. Giess. *lania.* Trev. *lathima*

saxa meo. 64. Giess. *vota* pro *furta.* 65. Trev. *in* pro *tu,* idem *petebat.* 67. Trev., Goth. 1. *nec.* 68. Trev. *cadat.* Trev., Goth. 2. *ista.* 69. Trev., Giess. *fac. ven.* Arg. *est* omitt. 70. Giess., Guelf. 2., Helmst. *vides.* 71. Guelf. 4., II Goth. *quanto.* Trev. *fulgeas.* 72. Goth. 2. *tota.* 73. Trev., Guelf. 1. a 2. m. *tantum.* Goth. 2. *form. tant.* Guelf. 2. *tanto formosis quanto formosior illa est.* 74. Franc. *dubites.* Goth. 2. *tecum.* Trev. *habet.* 75. Dresd. *hoc,* idem 77. *unde.* 79. Guelf. 2. *unquam* pro *usquam.* Goth. 1., Guelf. 3., 4., Franc. *nullaque vox usquam nostras v. a. a.* Goth. 2., Dresd. *n. v. unquam nostras,* idem Trev., sed *nunquam* pro *unq.* Giess. *unquam meas v. a. a.* 81. Dresd. *amanti.* Goth. 1. *amantis.* 82. Dresd. *dulce sunt m. visae.* Trev. *loqui.* 86. Trev., Helmst., Goth. 1. a corr., Goth. 2., Franc. *numen.* Franc. a rec. *lumen.* 87. Giess. *mare.* Guelf. 1., 2. *lapsis.* 90. Guelf. 4. *in tepido p. perstat.* 91. Dresd. *proprioraque.* Vss. 91. et 92. in Trev. post 93. et 94. leguntur. 93. Guelf. 3., Goth. 1. *possim.* Guelf. 4. *cerni poss.* 95. Giess., Guelf. 3., Helmst., Franc., Arg. *nunc.* Trev. *vado* pro *nando.* 97. Goth. 2. *ab alto.* 99. Dresd. *hoc.* Helmst. *retineret.* 101. Guelf. 3. *amplexum.* Trev., Goth. 2. *amplexus.* 102. Guelf. 3., Arg., Giess. *di,* reliqui *diis.* 103. Giess., Guelf. 2., Helmst., Dresd. *deque.* 105. Trev. *curis.* Giess. *norunt.* 107. Giess., Helmst., Goth. 2. *nec.* 111. Goth. 2. *tithone.* Dresd. *tritoni.* 115. Guelf. 1., 2., Dresd. *contactus.* Dresd. *monitum.* Guelf. 2., 3. *monitus.* Guelf. 2., 3., Dresd. *amarae.* 117. Guelf. 1. *repeto quoque.* 119. Trev., Guelf. 2. *vera.* Trev., Guelf. 4. *est* omitt. Guelf. 1. *huc ante n.* 120. Goth. 2. *dum.* 121. Guelf. 1., Helmst. *credas.* 123. Guelf. 1., 2., 4. *posset.* 125. Giess., Helmst. *animo.* Guelf. 1. *seiungimur.* 126. Giess. *domos.* 130. Helmst. *tam levis.* Trev. *abesse.* 133. Guelf. 4. *limen.* 134. Helmst. *nota.* 135. Trev., Giess., Guelf. 1., 4., Helmst., Arg., Goth. 1. a corr. *iterare.* Guelf. 2. *iterate.* Franc. *iter ire.* Goth. 1. a 1. m. *certare.* Guelf. 3. hunc v. omitt. 136. Giess. *ut* pro *at.* Goth. 2. *sed non per.* 138. Goth. 2. *firma.* 139. Dresd. *tum pr.* 140. Trev. *tenet innactum.* Giess. *putant.* 141. Dresd. *est* pro *et.* Guelf. 2. *admissa.* Guelf. 3. *est* omitt. 142. Trev., Giess., IV Guelf., Goth. 1., Dresd., Franc., Arg. *nomine crimen.* 145. Helmst. *non.* Trev. pro v. l. *auxilium.* Giess., IV Guelf., II Goth. *navisque.* 146. Trev. *pectore.* 147. Guelf. 2. *parce.* Trev., Guelf. 3. *parte.* (Trev. pro v. l. *arte.*) Dresd. *per te.* Goth. 2. *pax sit nulla maris.* Trev., Helmst., Goth. 2. *detur* pro *fiat.* Guelf. 4. *dum sit modo.* 149. Guelf. 3., Goth. 1., Franc. *sequor.* Giess., Helmst., Goth. 1., Dresd., Franc. *tyros.* 150. Trev. *nec.* 151. Guelf. 3., Franc. a corr. *andromedan.* Guelf. 4., Arg. *andromaden.* II Goth. *andromedon.* Dresd. *andromacen.* Guelf. 2. *andromachen.* Giess., Helmst., Arg. *claramve.* Guelf. 4. *spectet al. claramque micenam,* margo: *coronam.* 153. Pro *quod* Trev. pro v. l. *quis,* Guelf. 2. *qui,* Guelf. 1.

quid, Giess. *quas.* 154. Giess. *meae* pro *viae.* 156. Trev., Guelf. 3. *erat.* Giess. *luce.* 157. Guelf. 3. *et ult.* Guelf. 4. *et in u.* Goth. 2. *et ad.* Goth. 1. *atque ad.* 158. Guelf. 1. *navis.* Guelf. 4., Goth. 2. *puppis.* Guelf. 3. *pinus eo.* Giess. *quaque mea thessala puppis eam.* 159. Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Dresd., Arg. *possum.* 160. Giess. *subita.* Goth. 2. *subitum.* 161. Giess., Helmst., Goth. 2. *mihi brach.* 164. Trev. *nobis.* 165. Guelf. 2. *sua gaudia.* 167. Trev. *ipse meos sibi servo, quibus utor,* pro v. l. *uror.* 168. Arg. *sequar.* 169. Franc. *coelis.* Trev., Guelf. 2., 4., Franc. *moraris.* Guelf. 3. *morari.* Franc. a rec. m. ut vulg. Trev. pro v. l. *moreris.* 170. Franc. *aut doce.* Trev., Giess., Guelf. 4., Helmst., Dresd. *hinc,* Goth. 2. *hic* pro *et.* 171. Guelf. 2., 4., Helmst., Dresd., Arg. *hinc es* (Dresd., Arg. *est) quod raro misero.* Franc., Guelf. 3. *hinc est exigue mis.; exigue* etiam Trev. Franc. a rec. m. *es.* Arg. *contingit.* 172. Guelf. 2., 3. *fiant.* 173. Giess. *late.* 174. Trev., Guelf. 2., Helmst., Dresd., Arg. *non minus.* Giess., II Goth., Franc. *hoc.* 175. Trev., Giess., II Goth., Guelf. 4. *an;* Guelf. 2., Dresd. *non malim.* 176. Giess., Guelf. 3., II Goth. *mea.* 177. Guelf. 4. *propior.* Helmst., Dresd. *proprior.* Pro *nunc* Guelf. 2. *ut nunc.* Guelf. 4., Helmst., Giess., II Goth. *es.* Dresd. *propriore.* 179. Giess. *fiducia.* 180. Trev. *pena heu flammas h. m. saepe m.* Guelf. 2. *heu clamas hoc mihi pena monet.* Guelf. 3., 4. *quae mihi pena movet.* Dresd. *hec—pena* pro *hoc—paene.* 182. Franc. *reflui,* a rec. m. *refugi.* 183. Trev. *non cum vol.* Giess. *nisi cum non unda.* 188. Trev. *pelias.* Franc. *pleias.* 189. Giess. *ut* pro *aut.* Trev., IV Guelf., Helmst., Dresd., Franc., Arg. *sim.* 190. Giess. *non captus tunc tamen mittit a.* IV Guelf., Helmst., Goth. 1. *cautum.* Helmst., Goth. 1., Franc., Arg. *tum.* Dresd. *tu.* Goth. 2. *iam.* Franc. *mittit,* a corr. *mittet.* 191. Giess. *pene putes id me quod habes;* idem 194. *invictam.* 195. Dresd. *at* pro *aut.* 197. Guelf. 2. *et tamen optabo.* 202. Trev. *est* omitt. 203. Trev., Guelf. 2., 3., 4., Guelf. 1. a 2. m., II Goth., Dresd., Franc., Arg. *desine.* IV Guelf., Dresd. *parte.* Guelf. 1., 3., Franc. *sed ut et.* Guelf. 1. a 2. m., Dresd., Goth. 2. *sed ut hoc.* Giess. *desinat.* 205. Giess. *ut* pro *dum.* Guelf. 4., Helmst., Franc. a 1. m., Arg. *isto.* Guelf. 3. *istoc.* Giess., Helmst., Dresd., Arg. pro v. l. *illuc.* Franc. a 2. m. *istuc.* 206. Trev., Helmst. *contingam.* Giess. *contigero.* Trev. *perstat.* Guelf. 3. *praestat.* 207. Helmst. *illuc.* Trev., Giess., Goth. 2., Dresd. *illic.* 208. Trev. *navis.* 209. Omnes (?) *illic.* Arg. *bor. claud.* Trev. *ibi* pro *ubi.* Giess., IV Guelf., Helmst., Dresd. *morari est.* 212. Trev. pro v. l. *ipse fretum.* 213. Trev. *tenuesque* pro *tenerique,* Guelf. 3., 4. *pariterque.* Guelf. 2. *me ten. venti pariter ten.* 214. Trev., Giess., Guelf. 4., Dresd. *c. illic.* Guelf. 2. *per illic causas.* Goth. 2. *inveniarque.* 218. Guelf. 2., II Goth., Dresd., Franc. *prosequar.* Trev., Goth. 2. *usque mora.*

EPISTOLA XIX.

V. 1. Giess. *mora est omnibus, quae nobis differt.* 7. Giess., IV Guelf., II Goth. *ita.* 12. Giess., Guelf. 1., 3., Goth. 1., Dresd., Franc. *sequacis.* Goth. 1. a corr. *fug.* 13. Guelf. 2. *volucres.* Guelf. 2., Trev. *pisces.* 15. Guelf. 1., Dresd., Franc., Arg. *submotae.* Trev. *acrior.* 16. Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Franc. *quid.* Franc. a rec. m. *quod.* 17. Dresd. *quid.* Giess. *te quoque* pro *teque o.* Guelf. 1. *teque omni,* quod ortum est ex *o mi.* Trev. *tuque omnis sola v.; tuque* etiam Goth. 2. Guelf. 2. *mea te o sola v.* 18. Guelf. 3., Helmst., Franc. *reddi.* Trev. *te mihi* pro *quod m.* 19. Helmst. *genitrice.* 21. Trev. pro v. l., Giess. *freta.* 22. Giess. *dictis.* Arg. *ventis* pro *verb.* 23. Arg. *ast ubi.* Trev., Helmst., Franc. *saevitiam.* 25. Trev. *precor,* v. l. *queror.* 27. Arg. *si sunt.* 28. Arg. *spectet.* 29. Guelf. 1. ab hoc inde versu usque ad v. 113. adeo vetustate detritus est, ut eius auctoritate raro tantum uti possimus. Guelf. 2. *utve r. de te vel ut scr. si q. abydon.* Guelf 3. *utve de te et scr. si quid habido.* Guelf. 4. *utve r. de te, scr. tibi si. Utve* etiam Arg. Trev. *et* omitt. 30. Guelf. 2. *venerat.* 31. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., Helmst. *do.* 33. Guelf. 3., Goth. 1., Trev. *facta,* schol. Trev. *acta.* Giess. *apta.* 34. Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., Dresd. *pulsa.* 36. Giess. *insiduae,* Goth. 2. *assiduae* pro *assuetae.* Trev. *notasque.* Guelf. 2., Dresd. *signaque nota.* Goth. 2. *signa notata viae.* Trev. pro v. l. *s. notanda v.* 38. Guelf. 3. *fallimur.* Trev. *arte novas.* 39. Guelf. 2., 4, Goth. 2., Arg. *loquor.* Arg. *noctis* pro *quaeris.* 41. Guelf. 1., Goth. 2., Dresd., Helmst. *putes.* Goth. 2. *cessisse.* 42. Goth. 1. *aut.* Trev. *vigilent.* Franc. *iste.* Helmst. *patrem* pro *suos.* 43. Dresd., Goth. 2. *suis.* 44. Guelf. 1., II Goth., Arg. *putes.* 45. Trev., Giess., Guelf. 2., II Goth., Dresd., Helmst. *fore.* 46. Trev. *sed movet abrumpens,* pro v. l. *obrepens.* Guelf. 2. *arrep.* 47. Trev. *nimium.* 49. Trev., Guelf. 2. *contacta.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Franc. a corr. *terra.* Giess. *terras.* 52. Guelf. 4. *ventus et aura v.* 53. Giess. *incertis* pro *interd.* Trev. *omen.* Goth. 2. *omnes.* 54. Goth. 2. *strepitus.* 56. Trev. *nostra* pro *fessa.* 58. Giess., Guelf. 1., 2., Goth. 2. *quanquam.* Arg. *nolis.* 59. Trev. *prope te sp.,* v. l. *iam te.* Guelf. 1., Helmst. *prope me.* Guelf. 2. *sperare.* 62. Guelf. 1., Helmst., II Goth., Dresd. (?) *vestra.* Guelf. 2. *coniuncto.* 63. Trev. *praetereo.* Giess., Guelf. 1. *linguae—modestae.* 68. Trev., Dresd., Arg. *ne.* Dresd. *careat.* 71. Guelf. 1. *nautis.* Dresd., Arg. *externa.* 73. Guelf. 3. *videbas.* Franc. *et cur,* a corr. *cur ea.* 74. Giess. *cur—tam.* Goth. 1., Trev. pro v. l., Guelf. 2., 3., 4., Arg. *capta.* Goth. 2. *est* omitt. 75. Trev., Guelf. 2. *nandi,* Trev. pro v. l. *cursus.* 76. Giess. *ipsa.* 77. Dresd. *muta.* Trev. pro v. l. *turbati.* 78. Trev. *quo prop.* 80. Guelf. 2., Franc. *nocebit,* Franc. a corr. ut vulg. Giess. *doceret.* 81. Trev. *tum* (v. l. *tunc*) *vellem ventos audire son.*

Goth. 2. *tunc.* Dresd. *cum.* Goth. 2., Dresd., Franc. *lenta son.* 82. Franc. *placitas.* 84. Trev. *cur ver.* 85. Franc. *cum saev. te.* 87. Trev. *clamavi.* Franc. a rec. m. *clamabo.* 89. Goth. 2. *est* pro *hic.* Giess. *illa quoque.* Arg. *quaque illa.* 90. Guelf. 2. *est* omitt. 91. Guelf. 2. *hic potius.* 92. Trev. *et facies,* v. l. *as.* 93. Trev. *dum* omitt., superscr. *sic nunc ut scr.* 94. Trev. *ille.* 96. Giess. *quod simul* pro *q. sim.* 97. Guelf. 2. *ut non sim.* Helmst. *et non sim.* 99. Trev. *timeo;* Giess. *patriam timeo.* 100. Helmst. *dicor.* Guelf. 2., 3., 4., Dresd. *ducar.* Giess., Guelf. 2. *sexta,* vid. ad v. 1. Helmst. *testa.* Goth. 2., Dresd. *thressa.* Goth. 1., Guelf. 1., Arg. *cressa* (Guelf. 1. a 2. m. *sesta.).* Guelf. 3. *cresa.* Trev., Guelf. 4. *viro,* reliqui *toro.* 102. Guelf. 3. *agis.* 103. Trev., Guelf. 1., 2., 3., Goth. 1., Franc., Arg. *veniunt.* Guelf. 2., 3., Arg. *fitque.* 105. Guelf. 2., 4. *ha.* Trev. *quam vulnere torqueor isto.* 107. Trev., Franc. *ne nos quoque.* Schol. Tr. *nec quia.* Giess. *culpa* pro *signa.* 108. Dresd. *loquar.* 109. Trev. *si* pro *sed.* Goth. 2. *timeo.* Guelf. 2., Arg. *amabit.* 110. Guelf. 3., Goth. 1. *ipse* pro *plura.* 111. Giess. *ille* q. e. *illae.* 112. Trev., Guelf. 2., 3., Dresd., Goth. 1., Arg. *iuvat.* Giess. *vivat.* Guelf. 4., Goth. 2., a corr. Goth. 1. *facit.* 113. Giess. *movent.* Trev., Arg. *falsa,* schol. Trev. *facta.* 114. Giess. *parens.* 115. Guelf. 2., 3., Dresd., Arg. *hic* pro *ut.* Giess. *obstet* pro *aut ut.* 116. Trev. *tantae* pro *certe.* 117. Dresd. *unquam.* 118. Omnes *peccas.* 120. Trev. *humida.* 121. Arg. *misero.* Trev. *tanto,* pro v. l. *quanto.* 122. Trev. *candida nube,* schol. *abscondita.* 123. Guelf. 2. *pia mater.* 124. Helmst. *turbatis.* 125. Trev., Giess., IV Guelf., II Goth., Dresd. *aut* pro *an,* quod nescio cur non, cum in annotatione defenderim, revocarim. 126. Giess., Guelf. 3., 4. *versat.* 127. Dresd. *nec.* 128. Helmst., Goth. 2., Dresd., Arg. *Helles.* Goth. 1., Dresd. *laedar.* 131. Giess., Helmst. *sed neque.* Arg. *sic neque.* Franc. *si nec.* Trev. *aminone.* 132. Trev. *nota,* pro v. l. *vana.* 133. Guelf. 1. *celiceque et aveone.* Guelf. 2. *ceyceque et aminone.* Guelf. 3. *ceiceque aveone.* Guelf. 4. *ceyceque et antone.* Franc. *ceiceque abvene,* a rec. m. *atheone.* Arg. *ceyceque et athenone.* Trev. *altomne ceiceque ameone.* Giess. *amenone.* 135. Trev. *ludice.* Giess. *lucide.* IV Guelf. *laudice.* 137. Dresd. *que* omitt. 138. Trev., Guelf. 1., 3., Helmst., II Goth., Dresd. *composuisse.* Franc., Arg. *suppos.* 139. Trev. *cur agitur t. iure exceptus.* 141. Guelf. 2., Arg. *lateque.* 142. Guelf. 3., Arg. *hic brevis.* Giess. *duos.* 148. Trev. *ducis.* Guelf. 2. *duxit.* IV Guelf. (? Vid. Epist. I, 1.), Dresd., Helmst. (?) *ulysse.* 149. Franc. *salvaque,* a rec. m. *serv.* 150. Omnes *et* omitt. 151. 152. Omnes *stertuit,* nisi quod Guelf. 3. v. 151. *interea et lumen.* 152. Goth. 2. *aspera.* 153. Trev., Guelf. 2. *distill.* Goth. 1. *destill.* Guelf. 4. *stillavit.* 154. Goth. 2. (?), Dresd. (?) *que* omitt. Goth. 2. *at* pro *et.* Guelf. 2., Goth. 2., Dresd. *illa.* 156. Trev. *meo* pro *mihi.* 157. Goth. 1. *claustra.*

Giess. *dedi.* 159. Dresd. *quid.* Giess. *ausa.* 160. Arg. *sternat.* Goth. 2. *stertuet.* 161. Giess. *tumidas.* 163. Guelf. 1. *cur huc.* Guelf. 3. *cur hic.* 165. IV Guelf., II Goth., Dresd., Arg. *metuis.* Guelf. 4. *ut* pro *ne.* Guelf. 2., 4., Dresd. *robora.* 166. Guelf. 2. *ac.* Guelf. 3. *at.* Guelf. 2, Arg. *nequeas gem.* 167. Trev., Giess., Franc. *aut.* 168. Dresd. *osculaque—oscula.* 169. Trev., Goth. 1. *in urb.* Giess. *arces,* pro v. l. *urb.* 171. Trev., IV. Guelf., Goth. 1., Dresd., Franc. *nos tam.* 173. Trev. *pugnent.* 174. Guelf. 3., Goth. 1., Arg. *dubium.* Arg. *hoc decet.* 175. Trev., Arg. *pegas.* 176. Franc. *celeris.* 179. Giess. *moestam* pro *quod ames.* Trev. *requiras,* a 2. m. *vel es vel relinquis.* Goth. 1., Dresd. *sit.* 181. Dresd. *sis* pro *si.* Giess. *attamen.* Helmst. *tu tamen.* Trev. *timidarum.* 182. Guelf. 2., 3., Franc., Arg. *facito ut sp.* 183. Guelf. 3. *mergantur.* Trev., Guelf. 4. *in aeq.* Giess., Guelf. 1., 2., 3., II Goth., Dresd., Franc. *naves.* Guelf. 4. *pisces.* 184. Giess., Guelf. 4., Helmst. *putes.* 186. Goth. 2. *ire* pro *esse.* 187. Giess. *me* omitt. Trev., Guelf. 3., II Goth., Franc. *opto;* Franc., Trev. a 2. m. *hortor.* 190. Guelf. 2., Goth. 1. *lapsa.* Helmst. *fessa.* 191. Trev. *convertor.* Guelf. 2. *obverso in und.* Guelf. 3., Arg., Franc. *obversor in und.,* Franc. a rec. m. *ad u.* 192. Guelf. 1. a 1. m., 2., 3., 4., Dresd. *quid.* Giess. *timidum.* Trev., IV Guelf., Dresd. *frigore.* Franc., Arg. *pectore frigus.* Franc. a rec. m. *quid frig. pectora frigus vel pectus.* IV Guelf., Franc., Arg. *habet.* 193. Goth. 1. *externae.* Goth. 2. *pervertor.* 19J. Trev., Guelf. 2. *sit.* Guelf. 3., II Goth., Dresd. *placata.* Guelf. 2. *placida.* 199. Helmst., Goth. 2. *hinc.* 200. Trev. *nunc* pro *non.* 204. Goth. 1. *tibi* pro *nisi.* 206. Guelf. 1. *ero.* 208. Trev. *tunc.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Goth. 2., Dresd. *tu.* Trev., Guelf. 3., 4., Helmst., Goth. 1., Dresd. *toto.* Trev. *funde.* 209. Giess., Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd. *quon. nanti.* Franc., Arg. *nandi.* 210. Guelf. 2. *leniet.* Dresd. *immensas.* Trev., Giess.. *nostra* pro *missa.*

EPISTOLA XX.

In codd. Trev. et Goth. 2. praemittitur distichon hoc: *accipe cydippe despecti nomen aconti* || *illius in pomo qui tibi verba cedit.* V. 2. Guelf. 2. *periuram.* 3. Giess. *si* pro *sic.* 4. Guelf. 2. *nulla.* Trev., Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., Dresd. *dolore dolor.* Helmst., Guelf. 1., Franc., Arg. *dolere d.* Franc. a rec. m. *vel magna parte vel dolente.* 5. Trev. *qui.* Giess. *quis* pro *quid.* IV Guelf., Helmst., Goth. 1., Dresd. *ante* pro *ora.* 9. Guelf. 2. *fructus.* 11. Giess. *hoc* pro *id.* 12. Goth. 2. *cupio* pro *virgo.* Trev. *meruisse.* 13. Giess. *nec* pro *nunc* et *timeo* pro *tamen.* 14. Giess. *actaque* et *est* omitt. Goth. 2. *mea* pro *mora.* 15. Dresd. *quodque.* Pro *nunc* Guelf. 1., 3., Helmst., Goth. 1., Dresd. *nec;* Guelf. 2. *ne;* Trev. *tam,* Arg. *tum.* 16. Guelf. 1. in marg., Guelf. 2., 4., II Goth., Dresd.,

Arg. *crescit.* Goth. 1. *ex spe q. d. meus hic crescit.* Giess. *tunc* pro *tu. Ex spe* etiam Guelf. 1. et Helmst. Guelf. 3. *spem.* Franc. a corr. *spes,* idem *quem,* a rec. m. *quam.* Arg. a 2. m. *crevit.* 19. Giess., Goth. 2. *erant.* 20. Guelf. 2., Helmst., Goth. 2., Franc. *notasse.* Trev., Giess., Guelf. 1., 3., 4., Goth. 1., Dresd., Arg. *tulisse.* Trev. et Franc. a 2. m. *prob.* 22. Helmst. *dicatur.* 23. Trev. *nil* pro *quid.* Goth. 2. *quid mea fr. pet.* Guelf. 1., 2., 4., Helmst., II Goth., Dresd., Franc. a corr., Arg. *nisi quod.* Guelf. 3. *nisi utque.* 24. Dresd. *potes.* 25. Giess., Goth. 1. *non.* Arg. *astu.* 28. Guelf. 3. *ante.* 29. Goth. 2. *recte* pro *feci.* 30. Trev., Dresd., Franc. *consumptoque,* Trev. pro v. l. *consult.* 31. Omnes *facto nomen* praeter Helmst., II Goth., Dresd. 32. II Goth., Dresd., Arg. *amas.* Goth. 2. *dolos.* 33. Giess., Goth. 2., Franc. *precantia.* 34. Guelf. 3. *hic est.* Guelf. 4. *hoc est.* Franc. *fraus est haec.* Arg. *quamque quer.* 36. Giess., Franc. *usque petam.* Guelf. 1. *ipsa.* 37. Trev., IV Guelf., II Goth., Dresd., Franc. *placidas.* Guelf. 4. a 2. m. *placitas.* 38. Trev. *scripta tibi.* 39. Trev. *facient.* Guelf. 3. *posse.* Goth. 2. *possem praesens.* 41. Trev., Giess., Guelf. 2., 4., II Goth., Dresd., Helmst., Franc. a corr. *modi.* Trev. pro v. l. *doli.* Trev., Guelf. 3., 4. *in uno.* 42. IV Guelf., Goth. 1., Arg. *sinit.* 43. Franc. *si dubium est.* Goth. 1. *est te posse* pro *possisne.* Trev. *possitne.* 45. Trev. *fallis.* Goth. 1. *fugias.* 47. Guelf. 1. *proficiunt.* Guelf. 3. *profient.* Goth. 2., Franc. *proficiant.* 48. Giess., Guelf. 3., Helmst., Goth. 1., Franc. *tui.* Gloss. Guelf. 1., Guelf. 2., 4., Trev., Dresd., Franc. pro v. l. *mei.* 49. *paridis sol.* 50. Trev., Guelf. 1., 3., Goth. 2., Arg. *posset.* 52. Giess. *ut sic est quam erit quam te non.* 53. Dresd. *peterer.* 55. Goth. 2. *omnia* pro *ign.* 57. Trev. *aut* pro v. l. *hoc.* Guelf. 3., 4., Goth. 2., Dresd., Arg. *fac. flavi.* Guelf. 2. *fac. flavique.* 58. Guelf. 2., 4., Goth. 1., Dresd. *quasque.* 59. Trev. *in* pro *et vult.* 60. Goth. 2. *et tendis.* II Goth., Dresd., Guelf. 1. *reor.* 62. Trev., Giess., IV Guelf., Helmst., Goth. 2., Franc., Arg. *tua pars* pro *sibi par.* Franc. et Trev. pro v. l. *sibi.* Trev. pro v. l. *par.* 64. Trev. *sed* pro *si.* 65. Giess. *non cautam* pro *d. capt.,* idem *negare* pro *cog.* 67. Guelf. 2., 3., Goth. 1., Dresd., Arg. *patior,* quod nunc nescio an non scriberem. 69. Arg. *hyxionem.* 70. Pro *suum* Trev., Guelf. 1., 3., Franc. *virum,* Goth. 2. *virum est.* Giess. *suum est.* 71. Guelf. 2. *qualib.* Trev. *sit.* 72. Goth. 2. *modo posse.* 73. Dresd. *fecimus.* 74. Guelf. 4., II Goth., Dresd. *sit modo—copia.* IV Guelf., Dresd., Franc., Arg. *placandi.* Helmst. *placando.* Franc. *mihi,* a corr. *tui.* 75. Arg. *ante meos.* Trev., Giess., Guelf. 1. *lic. flent.* Guelf. 3. *flentes.* 76. Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 2., Goth. 1. pro v. l., Dresd. *verba meis.* Guelf. 3., Goth. 1. a 1. m., Arg. *tuis.* 77. Goth. 2. *famulae.* 78. Goth. 2. *tollere.* Guelf. 3., 4., Helmst., Dresd. *sub tua.* Guelf. 1., Franc. *in tua.* Goth. 2., Dresd., Franc. *iura.* 81. Trev. *invi-*

diosa. 82. Dresd. *sunt.* Guelf. 1. *aspera* pro *liv.* Guelf. 1., 3., 4., II Goth., Dresd, Franc. *nostra tuis;* Franc. a rec. m. *facta.* Giess. *meis.* 83. Giess. *tamen* pro *tant.* 86. Trev. *victus.* 89. Trev. *ut* pro *ubi.* 90. Arg. *serviet.* Guelf. 4. *ille mihi.* 91. Guelf. 2., Arg. *cur reus.* 93. Trev., Guelf. 2., 4., Goth. 1., Dresd, Helmst. *iussit* (Trev., Goth. 1. *ius sit*) *scriptum est iniur.* Goth. 2. *quod scriptum est iussit ini.* Giess. *hocque iusit amor scriptum esse ini.* Guelf. 1. *quod tu vis sit scr. ini.* Guelf. 3. *quid iussit scriptum ini.* Arg. *nostrum.* Giess., Guelf. 1. *nostra,* reliqui *nostri.* 94. Trev., Guelf. 2., Giess. *solum.* Guelf. 1. *quod solo de me.* Guelf. 2. *quod de me hoc sol.* Helmst. hunc v. omitt. 95. Giess. *fati.* Guelf. 1. *non mecum falli meruit.* 98. Guelf. 2., 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *mem. voc.* Trev., Guelf. 3., Goth. 1. *concipit;* Trev. pro v. l. *cond.* Guelf. 1. *ore suo.* 99. Trev. *omnia—ipsa.* 100. Guelf. 1. a 1. m., Guelf. 2., 4., Dresd. *quae.* Guelf. 2., 4., Franc. *nolit;* Franc. a rec. m. *nolim.* Guelf. 3., Goth. 1. *noluit.* Goth. 2. *nolunt.* Goth. 2. *vident.* 101. Trev., Guelf. 2., Goth. 2. *erat.* Guelf. 2. *calidoneus nam aper scimus.* Guelf. 3. *calidoniis aper sieseus.* Pro *nam* Helmst., Goth. 1., Dresd. *sic,* Franc., Arg. *si.* Dresd. *saevus* pro *scim.* 105. II Goth., Dresd. *aborto.* 106. Trev. *quoque in ydonia.* Giess. *mydonia.* Goth. 2. *instat.* 107. Trev. *heu.* 108. Trev., Guelf. 1., 4., Helmst., Goth. 2. *movere.* Giess. *fassa dea.* 109. Trev. *hac,* pro v. l. *hoc est.* Goth. 1. *hoc tu.* 111. Guelf. 2., 3., 4., Goth. 2. *ne.* 113. Dresd. *obsist.* Trev. *quotiens hanc fallere tentas.* Giess. *captas.* 114. Giess., Franc. *corrigit.* Trev. *ipsa.* 115. Trev. *precor* pro *feros.* Guelf. 2., 4. *ferox.* Dresd. *artus.* 116. Dresd. *potes.* Vss. 116. 117. Trev. omitt. 118. Goth. 1. *salvetur.* 119. Giess., Dresd. *servetur.* 120. Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd. *levis.* Giess. *lentus.* Helmst. (?) *laetus.* Goth. 1., Arg. *color.* Guelf. 4. *pudor.* 121. Goth. 2. *e si,* Guelf. 4. *ex si,* Goth. 1. *at si,* Franc. a rec. m. *ac si.* Guelf. 1. *fias ne.* 124. Trev., Giess., Guelf. 3., Helmst., Goth. 1., Dresd. *non.* Trev., II Goth. *quod.* Trev. v. l. *quid.* Dresd. *sed* pro *quid.* Guelf. 2., 3., 4., Goth. 1., Dresd. *esse velim.* 125. Trev. *torqueor,* idem Franc. a corr. Guelf. 3. *quia.* Guelf. 2., Dresd., Franc., Arg. *sum.* Trev., Giess., Dresd., *doloris.* Trev. pro v. l. *dolendi.* 127. Trev., Guelf. 1., 2., 4., Helmst., Franc. *inque caput nostrum.* Dresd. *inque caput haec nostrum.* Giess. *est* pro *haec.* Guelf. 3. *in caput et nostr.* Trev. *quaero.* 129. Franc. *quod,* a rec. m. *quid.* Trev., Dresd. *lumina.* Guelf. 3. *crebor.* 130. Trev. *dissimulatus.* 131. Helmst. (?) *ve* pro *que.* Guelf. 2., 4., Goth. 2., Dresd., Franc. *requiro.* 132. Trev. *profuerunt,* idem *cibus.* 133. Goth. 2. *iura.* 134. Goth. 2. *effringoque.* Guelf. 4., Goth. 2. a corr., Dresd. *astringoque.* Guelf. 2. *assid.* 135. Trev. *rursum.* Franc. *quid.* Giess., Guelf. 1., 2., 3., Helmst., Franc., Trev. pro v. l. *removi;* Trev. a 1. m. *recepi.* 136. Guelf. 1.,

Arg. *obest.* 137. Dresd. *affingit.* Goth. 2. *fingit* (a corr. *astringit*) *quod sis facis aegrae,* a corr. *astringit et assidet aegrae.* Giess. *manus aegras et tangit.* Guelf. 4., Helmst. etiam *astringit.* 139. Guelf. 4. *dum tentatque suo.* Trev. *captat.* 141. Giess., Guelf. 2., 3., 4. *contractatque.* Dresd. *contractaque.* Goth. 2. *manus* pro *sinus.* Goth. 1., Arg. *sinus aut.* Dresd. *iungis.* 142. Guelf. 2. *illa.* 143. Trev. *quid tibi.* Goth. 2. *promisit.* II Goth., Dresd. *percerpere.* Guelf. 3. *percepere.* Guelf. 2. *percipere.* Giess., Guelf. 4., Helmst. *decerpere.* Guelf. 3., Goth. 2. *merces.* 144. Guelf. 2., Dresd. *spem.* Trev., Guelf. 1., 3., 4., Helmst., Franc., Arg. *spes.* 147. Guelf. 3. *est* omitt. 148. Guelf. 2., Dresd. *facias.* 149. Giess. *sibi quam non.* 151. Trev. *haec mihi.* Arg. *littera* superscr. *formula.* 152. Trev. *nec.* Trev., Giess., Guelf. 1., II Goth. *face.* Arg. *face ut.* Goth. 2. *dicat.* Trev. *illa.* Giess., Guelf. 2. *ista.* Helmst. *fas legat ipsa tibi.* 153. Trev. *talamis.* Guelf. 2. *iam,* Helmst. *nunc dicimus.* Goth. 1., Arg. *diximus.* Giess. *exis.* 154. Guelf. 2., Dresd., Franc. a corr. *hinc exi.* Goth. 2. *locus.* 155. Guelf. 3. *tu* omitt. Guelf. 4. *nam quid habes habeas et tu verba.* Trev., Franc., Arg. *verba hum.* Guelf. 2. *verbula pacti.* 156. Guelf. 2. *non est.* Franc. *non venit,* a corr. *n. erit.* 157. Goth. 1. *nam mihi.* 158. Trev. *sed prior est certe.* Dresd. *proprior.* Trev., Goth. 2. *est* post *sibi* omitt. 159. Guelf. 1., Goth. 1., Helmst. *haec ad iur.* Goth. 2. *ipse et iur.* Guelf. 3. *sed haec iur.* Arg. *pater hanc mihi haec iur.* 161. Giess. *ille* pro *hic.* Goth. 1. *haec est peri.* Guelf. 4. *mendax timet haec peri.* Goth. 2. *mendax timet et peri.* 162. Trev., Guelf. 3., Goth. 1. *an;* Guelf. 2, Dresd. *non dub.* Giess., Guelf. 1., II Goth. *dubites.* Trev. *hoc* pro *hic.* 163. Goth. 1., Arg. *posses.* 164. Dresd. *et event.* 166. Goth. 2. *non spes—non amor aeq. a.* 167. Trev. *est* omitt. 168. Trev. *id quoque quod iam tu.* Guelf. 2. *atque ego.* Goth. 2. *forsan tu quod.* 169. Trev. *causa* pro *cura.* 170. Dresd. *credere.* 172. Guelf. 2., 3. *at quid.* 173. Trev. *lateas.* Guelf. 4. *ut sis.* 174. Giess. *hunc si tu;* idem *lumen—vetas.* Guelf. 2., 4. *veta.* 175. Franc. *hic facit ut subeant.* 176. Guelf. 1. a 2. m., Guelf. 2., 4., Goth. 1., Dresd., Franc. a corr. *ille.* 177. Franc. *ne* pro *nec.* 179. Goth. 2. *pone.* Trev. *potiare.* 181. Trev., Guelf. 1. *non bove.* Giess. *colent.* 182. Guelf. 3. *sed quam.* Arg. *non* pro *et.* 183. Guelf. 1. a 1. m., Helmst., Goth. 2., Franc. *patiantur.* 184. Goth. 2. *validam* pro *tr.* Guelf. 2., 3. *sucus.* 185. Guelf. 4., Goth. 1. *illis.* 188. Giess., Helmst., II Goth., Franc. *exciderint.* Trev. pro v. l. *deciderant.* 189. Guelf. 1., 2., II Goth., Dresd., Arg. *cum* pro *modo.* Guelf. 3. *modo est cas.* Guelf. 4. *tu cas.* 190. Goth. 1. *pergis.* 192. Guelf. 3., II Goth., Dresd. *offerat.* Guelf. 2., Arg. *efferat.* 193. Giess, Helmst. (?) *et* pro *haec,* Guelf. 3. *hanc,* Guelf. 4. *hoc.* Giess, Goth. 2, Dresd. *sunt.* 195. Goth. 1. *promittis.* Trev., Dresd. *sit.* Trev. *falsum.* 196. Trev. *scis.* Dresd.

sit. 197. Trev., Guelf. 2. *cura meliore.* 198. Guelf. 3., Franc. *vita—tua,* Franc. a rec. m. *vitae—tuae.* 199. Franc., Arg. *dubii pavidam.* 200. Giess., Guelf. 4., Arg. *ignotos.* Trev. *quod facis.* 201. Trev. *heu cur.* Trev., Guelf. 3., Goth. 2., Franc. *ignorant.* Dresd. *ignorat.* 202. Arg. *pudoris.* 203. Trev. *sic* pro *fac;* idem *ut sis.* 204. Guelf. 3. *facit.* Franc., Arg. *facis.* 206. Dresd. *restiterint—mea.* 207. Giess., Guelf. 1., 3., Goth. 2. *ut te.* Trev., Giess., Guelf. 4., Franc. *dum te.* 208. Guelf. 3., 4., Goth. 1., Franc. *deciderant.* Guelf. 2. *humeris—meis.* 209. Guelf. 1. *post ego.* Goth. 2. *quod* pro *qua.* Giess. *nescia.* Trev. *pomum.* 210. Guelf. 1. *dictis.* 211. Guelf. 4. *quodque sit ut.* Giess. *causa* pro *sancta.* 212. Giess. *reor* pro *tuam.* Trev., Guelf. 1., 2., Goth. 1. *victam.* 213. Guelf. 3., Dresd. *nec.* Guelf. 1. *ignorent.* Guelf. 2. *sed tamen ignora.* Giess. Helmst. (?) *quae sit sent. scripto.* 214. Giess. *refert.* 215. Guelf. 1., 3. *nomina.* 216. Dresd. *illa mei; mei* etiam Giess. Goth. 1. *ipse mihi.* Trev. *ille tibi.* 217. Trev. *placet quon.* 219. Giess. *sic tamen.* Guelf. 2., Dresd., Franc. *si tamen.* Trev., Goth. 1., Arg. *quaeras;* Trev. v. l. *at.* Guelf. 2. *ut quaerat.* Guelf. 3. *qui.* Trev. *quis sum iubeto,* pro v. l. *videt.* Idem Trev. pro v. l. *sed tamen ut quaeras q. s. q. iubeto.* 220. Trev., Goth. 1. *invenies* (sc. propter *quaeras* v. praecedentis). Guelf. 2., 3., 4., II Goth., Dresd., Franc. *nobis.* Trev. *deum.* 221. Dresd., Arg. *corinthiis.* Trev. *corychiis.* 222. Trev. *ceta,* pro v. l. *chea.* 223. Giess. *probabis.* Guelf. 1., 3., Franc. *probatis.* 224. Goth. 1. *numina.* Goth. 1., Dresd. *aquis.* 225. Goth. 2. *sint et op.* 226. IV Guelf., Goth. 1., Dresd., Arg. *iungat.* 227. Goth. 2. *tu non.* 228. Trev., Goth. 2. *iuratae tibi non.* Dresd. *erit.* 229. Goth. 2. *hoc t.* 230. Omnes *vigilans.* 231. Dresd. *et quibus.* Guelf. 2. *in q.* 235. Trev. *manebunt,* pro v. l. *son.* 236. In Arg. reliqua omnia desiderantur. 237. Guelf. 2. *ponatur.* Trev. *pomi.* 239. Trev. *heros* pro *huius* et Franc. a 1. m. *usus,* a corr. *huius.* 240. Giess. *rapta.* Guelf 2. *fuerant.* 241. Trev., Giess. *velasset* pro *ne lasset.*

EPISTOLA XXI.

In Goth. 2. hoc distichon praecedit: *littera pervenit tua quo consuevit aconti* || *et paene est oculis insidiata meis.* V. 3. Guelf. 2., Goth. 1. *ut puto.* Trev. *captasset,* idem *nisi* omitt. Guelf. 4. *ut ante ferebas.* 5. Dresd. *nec lecta fui.* Goth. 1. *dira.* 7. Giess. *condam* pro *cum dem.* 8. Goth. 1. *illa mihi iusta.* Guelf. 4. *memori tibi.* 10. Franc. *vix,* a rec. m. *non.* 12. In hoc versu hi codices desinunt, excepto uno Guelf. 3., qui cum aliis libris (vid. annot. ad hunc versum) desinit v. 144. Itaque quae inde ab hoc versu sequuntur variae lectiones, scito esse Guelferbytani tertii. V. 29. *qua,* et *ero*

pro *ego.* 34. *continget.* 40. *optas.* 45. *nec mihi.* 52. *tuis.* 67. *difficilis—ora sinistra.* 72. *ha.* 77. *delum.* 80. *dare.* 81. *micon iam temnor et andron.* 82. *candida bosfor.* 89. *cruribus aurum.* 91. *grata est.* 108. *et mihi.* 117. *secure.* 129. *cum me.* 144. *eris.*

INDEX (*)

RERUM, QUAE IN COMMENTARIIS ILLUSTRANTUR.

(*) Duos initio, ut titulus indicat, facere Indices statueram, quorum unus esset qui vulgo vocatur verborum et rerum, alter nominum. Sed re diligentius considerata visum est, illa omnia uno Indice complecti. Rem, candide lector, habes, de titulo libri mecum non expostulabis.

Si maneo, qualis Troia durante manebam,
  Virque mihi demto sine carendus abest?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
  Incola captivo quae bove victor arat.
Iam seges est, ubi Troia fuit; resecandaque salce
  Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris
  Ossa; ruinosas occulit herba domos:

quo Troia fuit. In nonnullis (etiam in Lang.): *qui fuit.* Fortasse *qua fuit,* ut Fast. III, 71.; nam in uno Lov. erat *quae fuit.* HEINS. *Qua* probat etiam Burm. ad Lotich. I. p. 103. Mihi vulgatum magis poeticum videtur. LENN. Ac profecto multo aptius ad praecedentia *disiecta Ilios;* nam *solum* (quod fere est pulvis), *quod fuit ante murus,* nil aliud est, nisi expositio verborum *disiecta Ilios,* et sic exhibent veteres edd. et plurimi codd. Fr. Heusinger e Guelf. 1. lectione *esse solum* corrigebat: *murus qui fuit, esse solum.*

50. *Virque mihi—abest. Abes* unus Pal. et alii, ut v. 57. et 66. HEINS. Sed in hac re audiendi sunt codd., quorum longe plurimi cum edd. vett. exhibent *abest.* Bruining propter insolentiorem usum verborum *demto fine carendus* utrumque versum non ab Ovidio esse censuit. De *carere* cum accus., tenendum est, multum sibi poetas in eo genere, inprimis in usu participiorum indulsisse (vid. ad Epist. XXI, 160.), ac de hoc usu verbi *carere* vid. Gunther Lat. restit. P. II. p. 1224., Rudim. Gramm. Lat. Vol. II. p. 219. ed. Stallb., Turp. apud Non. IX, 5., A. G. N. A. XIII, 23., Sanct. Minerv. III, 3. ibique Periz., Vechn. Hellenol. p. 95. ed. Heus., Wachsmuth de Gerund. in Athenaeo p. 59. Conf. Epist. XIII, 137., XX, 118. De *demto fine,* Trist. III, 11, 1. 2.

Siquis es, insultes qui casibus, improbe, nostris,
  Meque reum demto fine cruentus agas.

Vid. Amor. I, 9, 10. Conf. Trist. IV, 8, 5. Monac. *si mihi vir.*

51. *Diruta,* dictum est ut v. 47. *disiecta.* Conf. Epist. III, 45., Prop. II, 21, 53. Unus Heins.: *eruta.* Loco *uni* multi codd. Heinsii et quidam e meis *soli,* ut Met. XIII, 507. Sed *soli* glossam redolet, atque *unus* non raro eleganter positum est pro *solus,* ut Liv. I, 18., Prop. II, 18, 45. et sic apud bonos scriptores passim. Vid. Burm. ad Quint. I. O. XI, 1. *Restant,* supersunt, adhuc stant. Vid. Forcell.

52. *Incola—victor,* cum vi ac poetice pro *novus incola,* qui est Graecus, ut ex illo *victor* et *captivo,* q. e. Troiano, qui sc. direptus est, satis apparet. Vid. Sab. Ep. I, 18.

53. *Seges est, ubi etc.* Conf. Virg. A. III, 11. ubi vid. Heyn., Prop. IV, 10, 30.

54. *Phrygio.* Vid. not. ad

Victor abes, nec scire mihi, quae causa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit;
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
Misimus; incerta est fama remissa Pylo:

Epist. XVI, 57. Conf. Epist. XIII, 58.

55. *Feriuntur.* Malebat *finduntur* Francius, non ego. *Finditur* enim terra aratro, sed *ossa semisepulta feriuntur*, percutiuntur. Lucan. VII, 859.

Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.

BURM.

Virg. Georg. I, 496.

Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Sed vide totum illum Virgilii locum a v. 493—497., ex quo sine dubio hic noster manavit.

56. *Ruinosus* est penitus disiectus. Vid. Forcell.

58. *Orbe*, orbis, terrae parte, ut Fast. III, 466. *Eoo dives ab orbe redit.* Vid. Trist. I, 2, 85.

59. *Puppim.* Puppis an prora ad littus advertatur apud poetam, cum Parrhasio noli quaerere. Vid. Epist. XII, 23. Virgilius quoque utrumque promiscue ponit, Aen. VI, 410., VII, 35. De sensu, conf. Ep. XIX, 29.

62. *Digitis — meis*, poetice pro *epistola*. Vid. Epist. III, 2.

63. *Nos Pylon.* In hac Epist. nonnulla leguntur, in quibus poeta ab auctoritate Homeri, quem in plurimis diligenter est secutus, plane discedit. Primum enim v. 15. Antilochum dicit ab Hectore victum, quem a Memnone Aurorae filio interfectum esse testes sunt Homerus (Od. IV, 187.), Pindarus (Pyth. VI, 28. seqq.) aliique scriptores laudati a Meziriaco in l. l. p. 35., Quint. Smyrn. II, 243., Dio Chrys. Or. II., Dict. Cret. IV, 6., etiam Hyginus F. 112., quamvis idem in F. 113. plane cum Ovidio faciat nescio an solus e veteribus, quorum quidem scripta aetatem tulerunt. Deinde v. 37. et 63. et seqq. ab ipsa Penelope Pylon ad patrem quaerendum missum Telemachum dicit Ovidius, cum Homerus Od. II., inscia matre, Minerva suadente eum Pylon profectum testetur. Tertius est locus v. 91., ubi Medon, quem virum inter procos optimum eundemque Telemachi ac Penelopae studiosissimum ex Homeri Od. IV. et XXII. novimus, prae ceteris dirus appellatur. Quartum locum posuerim v. 80., ubi a patre Icario se urgeri atque cogi novum inire connubium scribit Penelope, quae res licet ab Homero (Od. XV, 16. seqq.) tangatur, tamen a Minerva ibi fingi, ut Telemachum ad reditum per-

Misimus et Sparten; Sparte quoque nescia veri.
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?

moveat, apparet, ac praeterea non solum pater ibi, sed etiam fratres Penelopae, ut novum matrimonium ineat, instare narrantur. Conf. Odyss. II, 52. sqq. Versu denique 100. dicit Penelope, ingredi cum filius iter Pylum voluisset, structas ei a procis insidias, quod Homerus (Od. IV, 625—847.) auctor est, cum Pylo et Sparta rediret, factum esse. Ac fuerunt, qui duos illos locos v. 15. et 91., nam reliqui hucusque non animadversi aut non ita magni habiti momenti videntur, suspectos putarent ac mutare vellent. Versu 15. Politian. in Miscell. ex Iliad. XIII, 185. *Amphimachum* vel *a Memnone* pro *ab Hectore* scribendum censebat. Schoppa e Darete Phrygio c. 20. *Archilochum.* Versu autem 91. Waddel. corrigebat *Medontaque dicam,* et Mariang. Accurs. *Polybumque Amphimedontaque,* item Burmannus sec. ad Propert. IV, 5, qui idem inducere volebat Epist. Sabini I, 47. atque ita tollere scrupulum, qui obstabat Heinsio. De scriptura *Amphimachum* pro *Antilochum* v. 15., recte monet Lennepius, in locum clari hominis parum probabiliter substitui minus clarum! *A Memnone* vero pro *ab Hectore* iusto longius recedit a vulgata scriptura. Iani autem Parrhasii sententiam de eodem loco esse hoc muliebri decoro datum, ut Penelope fingatur a vera historia aliquantum aberrare, probatam illam Ciofano, Micyllo, aliis, recte refutasse mihi videtur G. I. Voss. Institt. Poet. I. c. 2. §. 5., qui in libro suo de Arte Gramm. II. c. 24. ipse ita potius poetam excusare conatur, ut ab Hectore etsi non occisum, tamen victum esse Antilochum narrari perhibeat Iliad. V, 590. Sed contra ibi, ante adventum Hectoris, cum Mydonis equis victor e pugna discessisse traditur Antilochus. Et vero ipse Voss. Instit. Poet. l. l. maxime in illam pronus videtur opinionem, ut errorem esse putet memoriae non Penelopes, sed Ovidii. In eandem opinionem cessit Lennepius, qui fieri posse censet, ut Ovidius hanc Epistolam conscripserit ab Homeri lectione non adeo recens, cum ipsi nullum eius exemplar ad manum esset. Ego vero et de hoc loco v. 15. et omnino de tota illa in hac Epist. ab auctoritate Homeri discrepantia sic sentio, poetam in his Epistolis, ut in aliis carminibus (vid. Remed. A. 475. seqq., Trist. I, 9, 27—30., Ep. II, 3., V, 94., VI, 57., IX, 43., XI, 5., Conf. Sab. Epist. I, 8. et 33. et Gierigii not. ad Met. IX, 216. et ad Fast. II, 713.) in fabulis tractandis singulari quadam et quam poetis concessam putaret usum esse libertate, et consulto ac scientem a fabula, qualis ab Homero traditur, discessisse, eamque consilio suo atque instituto accommodasse. Minime enim verisimile est, Ovidium, qui omnes prope res ab Ho-

Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi: —
Irascor votis heu levis ipsa meis! —

mero narratas et ipsa quoque verba dictionesque, ut omnia eius carmina declarant, memoriter complexus est et *ab eo fonte perenni,* ut ipsius verbis utar, *sua ora Pieriis aquis rigavit,* ac praecipue in plurimis locis huius Epistolae, item in Epistola III., XVI. et XVII. tam diligens Homeri studium probavit, hunc ipsum ne ea quidem, quae nemo, qui leviter tantum Homeri carmina attigit, ignorat, velut Telemachum a Minerva Pylon missum esse, in memoria habuisse, neque cum in plane Homerico argumento versaretur, Homeri carmina ante diligenter legisse, quotiesque ex eo fonte hauriret, eadem, ubicunque dubitaret, denuo evolvisse. Nam quod Lennepius Ovidium poetam poetarum principis, qui iam tum habebatur, cum haec scriberet exemplar ad manum non habuisse censuit, non est credibile.

Neleia arva, regnum a Neleo Nestoris patre Pyli in Peloponneso conditum. Vid. Hom. Iliad. XI, 689., Auson. Perioch. Odyss. II. III., Hyg. F. 10., Pausan. IV. Conf. Ep. IV, 107.

Antiqui pro senis, hoc quidem sensu ab Ovidio, ut permulta alia, novatum verbum. Dictus autem sic Nestor, quia auctoribus poetis tria saecula, γενέας, aetates hominis vixit, unde ab Attio *trisaeclisenex* dictus est. Vid. Iliad., I, 250., Odyss. III, 245., Met. XII, 188. ubi vid. Gierig.

64. *Incerta.* Odyss. III, 162. et seqq.

65. *Sparten.* Vid. Odyss. I, 285., IV, 1. et seqq. et 555. et seqq. Werfer l. l. p. 524. importuniorem putans interrogationem versus proxime sequentis, post *veri,* ut olim vulgatum est, et ut Amar nuper in editione maiore restituit, comma ponendum putabat, sic: *nescia veri, quas habitas — — — abes;* indicativum autem pro coniunctivo ortum ex necessitate metri. Verum ne de audaciore constructione dicam, et quod sic illud *veri* omnem vim suam amittat, mihi in hac interrogatione insignis quaedam inesse veritas videtur affectus, ut, postquam sedatius exposuit, quam vanam, ut ipsum inveniret, operam dederit, quasi indignabunda in interrogationem erumpat: *Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?* Adde concinnitatem sententiarum: longius est *colum: nos Pylon — misimus,* longius quoque sequitur: *incerta — Pylo.* Brevius est: *misimus et Sparten,* sequitur brevius: *Sparte—veri.* Adde: *incerta est fama r. P., Sparte q. n. veri.* Eandem scripturam non parum confirmare videtur illud *lentus.* Atque ea distinctio etiam obtinet in ed. Ven. a 1486. Unus Medic.: *habites.*

67. *Moenia Phoebi.* Moenia Troiae, quae Phoebus cum Neptuno Laomedonti pacta mercede condidit. Iliad., VII, 452., XXI, 440. et seqq. Conf. Epist. V. 139., XVI, 180.

Inque tua regnant nullis prohibentibus aula:
Viscera nostra, tuae dilacerantur opes.
Quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum,
Eurymachique avidas Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.

Vires universe dictum est pro *impetum animi*. Schol. cod. Trev.: *ferocitatem animi.* Simillimus est locus Pont. III, 6, 24.

Iustitia vires temperat ille suas.

87. *Alta Zacynthos*. Sumtum est ex Hom. Od. XVI, 123.

Δουλιχίῳ τε Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

ubi mirum est, quod ὑλήεντι masc. genere dixerit Homerus, Ovidius autem, cum Virgilius A. III, 270. aliique illud verbum *nemorosa* transferunt, *alta* maluit. *Heins.* Appositum autem illud *altus* insulis montuosis ab Homero aliisque poetis saepe tribuitur. Virg. A. V, 588. *Creta alta*, ubi vid. Heyn. De his maris Ionii insulis vid. Virg. A. III, 270., Plin. N. H. IV, 12., P. Mel. II, 7., Strab. X, 101. *Tulit*, protulit, ut passim Naso. Vid. Indices Metam.

88. *Turba—luxuriosa*. Vere *turbam* dicit; nam Od. XVI, 247. et seqq. e Dulichio LII, e Same XXIV, Zacyntho XX, ex Ithaca XXII (qui tamen hi non commemorantur) venisse dicit Telemachus. *Luxuriosam* autem cur eam dicat, tota docet Odyssea, praecipue L. I., XV. et XVI.

89. *Regnant*, i. e. ad libidinem suam dominantur. Vid. Forcell.

90. *Viscera—opes*. Quid sibi vult illud *tuae opes* iuxta *viscera nostra?* Ego cum vi additum esse puto, hoc sensu: *facultates et alimenta nostra, quae sunt tuae ipsius opes, dilacerantur atque dissipantur.* — Nonnulli codd. Ciof. et meliores (?) Heinsii *dilaniantur*, quod iam ante Heinsium ediderat Naugerius; sed in hac re sequenda est auctoritas codicum, qui fere omnes (mei certe omnes) cum vett. edd. habent *dilacerantur*. Vid. Ep. III, 86., VI, 129. Est autem Homericum κτήματα δαρδάπτουσιν. Ceterum *dilacerantur* respondet illi translato *viscera*.

91. *Polybumque*. Et hic addenda fuit copula, cum *Medon* primam corripiat. *Egnat.* In II Heins.: *Polybonque*. De *Medonte diro* vid. not. ad v. 63. De Eurymacho procorum principe, de Antimacho omnium ferocissimo et reliquis vid. Hom. Od. XV., XVI., XVII.

93. Iun.: *quidque*.

94. *Tuo—sanguine*. *Quos... rebus labore et ipso vitae periculo* (sc. in bellis) *a te partis turpiter* (quod dedecus est) *alis*. Trist. IV, 4, 59.

Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer; —
Ille per insidias paene est mihi nuper ademtus,
Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Dì, precor, hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos!
Hoc faciunt custosque boum longaevaque nutrix,
Tertius immundae cura fidelis harae. —

Sunt circa gentes, quae praedam sanguine quaerant.

95. *Irus—Melanthius actor.* De Iro, famoso illo mendico Ithacensi, cuius paupertas in proverbium abiit (vid. Trist. III, 7, 42.), vid. Od. XVIII, 1. et seqq. Melanthius Ulixis *αἰπόλος αἰγῶν*, ibid. XVII, 212. et alibi. Unde Heinsius ex IX aut X codd. suis, collato Fast. I, 323., bene emendavit *actor* pro vulgata l. eaque veterum edd. et plurimorum codd. *auctor.* Vid. not. ad v. 110. et var. l. Epist. VI, 120., VII, 136., XXI, 157.

96. *Ultimus—pudor,* ultimum, postremum dedecus. Conf. Epist. XII, 50., XV, 71. *Pudor* ut *cura* v. 104.

98. *Senex. Γήραϊ τειρόμενος* Hom. Od. XXIV, 232. Movendi caussa Telemachum filium, XX iam annos natum, puerum vocat. Sic se ipsam v. 115. vocat *puellam.*

100. *Invitis omnibus.* Quum supra (vid. v. 37. 38. collato v. 63. *Nos misimus*) a se ipsa missum filium Pylon dixerit Penelope, eum autem, quem ipsa miserit, non recte dicat, *invitis omnibus iter parasse,* accipiendum nobis erit, poetam sibi h. l. non satis constare (Vid. Crede Animadv. in loca quaedam vett. poet. p. 26. 59.), aut certe parum diligenter scripsisse. Nam *invitis* pro *dolentibus,* de quo olim cogitabam, abhorret a consuetudine dicendi.

101. *Euntibus ordine fatis,* quae ordine procedunt, si maiores natu prius e vivis tolluntur, quam natu minores. Plena sunt eius formulae monumenta sepulcralia in antiquis inscriptionibus. Tacit. Annal. XVI, 11. *Servavitque ordinem fortuna, ac seniores prius, tum cui prima aetas, exstinguuntur.* HEINS.

102. *Oculos comprimat.* De more illo, ut per cognatos morientium oculi clauderentur, qui iam Homeri temporibus vigebat (Od. XXIV, 295., XI, 426.), vid. Guther. de Iure Man. I, 13. p. 82., Kirchm. de Fun. Rom. I, 6., Potter. Archaeol. IV, 3.

103. *Hoc faciunt.* Haec verba ante D. Heinsium et post illum etiam ab N. Heinsio et Burmanno intelligebantur *hoc precantur,* quum verbum *facere* notum sit saepe sic verbi, quod praecesserit, sensum repetere. Verum alii interpretes, et recentiores prope omnes, cum D. Heinsio *faciunt* h. l. ad *precor* referri eiusque com-

Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis annis,
Hostibus in mediis regna tenere potest;

modare posse sensum negant, „cum, ut optimus illius sententiae interpres Van Lennep ait, nihil caussae appareat, cur eo potius quam ad proxime antecedentia verba *iubeant* et *comprimat* illud verbum referatur; praesertim cum *precor* adeo nullam praecipuam ibi vim habeat, ut etiam sine illo sententia constet.“ Atque inde locum pro corrupto habitum coniecturis emendare studuerunt. Cod. Gott.: *hoc cupiunt*, non improbante Burmanno; sed illud e glossa verbi *faciunt* ortum esse nemo non videt, et cod. Trev. vere habet glossam: *cupiunt, precantur.* D. Heinsius audaci et ad sensum parum felici coniectura hoc distichon collocandum putabat post v. 108.: ut Penelope strenuas, quae ad tuendam filii aetatem opus essent, patris vices bubulcum, longaevam Eurycleam et subulcum gerere dicat. Wideburg in dicto Specim. scribendum censet *veniat (vivat modo)*, et totum locum transponendum hoc modo: 97. 98. 107. 108. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 109. 110., maiore audacia et peiore sententia; nisi quod illud *faciunt* refert ad *precor.* Matthiae hoc distichon poni volebat post v. 106. hoc sensu: Sed Laertes regnum tutari non valet; faciunt hoc potius *bubulcus, l o n g a e v a nutrix et subulcus!!* Ineptam prope dixerim iuxta votum, quod continetur disticho praecedenti, coniecturam V. D. in Ephem. Litterar. Heidelberg.: *ut faciant.* Van Lennep coniecit, quod Iahn nuper edidit, *huc faciunt,* cuius sensum statuit esse hunc: Has partes sequuntur, mihi, Laertae, Telemacho contra procos favent. Sed verba *huc faciunt* eum sensum non habent, quae valent, ut recte l. l. docet Hand, *eo conferunt;* adde importunam illam interpositionem, qua nexus sententiarum mire turbatur, cum praesertim altera parenthesis v. 99—102. praecesserit, et quod sic durius v. 105. oratio ad v. 98. regreditur. Hand coniecit: *quid faciant* paullo audacius et parum concinne. Mihi vetus scriptura et interpretatio vera ac plana videtur: *hoc faciunt* i. e. precantur. Ea enim est verborum *comprimat* et *iubeant* natura atque significatio, ut verbum *faciunt* ad illa referri nullo modo possit, igiturque poetae, quin obscurus fieret, verbum hoc paullo liberius ad remotius illud *precor* referre licebat. Accedit, ut *precor,* cum ab eo verbo tota sententia pendeat, non prorsus omni vi destitutum esse videatur, et ut sic totus locus quam aptissime cohaereat, in qua parte ex illis scripturis omnibus satisfacere nulla videtur: *Tres sumus imbelles, ego, Laertes, Telemachus* filius (97. 98.), *filius, qui mihi nuper paene est ademtus* (99. 100.), *quem ut diu nobis dii servare velint, precor* (101. 102.), *quod idem mecum faciunt* (precantur) *fidelissimi famuli* (103.

Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas,
  Nunc erat auxiliis illa tuenda patris;
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
  Tu citius venias, portus et ara tuis.

104.); (iam ad vss. 97. 98. unde tenerrimo indulgens affectui erat digressa, redit) *sed neque Laertes, senex, regnum tenere valet* (105. 106.); *nec Telemachus, iuvenis* (107. 108.); *nec mihi sunt vires* (109.). (Quare) *citius rogo venias* (110.). *Respice gnatum tuum, qui...* (111. 112.); *respice patrem, qui...* (113. 114.); *respice denique me, quae...* (115. 116.). Adde, quod ea est lectio omnium vett. edd. et prope omnium codd. De bubulco Philoetio vid. Od. XX, 185., de Euryclea Od. I, 428., de subulco Eumaeo Od. XX.

105. *Inutilis annis.* XI codd. (etiam margo Erf. et a sec. m. Trev. *L.*) *armis.* Placet. Amor. II, 3, 7.

> Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.

Annis tamen est Trist. IV, 8, 21. *Heins.* Lect. *armis* firmat sequens mentio *hostium* et *fortior aetas,* sc. armis tractandis. *Burm.* Si potestatem vocabuli *inutilis* specto et quod Naso illud persaepe pro *invalidus, infirmus* ponit, generalem sc. notionem pro speciali (vid. Ep. II, 129., IV, 7. Conf. not. ad Ep. XIII, 6.), mihi quidem lectio *inutilis annis* i. e. aetate (Met. XI, 90., Hor. Sat. I, 1, 4.) alteri illi bonitate sensus minime cedere videtur, et, quod hoc loco valet, apte ea respondet voci *senex* v. 98., quemadmodum *nec mihi sunt vires* v. 109. verbis *sine viribus uxor* v. 97., nec denique obstat illud *fortior aetas,* quod hanc ipsam confirmat: *ille est inutilis, invalidus annis aetate, illi veniet fortior, validior aetas;* neque vero mentio illa *hostium.* Quare cum omnibus vett. edd. et codd. meis dedi *annis.* Vid. var. l. Ep. XVI, 203.

106. *Potest. Valet* meliores (?) XIV. *Heins.* Vett. edd. et mei codd. omnes *potest.*

108. *Erat.* Per enallagen pro *esset,* ut v. 112. Leid.: *erit. Burm.* Vid. Zumpt. Gramm. Lat. §. 518. Ambr.: *fovenda.*

109. *Pellere.* Modus infinitus pro gen. vel *ad* cum acc. gerundii, millies non solum apud poetas, sed etiam apud soluti sermonis scriptores obvius. Vid. Drakenb. ad Liv. III, 4., Cort. ad Cic. Ep. ad Div. I, 5., Goerenz ad Cic. Acad. II, p. 37. et conf. supra v. 37.

110. *Portus et ara.* Nonnulli codd. Ciof., etiam Guelf. 1. a 2. m. *ara;* reliqui et Heinsii et nostri codd. cum vett. edd. *aura.* Atque eam I. Burmannus ita defendi posse existimat, ut maneat poeta in eadem translatione a navigantibus sumta; ac revocavit eam Iahn. Pro recepta tamen a nobis scriptura Heinsii, praeter quod locum et copiosiorem reddat et graviorem, afferri etiam illud potest, quod insignem ha-

Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laërten: ut iam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

beat colorem antiquitatis, quum ut portus naufragis sic arae supplicibus et iniuria pressis loca perfugii atque securitatis essent, et quod haec verba bene et saepe sic coniungantur, non item *portus* et *aura.* Pont. II, 8, 68.

Vos eritis nostrae portus et ara fugae.

Cic. Verr. V, 48. *Hic portus, haec arx, haec ara est sociorum.* De Nat. D. III, 10. Trist. IV, 5, 1. 2.

O mihi dilectos inter sors prima sodales,
Unica fortunis ara reperta meis etc.

De *ara* hoc sensu vid. Ruhnken. ad Terent. Heaut. V, 2, 22. Conf. Trist. V, 6, 14., et Virg. A. II, 523. Facile autem fieri potuisse, ut litera *u* invito Ovidio in omnes fere libros irrepserit, argumento potest esse versus 95. Codd. XX Heinsii: *redeas. Citius* statim.

111. *Est tibi, sitque precor. Sit* pro *sit diu;* Trist. I, 10, 1.

Est mihi sitque, precor, flavae tutela Minervae.

El. ad Drus.

Est tibi sitque, precor, multorum filius instar.

Sen. Oed. 855. *vivat* pro *diu vivat.* Vid. Fast. VI, 219. et Mart. IX, 19. ubi additur. In quibusdam codd.: *est mihi.* Burm.

112. *In patrias artes.* Rarior locutio est *erudire in artes* (et fortasse ab Ovidio novata), quam et Stat. ex Mss. reddit Barth. Theb. X, 501.

Et quae te in leges praeceptaque fortia belli
Erudiit genitrix.

Burm.

113. *Condas.* Magna pars codicum Heinsii *claudas.* Sed praeter maiorem auctoritatem librorum, nostri enim omnes cum veteribus editionibus *condas,* hoc verbum ab Ovidio saepius usurpatur, quam *claudere,* hac quidem significatione, et certe exquisitius est. Epist. X, 120., Trist. III, 3, 44., Art. A. III, 742. Ceterum Iahn hunc locum sic distinxit:

Respice Laërten, ut iam sua lumina condas:
Extremum fati sustinet ille diem.

Sed dura est atque insolentissima constructio: *Respice Laërten, ut iam sua lumina condas.* Contra aptissima ac simplicissima est: *Respice Laërten: ille extremum fati diem sustinet, differt, ut iam sua lumina condas;* ac flagitant eam pron. *ille* et *sua: ille* sustinet, ut *sua;* adde vim atque habitum loci oratorium (vid. ad v. 103.), qui interpunctione illa Iahni omnis perit. *Iam* illico.

114. *Fati sustinet.* Septem Heinsii codd.: *Fatis;* doctius sane atque exquisitius; sed audienda est auctoritas maximae partis librorum; ac praeterea verisimillimum est, *fatis* suum

Certe ego, quae fueram te discedente puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

sigma accepisse a voce sequente *sustinet*. Vid. ad v. 24.

Sustinet autem h. l. valet: *differt, retinet* (et quasi luctatur contra mortem te exspectans). Metam. X, 188.

Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.

Senec. Contr. I, 12. *Deficientis adolescentis spiritus in adventum meum sustinebatur*. Quint. Decl. XII, 2. *Non ut invisam animam sustineremus*. Mart. IX, 4. *Burm.* Conf. Liv. II, 45., Cic. ad Att. II, 51. Phaedr. II, 2, 6. *Kuinoel.*

115. *Discedente.* In bellum Troianum. *Ciof.*

116. *Redeas.* Viginti Mss. Heinsii, etiam nonnulli ex nostris: *venias;* ac nota res est, *venire* saepissime dici, ubi accuratius diceretur *redire*. Ep. XIII, 101., II, 20., Phaedr. IV, 21, 7., Hyg. Fab. 257. ubi vid. Munker. Sed vulgata et ipsa auctoritate codicum nititur; et praecessit *te discedente*. —

Ut est pro *quamvis*. Vid. Liv. II, 38., XXI, 52., Heins. ad Ovid. Pont. I, 7, 51., Prop. II, 7, 45. *Kuin.*

Facta videbor anus. Verus muliebris ingenii affectus. *Ciof.*

De sententia conf. Pont. I, 4, 47.



Saepe fui mendax pro te mihi; saepe putavi
Alba procellosos vela referre notos.
Thesea devovi, quia te dimittere nollet;
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Saepe deos supplex, ut tu, scelerate, valeres,
Sum prece turicremis devenerata focis.

ea, quae credita dolore nos afficiunt. Nunc quoque, etsi iam omnino cogor ita credere, malim posse non credere. *Spes lenta* h. l. est, quae longa mora extrahitur, ut bene Bentlei. ad Horat. A. P. v. 172. *Lenn.* Recte Van Lennep interpretatus est verba *spes lenta fuit,* atque ita omnis sublata dubitatio est, cum quibusdam codd. Heinsii legendum sit *lenta venit,* ut infra v. 62. *aequa venit,* an cum vulg. *lenta fuit.* Eodem modo Epist. III, 22. *iraque lenta tua est,* q. e. diu apud te perstat, tarde abit. Verba autem *invita nunc et amante nocent* ego sic interpretor: *nunc* (tandem) *me nolente* (quamvis nolim et a credendo abhorream) *et in amore perseverante nocent, laedunt,* h. e. *creduntur et sic laedunt.* Constructio non satis expedita atque perspicua. Bentleius correxit: *invitae nunc et ut ante (?), nocent;* Heusing.: *invita nunc et amante noces;* Kuinoel: *fuit: (tarde.....credimus:) invita nunc et amante nocet* vel *manet.*

11. *Saepe fui mendax pro te mihi,* h. e. me ipsam decepi caussas morae tuae animo fingens pro te, ad te excusandum.

12. *Alba.* Recte, quia boni ominis fuissent, ut notum ex historia Aegei et Thesei. *Burm.* Ego vero accipiendum puto pro *epitheto* quod vocant ornante vel solemni, ut saepe *candida, alba vela* dicuntur. (Fast. V, 162.) Locus enim ille de Aegeo et Theseo paullo aliter se habet; nam navis illa, qua Theseus proficiscebatur, propter tristem illam navigationem atra vela habere solebat, promiseratque patri filius, si victor reverteretur, signi loco se pro atris illis velis usurum esse candidis. Vid. Hyg. Fab. 41. 43., Catull. Epithal. v. 225. et seqq. *Procellosos.* Vid. not. ad Ep. III, 58. *Noti* autem proprie accipiendi sunt, ut Ep. III. l. l.

13. *Dimittere.* Male Heinsius *demittere* censebat. *Dimittere* Cic. saepius, velut ad Attic. XII. 18. *discedentem te non sine magno dolore dimittam.* Vid. Ep. V, 51., Amor. I, 6,35. *Burm.*

14. *Tenuit cursus — tuos,* i. e. continuit, impediit, a currendo (navigando) te retinuit. Vid. Epist. VI, 126., XVIII, 213. Alia est usitatissima ac tritissima illa oratio *cursum tenere,* q. e. cursum dirigere, tendere, in coepto cursu manere.

15. *Dum — Hebri,* i. e. in ipso reditu ad me in Thraciam. Hebrus enim fluvius est Thraciae, qui ex Haemo monte

Saepe, videns ventos coelo pelagoque faventes,
  Ipsa mihi dixi: „Si valet, ille venit.“

ortus in mare Aegaeum defluit. Plin. H. N. IV. 11. Orpheo a Maenadibus dilacerato clarus. Vid. Met. XI, 50., Virg. Georg. IV, 523. ibique I. H. Voss. *Vada* autem *Hebri* pro Hebro dictum est ex copia poetica. Conf. Ep. VII, 2.

16. *Cana.* Turbida. Sic Ep. III, 65. *canescere* et Ep. V, 54. *canet.*

17. 18. *Ut — — — focis.* Sic omnes editiones ante Burmannum; de quo hic vir: „Dubito, inquit, an haec satis Latina sint, et an *prece venerari focis* recte dicatur. Codices vero variant; in priori versu quidam: *ut tu scelerate redires* vel *venires; pro te scelerate rogavi* unus Reg. et Leid., quod minime reiiciendum puto, quia et rotundiorem versum facit et sensum optimum exhibet. *Cum prece* recepimus ex Pal. et Vat. Scribo:

Saepe deos supplex pro te, scelerate, rogavi,
  Cum prece turicremis devenerata focis.“

Atque eam scripturam recentiores editores fere omnes secuti sunt. Ac sane sic rotundior est sententia et de more Nasonis est, sensum hexametri ita per pentametrum copiosius exponere; ex .c. Ep. V, 113. 114.

Hoc tua, nam recolo, quondam germana *canebat*,
  Sic mihi diffusis *vaticinata* comis.

qui locus huic, qualem Burmannus vult constitui, admodum similis est. Loquendi autem formam *rogare aliquem pro aliquo* probavit Burmannus ad Phaedr. III, 2. Vid. vel nostrum Epist. XXI, 61. Sed cum reliqui codd. et veteres edd. in recepta a nobis scriptura fere consentiant eaque satis bonam praebeat sententiam, non licet tantae auctoritatis lectioni novam eamque e trium inter se discrepantium codicum varietate conglutinatam praeferre. *Prece vero turicremis focis* pro *ad turicremos focos devenerari,* licet paullo insolentius dictum sit, minus a Latinorum ratione dicendi alienum videbitur, si veteres saepe per ipsam vim casuum, quod nos praepositionibus, enuntiare hincque non raro eorundem casuum concursum fieri memineris. Conf. Ep. IX, 85. 86. et vide de eo usu A. Matthiae ad Cic. or. pro Mur. §. 87. et Bremi ad Suet. Oct. c. 16. *Prece devenerari.* Met. VI, 203.

Quodque licet tacito venerantur murmure numen.

Conf. Trist. I, 3, 41. *Deveneror* autem est valde veneror. Vid. v. 28., Epist. X, 141., Met. XI, 331. Ac talia Ovidius, quo facilius conficiatur versus, persaepe usurpat, quod commune ei est cum Suetonio aliisque serioris aetatis scriptoribus. Pal., Vat., Ment. *cum prece.* Ment. *sum venerata.* Pauci Heinsii codd.: *turiferis.* Male. Vid. Art. A. III, 393., Lucret. II, 743., Virg. A. IV, 453. In XI e XII nostris codd. et edd. Venn. vss. 18. 19. desunt. Unde Hubertinus coniecit: *Saepe deis s., ut t. sc. valeres, Ipsa mihi etc.*

20. *Si valet, ille venit.* Nos cum Lov. distinximus: *si valet*

Est nemus et piceis et frondibus ilicis atrum,
Vix illuc radiis solis adire licet;
Sunt in eo, fuerant certe, delubra Dianae;
Aurea barbarica stat dea facta manu. —
Nescio an exciderint mecum loca. — Venimus illuc;
Orsus es infido sic prior ore loqui:

opem. Sed sic cum pluribus codd. rescribendum erat: *habebat;* quod fecimus. De Latinitate ne dubites. Similiter *auxilium habere* dicitur *Augusti vultus* ex Pont. II, 8, 54. Nodellio placet nonnullorum codd. Heinsii lectio *et alter habebit;* modo *at* scribatur pro *et;* ut sententia sit: Roganti Chalciopae Argonautis auxilium promisisse Medeam opem suam, per speciem quidem et caussam, ac si filiorum sororis ipsam misereret, re autem vera Iasonis caussa id fecisse, seu illi dedisse. In cuius praesidium laudat Apoll. Rh. III, 64. sqq. et 710. sqq. Fateor ita summum esse acumen. Id unum quaeri possit, utrum ad talem sententiam requireretur in pentam. *sibi, suis,* vel simile quid. Debet enim sensus esse: Damus Aesonio iuveni, quod illa suorum caussa petiverat. Sed nec eo ducit hexameter, ubi soror tantum dicitur opem petivisse Minyis. *Lenn.*

Recta mihi videtur scriptura huius versus et interpretatio Lennepii, quae non parum firmatur versu seq., in quo illud *(nos) damus* respondet verbis *altera habebat,* illud *quod rogat illa* verbis *orat opem* et *petit altera,* denique illud *Aesonio iuveni* verbo *Minyis.* Quam inconcinna quamque obscura autem sit l. *altera habebit,* si cum hoc sensu comparetur, nemo non videt. Atque eam lect. tuentur codd. Trev., Erf., Goth. 2., Guelf. 1. a m. sec. et multi Heins. Put. et Gott.: *petit alter et alter habebit.* Heusinger sic scripsit et interpunxit:

— petit altera, et altera: habebit.

ut *habebit* sit vox promittentis. Parum eleganter.

67. *Est nemus.* Conf. Epist. XVI, 54. 55. De hoc modo et descriptiones locorum et narrationes ordiendi vid. not. ad Epist. XV, 157. et XVI, 53. *Nemus* illud descripsit Orph. 909. seqq.

68. *Illuc.* Mor. *illud,* quod sine idonea caussa recepit Burm. Vetusti libri Heins. *illic* vel cum vulg. *illuc.*

69. *Fuerant certe.* Multi (?) codd. *fuerantque diu,* quod admittendum. Delubra enim a vetustate venerationem praecipue mutuabantur. Plena eius rei poetarum ubique scripta. Fast. IV, 649., Met. III, 28., VIII, 742. Malo tamen *fueruntque diu. Heins.* Omnes vett. edd., quas ego inspexi, habent *fuerant certe,* nec aliter omnes codd. mei, atque inde coniici potest de *multis* illis Heinsii. Quae quidem lectio cum sensui aptissima sit, nihil novandum censeo.

70. *Barbarica* i. e. Colchica,

„Ius tibi et arbitrium nostrae fortuna salutis
„Tradidit, inque tua est vitaque morsque manu.
„Perdere posse sat est, si quem iuvat ipsa potestas;
„Sed tibi servatus gloria maior ero.
„Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
„Per genus et numen cuncta videntis avi;

e more Romanorum; sed parum id eleganter in ore Medeae et de ipsius gente. Vid. not. ad Epist. III, 2.

71. *Nescio an exciderint.* (Sic vett. libri vulgo.) In Put. *nostin'* a prima m. fuisse videtur et *an exciderunt* (idem exhibent Guelf. 4. et margo Bersm. *Nostin'* an etiam ed. Vinc. et Col. et cod. Goth. 2. *L.)* Unus Medic. *nostis.* Alii V (etiam Guelf. 1., Helmst.) *noscis an.* Nam quod multi ex vulgatis habent *nescis, an exciderint* repugnat metro. *Nostin'* eleganter. Sic *viden', scin', vin'* et similia pro *videsne etc.* apud veteres. *Exciderunt* legendum, licet plurimi codd. et edd. exhibeant *exciderint* vel *exciderant.* Vid. not. ad Epist. VII, 166. *Illuc* praeterea est in melioribus et in edd. Venn., non ut vulg. et pauci codd. *ambo.* HEINS. *Nostin'* prope nullam auctoritatem veterum libr. habet, nec apud Nasonem usquam legitur. *Nescis* repugnare metro iam recte monuit Heinsius. Supersunt *noscis an* et *nescio an.* Quorum prius quum facile fieri potuerit ut ortum sit ex illa difficultate metrica verbi *nescis*, et apud nostrum rarissimum sit, lectionem *nescio an* cum multis codd. et edd. Naug. et Venn. revocavimus, quam etiam coniunctivus modus plurimorum codd. *exciderint,* postulat. Sensu autem haec lectio optimo e ; nam haec *nesc. a. exc.* cum acerbitate et quasi cum irrisione inter illa *est—manu* et *venimus illuc* interponuntur. Conf. Epist. VI, 144. *Excidere* de oblivione vid. Ep. II, 105.

72. *Orsus es.* Vulg. et nonnulli codd. *ausus es.* HEINS. Idem Trev., Giess., Guelf. 1. 2., Helmst.; Helmst. tamen et Trev. a 2. m. *orsus es.* Cf. Met. IV, 320.

74. *Inque tua est. Est* cum Iahno e plurimis vett. l. l. revocavimus, quod Heinsius praesidio V codd. omisit.

75. *Ipsa potestas.* Put. et alii plerique *ipsa.* Idem Put. cum Lov. *iuvet.* HEINS. *Ipsa,* pro quo Heinsius dedit *ista,* mei sine varietate omnes, item edd. Venn. et Bas., quod non mutare debebat Heinsius. Sensus est: „Solo τῷ *perdere posse* contentus est, si quem potestas *ipsa* (quae sc. ne ipsa quidem omnes iuvat) delectat: verum tibi (insuper) maiori laudi erit, si me serves.“ Quanquam l. *ista p.*, i. e. haud invidenda illa, ad sensum facilior est. Ad sententiam conf. Amor. III, 4, 9.

78. *Numen — avi.* Circumlocutio pro *avum,* Virgilio inprimis solemnis. Conf. Ep. XVI, 128., XX, 100. Put. *nomen.* Vid. ad Epist. II, 50. *Avi,* Phoebi, nam Aeetes erat filius Phoebi vel Solis. Hom. Od. X, 135., Apollod.

Epist. VI, 62. *Vivat,* i. e. tollo. Vid. ad Epist. IV, 124.
— post v. 163. nunc ponerem punctum, quo exsecratio illa gravissima v. 164. et finis ille vere tragicus magis appareret.

Epist. VII. v. 23. Excerpta Sarr.: *incocto.*
— in annot. ad v. 53. post verba *firmata est* adde: Vid. etiam Trist. V, 9, 5.
— in annot. ad v. 85. post illa *vulgata scriptura* adde: quidam Heins.: *narrabis.*
— ad annot. ad v. 189. adde: Reliqui libri cum vulg.: *primum.*

Epist. VIII. ad annot. ad v. 39. adde: Vat.: *concedit.*
— in annot. ad v. 64. post *Huschk.* adde: De abl. *perenne* vid. XVI, 277.
— de consecut. temporum v. 90. vid. ad XV, 4. et XVI, 278.
— in annot. ad v. 110 pro *quoque* lege *quoque libet.*

Epist. IX. ad annot. ad v. 13. adde: Sarr.: *iudicibus.*
— in annot. ad v. 38. post *modo—servetur* adde: Met. VII, 413.

> Cerberon abstraxit, rabida qui concitus ira
> Implevit pariter ternis latratibus auras.

— ad annot. ad v. 57. adde: Ceterum totam hanc cultus permutationem poeta etiam Fast. II. tetigit lepideque narravit, quam ipse videtur invenisse, quum a fabularum scriptoribus non commemoretur. Cf. Tertull. de Pall. p. 226.
— v. 102. praestantiores *non cultu* pro vulg. *num c.* HEINS.
— ad annot. ad v. 120. post verba vid. ad. Epist. IV, 19. et 24. adde: vid. etiam Propert. III, 1, 24. De illo *et,* pro quo etiam *et praeterea* dici poterat, conf. Trist. IV, 6, 38.
— ad annot. ad v. 120. post verba *coeptam esse* adde: (vid. Iuv. Sat. III, 232.).
— in annot. ad v. 167. post illud *novissime* add.: *lucem.*

Epist. X. in annot. ad v. 31. post illa *esse videantur* adde: Vid. Epist. XX, 178.
— Vss. 33. 34. illustrantur loco eiusdem sensus Trist. I, 3, 13. 14.

> Ut tamen hanc animo nubem (sc. defectum) dolor ipse removit,
> Et tandem sensus convaluere mei, etc.

— ad annot. ad v. 59. adde: Put.: *culto;* ad v. 67.: Iun.: *disiecta,* ad v. 85.: Douzae: *parit* et ad v. 111.: unus Palat.: *cur.*

Epist. X. v. 126. *turbae* intelligendum *turbae sociorum, amicorum tuorum,* quod patet ex illo *tuae.* Conf. ex Pont. II, 2, 104. et IV, 9, 6.

— in annot. ad v. 144. loco *si non ego tibi caussa sum salutis* lege: *si non ego mihi caussa salutis sum,* q. e. si non *ego* mihi (sc. te amando et sequendo) caussa vitae ac salutis sum, (attamen) non est (caussa), cur tu etc.

Epist. XI. v. 8. *exigeretur* non valet *perficeretur* sed *examinaretur, exploraretur.* Vid. Metam. XIV, 268., A. A. II, 502. et Forcell. in v.

— v. 38. *furtivum—onus,* i. e. onus, foetus furti, furtivi amoris. Conf. Epist. XVI, 289. et VI, 43.

— ad v. 64. conf. Metam. I, 300. et vid. not. ad Epist. II, 14.

Epist. XII, 16. erravi. *Immemor* intelligendum, qui mei, quae ipsum servavi, oblitus est.

Ad prooem. p. XLV. post verba *et Epist. II,* 25. 26. adde: Conf. XV, 1—4. cum. Pont. I, 7, 2. 3., porro 5—8. cum Trist. V, 1, 3—6., v. 129. cum Amor. III, 7, 9., v. 29. cum Epist. III, 47.

— p. LII. post illa *id quoque luctando* adde: vss. 79. 80.


Et modo suspiras, modo pocula proxima nobis
Sumis, quaque bibi tu quoque parte bibis.


cum Amor. I, 4, 31. 32.

Quae tu reddideris, ego primus pocula sumam,
Et qua tu biberis hac ego parte bibam.

Conf. etiam v. 129. cum Trist. I, 11, 33. 34.

Imprudenti exciderunt *subintelligo* pro *subaudio, patere in* pro *patere ex, non vero* pro *et non* vel simplici *non, a Lennepii* et *Van Lennepii* pro *Lennepii, Amari* pro *Amaro, Argentinensis* pro *Argentoratensis,* semel *dubito an* pro *dubito an non,* semel *licet* cum indic., quae me non fugissent, si plagulas, quae speciminis loco a librariis proponi solent, mihi ipsi corrigere licuisset. Nunc hoc loco corrigo. *Cuiusvis est hominis errare, nullius nisi insipientis, perseverare in errore.* Cic.




UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 16 24 08 003 1